114-7
12

Theological Seminary.
PRINCETON, N. J.
Part of the
ADDISON ALEXANDER LIBRARY,
which was presented by
MESSRS. R. L. AND A. STUART.

Case, Division
Shelf, Section
Book, No,

BS1145
.R815
1828
v.5

J. Addison Alexander.

Princeton.

September 2, 1834.

ERN. FRID. CAR. ROSENMÜLLERI

THEOL. DOCT. ET LITTERR. OO. IN UNIV. LIPS. P. P. O.

SCHOLIA

IN

EZECHIELIS VATICINIA

IN COMPENDIUM REDACTA.

ADJECTAE SUNT TRES TABULAE AERE EXPRESSAE ICHNOGRAPHIAM SISTENTES TEMPLI AB EZECHIELE DESCRIPTI.

LIPSIAE,

SUMTIBUS JO. AMBR. BARTHII

MDCCCXXXIII.

ERN. FRID. CAR. ROSENMÜLLERI

THEOL. DOCT. ET LITTERR. OO. IN UNIV. LIPS. P. P. O.

SCHOLIA

IN

VETUS TESTAMENTUM

IN COMPENDIUM REDACTA.

VOLUMEN QUINTUM,

SCHOLIA IN EZECHIELIS VATICINIA

CONTINENS.

ADJECTAE SUNT TRES TABULAE AERE EXPRESSAE ICHNOGRAPHIAM SISTENTES TEMPLI AB EZECHIELE DESCRIPTI.

LIPSIAE,

SUMTIBUS JO. AMBR. BARTHII

MDCCCXXXIII.

LECTURIS

S.

Scholia nostra uberiora in Ezechielis vaticinia anno MDCCCXXVI. duobus voluminibus secunda vice edita tradimus Vobis hoc volumine in compendium redacta, ita tamen, ut non pauca in hac epitome sint correcta, addita et accuratius explicata. Accessere praeterea ad calcem libri prophetae de templi visione Capita tria XL. XLI. XLII. emendata, ad verbum translata et per imagines illustrata a Jul. Frid. Boettcher, AA. M., in schola Dresdensi ad Aedem S. Crucis Collega. Quod quidem ἐπίμετρον Vobis eo gratius futurum esse speramus, quo majori cura et sollertia Vir Doctissimus rem pluribus de causis difficilem et obscuram expedire studuit. Scrib. Lipsiae d. XXVII. Decembr. MDCCCXXXII.

IN

EZECHIELIS VATICINIA

PROOEMIUM.

1. *Ezechielis ortus et vita.*

Ezechiel (יְחֶזְקֵאל *fortis est*, vel *fortem se exhibet Deus*, *praevalebit Deus*, contracte pro יְחַזֵּק אֵל) quum se ipse *filium Busi sacerdotis* appellet (1, 3.), tribus Leviticae familiae Aaronicae, adeoque ipsis natalibus sacerdotem fuisse patet. Patriam habuit Judaeam, sive regnum Judae, in quo natus fuit et vixit, quando cum Jechonia rege et regia familia decemque hominum millibus a Chaldaeis, Nebucadnezare duce, Babyloniam est deportatus (Cap. 1, 2. coll. 2Reg. 24, 12.), juvenili, uti videtur, aetate. Nam anno demum deportationis *quinto* prophetae munus suscepit (1, 2.), et anno exilii *nono* orbatus est uxore (24, 1. 18.). Quo autem anno Ezechiel in Chaldaea vaticinia edere coepit, Jeremias Hierosolymis jam trigesimum quartum muneris prophetici annum exegerat, una cum nostro adhuc octo minimum annos eodem officio perfunctus. Quumque Ezechiel inceperit anno post deportationem *quinto* vaticinari, et vaticinatus adhuc sit anno *vigesimo septimo*, uti ex 29, 17. sui libri constat; certe per *viginti duos* annos propheticum munus sustinuit. Coaevos habuit vates, praeter Jeremiam, in Judaea Zephaniam, in Chaldaea Danielem, quem, ut pietate et sapientia clarum, laudat 14, 14. 20. 28, 3. Praeterea de fatis Ezechielis nil constat, nec

quamdiu vixerit, et quem exitum habuerit, monimentis fide dignis proditum est.

2. *Vaticiniorum Ezechielis argumentum.*

Qui ab Ezechiele nomen habet liber ab eo vate scriptum esse, ipsum ejus argumentum et universa indoles ostendit. Nam quo tempore Ezechiel sua oracula edere ad Chaboram fluvium coepit, regnavit in Judaea Zedekias, a Nebucadnezare in locum deportati a se in Babyloniam Jechoniae suffectus. Atque ille quidem, quamvis Chaldaeo regi obnoxius, potuisset tamen rempublicam Judaicam tranquille administrare, si regi victori fidem servasset, ad quam se ei jurejurando obstrinxerat. Sed quorundam hominum, qui divina oracula jactabant, sinistris consiliis instigatus, cum rege Aegypti, Nebucadnezaris aemulo, foedus inire affectabat, sperans fore, ut tam potenti socio adjutus Nebucadnezaris jugum excutere possit. In quam quidem spem magis adhuc erectus est, quum populorum vicinorum reges ad eum legatos mitterent, qui cum eo consilia agitasse videntur, qua ratione unitis viribus Nebucadnezaris potentiam infringere possent. In eandem spem maximam partem adductus populus ludibrio et contemtui habuit prudentiores, qui infelicem illorum conatuum exitum animis praesagiebant. Inter eos eminuit Jeremias vates, qui, divina munitus auctoritate, omni contentione eo elaborabat, ut regem a foedere cum rege Aegyptio ineundo abstraheret. Verum et eos, qui in terris Babylonicis exsules degebant, mendacibus prophetis seductos, spem fovisse, se prostrato Chaldaeorum regno, brevi in patriam redituros esse, ostendunt literae, quas ad illos misit Jeremias (Jerem. 29.), quibus eos, ut spem istam deponerent, monuit, et auctor suasorque iis exstitit, ut in iis terris, quas tunc incolebant, domos aedificarent, hortos plantarent, uxores ducerent filiosque elocarent, quum septuaginta annis in exilio sint permansuri. Quibus Jeremiae monitionibus et praedictionibus ut fidem conciliaret et pondus adderet, sua vaticinia edidit qui ipse exsul una cum

deportatis popularibus in Babylonia vivebat, Ezechiel. Hinc in suis concionibus hoc potissimum agit, ut suis ostendat, tantum abesse, ut, quam conceperant, mox instantis reditus in patriam spes impleta foret, ut potius et illa, quae adhuc in Judaea reliqua esset, populi pars a Nebucadnezare ultimum rerum suarum excidium sit passura, foedifrago rege, et ipso in Babyloniam abducendo, frustra auxilium ab Aegypto exspectante (17, 15. sqq.). Docet, ingentia ista mala supplicia esse digna tot tantisque sceleribus, quibus se contaminassent Hebraei, invehiturque in mendaces prophetas, qui, pacata et feliciora tempora pollicentes (12, 21. sqq. 13, 2. sqq. 17. sqq.), in causa essent, ut populus spretis vatum verorum minis impendentium malorum securi ea non vitae morumque emendatione averterc studeret, sed animis suis indulgerent, et effrenatis suis cupiditatibus obsequerentur. Ne vero, si qui inter Hebraeos boni et probi homines fuerint, qui vatis praedictionibus fidem praeberent, animos desponderent, eos passim erigit interjectis promissionibus, quibus eis spem facit non tantum recuperandae pristinae libertatis, verum et status multo florentioris, quam quo ullis antea temporibus fuissent (v. c. 14, 21. 22. 23. 16, 53—63. 20, 40—45. C. 33—37.). Vaticinatur etiam contra exteras gentes; praesertim Ammonitis, Moabitis, Tyriis, Aegyptiis, Idumaeis sua fata canit (C. 25—32.). Praeterea gentibus quibusdam barbaris atque ferocibus, quae futuro aliquo tempore rege suo, Gogo, duce, populum Israeliticum, post longum exilium patriae terrae restitutum, sint invasurae, durum atque ignominiosum interitum minatur (C. 38. 39.). Denique, in extrema libri parte (C. 40—48.), multus est in describendo statu habituque plane novo eoque exoptatissimo, quo aetate quondam aurea res Hebraeae cum universa regione sint futurae.

3. *Vaticiniorum Ezechielis indoles et stylus.*

In Ezechielis Vaticiniis quamvis verborum structura et ratio satis sit plana et expedita, visionum tamen, imaginum ac para-

bolarum varietate et copia reliquos Prophetas omnes longo post se intervallo relinquit. Interdum enim per visiones, ut C. 1. sqq. 8—11. 37. 40. sqq., mox per actiones symbolicas, ut C. 4. 5. 12., nunc per similitudines, ut C. 15. 33. 34., nunc per parabolas, ut C. 17., item per carmina et fictiones poeticas, ut C. 19., nec non per allegorias, ut C. 23. 24., denique per manifestas praedictiones, exprobrationes et minas, ut C. 6. 7. 11. 14. 16. rel., agit, tantaque ubertate et figurarum varietate floret, ut unus omnes prophetici sermonis numeros et modos explevisse, jure suo dicendus sit. Habet vero Ezechiel hoc potissimum sibi proprium, ut quas exhibet imagines ita plene, ita copiose pingat, totasque absolvat, ut nihil addi posse, nihil in mente lectoris relinqui dixeris. In iis vaticiniis, quae per visiones et imagines proponit, hunc fere modum tenet, ut enarratis prius accurate omnibus ac singulis, quae mentis suae oculis objecta essent, Deum loquentem inducat, qui ipsum de illorum significatione edocet, et quae ei per figuras futura ostendisset statim claris verbis exponit (e. c. 4, 9—17. 5, 1—4. 5—17. C. 17.). Vaticiniorum hujus prophetae proprietates verissime descripsit Lowthus (*de S. Hebraeor. Poesi* Praelect. 21. p. 243. ed. Lips. Cf. Eichhorn *Einleitung in das A. T.* P. 3. p. 207. sqq. edit. tert.). „Ezechiel," inquit, „elegantia quidem multo inferior est Jeremia, sublimitate autem vel Jesajae par, sed in genere dissimillimo. Est enim atrox, vehemens, tragicus, totus in δεινώσει, in sensibus elatus, fervidus, acerbus, indignabundus; in imaginibus foecundus, magnificus, truculentus, et nonnunquam paene deformis; in dictione grandiloquus, gravis, austerus, horridus, et interdum incultus, frequens in repetitionibus, non decoris aut gratiae causa, sed ex indignatione et violentia. Quicquid susceperit tractandum, id sedulo prosequitur, in eo unice haeret defixus, a proposito raro deflectens, ut rerum seriem et juncturam vix unquam requiras. In ceteris a plerisque vatibus fortasse superatus; sed in eo genere, ad quod unice videtur a natura comparatus, nimirum vi, impetu, pondere, granditate, nemo ex

omni scriptorum numero eum unquam aequavit. Dictio ejus satis est perspicua; omnis prope in rebus sita est obscuritas. Visiones praecipue sunt obscurae, quae tamen (ut apud ceteros, Hoseam, Amosum, Zachariam) nuda et plane historica narratione exponuntur. Ezechielis autem pars major, eaque media, poetica est, siquidem aut res spectemus, aut dictionem; sed in sententiis adeo plerumque est rudis et incompositus, ut saepe dubitem, quid de eo hac in parte statuendum sit."

Lingua hebraica, qua utitur Ezechiel, declinat ad Aramaeismum, habetque haud paucas voces et formas Chaldaicas (veluti tritum illud apud Nostrum בֶּן־אָדָם pro simplici אָדָם, vid. not. ad 2, 1.; גִּבְהָא pro גִּבְהָה 31, 5., קָרְחָא pro קָרְחָה 27, 31., בָּה 14, 4. ubi cf. not.), prouti a scriptore, qui in Mesopotamia, sive Syria aquilonari vixit, exspectes. Praeterea habet plures cum aequali suo, Jeremia, loquendi formulas, construendi modos et verborum formas communes, ut usus *τοῦ* אוֹתָם pro אֶתֶם 14, 4. 27, 26. 37, 26., coll. Jercm. 12, 1. 19, 10., תְּקָרְבוּ pro תִּקְרְבָנָה 37, 7., ut Jerem. 49, 11. תִּבְטָחוּ pro תִּבְטַחְנָה; nomen הֲמוֹנָה 1, 24. praeter hunc locum nonnisi apud Jeremiam 11, 16. legitur. Quemadmodum Jeremias ita et Ezechiel usurpat formam Aramaicam secundae personae femininae Praeteriti, ut אָכַלְתִּי 16, 13., יָרַדְתִּי ibid. Vs. 20., זָכַרְתִּי Vs. 22.

4. *Ezechielis Vaticinia quonam ordine sint disposita?*

Plura Ezechielis vaticinia (quae num a vate ipso, an vero ab alio quodam sint collecta definiri nequit) tempus, quo editi fuerint, praenotatum habent, annis computatis a deportato Jechonia rege in Babyloniam (vid. 1, 2.) hoc quidem ordine:

	Anno	*Mense*	*Die*	*edit. est*
1	5	4	5	Cap. 1, 2.
2	-	-	12	- 3, 16.
3	6	6	5	- 8, 1.
4	7	5	10	- 20, 1.
5	9	10	10	- 24, 1.

	Anno	*Mense*	*Die*	*edit. est*
6	11	1	1	Cap. 26, 1.
7	10	10	12	- 29, 1.
8	27	1	1	- - 17.
9	10	1	7	- 30, 20.
10	-	3	1	- 31, 1.
11	12	12	1	- 32, 1.
12	-	-	15	- - 17.
13	-	10	5	- 33, 21.
14	25	1	10	- 40, 1.

Patet ex hac tabella, *temporis* ordinem in Ezechielis prophetiis digerendis solum non esse observatum: nam quod ultimum locum occupat vaticinium, C. 40. sqq., anno exilii vicesimo quinto est editum, quod vero tertio post anno, vicesimo septimo, editum est, in medio fere omnium vaticiniorum est positum. Porro quod *sextum* locum tenet oraculum 26, 1. sqq., anno *undecimo* ineunte proditum, praecedit illud 29, 1. sqq., quod anno *decimo* prolatum fuerat. Tum ea inter oracula, quae anno *decimo* et *undecimo* sunt edita, interjectum legitur (29, 1. et 30, 20.) aliud, quod anno *vicesimo septimo* propositum fuit, 29, 17. sqq. Denique quod mense *decimo* anni duodecimi editum erat, 33, 21., positum est post illud, quod mense *duodecimo* ejusdem anni vates edidit. Neque tamen cur illa oracula, quae non secundum temporis ordinem posita deprehenduntur, eum quem occupant locum tenent, ratio potest obscura esse. Docet enim quem infra dabimus totius hujus libri conspectus, eum qui illa collegit, sive is vates ipse fuerit, sive quispiam alius, in vaticiniis collocandis non tam temporis, quo illa edita fuissent, ordinem spectasse, quam hoc potius sibi propositum habuisse, ut singula oracula inter certa capita ita digereret, ut quae ejusdem aut similis argumenti essent conjungeret. Ille igitur quum *quatuor* libri partes facere constituisset, quarum *prima* prophetae inaugurationem describeret (C. 1. 2. 3.), *secunda* eas conciones contineret, quibus vates populi Judaici superstitiones et scelera castigaret (C. 4 — 24.), *tertia* vaticinia contra alias

gentes (C. 25 — 32.), *quarta* consolationes et promissiones (C. 33 — 48.); visum est ipsi, illud vaticinium, quod extrema tempora spectat (C. 40.), anno exilii vicesimo quinto editum, ultimo loco ponere, quamvis ei, quod anno 27. prodiit, tempore prius esset. Oracula vero contra Aegyptum quum divellere nollet, illud quod 29, 1. sqq. legitur, anno *decimo* editum, posuit post aliud vaticinium, quod anno *undecimo* promulgatum fuit. Praeterea in disponendis iis vaticiniis, quae Aegyptum spectant, tenuit hunc ordinem, ut ea, quae *causas* exponunt, cur Aegyptiacum regnum sit devastandum et evertendum, praemitteret ceteris, in quibus Aegypti strages pluribus describitur. Hinc factum, ut illud oraculum, quod 29, 17. sqq. habetur, anno demum *vicesimo septimo* editum, praemissum sit alii in Aegypto vaticinio, 30, 20., quod jam anno *undecimo* evulgatum fuerat.

VATICINIORUM EZECHIELIS

ΣΥΝΩΨΙΣ.

I. Prophetae inauguratio, C. 1. 2. 3.

1) Dei ad munus propheticum Ezechielem vocantis repraesentatio allegorica, C. 1.

2) Ipsa inauguratio atque muneris suscipiendi institutio, C. 2.

3) Oraculorum ab eo proferendorum argumenta, variis expressa imaginibus, atque ad munus cum alacritate obeundum exhortatio, C. 3.

II. Castigantur populi Judaici nefandae superstitiones et scelera, denunciaturque Hierosolymitanae urbis atque universae reipublicae eversio, C. 4 — 24.

1. Orationes contra

A. Hierosolymam, de urbis

a) *obsidione*, designata
  α) typo in latere descripto, 4, 1 — 4.
  β) gestibus causam designantibus, 5 — 8.
b) *fame*, ubi
  α) figura proposita per cibum stercore coquendum, 9—12.
  β) explicata, 13 — 16.
c) *excidio*, ubi
  α) figura data per pilos novacula rasos, 5, 1 — 4.
  β) explicata per
    א. indicationem causarum, 5. 6.
    ב. comminationem { generalem, 7 — 11. / specialem, triplicis poenae, 12 — 17.

B. Montes Israelis, in quibus falsis deis sacra fiebant, ubi comminatio prolata, 6, 1 — 7.
  temperata, 8 — 10.
  confirmata, 11 — 15.

C. Terram Israelis, cujus praedicitur ruina,
  in se { summa, 7, 1 — 4. / mox imminens, 5 — 11. / indeclinabilis, 12 — 15. / lamentabilis, 16 — 19. / superstitionibus promerita, 20 — 22.
  conjuncta cum incolarum abductione in terras exteras, 23 — 27.

2. Visum vati divinitus objectum, quo ei Hierosolymam abrepto (8, 1 — 3.) ostenditur
a) quadruplex civium εἰδωλολατρεία,
  α) Baalis simulacro exhibita, 5. 6.
  β) imagines animalium, 7 — 12.
  γ) mulieres Adonidem plángentes, 13. 14.
  δ) sacerdotes solem adorantes, 15. 16.
b) vindicta divina
  α) denunciata, 17. 18.
  β) mandata cum restrictione, 9, 1 — 7.
  γ) exercita, 8.
  δ) frustra deprecante vate, 9 — 11.

c) augusta Jovae species templo emigrans, jussa prius ignis per urbem effusione, C. 10.

d) procerum Hierosolymitanorum consilia foventium (11, 1 — 4.), ideoque puniendorum conventus, 5 — 12., non admissa vatis deprecatione (13. 14. 15.), addita tamen promissione poenitentibus facta, 16 — 22.

e) Jovana species urbem relinquens, 23., quo facto propheta Babylonem reductus exsulibus ea omnia, quae ipsi obtigerunt, narrat, 24. 25.

3. Vaticinia contra

A. Regem et populum Judae

a) sub figura duplici

α) convasationis

א. descripta, 12, 1 — 7.

ב. explicata, 8 — 16.

β) trepidantis esus

א. proposita, 17. 18.

ב. exposita, 19. 20.

b) sine figura, contra

α) irrisores prolongationis, 21 — 25.

β) dilatationem obtendentes, 26 — 28.

B. Pseudo-Vates

a) sexus masculini, quorum

α) falsitas redarguitur, 13, 1 — 7.

β) poena indicitur, 8 — 16.

b) sexus feminei, quarum

α) falsitas redarguitur, 17 — 19.

β) poena indicitur, 20 — 23.

C. Seniores populi, ubi

a) castigatio

α) Deum hypocritice quaerentium, 14, 1 — 5.

β) Prophetarum falso respondentium, 6 — 11.

b) comminatio poenarum indeclinabilium, 12 — 20.

c) promissio conservationis nonnullorum, 21 — 23.

D. Hierosolymam, cujus denunciatur excidium imagine vitis facile comburendae

a) proposita, 15, 1 — 5.

b) explicata, 6 — 8.

E. Populum Judaicum, qui sistitur imagine puellae
a) a Deo, sponso,
α) educatae, 16, 1 — 7.
β) exornatae, 8 — 14.
b) per scortationes
α) a sponso aversae, 15 — 22.
β) prostitutae, 23 — 34.
c) a Deo, sponso,
α) repudiandae et ignominiae exponendae, 35 — 52.
β) reducendae et novo foedere jungendae, 53 — 63.
F. Zedekiam, regem, sub parabola vitis et aquilarum
a) proposita, 17, 1 — 10.
b) explicata, 11 — 24.

4. Vindicatio justitiae divinae
A. generatim, 18, 1 — 4.
B. speciatim
a) ostendendo
α) probitatem parentum non prodesse filiis impiis, 5 — 13.
β) impietatem parentum non nocere filiis probis, 14 — 18.
b) caussam explicando cur unicuique pro meritis reddatur vita vel exitium, 19 — 24.
C. addita cohortatio ad poenitentiam, 25 — 32.

5. Lessus in domus regiae excidium, duplici figura
a) leonum captorum, 19, 1 — 9.
b) vitis arefactae, 10 — 15.

6. Objurgatio peccatorum,
A. occasio, 20, 1 — 3.
B. propositio, inducens peccata
a) majorum populi in
α) Aegypto, 4 — 9.
β) deserto, 10 — 26.
γ) terra Canaan, 27 — 29.
b) populi praesentis, et eorum quidem
α) recensionem, 30 — 32.
β) repensionem, 33 — 39.
C. addita promissio instituendae civitatis sanctae, e qua impii omnes excludendi, 40 — 45.

7. Comminationes contra
   A. Hierosolymam, cui praedicitur
      a) deflagratio, 21, 1—3.
      b) incolarum caedes, 4—18.
      c) hostium irruptio, 19—25.
      d) captivitas
         α) populi, 26. 27.
         β) regis, 28—30.
   B. Ammonitas, 31—36.
   C. Hierosolymitanos, quorum
      a) peccata recensentur, 22, 1—12.
      b) poenae denuntiantur, 13—16.
   D. populum Judaicum, cui
      a) poenae denuntiantur, 17—22.
      b) peccata exprobrantur, et quidem
         α) generatim, 23—25.
         β) speciatim
            א. sacerdotibus, 26.
            ב. principibus, 27.
            ג. vatibus, 28.
            ד. plebejis, 29. 30.
      c) confirmatur poenarum denunciatio, 31.
   E. Regnum utrumque, Israelis et Judae, quorum
      a) peccata recensentur
         α) generatim, 23, 1—4.
         β) speciatim
            א. Israelis, 5—10.
            ב. Judae, 11—21.
      b) poenae denuntiantur,
         α) Judaeae seorsim, 22—35.
         β) Judaeae et Israeli conjunctim, ubi
            א. causae indicatio, 36—45.
            ב. poenae indictio, 46—49.
   F. Hierosolymam, sub figura duplici
      a) ollae carnium et ossium,
            א. descripta, 24, 1—5.
            ב. explicata, 6—14.

b) viduitatis non lugendae,
א. descripta, 15 — 19.
ב. explicata, 20 — 27.

III. Vaticinia contra gentes exteras, C. 25 — 32., et quidem contra

1. Ammonitas, 25, 1 — 7.
2. Moabitas, 8 — 11.
3. Edomitas, 12 — 14.
4. Philisthaeos, 15 — 17.
5. Tyrios C. 26. 27. 28. eorumque
   A. urbem, ubi
      a) praedictio futurae calamitatis,
         α) consistentis in
            א. oppugnatione, 26, 1 — 6.
            ב. occupatione, 7 — 10.
            ג. eversione, 11 — 14.
         β) conjunctae cum aliarum gentium consternatione, 15 — 21.
      b) lamentatio, constans
         α) commemoratione
            א. pristini splendoris, 27, 1 — 11.
            ב. copiosae mercaturae, 12 — 26.
         β) deploratione imminentis excidii, 27 — 36.
   B. Regem, ubi
      a) praedictio, constans
         α) peccati exprobratione, 28, 1 — 5.
         β) poenae comminatione, 6 — 10.
      b) lamentatio, constans
         α) commemoratione pristinae felicitatis, 11 — 15.
         β) deploratione imminentis exilii, 16 — 19.
6. Sidonem, 28, 20 — 26.
7. Aegyptum, C. 29 — 32., cujus
   A. Rex praedicitur perdendus, 1 — 9.
   B. terra vastanda, 10 — 16.
   C. Nebucadnezari tradendum Aegypti imperium, 17 — 21.
   D. Aegypti ejusque foederatorum atque deorum clades, per Nebucadnezarem inferenda, 30, 1 — 19.

E. Rex subjugandus et populus dispergendus, 20—26.

F. Aegypti excidium illustratum comparatione instituta cum interitu regni Assyriaci, C. 31.

G. *Θρηνῳδία* duplex in Aegyptum

a) prior, figura leonis et draconis marini

α) proposita, 32, 1—10.

β) explicata, 11—16.

b) altera, comparatione cum gentibus aliis praecipitatis

α) generatim, 17—21.

β) speciatim cum

א. Assure, 22. 23.

ב. Elam, 24. 25.

ג. Mesech et Tubal, 26—28.

ד. Edom, 29—32.

IV. Consolationes et Promissiones, C. 33—48.

Prooemium, quo propheta

a) a gentibus exteris ad Israelitas revocatur, 33, 1. 2.

b) ad munus suum naviter obeundum admonetur, similitudine speculatoris

α) proposita, 3—6.

β) explicata, 7—9.

Promissiones de

1. benigna Dei ad condonandum peccata voluntate, 33, 10—33.
2. civitate sancta instituenda per Messiam, qui sub figura boni pastoris describitur, C. 34.
3. gaudio populi Dei ob poenam *ἐπιχαιρεκακίας* Idumaeis inflictam, C. 35.
4. civitatis a Messia restaurandae prosperitate et amplitudine, C. 36.
5. reipublicae et gentis Hebraeorum restauratione sub imagine ossium redivivorum
   a) prolata, 37, 1—10.
   b) explicata, 10—14.
6. Judaeis et Israelitis uniendis, sub imagine duorum lignorum in unum redigendorum
   a) proposita, 15—17.
   b) explicata, 18—28.

7. Gogo profligando et perdendo, C. 38. 39.
8. de restauranda a Messia civitate, C. 40 — 48. expressa visione
   A. de novo templo,
      a) quoad exteriora tria vestibula, C. 40.
      b) quoad templi interiora, C. 41.
      c) quoad conclavia templo adhaerentia, C. 42.
   B. de novo cultu in hoc templo, et quidem
      a) de ejus legibus et gloria Dei domum implente, C. 43.
      b) de officiis sacerdotum, C. 44.
   C. de nova terra, et quidem
      a) de terrae divisione generali et juribus, C. 45.
      b) de legibus ad cultum et jura principum pertinentibus, C. 46.
      c) de flumine e templo promanante, 47, 1 — 12.
      d) de finibus terrae, 13 — 22.
      e) de terrae distributione speciali inter tribus, 48, 1 — 29.
      f) de urbis regiae ambitu et nomine, 30 — 35.

I.

CAP. 1. 2. 3.

Ezechiel Vates inauguratur.

1) *Dei ad munus propheticum Ezechielem vocantis repraesentatio allegorica, Cap.* 1.; 2) *ipsa vocatio, Cap.* 2.; 3) *ejusdem, sub imagine libri deglutiti, ulterior confirmatio, Cap.* 3.

---

1) Cap. 1.

Argumentum.

Objecta est phantasiae Vatis species quaedam turbinis ex Aquilone concitati, quem consecuta est atra nubes. In hujus medio splendidus visebatur currus, quaternis rotis, altitudinis horrendae, ignitis illis quidem, atque vita praeditis, constructus. Circumstabant currum quaterni animantes alati, leoninis thoracibus vestiti, atque ungulis calceati vitulorum, toti flammantes ac scintillantes. Gestabant singuli quaternas facies totidemque alas, quarum binis velabant femora, binis volabant non secus atque aquilae, fragoremque volatu edebant horrendum. Supra animantium pennas visebatur coelum extensum, pellucidum quasi crystallus, cui impositum erat sublime solium regale, atque in eo sedens conspiciebatur quidam humana facie, corpore ad lumbos usque instar auricalci accenso, deorsum ignitus totus, atque iride splendescenti circum amictus. Allegorica haec divinae naturae, praestantissima quaeque, quae singulis quibusdam animantium generibus priva sunt, in se una comprehendentis, repraesentatio, quam per visionem numen illi exhibuit, quem ad homines nuncium mittere vellet, sane perquam apte huic oraculorum syllogi praemissa est. Cf. quae de ea disseruere Herder *de Genio Poes. Hebr. (vom Geist der Ebräischen Poesie)* P. I. p. 180. sqq. (ed. primae) nec non p. 191. sqq. (ubi elegans maximae hujus visionis partis translatio germanica, notis subjectis, exstat), et Staeudlin in *Symbolis Novis*

ad Prophetar. interpretat. (Neue Beyträge zur Erläuterung der bibl. Propheten, Götting. 1791. 8.) p. 262. sqq.

1. Dictione וַיְהִי *et factum est*, accidit, Hebraei non solum posteriores libros praecedentibus annectunt, ut Jos. 1, 1. Jud. 1, 1. 2 Sam. 1, 1.; sed etiam de integro incipiunt, vid. 2 Sam. 1, 1. Ruth. 1, 1. Esth. 1, 1. Quibus in locis *Vav* copulandi significatum amittit, et tantum Futuro Praeteriti significationem tribuendo inservit. בִּשְׁלֹשִׁים שָׁנָה *Anno tricesimo.* Hic, quia non indicat vates, sed aliunde colligendum relinquit *terminum, a quo* numeraverit hos *triginta* annos, in varia abeunt interpretes. Sunt, qui annum trigesimum *aetatis prophetae* intelligendum existiment, quo tempore Levitae et sacerdotes ministerium suum adgrediebantur, Num. 4, 23. 30. Cui sententiae obstat, quod sacri scriptores nusquam ab ortu suo vaticinii tempora computant. Alii, ut Chaldaeus et Hieronymus, *annum trigesimum libri legis ab Hilkia reperti*, et foederis cum Deo, cultusque ejus solenniter a Josia instaurati, ac Pascha solemnissime celebrati intelligunt; vid. 2 Reg. 22, 3. sqq. 2 Par. 34, 8. 29 — 32. Quippe Josias pascha illud celebravit, secundum 2 Reg. 23, 23., anno regni sui *decimo octavo* ineunte (*mense* enim *primo* pascha celebrandum fuit ex lege Exod. 12, 1. sqq.), adeoque post illud regnavit *quatuordecim annos*, coll. 2 Reg. 22, 1. Jojakimus autem *undecim*, 2 Reg. 23, 36. Adde his *quinque* Jechoniae vel Zedekiae annos ex Vs. 2. Cap. huj.; et prodeunt *triginta* anni. Verum nec ea computandi ratio scriptoribus illius aetatis usitata erat, quum neque a Jeremia, Ezechielis coaevo, neque ab ipso Ezechiele fuerit usurpata. Sed neque dicendum est, id exordium annalium a Vate ex speciali ratione usurpatum fuisse, quoniam scilicet in eo anno decimo octavo Josiae declarata est sententia captivitatis, quam ipse jam patiebatur, 2 Reg. 22, 20. Etenim oportuisset Vatem apponere notam capitis, a quo numerabat, si intelligi volebat, quum sciret non esse vulgare, neque praecepto, aut consuetudine inductum. Praeterea si propter sententiam declaratam, ab eo anno computavit Propheta, cur non potius numeravit a quarto anno Jojachini, filii Josiae, in quo Jeremias propheta (Cap. 25.) aperte et distincte Dei nomine praenunciavit urbis et templi excidium, auctorem cladis nomine proprio compellans, scilicet Nabuchodonosor; atque tempus captivitatis impendentis decernens, scilicet septuaginta annos? (Vs. 9. 11.) Non vero dubium est, intelligendum esse annum trigesimum *aerae Nabopalassaris*. Nam quum duplici aera insigne sit Vaticinium Ezechielis, carumque altera ad Judaeorum rempublicam pertineat (Vs. 2. *anno quinto transmigrationis Joachin*) necesse est, alteram, i. e. annum trigesimum, ad Chaldaeorum rempublicam (in qua vixit vates) esse referendam. Est igitur id caput aerae, qua usus est propheta, primus annus monarchiae Nabopalassaris seu Nabucho-

donosoris senioris, patris magni illius, qui abduxit Jojachinum captivum: ab hoc enim anno, publica auctoritate, nova aera instituta est. Jam quum vates apud Babylonios haec scriberet, in tempore definiendo sese illorum consuetudini accommodavit, quemadmodum postea fecerunt Haggai, Zacharias, atque Esra, qui omnes, utpote subditi Babyloniis, vel Persis, eorum regum annos suis scriptis apponunt. Similiter Nehemias initio libri sui ita scribit: *accidit mense Casleu anno vicesimo, quum essem in castro Susan.* Ubi intelligendum esse annum vicesimum Artaxerxis apparet ex Cap. 2, 1. coll. 5, 14. Esr. 7, 7. Cf. Jos. Scaligeri *Opus de Emendat. Tempor.* Prolegomm. p. XII. et p. 398. edit. Genev. 1629. Fol. — בָּרְבִיעִי In *quarto* sc. mense. Cf. et 8, 1. 20, 1. Mensis autem *quartus* erat *Thammuz* (quod nomen et Chaldaeus interpres expressit et Ephrem quoque intelligendum monuit), qui respondet nostro Julio, et ex parte Junio. Vid. J. D. Michaelis Commentat. *de Mensibus Hebraeorum* (in Ejus *Commentatt. Societati Reg. Goett. per annos* 1763—1798. *oblatt.* Brem. 1769. 4.) p. 29. 41. 49. בַּחֲמִשָּׁה pro בַּיּוֹם הַחֲמִישִׁי *die quinto*, enallage numeri cardinalis, ut vocant, pro ordinali, frequens praesertim in annis et diebus numerandis, ut 2 Par. 29, 17. בְּיוֹם שְׁמִינִי pro שְׁמִינִי לַחֹדֶשׁ. Vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 701. Nomen יוֹם subaudiendum, ut Gen. 8, 6. 13. 1 Sam. 30, 13. infra 24, 1. 40, 1. — עַל־נְהַר כְּבָר *Ad fluvium Cebar*, cujus et infra 3, 15. 23. 10, 15. 22. mentio facta, flumen Mesopotamiae, quod oritur supra Ras-elain in montibus Masiis, atque prope Circesium Euphrati illabitur, Ptolemaeo *Χαβώρας*, Arabibus *Khabur*, Syris *Cbar* (quo nomine hic Syrus interpres utitur) et *Cabur* dictum. Cf. infra ad 3, 15. Vid. J. D. Michaelis *Supplemm. ad Lexx. Hebrr.* p. 664., et cf. Fulleri *Miscellanea Sacra*, L. IV. C. 2. Haud confundendus est hic fluvius cum חָבוֹר 2 Reg. 17, 6. 18, 11., Assyriae fluvio, Arabibus eodem nomine dictus, vid. libr. nostr. *Handb. der bibl. Alterthumskunde* Vol. I. P. II. p. 102. et p. 159. not. 15. נִפְתְּחוּ הַשָּׁמָיִם *Aperti sunt coeli.* Dissident inter se interpretes, an imaginaria tantum visione, an corporeis oculis intuitus sit Vates quae narrat. Nobis quidem dubium non est, voluisse eum, qui haec literis consignavit, persuasum sit legentibus, fuisse ea omnia, quae hic describuntur, oculis vatis vere obversata. וָאֶרְאֶה מַרְאוֹת אֱלֹהִים *Et vidi visiones Dei.* Sunt, qui cum Hieronymo omnes, quae hoc libro continentur Ezechielis prophetias significari existiment. Alii, quia quicquid praestans est et excellens, Hebraei efferre solent addito in Genitivo nomine Dei, ut הָרְרֵי אֵל *montes Dei*, sunt montes maximi, Ps. 36, 7., אַרְזֵי־אֵל *cedri Dei*, cedri ingentes, Ps. 80, 11.; h. l. *visiones Dei* volunt esse admirandas, magnificas. Sed indicatur haud dubie quae tribus primis Capitibus describitur *divinitus exhibita visio*, ut infra 8, 3. 40, 2. Plurali vero et hic, et locc. indicatt. utitur, quod talis visio pluribus imaginibus seu figuris constabat;

usurpatur quoque pluralis de *una* visione Gen. 46, 2. Alias, ut Dan. 10, 7. 8. 16., ponitur simplieiter singularis numerus. Chaldaeus: *et vidi in visione prophetiae, quae resedit super me, visionem gloriae majestatis Dei.*

2. בַּחֲמִשָּׁה *Quinto*, inquam, die quarti mensis, Vs. 1. Reliqua hujus Versus parenthesi sunt includenda. לְגָלוּת הַמֶּלֶךְ יוֹיָכִין *Post migrationem regis Jojachini.* Nebucadnezari, urbem Hierosolymitanam obsidenti, Jeehonias spontanea deditione sese permisit, 2 Reg. 24, 12. Jer. 29, 2., unde mitius a victore traetatus, imo Evilmerodaehi gratia tandem ex carecre emersit, una cum vietu regio eminentiorem, supra ceteros reges, qui Babele erant, locum indeptus, vid. 2 Reg. 25, 27. sqq. Jer. 52, 31. sqq. יוֹיָכִין contracte pro יְהוֹיָכִין (i. e. *Dominus stabilit*, sc. domum paternam), rex Judae, 2 Reg. 24, 6. 25, 27. Jer. 52, 31., qui diversa nominis forma, sed eadem significatione יְכָנְיָה voeatur (ex fut. Kal יָכוֹן) Esth. 2, 6. 1 Chron. 3, 16. 17. Jer 27, 20., et plenius יְכָנְיָהוּ Jer. 24, 1., ae denique sine Jod כָּנְיָהוּ Jer. 22, 24. 28. 37, 1.

3. הָיֹה הָיָה Haec dieendi formula, qua Infinitivus jungitur verbo suo finito, saepe quidem emphatica est, et adhibetur ad rei veritatem amplius confirmandam, et in mentibus leetorum altius infigendam, veluti Gen. 15, 13. 18, 18. 1 Reg. 13, 32. al; neque tamen ea vis perpetua est, sed usus haud raro ita minuitur, ut Infinitivus adjunetus nihil ad verbi potestatem addat, sed forte numerosiorem tantum aut sonantiorem orationem effieiat. Velut Jos. 7, 7. הֶעֱבַרְתָּ הַעֲבֵר haud profecto plus est, quam simplex הֶעֱבַרְתָּ *traduxisti*, et Exod. 21, 28. סָקוֹל יִסָּקֵל idem quod Vs. 29. 32. יִסָּקֵל solum. Ita et h. l. הָיֹה הָיָה non plus est quam הָיָה solum. דְּבַר־יְהוָה *Verbum Jovae.* Quod prius מַרְאוֹת *visiones*, nunc *verbum Dei* voeat, prophetiam, puta, quae tam visiones, quam verba et jussa divina continet, estque simul hic *titulus* s. *inscriptio totius libri*, cf. Hos. 1, 1. Jon. 1, 1. Zaeh. 1, 1. בְּאֶרֶץ כַּשְׂדִּים *In terra Chaldaeorum.* Proprie in Mesopotamia, ut apparet ex fluminis Chobar et loci *Tel-Abib* (infra 3, 15.) mentione; sed Mesopotamia tum sub Chaldaeorum ditione erat. וַתְּהִי עָלָיו שָׁם יַד־יְהוָה *Fuit super eo ibi manus Jovae.* Quod Chaldaeus recte sic interpretatur: *et resedit super eo ibi spiritus prophetiae a Domino. Manu* significatur vis et efficientia, et *manus Dei* est virtus ejus praepotens et efficacissima. *Fieri* autem *manum Dei super aliquem* est, ostendisse in illo Deum suam potentiam, vel puniendo, ut Act. 13, 11. (*χεὶρ κυρίου ἐπί σε, καὶ ἔσῃ τυφλός*), vel communieando illi *ἐνεργείαν*, seu spiritum divinum, quo instruetus admiranda et vere divina vel loquatur vel faeiat, ut 1 Reg. 18, 46. 2 Paral. 30, 12. 2 Reg. 3, 15. Ita et h. l. et infra 3, 14. 8, 1. 33, 22. 37, 1. *manus Dei* est impulsus divinus tam ad operandum, quam ad eloquendum areana coelestia. Bene Jarchi: „Quotiescunque in hoc libro יָד de *pro-*

phetia dicitur, *subigendi* notionem exprimit, quia vaticinandi spiritus prophetam invitum subigit, tanquam illum, qui amentia corripitur. Lingua vernacula dicas *détresse* (i. e. anxietas, compressio animi)." Cf. infra 3, 14. Similiter numine afflatus instinctuque divino animatus Plutarcho est ἐκ θεοῦ κάτοχος (pro κατεχόμενος καὶ ἔνθεος), et apud eundem in Romulo κάτοχος ἐκ θεοῦ γυνή, *numine detenta* et correpta *mulier*. Qualem Pythiam, furore divino correptam (*manu Dei subactam* Hebraei dicerent) describit VIRGILIUS *Aeneid.* 6, 47 — 51. Pro עָלָיו legunt עָלַי *super me*, quinque codd. Kennicottiani et octo De-Rossii, in quatuor a prima manu, in uno a seriore correctum, concinentibus LXX (ἐπ' ἐμέ), Arabe et Syro.

4. רוּחַ סְעָרָה בָּאָה מִן־הַצָּפוֹן *Ventus turbinis venit ex aquilone.* Duo priora nomina LXX vertunt πνεῦμα ἐξαῖρον, *ventus attollens* s. *auferens*, i. e. violentus, quia omnia rapit et tollit. *Turbine* repraesentari Dei indignationem plerique existimant, coll. Jer. 23, 19. Jes. 29, 6. Nah. 1, 3.; quod autem ab *Aquilone* ille venisse dicitur, ideo factum volunt, quod ex terra Chaldaeorum, quae ad plagam aquilonarem terrae Israeliticae sita erat, reipublicae Judaicae urbisque Hierosolymitanae eversor, Nebucadnezar, ingruebat, coll. Jer. 1, 14.: מִצָּפוֹן תִּפָּתַח הָרָעָה עַל כָּל־יוֹשְׁבֵי הָאָרֶץ *ex aquilone procedet malum contra omnes incolas terrae.* Atque haec quidem sententia, et Jarchio probata, jam Hieronymi aetate erat pervulgata. Verum quum proxime sequatur non venturae calamitatis comminatio, sed speciei cujusdam augustae et magnificae, quae vati de coelo affulsit, descriptio; ea omnia, quae hoc Versu leguntur, non dubitamus pertinere ad scenam adornandam et amplificandam. Atque *ventus* quidem antecedere visiones divinitus oblatas solebat, vid. 1 Reg. 19, 11. Job. 4, 15. Act. 2, 2. *Aquilonis* vero mentio eo pertinet, quod inter istius aetatis homines opinio erat, esse in septentrionali coeli plaga aditum ad sedem arcemque Deorum, quorum quippe concilium fingebant in summo aliquo monte (Graecis *Olympo*), coelum sustinente, sub ipso polo Arctico. Cf. not. ad Jes. 14, 13, ubi *mons conventus* scil. Deorum in *extremis septentrionis* (יַרְכְּתֵי צָפוֹן) ponitur, et MICHAELIS *Suppll.* p. 1112. Hinc in visione Zachariae (6, 1 — 8.) oblata equi curribus divinis juncti, postquam orbem obambulassent, ad regionem septentrionalem, tanquam sedem suam, redeunt. Cf. not. ad Job. 37, 22., et librum nostr. *Handb. der bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. I. p. 155. — עָנָן גָּדוֹל *Nubes magna.* Significatur nubes tenebricosa, quales in vehementi tempestate esse solent, cf. Jerem. 4, 13. Ps. 97, 2. Zeph. 1, 15. Illa vero vicem vehiculi Dei praestabat. וְאֵשׁ מִתְלַקַּחַת *Et ignis sese comprehendens*, i. e. non diffundens sese, sed sese reciprocans, flammarum scilicet volumina sese per totam nubem insinuantia. Legitur haec vox praeter hunc locum semel adhuc,

Exod. 9, 24. Vulgatus: *et ignis involvens.* וְנֹגַהּ לוֹ *Splendor* erat *ei* scil. nubi (infra Vs. 27. 28.) ab igne interlucente. — וּמִתּוֹכָהּ *Et ex medio ejus* scil. מְתוֹךְ הָאֵשׁ *e medio ignis*, ut ad Versus finem additum est. כְּעֵין הַחַשְׁמַל *Instar adspectus aurichalci.* De nominis חַשְׁמַל, et infra Vs. 27. ac Cap. 8, 2. eum ה paragogico exstantis, significatu variae sunt variorum, sed maximam partem perquam lubricae, conjecturae. Nobis quidem omnium verisimillima visa Bochartı sententia, in *Hieroz.* P. II. L. VI. Cap. 16. T. III. p. 885. ed. Lips. proposita, חַשְׁמַל nomen esse Chaldaicum, ex נְחָשׁ et מַלַּל compositum, quorum illud *aes*, hoc *aurum* sonat, proprie aurum rude, quale e fodina educitur. Plenum igitur esset נְחַשְׁמַלַּל. Sed finale *Lamed* excidit per *apocopen*, huic linguae familiarem, quia est e geminatis, et *Nun* initiale per *aphaeresin*, qua non in verbis solum, sed et in nominibus saepe deficit. Sic זֵר *corona* est pro נֵזֶר, et גַּר *fluxus* pro נָגַר, et צוֹר *vimen* pro נָצוֹר, et קוֹלוֹן pro נְקוֹלוֹן *dactyli* species. Et Arabice *Bokhtnasar* pro *Nebucatnezar.* Ita plane חַשְׁמַל dicitur pro נְחַשְׁמַל, vel etiam נְחַשְׁמַלַּל, quod esset proprie τὸ χαλκοχρυσίον, sive metallum intelligatur, ex aere et auro constans, aut aes, aurum pretio vel colore referens, cujusmodi aes a Diodoro L. V. vocatur χαλκὸς χρυσοειδής. Cf. *Bibl. Alterthumsk.* Vol. IV. s. *Bibl. Naturgesch.* P. I. p. 59. Hujus vero aeris quum plures sint species, de quibus multis egit Bochartus l. l., quae potissimum earum hoc et duobus reliquis locis sit intelligenda, nemo facile definiat. Metalli aliquam speciem Alexandrinus quoque et Vulgatus s. Hieronymus *electri* nomine ab ipsis usurpato videntur intellexisse, nam ἤλεκτρον apud veteres tria significasse, primo succinum, tum lapidem crystallinum, denique metallum ex auro et argento conflatum, docuit Bochartus l. l. p. 879. sqq. Forsitan nostrum חַשְׁמַל significatione non differt a נְחשֶׁת קָלָל *aes politum*, infra Vs. 7. et Dan. 10, 6., ut syllaba מַל sit a verbo מלל *fricare*, fricando tergere s. polire, חַשׁ vero ex נְחַשׁ decurtatum. Ita vox infra Vs. 7. et a Daniele usurpata foret pure hebraica, חַשְׁמַל vero chaldaica magis, a nostro fortassis nove efformata, quemadmodum Joannes Apocal. 1, 15. ad exprimendum splendorem pedum Jesu talem, qualem nemo adhuc conspexerat, adeoque nullo in vulgari hominum lingua frequentato vocabulo designari potuerat, ausus est ad novam rem exprimendam novum vocabulum efformare χαλκολίβανον, quod, ut in forma etiam insolentius quid proderet, composuit id ex graeco χαλκὸς et hebraeo לָבָן *albus*, ut innueret aes ignito candore splendens. Cf. Bochartum l. l. p. 898. sqq.

5. וּמִתּוֹכָהּ *Et e medio ejus*, scil. *ignis*, quod vel docet suffixum feminei generis ad אֵשׁ referendum. דְּמוּת אַרְבָּע חַיּוֹת *Similitudo quatuor animantium.* Sed דְּמוּת h. l. est *forma, species*, εἶδος, ut 2 Reg. 16, 10. Jes. 13, 4. Optime Herderus (l. in

Argum. laud. p. 391.) haec verba reddidit: *gestaltet wie ein vierfach-Lebendes.* Animantia vero, quorum forma dehine accuratius describitur, esse *Cherubos*, adeoque naturas fere tales, quales nos *angelos* vocamus, manifestum est ex C. 10, 20., ubi, postquam divinae majestatis visionem sibi in templo exhibitam descripsisset, expressis verbis noster tum demum se intellexisse ait, ista animantia, quae ad flumen Chebar viderit, *Cherubos* fuisse. De eorum forma ac descriptione apud varios V. T. scriptores varia docte et ingeniose disserait Herder, l. l. p. 183. Cui jungendus SPENCERUS *de Legibus Hebraeor. Rituall.* Lib. III. Dissert. V. Cap. 3. et 4. Sect. 2. Ad vatis nostri mentem adumbrata animantium thronum divinum gestantium imago a Joanne Apoc. 4, 6. sqq. ☜ Ceterum viso hoc, quod sequitur, מֶרְכָּבָה *currus*, Hebraeis appellato, ipsi secretiorem theologiam de Deo et Angelis opinantur contineri, sicut Physicam appellant בְּרֵאשִׁית ab initio Genescos desumpto nomine. Sed continetur hoc viso descriptio majestatis divinae, cujus apparitio demonstrabat, Jehovam etiam in Babylonia prophetis sese manifestum reddere. Videtur hoc loco describi inauguratio prophetae ad munus prophetieum, cujus solemnitas praemunire debebat vatem contra insultus plebis et pericula, in hoc munere obeunda. In singulis visionis hujus partibus enucleandis non est argutandum. Omnia Dei magnitudinem spirant, imaginibus multiplici arte ac ubere ingenio compositis, quaedam etiam e templo petuntur. דְּמוּת אָדָם לָהֵנָּה *Forma hominis illis erat.* Formam humanam figura sua exprimebant, nec, ut bestiae, depressa, sed erecta erant. Pronomen femininum הֵנָּה, ut proxime antea suffixum femininum in מַרְאֵיהֶן, proprie quidem ad nomen terminatione femineum, חַיּוֹת, quod praecessit, spectat, sed h. l. simul pro *neutro* est accipiendum, ut in toto reliquo hoc Cap. de Cherubis pronomina masculina et feminina promiscue usurpantur, ne alteruter sexus illis adsignetur. Cf. not. ad Vs. 6.

6. אַרְבָּעָה פָנִים לְאֶחָת *Quatuor facies unicuique.* Quaternario vultu singuli sunt praediti, ut promti statim et parati sint hi ministri Dei ad jussa Domini in omnes partes capessenda, statimque viderent, quae ubivis agenda essent. De nomine פָּנִים cf. not. infra ad Vs. 10. — וְאַרְבַּע כְּנָפִים לְאַחַת לָהֶם *Quatuor alae singulis illis* erant. *Quatuor alas* habent, non *sex*, ut Seraphi Jes. 6, 2., et animantia thronum divinum gestantia Apoc. 4, 8., quod Cherubi hic subter thronum Dei stantes binis alis non indigerent, quibus faciem, ut apud Jesajam, tegerent; sed *binis* expansis volabant, s. pergebant, *binis alis* manus, quas sub alis habebant (vid. Vs. 8. 10, 8. Jes. 6, 6.), et inferiores corporis partes tegebant, Vs. 11. 23. Cf. infra not. ad Vs. 11.

7. וְרַגְלֵיהֶם רֶגֶל יְשָׁרָה *Et* quod ad *pedes eorum* attinet, unusquisque eorum *pes rectus* erat. *Pedibus* comprehendi quidam

existimant h. l. *crura*, τὰ σκέλα, quomodo LXX reddidere. Sed nihil necesse est, ut significationem nominis hebraici usitatam relinquamus. Nam significatur, pedes illorum ad perpendiculum directos esse, non in planum protensos, ut pedes humani *(senkrecht, nicht horizontal).* כְּכַף רֶגֶל עֵגֶל *Sicut planta pedis vituli* i. e. rotunda et omni parte similis, quum pes humanus in longum porrectus et certae semper regioni oppositus sit, a qua, si homo se convertere velit, necesse habet pede suo circumagi. וְנֹצְצִים כְּעֵין נְחֹשֶׁת קָלָל *Et micantes*, splendentes erant pedes eorum *instar adspectus aeris politi*, cf. Vs. 4.

8. וְיֹדֵי אָדָם מִתַּחַת כַּנְפֵיהֶם *Et manus hominis* erant *sub alis eorum.* Pro וְיֹדֵי, *Keri*, in textu scribitur *(Chethibh)* וידו, quod hisce animandum videtur vocalibus: וְיָדָו; dictio est concisa pro: וְיָדָו כְּיֹדֵי אָדָם *et manus illius* (uniuscujusque) erant *sicut manus hominis.* עַל אַרְבַּעַת רִבְעֵיהֶם *Super*, ad *quatuor quartarum partium*, i. e. laterum *eorum.* רֶבַע, *quarta pars* h. l. est latus corporis quadrati, ut infra 43, 16. 17. לְאַרְבַּעְתָּם *Quatuor ipsis*, s. singulis erant, ut etiam dictum est Vs. 6. Omnia namque *ἰσότυπα* habebant.

9. חֹבְרֹת אִשָּׁה אֶל־אֲחוֹתָהּ *Junctae erant mulier ad sororem suam*, i. e. junctae erant alae una ad alteram. Eadem phrasis Exod. 26, 3. de aulaeis tabernaculi sibi invicem junctis. „Ala unius expansa erat versus alam alterius hinc ac illinc, donec jungerentur ac pertingerent altera ad alteram, ut contegerent facies suas, nam alae expansae erant sursum versus a facie-bus.“ Jarchi. Cf. Exod. 25, 20., ubi de Cherubis arcae sacrae impositis, nec non 1 Reg. 6, 27. de Cherubis in adyto, נִגְעֹת כְּנָף אֶל־כָּנָף *alae se mutuo contingebant.* לֹא־יִסַּבּוּ בְּלֶכְתָּן *Non vertebant sese dum irent*, i. e. cum e loco se moverent, non vertebant sese; poterant enim ire in omnes partes, progredi, regredi, pergere ad dextram aut sinistram, quocunque spiritus ea flectebat. Omnia ipsis anteriora erant, quia quaquaversum faciem habebant, Vs. 6. Qua imagine videtur significari, vim ac efficientiam divinam ad omnes mundi partes pertinere, et quoquoversum facile ferri. אֶל־עֵבֶר פָּנָיו *Ad plagam adversam faciei suae*, i. e. recta ante se, non obliquo aut circulari motu, pergebant; Vs. 12. 10, 22. Exod. 25, 37. 28, 26. Pro בְּלֶכְתָּן in codd. pluribus exstat בְּלֶכְתָּם cum suff. mascul. Cf. not. supra ad Vs. 6.

10. וּדְמוּת פְּנֵיהֶם — לְאַרְבַּעְתָּם *Et quod ad formam vultus eorum* attinet, *facies hominis*, s. humana, sc. ab anteriore parte, *et facies leonis*, vultus leoninus, *ad dextram quatuor illis* erant. וּפְנֵי־שׁוֹר מֵהַשְּׂמֹאול לְאַרְבַּעְתָּן *Et vultus bovis a sinistra quatuor illis* erat. וּפְנֵי־נֶשֶׁר לְאַרְבַּעְתָּן *Et facies aquilae quatuor illis* erant. Singula animantia igitur quatuor vultus habuerunt, cum respectu ad quatuor coeli plagas. Pro פְּנֵי־שׁוֹר infra 10, 14. פְּנֵי הַכְּרוּב dicitur. Unde tamen non debet colligi, Cherubos etsi

diversorum animalium formas varias expresserint, tamen propius ad bovis speciem accessisse. Nam Vs. 5. corpora Cheruborum humana et erecta dicuntur. Vultus vero illis animantibus thronum divinum gestantibus, s. Cherubis, *tauri*, *leonis*, *aquilae* et *hominis*, quae animantia inter cetera principatum tenent: quippe *leo* in feras, *aquila* in aves, *bos* in pecora, *homo* in omnes imperat et primas tenet. Simulque symbolis illis spirituum horum Deo ministrantium videntur intelligentia, vires, velocitas, obsequium adumbrari: bos enim et leo inter animalia summo corporis robore enitent, homo et aquila ingenii et visus acumine praestant. Erat autem haec non solum Aegyptiorum, verum et totius fere Asiae populorum inde a remotissima rerum memoria communis consuetudo, ut in sua mythologia, quam rectius *theologiam* et *physicam symbolicam*, s. *allegoricam* dixeris, ad certas disciplinae suae arcanae doctrinas exprimendas varias animantium formas in uno simulacro conjungerent, cujusmodi simulacris multiformibus Deorum proprietates maxime insignes repraesentare voluerunt. Ita Porphyrius *de Abstinent.* L. IV. Sect. 9. de Sacerdotibus Aegypti loquens: *Apud eos Deus aliquis ad collum usque forma humana effingebatur, facies autem illi avis alicujus, vel leonis, vel alterius animalis, aptabatur; et rursus alius caput humanum habuit, ceteras autem partes aliorum animalium, in aliis nempe inferiores, in aliis autem superiores.* Eusebius *Praeparat. Evangel.* L. III. Cap. 12. simulacrum solis, quod Elephantinopoli visitur, describit *sedens, ac coeruleo colore imbutum, et in ipso corporis trunco virilem speciem prae se ferens, arietis etiam caput habens et hirci cornua.* Clarissima Sphingis imago, quam templorum Aegyptiorum fores insculptam ostendebant, τὸ μὲν σῶμα πᾶν λέοντος, τὸ πρόσωπον δὲ ἀνθρώπου, *totum quidem corpus leonis, hominis autem vultum* habuit, ut ait Clemens Alexandr. *Strom.* L. V. Apulejus, pompae Aegyptiacae ceremonias referens *Metamorph.* L. XI. *Gerebat*, inquit, *alius gremio suo summi sui Nominis venerandam effigiem, non pecoris, non avis, non ferae, ac ne hominis quidem ipsius, consimilem, — — sed solerti ingenio repertam, ipsa enim novitate reverendam.* Ex quo genere animantium allegoricorum sunt et gryphes illi, leonina et aquilina forma compositi (Arabibus *Anka*, Persisque *Simorg*, s. *Simorg-Anka* dicti, vid. Herbelot *Biblioth. Oriental.* sub iis nominibus), et monocerotes alati in palatii Persepolitani ruderibus conspicui (figuras ipsas aeri incisas vid. in Chardinii *Itiner.* T. I. edit. in quat. Tab. LVI. LVII. et Niebuhrii *Itiner.* T. II. Tab. XX.), de quibus docte et solito acumine disseruit A. H. L. Heeren in libro hac insignito epigraphe: *Ideen über die Politik, den Verkehr und den Handel der vornehmsten Völker der alten Welt*, Vol. I. P. I. p. 273. sqq. ed. tert. Inprimis vero huc referendae sunt longe vetustissimae illius Brahmanicae theologiae allegoricae imagines, quarum insolitas plane ac por-

tentosas formas delineatas carumque significationes explicatas dedit PAULLINUS *a S. Bartholomaeo* in *Systemate Brahmanico*, Romae, 1791. in quat., cujus epitomen fecit J. F. KLEUKER in *Commentariorum ad histor. et antiquitatt. Asiae pertinentium Sylloge (Abhandlungen über die Gesch. u. Alterthümer Asiens* etc.) Vol. IV., quod quidem volumen et seorsim peculiari titulo: *das Brahmanische Religions-System* etc. Riga, 1797. in octon. prostat. Nihil igitur vates noster insoliti vel inauditi instituisse censendus est, qui summi Numinis thronum talibus naturis, quae ex variorum animantium formis compositae essent, gestandum tribuit; verum imitatus est hac in re populorum istius aetatis doctrina et artibus maxime excultorum exemplum et morem. Ceterum ab Ezechiele discedit Joannes Apocal. 4, 7., quippe cui quatuor quidem itidem animantia, thronum divinum gestantia, in visione exhibentur, sed singula discretis formis, non multiformia, ita ut primum *leonis* speciem praeferat, secundum *vituli*, tertium *hominis*, *aquilae* quartum.

11. וּפְנֵיהֶם וְכַנְפֵיהֶם פְּרֻדוֹת מִלְמָעְלָה *Et* hae quidem erant *facies eorum; alae autem eorum erant porrectae superne.* פְּרֻדוֹת *Separatae*, *disjunctae*, h. l. sunt exporrectae, expansae (פְּרֻשִׂים 1 Reg. 8, 7. coll. 6, 27.), non contractae ad tegendum corpus, ut alae inferiores. לָאִישׁ שְׁתַּיִם *Unicuique* animantium *binae* erant alae ad volandum extensae (vid. ad Vs. 6.), quas cum subsisterent, remittebant, s. contrahebant, Vs. 24. חֹבְרוֹת אִישׁ *Junctae viri*, i. e. alteri (Vs. 9.), quemadmodum et in Templi adyto Cherubi alas junxerunt, 1 Reg. 6, 27. וּשְׁתַּיִם מְכַסּוֹת אֶת גְּוִיֹּתֵיהֶנָּה *Et binae tegentes* erant *corpora eorum.* Modo haud absimili in Phoenicum theologia Taautus Deus, Sanchuniathone referente apud EUSEBIUM *Praeparat. Evangel.* L. I. C. 10. p. 39. edit. Colon., Saturni reliquorumque Deorum imagines delineans, insigne regni Saturno ejusmodi excogitavit: *Oculos in vultu binos, ac totidem in occipite, quorum duo placide connivere ac nictare viderentur; alas item singulis in humeris geminas, e quibus explicatae duae, duae vero contractae ac demissae essent. Atque oculorum symbolo significatum volebat, Saturnum et dormiendo cernere, et dormire vigilando; alarum autem, eundem et volare quiescendo, et volando quiescere; caeteris vero Diis alas in humeris duas tantum attribuit, quippe qui Saturnum ipsum volando sequerentur. Ad ejusdem Saturni caput alas propterea geminas affinxit, quarum altera mentis principatum, altera sentiendi vim indicaret.*

12. Prius Versus hemistichium, וְאִישׁ — יֵלֵכוּ, repetitur e Vs. 9., ut novi quid addatur: אֶל אֲשֶׁר יִהְיֶה שָׁמָּה הָרוּחַ לָלֶכֶת יֵלֵכוּ *ad quod* latus *fuerit illuc animus eundi, ibant*, i. e. ibant quorsum erat animus eundi. רוּחַ hic *animum*, *voluntatem* denotat, ut Jes. 40, 13. לֹא יְסַבְּבוּ בְלֶכְתָּן ut Vs. 9.

13. וּדְמוּת הַחַיּוֹת — הַלַּפִּידִים *Et* quod porro attinet ad *speciem* (vid. Vs. 5.) *animantium*, erat *adspectus eorum instar prunarum ignis*, *ardentes* erant *instar adspectus lampadum.* הִיא מִתְהַלֶּכֶת *Ille* ignis *erat discurrens sibi*, sese versabat *inter animalia.* וְנֹגַהּ לָאֵשׁ *Et splendor* erat *igni*, non fumigabat. וּמִן־הָאֵשׁ יוֹצֵא בָּרָק *Et ex illo igne egrediens* erat, erumpebat *fulgur.*

14. וְהַחַיּוֹת רָצוֹא וָשׁוֹב *Et animalia currendo et revertendo*, i. e. currebant et revertebantur, velocia erant. Infinitivi pro verbis finitis, ut Dan. 9, 5. 11. וְסוֹר valet *recessimus;* Zach. 7, 5. וְסָפוֹד *plangere* est pro *planxistis;* 1 Sam. 2, 28. וְבָחֹר *elegi.* Plura vid. in Gesenii *Lehrgeb.* p. 782. No. 3. רָצוֹא pro usitatiore רוּץ, a verbo רָצָא s. רָצָה, quod cum verbo media radicali ו quiescente significatu convenisse apparet. כְּמַרְאֵה הַבָּזָק *Sicut adspectus fulguris*, quod subito latissime spargitur. Nomen ἅπαξ λεγόμενον בָּזָק veteres unanimi consensu *fulgur*, *fulgetrum* interpretantur, qui significatus satis aptus ad rem est. „Quomodo igitur," inquit Hieronymus, „crebris micat ignibus aether, et in ictu oculi atque momento discurrunt fulgura et revertuntur, non amittentia matricem, et, ut ita dicam, fontem ignis atque materiam, ita et haec animalia, cum inoffenso pergant pede, ad priora festinant." Verbum בָּזַק in dialectis cognatis habet *spargendi* notionem, unde nomen forsan proprie *radios* lucis s. fulguris indicat. Sane Arabibus بزق praeter *spargendi* notionem, et de *sole exoriente* radiosque suos late diffundente dicitur. Cf. Luc. 17, 24. ἡ ἀστραπὴ ἡ ἀστράπτουσα ἐκ τῆς ὑπ᾽ οὐρανὸν εἰς τὴν ὑπ᾽ οὐρανὸν λάμπει.

15. וָאֵרֶא הַחַיּוֹת — לְאַרְבַּעַת פָּנָיו *Et vidi animalia*, i. e. cum attentius adspicerem illa animalia, *en! rota una in terra* erat, terrae insistebat, *juxta animalia ad quatuor facies ejus*, sc. currus, adeoque quatuor numero rotae erant. Cf. infra 10, 9. 1 Reg. 7, 30. Ab hac explicatione, in qua interpretes consentiunt, discedit L. Chiarini, qui in peculiari Commentatione, inscripta: *Fragment d'astronomie Chaldéenne, découvert dans le prophéte Ezechiel et éclairci*, Lips. 1831. (inserta quoque operi menstruo *Nouveau Journal Asiatique*, Octobre et Novembre anni 1830.), non quatuor rotas, sed *unam* tantum *rotam*, אוֹפַן אֶחָד, quae e duabus mutuo sese decussantibus rotis constaret (Vs. 16.), ut esset quasi sphaerica, in hac visione apparuisse censet; eam autem rotam repraesentasse machinam coelestem, qualis apud Chaldaeos in usu esset, quae infra 10, 13. גַּלְגַּל vocatur, et media inter Cherubos posita erat, 10, 6. Quam sententiam commendat eo, quod Chaldaei et seriores Hebraei nomen אוֹפַן de sphaerae coelestis circulis usurpare solent. Ita אוֹפַן הַמַּזָּלוֹת *rota* s. *circulus signorum coelestium* est Zodiakus, אוֹפַן הַמִּישׁוֹר *circulus rectitudinis* s. *aequalitatis*, Aequator, אוֹפַן חֲצִי הַיּוֹם *circulus*

dimidii diei, Meridianus. Quod vero Vs. 16. plurium rotarum fit mentio, אוֹפַנִּים, id de quatuor sphaerae illius partibus extremis intelligendum esse ait. In qua sua sententia exponenda et commendanda etsi Vir Doctissimus solidam eruditionem et egregiam sagacitatem ostenderit, illi tamen obstare videtur potissimum hoc, quod Vs. 19. progredientibus et in altum evectis Cherubis et *rotae*, הָאוֹפַנִּים, juxta illos processisse et evectae dicuntur, loco parallelo autem 10, 9. expresse *quatuor rotae*, אַרְבָּעָה אוֹפַנִּים, juxta Cherubos memorantur, quo utroque loco rotae s. sphaerae unius quatuor extremas partes designari vix est credibile. Eae enim mox Vs. 17. אַרְבַּעְתָּה רִבְעֵיהֶן dicuntur. Quemadmodum alias emblemata rerum, prophetis in visione ostendendarum desumta et quasi mutuata sunt a Templo ejusque apparatu et instrumentis, quippe quod ex ipso nostro propheta, nec non Zacharia, et Apocalypsi Joannis inprimis, argumentis clarissimis constat; ita et haec *rotarum Cherubis junctarum*, quae in hac visione basin divini throni faciunt, imago deprompta videtur a structura basium illorum λουτρῶν s. labrorum, quae in atrio templi inservierunt καθαρισμοῖς ἱερατικοῖς, lustrationibus sacerdotum et Levitarum, quae quidem bases, summa arte confectae, Cherubinis et rotis innixae, pluribus 1 Reg. 7, 30. sqq. describuntur. Quanta intercedat convenientia inter bases illas λουτρῶν, et basin divini throni apud Nostrum, ostendit Vitringa *Observatt. SS.* L. IV. C. 1. §. 27. sqq. „Utrobique (inquit §. 19.) habemus *Cherubinos* junctos *rotis; rotis* inferiorem, Cherubinis superiorem locum occupantibus. Rotae enim Ezechielis dicuntur fuisse בָּאָרֶץ *in terra*, ut intelligeremus, Cherubos supra rotas eminuisse. Utrobique Cherubos cum rotis concurrentes ad quid aliud, tanquam illius basin, sustinendum. Utrobique rotas Cherubis eum in modum junctas, ut unum corpus absque alio moveri et agitari non potuerit. Porro tam rotae Ezechielis quam basium illarum, similes fuerunt *rotis plaustri*, et utroque in loco uno eodemque nomine אוֹפַנִּים veniunt. In basibus habemus *rotas quatuor*, basi alicui quadratae figurae aptatas, quae ad *quatuor* sua *latera* Cherubos exhibuit; quod ipsum simili ratione se habuit in rotis Ezechielis, quae cum Cherubis *quatuor numero* solium divinae majestatis sustinuerunt.“ Ita rotis eum in modum animantia juncta fuerunt, quemadmodum vehiculi pars superior rotis jungi solet, non ut vehiculum jungi solet jumentis. Ipsa enim illa animantia thronum divinae majestatis capitibus (Vs. 22.) sustinuerunt; non currus, aut carruca aliqua ab iis distincta. Recte igitur Hieronymus suo in Commentar. ad Hoseae Cap. 12. scribit, *Ezechielem Dominum vidisse in aurigae modum sedentem super Cherubim*, ut proinde ipsi Cherubi illud fuerint vehiculum, cui innixa fuerit basis throni divinae majestatis. Rotarum non meminit Joannes Apocal. 4., neque tamen illae otiosae vel supervacaneae censendae sunt. Nam quum Deum tanquam vehiculo

quodam, sed formae planc novae et inaudito illo, vectum Noster describere instituisset, ad plenam et omnibus numeris absolutam quadrigae istius augustae formam et descriptionem utique requirebantur rotae. Ceterum observatu dignum est, veteres Persas hanc rerum universitatem, a summo Deo rectam et gubernatam *curru sacro*, equis Nisaeis praestantissimis vectam repraesentasse, referente Dione Chrysostomo in *Orat.* 35, 1. (Borysth.), p. 448. edit. Morell. *Hunc Deum* (summum) *ut perfectum et primum aurigam currus perfectissimi celebrant. — Alunt Jovi vehiculum Nisaeorum equorum (sunt vero hi praestantissimi et maximi totius Asiae). Soli vero unum equum. — Omnem hanc rerum universitatem dicunt summâ peritiâ et robore ab uno rectore perpetuo vehiculi instar duci et gubernari.* Cf. *Anhang zum Zend-Avesta von* Kleuker, Vol II. P. III. p. 95. sqq., et libr. nostr. *das alte u. neue Morgenland* P. IV. p. 307.

16. מַרְאֶה *speciem* et *colorem* (cf. Vs. 13. 14.), מַעֲשֶׂה vero *structuram* indicat. Gemmam vero illam, cujus speciem hae referebant rotae, quae תַּרְשִׁישׁ appellatur, atque cujus et infra 10, 9. 28, 13., nec non Exod. 28, 20. Cant. 5, 14. Dan. 10, 6. fit mentio, esse *chrysolithum*, propter colorem, quem habet aureum, eo vocabulo Graeco nuncupatum, quem vero hodierni gemmarii *topazium* vocant, probare studuit Joa. Braunius de *Vestitu Sacerdot. Hebraeor.* L. II. C. 17., qui et aliorum et veterum et recentiorum de hoc nomine sententias expendit, et libr. nostr. *Bibl. Alterthumsk.* Vol. IV. P. I. *(Bibl. Naturgesch.)* p. 40. Cf. Joan. Joach. Bellermann librum: *Die Urim u. Thummim, die ältesten Gemmen* (Berol. 1824.), p. 59. sqq. וּדְמוּת אֶחָד לְאַרְבַּעְתָּן *Et species unius* scil. rotae *quatuor ipsis*, i. e. una eademque figura erat quatuor illis, ad quatuor scilicet latera sua in omnibus similes sibi erant. כַּאֲשֶׁר יִהְיֶה הָאוֹפַן בְּתוֹךְ הָאוֹפָן *Quasi rota esset in medio rotae*, rota una alteri implicita. Significat vates, novum quid et plane insolitum esse, quod in his rotis deprehendit: fuisse nimirum illas eum in modum factas, ac si rota una alteri implicita fuerit, eamque decussatim quasi ad lineas rectas secuerit; ut adeo rotae non *unius* fuerint *circuli*, ut solent esse ordinariae currûm rotae, sed duobus compositae *circulis*, invicem sibi insertis, et sese decussatim ad rectas lineas secantibus. Id quod magis etiam apparet e Vs. proximo, ubi *rotae* dicuntur *ivisse super quatuor extremas suas partes, et eundo se non convertisse*, quod certe de rotis praedicari nequit, nisi quatuor concipiantur habuisse latera s. terga, quae respexerint ad quatuor plagas coeli.

17. עַל־אַרְבַּעַת רִבְעֵיהֶן בְּלֶכְתָּם יֵלֵכוּ *Ad quatuor quartas suas* partes vel *semicirculos*, versus quatuor coeli plagas respicientes, *cum irent, ibant.* לֹא יָסַבּוּ בְלֶכְתָּן *Non convertebant se cum pergerent*, ut Vs. 9. Rotae ita fuerunt compositae, ut mo-

veri potuerint ad quatuor plagas coeli, absque quo currus, qui quadratus erat, necesse habuerit circumagi et converti ad illam coeli plagam, in quam moveretur, propterea quod habuerit duplices rotas sibi invicem insertas, ut ad Vs. 16. explicatum est. Nostra enim plaustra, quae simplices habent rotas, ad *duas* quidem coeli *plagas*, quibus rotae oppositae sunt, moveri possunt, absque quo opus habeant, converti ac circumagi; sed ad duas alias regiones coeli, quas sibi ab utroque latere habent, aeque moveri non possunt, nisi circumagantur, et ad illas convertantur. Ceterum pro רִבְעֵיהֶן quamplurimi codices habent רִבְעֵיהֶם. Pauci וְלֹא יִסַּבּוּ, plures בְּלֶכְתָּם. Benc hemistichium prius LXX vertunt: *ἐπὶ τὰ τέσσαρα μέρη αὐτῶν ἐπορεύοντο.*

18. וְגַבֵּיהֶן *Quod* autem *ad terga*, i. e. circumferentias seu apsides earum (cf. 1 Reg. 7, 33.) attinet. וְיִרְאָה לָהֶם *Et terror*, i. e. terribilis adspectus *illis* erat; terrorem adspicientibus incutiebant. וְגַבֵּיהֶם מְלֵאֹת עֵינַיִם סָבִיב לְאַרְבַּעְתָּן *Nam et apsides earum plenae erant oculis circumquaque quoad quartas earum* partes. Infra 10, 12. non apsides solum, verum et reliqua ipsarum omnia, etiam animantium corpora, undique oculis dicuntur obsita, et Apoc. 4, 6. *γέμοντα ὀφθαλμῶν ἔμπροσθεν καὶ ὄπισθεν*, ut nihil potuerit, tum a facie eorum, tum a tergo ipsis insciis fieri. Qua oculorum copia coelestium naturarum perspicaciam et *ὀξυωπίαν* significari, vix dubium est. „Totum corpus et dorsa erant plena lucis in circuitu, ut nullum membrorum adspiceres, quod oculos luminis non haberet, qualemque describunt fabulae poetarum Argum fuisse centoculum, sive multorum oculorum, quem Juno in pavum vertit ob negligentem custodiam [cf. Ovidii *Metamorphos.* 1, 624. sqq.]." Hieronymus.

19. וּבְלֶכֶת הַחַיּוֹת — יִנָּשְׂאוּ הָאוֹפַנִּים *Et* ita, *cum irent animantia, ibant* etiam *rotae apud illa*, *et cum animantia*, ad nutum rectoris sui, *se attollerent a terra*, *attollebant se* quoque *rotae*, quia eodem spiritu animabantur et agitabantur, Vs. 20.

20. עַל אֲשֶׁר יִהְיֶה־שָּׁם הָרוּחַ לָלֶכֶת יֵלֵכוּ *Quocunque* erat *spiritus* intentus *ad eundum*, animantia *ibant*, cf. Vs. 12. שָׁמָּה הָרוּחַ לָלֶכֶת *Eo* etiam in rotis *spiritus* erat intentus *ad eundum.* Vel, quasi diceret, conversa propositione: *et vicissim*, *quo animantia ibant*, *eo etiam tendebat Spiritus;* quo summa eorum harmonia et consensio demonstratur. „Non opus erat, ut eis diceret: huc eatis; nam spiritus Dei erat in animantibus, idemque spiritus vivificans erat in rotis." Jarchi. וְהָאוֹפַנִּים יִנָּשְׂאוּ לְעֻמָּתָם *Et rotae efferebant se ad conjunctionem eorum*, i. e. juxta illa, ut Vs. 21. 3, 13. Exod. 25, 27. Addit causam illius concentus: כִּי רוּחַ הַחַיָּה בָּאוֹפַנִּים *quia spiritus vitae erat in rotis*, „ut nequaquam vas aliquid arbitremur rotarum, quas in carpentis plaustrorum rhedarumque et curruum adspicimus, sed animantia, imo super animantia," ait Hieronymus. Intellexit igitur dictione

רוּחַ הַחַיָּה *spiritum vitalem* s. *animantem;* sed is potius רוּחַ חַיִּים dicitur, vid. Gen. 6, 17. 7, 15. 22. Est autem הַחַיָּה *collective* sumendum pro הַחַיּוֹת (quod et Chaldaeus expressit), s. uniuseujusque animalium, ut manifesto Vs. 22. usurpatur. Quod vero aliqui numerum singularem pro plurali volunt ideo usurpatum, quod quatuor illa animantia instar unius considerari poterant ex summa ipsorum consensione; subtilius videtur.

22. Ab *animantium* et *rotarum* descriptione pergit ad *expansum* super capitibus et alis Cherubinorum, et quod illi impositum fuit divinae majestatis thronum, cui igitur illud *pavimentum* erat. וּדְמוּת עַל רָאשֵׁי הַחַיָּה רָקִיעַ *Et similitudo super capita animalis*, i. e. animalium (vid. ad Vs. 20.) erat instar *solidi expansi.* Etenim nomen רָקִיעַ proprie *solidum* quippiam *diductum* notare, evicimus in not. ad Gen. 1, 6. Hinc de *coeli compage* s. *firmamento* (Graeco στερέωμα, quod LXX pro nomine isto hebraeo posuerunt) dicitur, quod aethera s. coelum antiquissimi illi homines *solidum* existimarent. Vid. J. H. Vossii *Not. ad Georgic.* 3, 261. p. 586. Pro הַחַיָּה aliquot codd. habent הַחַיּוֹת. Et pluralem exprimunt vett. omnes. Illud autem expansum seu solii divini pavimentum nostro visum est כְּעֵין הַקֶּרַח *instar crystalli*, quomodo nomen קֶרַח recte veteres omnes sunt interpretati. Uti enim Graeeum κρύσταλλος, ita etiam hebraeum קֶרַח tum *gelu* seu frigus conglacians, Gen. 31, 40. Jer. 36, 30. Job. 6, 16., et ipsam *glaciem*, Job. 37, 10. 38, 29., tum lapidem *crystallum*, uti h. l. denotat, sive ob similitudinem, sive quod ex veterum opinione crystallus *gelu* sit natus. Plinius *Hist. Nat.* L. 37. C. 2. (§. 9.) *Contraria huic causa crystallum facit, gelu vehementiore concreto. Non aliubi certe reperitur, quam ubi maxime hibernae nives rigent: glaciemque esse, certum est: unde et nomen Graeci dedere.* Hieronymus in *Commentar.* ad h. l.: „videtur autem super quatuor animalia et rotas totidem, *similitudo firmamenti*, quod nos appellamus *coelum*, habens speciem *crystalli*, quod est purissimum, et ex aquis mundis atque lucentibus nimio frigore concrescere dicitur; intantum ut etiam gelu constricta aqua Graeco sermone κρύσταλλος nominetur.“ Nostrum imitatus Joannes Apoc. 4, 6. pavimentum, in quo stabat thronus divinus, dicit fuisse ὡς θάλασσα ὑαλίνη, ὁμοία κρυστάλλῳ. Cf. Exod. 24, 10. *Viderunt*, Moses et Seniores Israelitici, *Deum Israelis; et sub pedibus ejus tanquam opus lateritium* (tesselatum) *sapphirinum, et tanquam ipsum coelum nitens.* Omnem autem hanc pavimenti throni divini imaginem expressam esse ex more veterum, in majoribus aedibus palatiisque solum vitro aut crystallo insternendi, observavit C. B. Michaelis in Dissertat. *Naturalia quaedam et Artificialia Codicis S. ex Alcorano illustr.* (repet. in *Sylloge Commentatt. Theologg.* a D. J. Pott edit. Vol. III. p. 23. sqq.) §. 14., illustravitque ex Corani

Sur. 22, 44., ubi solium Salomonis, regis, impositum describitur pavimento crystallino, mare pellueiditate referente, ad quod quum regina Sabae aeeederet, veras aquas putasse fabulantur post Judaeos (vid. Targ. Esth. quod *secundum*, sive *posterius* appellari solet, ad 1, 3.) Muhammedani. הַנּוֹרָא *Terribilis*, *venerabilis*, cujus tanta est puritas, ut perstringat intuentium oculos, et veneratione sui exeitet; idem *ἐπίθετον* legitur Jud. 13, 6. de adspectu angeli, et Job. 37, 22. de gloria divina. נָטוּי עַל־רָאשֵׁיהֶם מִלְמָעְלָה *Expansum super capita eorum superne.* De expansione coeli verbum נָטָה et Jes. 40, 22. 42, 5. dicitur.

23. וְתַחַת הָרָקִיעַ כַּנְפֵיהֶם יְשָׁרוֹת *Infra expanso vero illo alae eorum*, animalium, *rectae*, i. e. in rectum extensae atque expansae erant. אִשָּׁה אֶל־אֲחוֹתָהּ *Mulier ad sororem suam*, i. e. *una ad alteram*, seu ita, ut una juncta esset alteri, Vs. 9. Alii de Cherubis intelligunt, vertuntque eum Hieronymo: *unius ad alterum.* Verum praecedentia verba diserte de *alis* loquuntur, cf. et Vs. 9. et 11. Itaque Animantia illa ipsa alis, vel capitibus, suis sustinuerunt thronum majestatis divinae, sicut etiam in Sancto super Area thronum Dei Cheruborum alae suffulciebant, Exod. 25, 19. sqq. לָאִישׁ שְׁתַּיִם מְכַסּוֹת לָהֶנָּה *Viro*, i. e. unicuique *duae* scil. alae *tegentes iis*, i. e. praeter illas extensas alas *unicuique* animalium *binae* corpus ipsorum tegentes alae erant, vid. Vs. 11.. לָהֶנָּה *Illis* animantibus, duobus scilicet ex una parte. וּלְאִישׁ שְׁתַּיִם מְכַסּוֹת לָהֶנָּה אֶת גְּוִיֹּתֵיהֶם Et sic *cuique binae corpus tegentes* alae erant *illis* duobus ex altera parte, ut Vs. 11. Repetitio ejusdem commatis quatuor animantia in duas partes distribuit, quas לָהֶנָּה generatim denotat, et לָאִישׁ singulatim distinguit.

24. וָאֶשְׁמַע — רַבִּים *Et audivi sonum alarum eorum instar sonus aquarum multarum,* qualem vates et percepit, eum ei gloria Dei apparuit, infra 43, 2. כְּקוֹל־שַׁדַּי בְּלֶכְתָּם *Sicut vox Omnipotentis*, i. e. tonitru (cf. infra 10, 5. Ps. 39, 3. 4. 5.) *cum irent* animalia. Nomen הָמְיָה, quod praeter hunc locum et Jer. 11, 16. legitur, proprie *imbrem copiose effusum*, qualis tempestatibus saevissimis adjunctus esse solet, collato arabico هَمَلَ *continuo pluit coelum*, hinc magnum strepitum, ut h. l. denotat. כְּקוֹל מַחֲנֶה *Sicut sonitus castri*, i. e. qualem majores exercitus, ad proelium utrinque instructi, edere solent. בְּעָמְדָם תְּרַפֶּינָה כַּנְפֵיהֶן *Dum stabant, remittebant alas suas.* Stantibus animalibus demittebantur alae eorum; vocem enim Dei Omnipotentis resonantem in coelestibus ferre non poterant, sed stabant et mirabantur, et silentio suo Dei potentiam demonstrabant, qui sedebat super firmamentum.

25. וַיְהִי־קוֹל מֵעַל לָרָקִיעַ אֲשֶׁר עַל־רֹאשָׁם *Fuitque*, audita est *vox desuper expanso quod super caput*, capita *eorum*, Vs. 22. Reliqua hujus Versus verba repetuntur e Vs. praeced.

26. וּמִמַּעַל לָרָקִיעַ *Porro supra expansum illud*, quod basin sive solum throno praebebat, Vs. 22. כְּמַרְאֵה אֶבֶן־סַפִּיר *Instar adspectus* erat *lapidis sapphiri. Aureis* haec *punctis collucet, caerulea, raroque cum purpura*, inquit PLINIUS *Hist. Nat.* 37. C. 9. Cf. not. ad Exod. 24, 10. „Firmamentum his, qui deorsum erant, habebat similitudinem crystalli; his autem, qui supra, instar lapidis sapphiri videbatur.“ HIERONYMUS. דְּמוּת כִּסֵּא *Similitudo*, figura, erat *throni.* וְעַל דְּמוּת הַכִּסֵּא — מִלְמָעְלָה *Et super figuram throni* erat *figura* quaedam *instar adspectus hominis super illum superius*, throno insidentis.

27. De חַשְׁמַל vid. not. ad Vs. 4. כְּמַרְאֵה־אֵשׁ בֵּית־לָהּ סָבִיב *Et quasi speciem ignis intra eam*, sc. speciem aeris candentis, *circumquaque;* quasi ignem inclusum haberet, eximii fulgoris. בֵּית h. l. est *inter*, *intra*, ex Aramaico loquendi usu; ita Matth. 28, 15. בֵּית יְהוּדָיֵא *inter Judaeos.* Recte LXX: ἔσωθεν αὐτοῦ κύκλῳ. וּלְמַטָּה — מִמַּרְאֵה מָתְנָיו *Ab adspectu lumborum ejus et supra, et ab adspectu lumborum ejus et deorsum*, i. e. et circa superiorem, et circa inferiorem corporis visi partem. *Vav* ante לְמַטָּה et לְמַעְלָה valet *et — et*, s. *tam — quam*, ut Ps. 76, 7. *consopitus est* וְרֶכֶב וְסוּס *et currus et equus.* Vid. et Cohel. 9, 2. Dan. 8, 13. סָבִיב — רָאִיתִי *Vidi tanquam adspectum ignis et splendorem ei*, viro throno insedenti (Vs. 26.) *circumquaque.*

28. כְּמַרְאֵה הַקֶּשֶׁת — סָבִיב *Sicut adspectus arcus, qui est in nube die pluviae, sic* erat *adspectus splendoris circumquaque.* Splendor circumfusus undiquaque illi, qui specie humana throno insidebat, comparatur *iridi*, ut significetur varietas colorum et pulcherrimorum, et sensim in alios transeuntium. VIRGILIO *Aen.* 4, 700. sq. — — *Iris croceis per coelum roscida pennis, Mille trahens varios adverso sole colores.* Et *Aen.* 4, 88. 89. — — *ceu nubibus arcus Mille jacit varios adverso sole colores.* הוּא מַרְאֵה דְמוּת כְּבוֹד־יְהוָה *Erat adspectus similitudinis gloriae Jovae;* non Jovae ipsius, sed praesentis Numinis signum et indicium, ut 3, 12, 10, 4. וָאֶרְאֶה וָאֶפֹּל עַל־פָּנַי *Quum igitur adspicerem* illud visum, *tum cecidi super faciem meam.* וָאֶשְׁמַע קוֹל מְדַבֵּר *Et audivi vocem loquentis*, cujusdam scilicet; ignorabat enim, quisnam esset, qui loquebatur, prae horrore attonitus. Loquentem tamen neminem alium, nisi Deum, fuisse, satis ex universa quae sequitur oratione apparet. Cf. Jes. 6, 8.

---

2) Cap. 2.

Argumentum.

Superiore visione confirmatus vates mittitur divinitus ad Jacobidas, populum rebellem et contumacem, ut illos officii sui

admoneret; offerunturque ei mandata divina devorandi voluminis imagine.

1. *Fili hominis*, בֶּן־אָדָם, pro simplici אָדָם *homo!* Appellandi modus omnium V. T. scriptorum solis serioribus prophetis, Ezechieli et Danieli, propria, sed Aramaeis maxime usitata. Syris certe suum בַּר אֲנָשָׁא, s. contracte בַּרְנָשָׁא *filius hominis*, pro *homine* simpliciter, ita tritum est, ut ne aliud quidem *hominis* nomen haberc videantur, quam hoc, quum et de homine primo, patrem non habente, ponant, ut 1 Cor. 15, 45. *Adam* ברנשא *filius hominis*, i. e. homo *primus*. Neque Persis hic loquendi mos inusitatus. Sic in Sadii *Rosario* p. 716. ed. Gent. legitur *o fili hominis!* pro simplici *o homo!* Argutius videtur, quod Hebraei ista *hominis* nuncupatione Vatem dicunt a Deo conditionis suae vilissimae admoneri, ne ad propheticum munus assumptus, et ob visa divinitus ipsi exhibita insolescat. Sed videtur tantum pro secunda persona poni, ipsum Prophetam significans, quem Deus sic compellat. In Evangeliis Christus ipse tertiam pro prima persona usurpans, semetipsum sic nominat. Qui tamen, dum se ipsum *hominem κατ' ἐξοχήν* vocat, ea appellatione majorem aliquam reliquis hominibus dignitatem sibi inesse significare videtur. עֲמֹד עַל־רַגְלֶיךָ *Sta super pedibus tuis!* erige te! Cf. Dan. 8, 17. 18. 10, 11. „Jacens sermonem Dei audire non poterat, sed audit cum Moyse: *Tu vero hic sta mecum* [i. e. coram me, וְנִצְּבָה לִי Exod. 34, 2.]. Quod et Daniel sibi accidisse commemorat [locc. citt.]." Hieronymus. Hinc additur: וַאֲדַבֵּר אִתָּךְ *ut loquar tecum.*

2. וַתָּבֹא בִי רוּחַ *Et ingressus in me spiritus.* „Praeceperat Prophetae sermo divinitus et jusserat: *Sta super pedes tuos;* sed sine auxilio Dei et adventu Spiritus Sancti stare non poterat, propterea ingreditur in eum, sive assumit et suscitat, ut firmo sit gradu." Hieronymus. Utique *spiritu*, רוּחַ, vim quandam divinam, nec vires, aut animum simpliciter, ut aliqui volunt, indicari, res ipsa docet. כַּאֲשֶׁר דִּבֶּר אֵלַי *Dum loquebatur ad me.* וַתַּעֲמִדֵנִי עַל־רַגְלַי *Et stare fecit me*, erexit me *super pedibus meis.* וָאֶשְׁמַע אֵת מְדַבֵּר אֵלַי *Et audivi loquentem ad me.* מְדַבֵּר Participium Hithpael, pro מִתְדַּבֵּר, syncope literae ת, ut infra 43, 6. Num. 7, 89., et מִטַּהֵר *mundans se*, Levit. 14, 7. Significatione non differt a מְדַבֵּר *loquens.*

3. שֹׁלֵחַ אֲנִי אוֹתְךָ אֶל־בְּנֵי יִשְׂרָאֵל *Mittens ego* sum *te ad Israelitas*, exsules intellige, coll. 3, 11. LXX: *πρὸς τὸν οἶκον Ἰσραήλ*, quasi בֵּית pro בְּנֵי legissent. אֶל־גּוֹיִם הַמּוֹרְדִים *Ad gentes, rebelles illos.* Nomen גּוֹיִם, quo h. l. Israelitas appellat, probri aliquam notam habere videtur; certe eo nomine illos aequiparat reliquis gentibus, quasi *non* amplius *Jovae populum*, לֹא־עַמִּי, Hos. 1, 9. Argutatur Kimchi, qui plurali vatem ideo usum autumat, quod Israelitae varia exterorum populorum deastra coluerint, alii Ammonitarum, alii Moabitarum idola. Sunt etiam,

qui plurali respici discrimen tribuum et familiarum existiment, coll. Deut. 33, 19. Jud. 5, 14. אֲשֶׁר מָרְדוּ־בִי *Qui pervicaces fuerunt in me*, obsequium mihi denegarunt. Verbum מָרַד, quod alias per עַל conjungitur cum nomine personae contra quam quis rebellat, ut Nehem. 2, 19., hic per ב construitur, ut Jos. 22, 16. 29. 2 Reg. 18, 7. הֵמָּה וַאֲבוֹתָם פָּשְׁעוּ בִי *Ipsi et patres eorum praevaricati sunt in me*, a me defecerunt. Loquitur is quem throno insidentem viderat. עַד־עֶצֶם הַיּוֹם הַזֶּה *Usque ad hunc ipsum diem.* עֶצֶם, proprie *os*, hinc per synecdochen *totum corpus*, transfertur et ad res inanimatas, ita, ut loco Pronominis *ipse* usurpetur, ut infra 24, 2. Levit. 23, 14 Jos. 10, 27., quibus locis, ut hic, de *die* ponitur.

4. וְהַבָּנִים וגו׳ *Et filii illi!* cet. Exclamatio indignantis. Filii illi, quorum patres jam a me defecerunt, Vs. 3. קְשֵׁי פָנִים *Duri facie*, i. e. perfrictae frontis, impudentes, cf. Jes. 48, 4. „Qui pudorem exuerunt, vocantur עַזֵּי פָנִים (Deut. 28, 50. Dan. 8, 23.), et קְשֵׁי פָנִים; contra quibus pudor inest, eorum tenerae sunt facies, et mox, si quisquam eos apprehenderit, erubescunt.“ Kimchi. Hinc impudentes suam *obfirmare faciem* dicuntur Prov. 7, 13. 21, 29. 8, 1. וְחִזְקֵי־לֵב *Obfirmati corde* in malo, qui nec promissis vel beneficiis, nec minis vel flagellis erudiri possunt. אֲנִי שֹׁלֵחַ — יְהוָה *Ego mitto te ad eos, et tu ad eos dices: ita dixit Dominus Deus*, i. e. nihilominus ego te legare volo ad eos prophetam, utque praefatione vatibus usitata *(Haec dicit Dominus)* exordiaris principio. Puncta vocalia nomini יהוה subscripta, illud significant אֱלֹהִים efferendum esse, quod nomen אֲדֹנָי, quod pro יְהוָה solent efferre, jam expressum praecessit. Ita et infra 5, 5. 2 Sam. 7, 18. 19. 20. 29.

5. Verba וְהֵמָּה אִם־יִשְׁמְעוּ וְאִם־יֶחְדָּלוּ interpretes quos vidi omnes sic verterunt: *illi sive audiant, sive omittant* scil. audire. Quae quidem interpretatio recte se haberet, si אִם־יֶחְדְּלוּ scriptum esset. Sed ו praemissum ostendit verba ita potius vertenda esse: *illi si audiant*, scil. bene est, *sin minus (sunt enim homines refractarii); sciant tamen esse prophetam inter ipsos.* Vide de hoc loquendi more, Arabibus quoque usitato, quo ad priorem *ὑπόθεσιν bene est* aut simile quid reticetur, not. ad Exod. 32, 32. וְאִם־יֶחְדָּלוּ *Si vero cessent* s. *omittant*, sc. quo minus audiant; si te audire tuisque dictis obsequium praestare renuant. Verba כִּי בֵית מְרִי הֵמָּה *nam domus*, s. *familia rebellionis* sunt *illi*, per parenthesin sunt interjecta. וְיָדְעוּ כִי נָבִיא הָיָה בְתוֹכָם *Tamen sciant, prophetam esse in medio eorum*, moniti a te meo nomine vatem inter ipsos exstare intelligant, ut ignorantiae et erroris praetextus tollatur; erunt inexcusabiles, et justitia Dei vindicabitur.

6. וְאַתָּה בֶן־אָדָם אַל־תִּירָא מֵהֶם *Tu autem, fili hominis!* (vid. ad Vs. 1.) *ne metue ab iis*, ab eorum petulantia et furore; וּמִדִּבְרֵיהֶם אַל־תִּירָא *et a verbis*, consiliis, calumniis, minis *eo-*

rum ne metue. כִּי סָרָבִים וְסַלּוֹנִים אוֹתָךְ *Nam refractarii et renuentes* sunt *tecum.* Nomine סָרָבִים consentiunt fere interpretes *rebelles*, *refractarios*, significari (a verbo Aramaeis magis usitato סְרַב *renuit*, *refractarius fuit)*, qui, renuentes Deo se submittere, et propriis affectibus indulgentes, extra praescriptum legis iter in transversum abripi se sinunt. Major dissensus est de nominis סַלּוֹן significatu, quem plerique recentiorum convenire putant cum vocis סְלוֹן notione, infra 28, 24., quam *majoris spinae* genus esse volunt. Hinc h. l. *spinosos* quasi et asperos monitoribus homines denotari existimant. Quodsi tamen סַלּוֹן et סְלוֹן diversae significationis nomina sint, quod quidem vocalibus diversis indicatum fuerit, possit nostrum סַלּוֹנִים *renuentes*, contumaces notare, i. q. סָרָבִים, quod proxime praecessit. Videtur radix סָלַל, a qua סַלּוֹן descendit, significatum apud Aramaeos mutuatum esse a simili סָלָה, cujus forma Aphel in Chaldaicis V. T. versionibus saepius pro hebraeis מָאַס et נָאַץ usurpatur; e. c. Prov. 5, 12. pro eo quod in hebraeo est: וְתוֹכַחַת נָאַץ לִבִּי *eruditionem respuit cor meum*, Chaldaeus reddidit: וּמַכְסָנוּתָא אַסְלֵי לִבִּי. Quo eodem modo nostram vocem et h. l. expressit Syrus interpres: *qui obstinati sunt*, *et aspernantur te.* Chaldaeus: *quoniam rebelles sunt et duri contra te.* Hieronymus: *quoniam increduli et subversores sunt tecum.* LXX: *διότι παροιστρήσουσι*, *tanquam oestro agitati insaniunt*, et feruntur in praeceps, *καὶ ἐπισυστήσονται ἐπί σε κύκλῳ.* Videntur סַלּוֹנִים pro Participio verbi סָלַל *aggerere*, *accumulare* cepisse. וְאַתְּ עַקְרַבִּים אַתָּה יוֹשֵׁב *Et ad*, apud *scorpiones tu es sedens*, habitas. Sicuti duobus prioribus nominibus, ita et hoc aliqui *spinam scorpionis* indicari volunt, quod spinarum genus ad flagellandum adhibitum fuisse, colligunt ex 1 Reg. 12, 11. 14. Cf. Bochart *Hieroz.* P. II. L. IV. C. 19. T. III. p. 554. sq. ed. Lips. et ibi not. 7. Celsii *Hierobot.* P. II. p. 45. 46. et p. 216. sq. Nos tamen cum Hieronymo et Bocharto (l. c. p. 551.), scorpionem, animal, intelligere malumus, „qui," ut Hieronymus ait, „possint ferire, qui arcuato percutere vulnere, et aculeo fistulato, ut eadem plaga et cutem aperiat, et venena diffundat." Cf. *das alte u. neue Morgenl.* P. IV. N. 1042. p. 309. Cum his conferuntur homines, qui prophetae molesti erant. Qua nulla similitudo apud veteres est usitatior. Apulejus *Metamorphos.* L. IX. *Nosti quendam barbarum nostrae civitatis decurionem, quem scorpionem prae morum amaritudine vulgus appellat.* Hinc σκορπιαίνεσθαι, Suida teste, est *ἀποθηριοῦσθαι*, *τραχύνεσθαι*, *ἀπαυθαδίζεσθαι*, *efferari*, *exasperari*, *arroganter pertinacem esse.* Et is, qui merito suo aliis exosus atque invisus est, Arabico adagio dicitur esse *scorpione odiosior.* Scorpiones, animalia, et Chaldaeum interpretem intellexisse, planum est ex ejus versione, quae talis est: *et inter homines, quorum opera similia sunt scorpionibus.*

7. אִם־יִשְׁמְעוּ וְאִם־יֶחְדָּלוּ *Si audierint*, bene est, *si vero omittant* audire, sciant tamen, prophetam inter eos esse, quod e Vs. 5. est repetendum; vid. ibi not. Pro מְרִי *rebellio* exhibent בֵּית מְרִי (ut Vs. 5.) codd. plures Kennicott. et Ross., nec non aliquot libri editi. Ita et LXX cum Arabe et Syro. Chaldaeus addit עַם *populus contumax*. Minime vero בֵּית addi necesse est, quum מְרִי pro *rebellibus* notissima sit figura abstracti pro concreto positi.

8. אַל־תְּהִי־מֶרִי כְּבֵית הַמֶּרִי *Ne sis rebellis*, detrectando munus tibi a me oblatum, *sicut domus rebellis*. „Quod dicit, hoc est: non debes eos imitari, ad quos corrigendos mitteris, ne peccatum simile similem mereatur et poenam.“ Hieronymus. מְרִי prius Kimchio est *adjectivum*, aliis vero *substantivum* nomen, ante quod sit אִישׁ subaudiendum, ut Ps. 109, 4. תְּפִלָּה pro אִישׁ תְּפִלָּה *vir precis*, cf. et not. ad Ps. 109, 2. פְּצֵה פִיךָ *Aperi os tuum*. „Parabolica est loquutio, ac si dicat: attende aurem tuam et audi.“ Jarchi. Et nostratium plerique haec verba sic exponunt: hiante quasi ore excipe mandata mea, eaque cupide audi, et in animum admitte. Nobis tamen id videtur magis universa hac imagine devorati libri, quam sola hac loquutione indicari, quam mere pleonasticam putamus, ut infra 3, 2. וְאֹכֵל אֵת אֲשֶׁר־אֲנִי נֹתֵן אֵלֶיךָ *Et ede quod ego dans* sum *ad te*, quod nunc tibi porrigo. Quod quid fuerit, dicitur Vs. 9.

9. וָאֶרְאֶה — מְגִלַּת־סֵפֶר *Et adspexi, et en! manus emissa* erat *ad me, et en! in ea volumen libri.* בּוֹ *In ea* scil. manu, nam יָד ad *communia* s. epicoena referunt Grammatici, et Kimchi ad h. l., coll. Jes. 44, 5. מְגִלַּת־סֵפֶר *Volumen libri*, ut Ps. 40, 8., membrana conscripta atque convoluta more veterum, ut et Latinis *volumen* a *volvendo* (quod et hebraice גָּלַל) dictus est liber, convolutus circa ligneum aliumve teretem, ad similitudinem cylindri. LXX vertunt *κεφαλὶς βιβλίου*, quomodo eandem dictionem et Ps. 40, 8. reddidere, unde et Epist. ad Hebr. scriptor 10, 7. assumsit. Usus est graecus interpres ad exprimendum hebraeum מְגִלַּת nomine *κεφαλίδος* propter tornata ligna in extremitatibus voluminum membranaceorum conspicua, volvendo revolvendoque inservientia, quaeque volumina supereminebant. Lignum ejusmodi עַמּוּד *columna*, s. *cylindrus* dicitur Judaeis. Atque hae columnae in summitate capitella habent, ad modum verarum columnarum, quae sua gerebant רָאשִׁים, Exod. 36, 38., *κεφαλίδας*, quomodo LXX de eadem re loquuntur 26, 32. 27, 17.

10. וַיִּפְרֹשׂ אֹתָהּ לְפָנַי *Quumque explicaret illud* volumen *coram me*, וְהִיא כְתוּבָה פְּנִים וְאָחוֹר *erat inscriptum a fronte et a tergo.* פְּנִים *Facies*, s. in parte faciei, i. e. antica, nam *pars* s. latus *faciei* est anterior, ut Exod. 25, 37. 28, 25. Num. 8, 2. Cohel. 10, 10. Kimchi ad h. l.: „פְּנִים vocat eam [membranae] partem, cui inscribi solet, quod facies s. vultus hominis

antica est parte; quod vero subter est, vocat אָחוֹר." Erat igitur volumen illud non una tantum facie, sc. interiori, inscriptum (ut olim in adversa membrana tantum scribere solebant, non aeque a tergo, ni forsan libri longiores viderentur esse, ut supra modum illos protrahere debuerint), sed etiam exteriore, adeoque erat ὀπισθόγραφον, quale volumen JUVENALIS *Sat.* I, 5. 6. describit: *aut summi plena jam margine libri Scriptus, et in tergo, necdum finitus Orestes?* Quod igitur noster volumen sibi porrectum (quo hoc ipsum vaticiniorum volumen intelligendum esse apparet) in utraque parte scriptum dicit, significat prophetiam in longum tempus datam, et longam seriem malorum continentem. וְכָתוּב אֵלֶיהָ קִינִים וְהֶגֶה וָהִי *Quod autem scriptum super illud*, erant *lamentationes, et gemitus, et Vae!* Primum vocabulum denotat *carmina lugubria*, ut infra 19, 1. 2 Sam. 1, 17. Amos. 8, 10., alterum, הֶגֶה, propric *gemitum*, cf. not. ad Ps. 90, 9. et 5, 2. Postremum, הִי, interjectio est lamentantis, convenitque cum הוֹ, Amos. 5, 16., et הוֹי, Jes. 1, 4. Jer. 22, 18.

---

3) Cap. 3.

Argumentum.

Vorato libro mittitur vates ad Israelitas exsules, denuoque nuntius divinus confirmatur, atque iterum, monstrata gloria Domini, exstimulatur ad officium duplici imagine.

1. Hoc Versu et duobus proximis repraesentatur symbolice, quod infra Vs. 10. verbis propriis dicitur. אֵת אֲשֶׁר תִּמְצָא אכוֹל *Quod invenis* manu mea tibi porrectum *comede.* אֱכוֹל אֶת־הַמְּגִלָּה הַזֹּאת *Comede hoc volumen*, de quo 2, 10. Desumtum emblema est ex usitata omnibus fere gentibus metaphorica loquendi formula, qua veritatis cupidi rem huic desiderio utilem avide, helluonum instar, devorare, et in succum et sanguinem convertere dicuntur. Sic Jerem. 15, 16. נִמְצְאוּ דְבָרֶיךָ וָאֹכְלֵם *Inventa sunt* mihi *verba tua, et comedi ea.* Allegorice igitur hic exprimitur id, quod dicitur Jes. 51, 16. וָאָשִׂם דְּבָרַי בְּפִיךָ *posui verba in ore tuo;* et Jer. 1, 9. נָתַתִּי דְבָרַי בְּפִיךָ *indidi verba mea ori tuo.* וְלֵךְ דַּבֵּר אֶל־בֵּית יִשְׂרָאֵל *Et abi* comesto volumine, *et verba fac ad domum Israelis.*

2. וָאֶפְתַּח אֶת־פִּי וַיַּאֲכִלֵנִי אֵת הַמְּגִלָּה הַזֹּאת *Et aperui os meum, et comedendum dedit mihi volumen hoc.* Chaldaeus sensum proprium exhibet: *et inclinavi animam meam, et docuit me, quod scriptum erat in volumine illo.*

3. בִּטְנְךָ תַאֲכֵל *Ventrem tuum comedere fac*, i. e. ventri tuo ingere, וּמֵעֶיךָ תְמַלֵּא אֵת הַמְּגִלָּה הַזֹּאת וגו׳ *et viscera tua*

reple hoc volumine, quod ego trado tibi, quibus verbis interdicitur vati, ne cibum istum exspuat, sed retinendum eum ac digerendum esse. Qua similitudine hoc significat: reconde in memoriae thesauro, et meditatione assidua revolve sermones, quos audisti, et res, quas contemplatus es. Verbum מָלֵא, s. in Piel מִלֵּא *replere*, nomini, quod rem, sive materiam impletionis exprimit, modo interventu vocalae אֶת, ut h. l., et Jerem. 6, 11. 1 Reg. 7, 14. Exod. 1, 7. al., modo absque eadem jungitur, prorsus eodem sensu utrimque manente; vid. 2 Reg. 3, 17. coll. Vs. 20., et infra 10, 4. coll. Jes. 6, 4. וַתְּהִי בְּפִי כִּדְבַשׁ לְמָתוֹק *Eratque in ore meo instar mellis dulce.* Quo oblatum sibi divinitus prophetae munus animo lubentissimo in se suscepisse significat. לְמָתוֹק proprie *ad* s. *in dulcedinem*, i. e. dulce; nam praepositum nomini מָתוֹק (formae כָּבוֹד) Lamed periphrasin Adverbii facit, ut לְבָדָד *ad solitudinem*, i. e solitarie, לָבֶטַח *ad confidentiam*, s *securitatem*, i. e. confidenter, secure, לַשֶּׁקֶר *ad falsitatem*, falso.

4. לֵךְ־בֹא אֶל־בֵּית יִשְׂרָאֵל *Abi, veni ad domum Israelis*, Syrus exhibet אֶל־בְּנֵי יִשְׂרָאֵל *ad filios Israelis.* וְדִבַּרְתָּ בִדְבָרַי אֲלֵיהֶם *Et loquere verbis meis ad eos*, i. e. ea ipsa verba, quae ego tibi sum dicturus, ad illos fideliter refer.

5. כִּי לֹא — שְׁלוּחַ *Nam non ad populum* s. *homines profundos labii et graves linguae tu es missus.* עַם עִמְקֵי שָׂפָה *Populo* s. *hominibus profundis labri*, i. e. sermonis (ut Gen. 11, 1. 7.) *peregrinae linguae* homines significari, dubium non est; cf. Jes. 33, 19. Videtur quibusdam allusio esse ad barbaram prolationem aliarum gentium, quae forte non tam in lingua ac labiis formarunt sermonem, quam in ipso gutture quasi ferinum quidpiam sonarunt, aut propemodum mugire vel rugire videbantur. Sed videtur potius illa vocc metalepsis esse, qualis illa (*Aen.* 1, 60.): *speluncisque abdidit atris*, i. e. profundis, quia quod profundum est, obscurum est, quod obscurum est, nigrum apparet. Simili ratione Hebraei vocant *sermonem profundum* eum, qui est difficilis intellectu, quia, quae profunda sunt, obscura sunt, quae vero obscura, difficilia aditu. Similiter homines כִּבְדֵי לָשׁוֹן *graves lingua*, sunt tales, qui utuntur sermone impedito omnibusque molesto ob sonum insuetum verborum. Cf. Exod. 4, 10. Ante אֶל־בֵּית יִשְׂרָאֵל particula adversativa *sed* est subaudienda, quam et Chaldaeus expressit. Ad populares tuos te mitto, eadem, qua tu, lingua utentes.

6. לֹא אֶל־עַמִּים רַבִּים *Non ad populos multos*, variis et diversis linguis utentes. אֲשֶׁר לֹא־תִשְׁמַע דִּבְרֵיהֶם *Quorum non audis*, non intelligis *verba*, qui proinde nec tua intelligerent. אִם־לֹא — אֵלֶיךָ *Sane ad illos* si *te mitterem, illi audient ad te*, tibi auscultaturi essent. אִם־לֹא plures *nonne* reddunt, ut Jes. 10, 9. 40, 28. Job. 17, 2. 30, 25., hoc sensu: *nonne* ad hos si te mitterem, illi auscultaturi eesent tibi? Malim accipere pro

jurandi formula, Hebraeis maxime usitata, subaudiendo: *puniat me Deus* (1 Sam. 3, 17. 2 Sam. 3, 35. 19, 14.), quam et adhibere solent, cum Deum jurantem inducunt, v. c. Deut. 1, 35. Jes. 62, 8. infra 17, 19. Cf. GESENII *Lehrgeb. der hebr. Sprache* p. 844. *Affirmative* igitur h. l. (ut Gen. 19, 38. Jos. 14, 9.) erit vertendum: *profecto*, *revera si.* Quasi diceret: propius spei est, ut gentes barbarae, si ad eas mitteris, dictis suis auscultarent, quam ut Israelitae. At Coccejo simplicissima constructio videtur haec: *si non ad illos*, Israelitas, *misissem te*, *illi*, populi multi incognitarum et diversarum linguarum, *auscultarent tibi.* Priorem sensum tamen magis concinnum esse, quisque sentiet ipse. אִם שְׁלַחְתִּיךָ pro שְׁלַחְתִּיךָ אִם *si mitterem te.* Ita enim Praeteritum saepe jungitur Futuro, ut illud etiam *sine particula conditionali* notet antecedens, hoc autem consequens, modo cum, modo sine copula. E. c. 2 Reg. 5, 13. דָּבָר גָּדוֹל הַנָּבִיא דִּבֶּר אֵלֶיךָ הֲלֹא תַעֲשֶׂה *quodsi propheta aliquid magnum tibi praeciperet, nonne illud faceres?* Ad verba יִשְׁמְעוּ אֵלֶיךָ Kimchi notat haec: „Quamvis non intelligerent linguam tuam, et tu vicissim ipsorum non intelligeres, quaesituri tamen essent aliquem, qui exponeret ipsis tua vaticinia.“

7. אֵלַי — וּבֵית יִשְׂרָאֵל *At domus Israelis*, Israelitae *non volent auscultare ad te*, tibi, *quia non sunt volentes auscultare mihi.* Praemunit vatem adversus taedium admonitionis infructuosae, q. d. patienter fer contemtum, quem ego tecum fero; neque enim non tam te, quam mea verba ac monita aspernantur. חִזְקֵי־מֵצַח *Fortes fronte* sunt impudentes, cf. Jes. 48, 4. Frons et vultus testantur de animi adfectu, hinc etiam Ciceroni *frons animi janua* dicitur. קְשֵׁי־לֵב *Duri cordis*, pervicaci, praefracto animo, i. q. חִזְקֵי־לֵב 2, 4.

8. הִנֵּה נָתַתִּי — לְעֻמַּת מִצְחָם *Ecce dedi facies tuas fortes e regione* (1, 20.) *facierum eorum*, adversus facies eorum, *et frontem tuam fortem* dedi *adversus frontem eorum.* Animum tibi addam, quo eorum impetus contemnas. Imago hoc Versu usurpata videtur desumta ab animalibus cornupetis, quorum alterum alteri robore praevalet. Simili modo Jova significat Jeremiae, se ipsi animum et ingenuam arguendi et inerepandi libertatem addere, Jer. 1, 18. *Constitui te civitatem munitam et columnam ferream*, et iterum 15, 20. *murum aeneum te reddidi*, atque Jes. 50, 7. *Posui faciem meam ut petram durissimam.* Quibus similitudinibus declaratur constantia et firmitas prophetarum in gerendo munere a Deo sibi demandato.

9. כְּשָׁמִיר חָזָק מִצֹּר נָתַתִּי מִצְחֶךָ *Sicut smiridem fortem prae petra reddidi frontem tuam.* Nomine שָׁמִיר, quod et Jer. 17, 1. ac Zach. 7, 12. legitur, vulgo *adamantem* significari putant; sed ostendit BOCHARTUS *Hieroz.* P. II. L. VI. C. 11. T. III. p. 843. ed. Lips. esse *smiridem*, lapidem tam durum, ut eo gem-

marii ad gemmas expoliendas utantur, intelligendum: nec obscura est soni nominum שָׁמִיר et *smiris* convenientia. Vid. libr. nostr. *Bibl. Naturgesch.* P. I. p. 44. Posterius Versus hemistichium totidem verbis legitur 2, 6.

10. שְׁמַע — וַיֹּאמֶר אֵלַי *Dixitque ad me: homo! omnia verba mea, quae loquar ad te, recipe* et repone (coll. I Sam. 21, 13. Job. 22, 22.) *in corde tuo, et cum auribus tuis ausculta* ea. Bene Hieronymus: „Iste est cibus voluminis, et haec sunt verba, quibus pro diversitate audientium, vel lamenta, vel carmen, vel vae hominibus loquitur.“ In verbis קַח בִּלְבָבְךָ וּבְאָזְנֶיךָ שְׁמַע est ὕστερον πρότερον, nam sensus hic est: postquam auribus tuis percepisses mea mandata, ea ne oblivioni tradas, sed corde suscipe et animo infige. Ita Jes. 64, 4. קָצַפְתָּ וַנֶּחֱטָא *iratus es, et peccavimus*, pro: peccavimus, hinc iratus es nobis.

11. וְלֵךְ בֹּא אֶל־הַגּוֹלָה *Abi igitur, veni ad transmigrationem*, i. e. ad illos, qui a Chaldaeis ex patria sunt deportati. אֶל־בְּנֵי עַמֶּךָ *Ad filios populi tui*, i. e. ad populares tuos, ut infra 33, 2. 12. 17. וְדִבַּרְתָּ אֲלֵיהֶם וְאָמַרְתָּ אֲלֵיהֶם *Et sermonem facias ad eos, et dicas eis*, i. e. sermonem ad eos faciens hisce quae tibi praeco verbis utere. Nam דִּבֵּר et אָמַר ita differre constat, ut illud generatim *ad alios sermonem facere*, hoc vero ea ipsa verba, quae quis proloquitur, post se habeat, vid. Levit. 1, 2. 18, 2. Num. 5, 12. Verba וְדִבַּרְתָּ אֲלֵיהֶם Chaldaeus vertit וְתִתְנַבֵּי לְהוֹן *et vaticinare illis.* כֹּה אָמַר אֲדֹנָי יְהוִה *Sic dicit Dominus Deus*, q. d. uteris exordio prophetis consueto, quo tibi meo nomine auctoritatem facias. Cf. supra ad 2, 5. 7. אִם־יִשְׁמְעוּ וְאִם־יֶחְדָּלוּ.

12. וַתִּשָּׂאֵנִי רוּחַ *Sustulitque me spiritus.* Nomine רוּחַ sunt qui *ventum* intelligant; verum indicari potius vim quandam naturali superiorem, s. spiritum coelestem, angelum, patet ex Vs. 24. coll. 2, 2. Hoc ergo dicit: divinis mandatis acceptis, munus hoc obire properabam, neque pedum fungi sinebar officio, verum a divina virtute, ad quos missus fui, transferebar. Quibus verbis re ipsa locum mutasse significat, non, ut Hebraei volunt, in ecstasi, cum a corpore animus abstractus divino instinctu concitaretur. Simul intelligitur ex his, vati hanc visionem oblatam esse in secessu ad fluminis Chebar ripas, unde a divino spiritu raptus, in medios pagos popularium exsulum translatus est. Porro vates post se audivit קוֹל רַעַשׁ גָּדוֹל *vocem tonitru magni* haec sonantem: בָּרוּךְ כְּבוֹד־יְהוָה *laudetur gloria Jovae.* Chaldaeus praemisit: דְּמִשַּׁבְּחִין וְאָמְרִין *laudantium et dicentium.* Postremam Versus vocem, מִמְּקוֹמוֹ, plures sic capiunt: *e loco suo* scil. discessuri, quasi augusta illa et magnifica divinae majestatis species, supra 1, 26—28. descripta, dum *e loco suo*, i. e. e medio Cheruborum (vid. infra 9, 3.), sursum sublata esset, a coelestium spirituum salutata fuisset choro, concinentibus fragore

alarum Cheruborum, stridoreque rotarum currus (Vs. 13.). *Locum* vero, e quo motam h. l. dici volunt divinam gloriam, quidam intelligendum putant templum, ubi exhibebat numen praesentiam suam, dabat responsa, et exaudiebat preces populi sui; quod autem illa eo loco discedere dicitur, innui volunt excidium urbis Hierosolymitanae ac templi. Nos vero haec non dubitamus referenda esse ad solam hanc vati oblatam visionem, et מִמְּקוֹמוֹ interpretamur: *e loco suo*, ubi apparuit, scil. personent ejus laudes per mundum universum, uti Mal. 1, 5. dicitur: יִגְדַּל יְהוָה מֵעַל לִגְבוּל יִשְׂרָאֵל *magnus sit Jova*, celebretur laus ejus, *ultra terminum* terrae *Israelis*.

13. וְקוֹל כַּנְפֵי הַחַיּוֹת מַשִּׁיקוֹת אִשָּׁה אֶל־אֲחוֹתָהּ Et audivi (וָאֶשְׁמַע Vs. 12.) *sonitum alarum animantium osculantium mulieris sororem suam*, i. e. mutuo sese, osculantium instar, contingentium, cf. supra 1, 9. 11. וְקוֹל הָאוֹפַנִּים לְעֻמָּתָם *Et sonum rotarum juxta illa*, vid. supra 1, 20. 21.

14. וְרוּחַ נְשָׂאַתְנִי וַתִּקָּחֵנִי *Cum* igitur *spiritus sustulit me et suscepit me*, i. e. me abstulit ex illo loco, ubi gloria Dei mihi apparuit, וָאֵלֵךְ מַר בַּחֲמַת רוּחִי *abivi amarus*, amara affectus tristitia, *in indignatione animi mei*, ob mala illa imminentia, quorum ingratus jubebar esse nuntius. Verba quae sequuntur, וְיַד־יְהוָה עָלַי חָזָקָה, post Hieronymum, qui vertit: *manus Domini erat mecum confortans me*, quidam hoc sensu capiunt: at vere divinum auxilium me interius solabatur ac roborabat. Nos illam formulam non aliter existimamus accipiendam, ac supra 1, 3. (ad quem loc. vid. not.), de spiritu prophetiae, vehementius vatem urgente, atque impellente.

15. וָאָבוֹא אֶל־הַגּוֹלָה תֵּל אָבִיב *Et veni ad transmigrationem*, deportatos *Thel-Abib*, quod nomen proprium esse pagi, in quo morabantur Israelitici exsules, ut תֵּל חַרְשָׁא, et תֵּל מֶלַח Esr. 2, 59. Nehem. 7, 61., recte observant Hebraei. Atque moris esse Aramaeis, ad locorum nomina propria תֵּל *collis* adhibere, intelligitur ex Indice Geographico, qui exstat in Assemani *Bibl. Oriental.* T. III. P. II., ubi p. DCCLXXXIV. ad *Tela*, quod nomen est urbis in regione Margae, in provincia Assyriaca, haec notat: „Plures *Telae* occurrunt in Assyria, Mesopotamia et Syria, ut Tela ad Sarsaram fluvium, Telae-Birthae in ditione Margensi, Tel-Baser, Tel-Aphar, Tel-Eda, etc. Id enim Syris est *Tela*, ac Latinis *mons*, et *collis*, unde locis plurimis nomen impositum.“ Pagis illis in Syria orientali frequentibus, qui nomen *Tel* adjectum habent, aggeres esse propinquos, hominum opera aggestos, quibus fontes aut putei indicentur, observat Burkhardt in suis Itinerum per Syriam et Palaestinam factorum Commentariis, *Travels in Syria* etc. p. 149. s. P. I. p. 253. vers. teuton. Nostrum *Tel-Abib* J. D. Michaelis in not. ad h. l. vers. teuton. conjicit eundem locum esse, qui in *Euphratis* et *Tigridis* deli-

neatione D'Anvilliana (repetita ad *Syll. Itinerariorum Orientall.*, quam H. E. G. PAULUS instituit, Vol. II.) nomine *Thallaba* appareret, 36. inter et 37. grad. latitud., ac 53. inter et 54. grad. longitud. geographicae, ad flumen *Chabur*, Resein inter et Obeidia. Cf. libr. nostr. *Handb. der bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. II. p. 150. et p. 162. HIERONYMUS autem, quemadmodum alias haud raro pro nominibus propriis posuit appellativa (ut Ps. 76, 3. *Factus est in pace locus*, hebr. בְּשָׁלֵם, quod est Hierosolymitanae urbis nomen), ita et hoc loco nominum תֵּל אָבִיב significatum expressit: *ad acervum novarum frugum.* Cujus adpellationis arcanum ipse nobis pandit in Commentario: „Nos autem," inquit, „ab Hebraeis didicimus, *Thel-Abib* significare, quando nova frumenta vel hordea congregantur, et post famem et penuriam, antequam terantur in area, spem ciborum aliquam repromittunt. Ita et Israel parvus et tenuis, qui habitabat in ripis Chobar fluminis, quasi reviviscens, ortusque de terra, sementem Judaici populi promittebat." Quod argutius. Significatur regio illa Mesopotamiae, in qua vates cum populiaribus suis exsulibus degit, et propius illa designatur hisce verbis: הַיֹּשְׁבִים אֶל־נְהַר־כְּבָר *qui sedent*, habitant, *ad flumen Chebar*, Ptolemaeo ὁ Χαβώρας, Straboni et aliis Graecis Ἀββορρᾶς, et Ἀβόρας, oritur sub montibus Masiis, et prope Circesium in Euphratem se effundit; vid. *Handb. der bibl. Alterthumsk.* s. *Bibl. Geographie* Vol. I. P. II. p. 142. et p. 159. not. 14. 15. וָאֵשֵׁב, quomodo legendum esse, nota marginalis praecipit, *et consedi* ibi; significat, se non tantum illum in locum venisse (וָאָבוֹא), verum et sedem ibi fixisse, eo consilio, ut longius illic commoraretur. Quae in textu exstant literae sunt וְאָשַׁר enunciandae, prima Futuri apocopati Kal persona, verbi שָׁרָה, i. q. Chaldaic. שְׁרָא *solvit*, hinc *divertit*, *commoratus est*, *habitavit*; cf. quoad formam וְאָפֵן *et verti me*, Deut. 9, 15. Significatu igitur *Keri* et *Chethibh* haud discrepant, ut et alias convenire solent. וְאֵשֵׁב, *Keri*, codices haud pauci et libri typis exscripti in textu exhibent. Sed וְאָשַׁר, ut rarius, et cujus explicatio non adeo obvia, haud dubitamus genuinum esse. Dathius praeferendam putat lectionem textualem, omissa tamen litera Vav (אָשַׁר), quam et LXX non legerunt, seu potius non expresserunt. Verba וַאֲשֶׁר הֵמָּה יוֹשְׁבִים שָׁם omissa sunt in uno Kennicotti et in uno De-Rossii codice a prima manu, nec non a Syro. הֵמָּה יוֹשְׁבִים שָׁם *Illi*, populares mei, inquam, *habitantes* erant *ibi*, וָאֵשֵׁב שָׁם שִׁבְעַת יָמִים מְשֹׁמֵם בְּתוֹכָם *et* ego *consedi ibi septem dies stupens inter eos*, *in medio eorum*, inter eos, more lugentium fecit, cf. Job. 2, 13. et ad eum loc. not. Sedebat *stupens* (מְשֹׁמֵם), i. e. admirabundus, animo versans, quae audierat et viderat, tacitusque premebat acerbum dolorem et tristitiam vehementem, quam ex communi popularium calamitate ac pertinacia animo conceperat. Sic et Esra certior factus de connubiis suorum cum aliis gentibus initis, se narrat 9, 3. 4. vestes suas lacerasse et *stupefactum*

(מְשׁוֹמֵם) *consedisse.* שָׁמַם *vastare*, et *obstupescere*, cum ad animum refertur; nam stupor animi est ejus quaedam desolatio. Hiphil quum transitivum significatum obtinere soleat, illius Participium מַשְׁמִים sunt, qui h. l. *stuporem excitans* (vid. infra 32, 10.) explicent, quasi prophetae adspectus moveret ejus populares, ut quaererent, quidnam sibi vellet insolita illius tristitia.

16. וַיְהִי מִקְצֵה שִׁבְעַת יָמִים *Et factum est a fine septem dierum*, elapsis septem illis diebus, quibus propheta moerens inter suos consedit, Vs. 15. וַיְהִי דְבַר־יְהוָה אֵלַי *Ut fieret sermo Jovae ad me.* Spatium vacuum medio in Versu, פְּסֻקָא, neutiquam hiatum in sensu indicat; sed retentum videtur e codice aliquo vetere magnae auctoritatis, in quo casu haud constat quonam, hiatus exstitit.

17. צֹפֶה נְתַתִּיךָ לְבֵית יִשְׂרָאֵל *Speculatorem te feci domui Israelis.* Cunctantem Deus ad officium implendum acriter exstimulat, prophetam comparans homini in specula constituto a rege, qui si eminus periculum videns non annunciaverit, ipse in periculum incidit. *Speculatores* vocantur prophetae et Jerem. 6, 17. Jes. 56, 10. Chaldaeus h. l. vertit מַלֵּיפָךְ מַנְיָתָךְ *doctorem te constitui.* וְשָׁמַעְתָּ מִפִּי דָבָר *Et audies ex ore meo verbum*, ipse verba tibi suppeditabo, quibus utaris. וְהִזְהַרְתָּ אוֹתָם מִמֶּנִּי *Ut admoneas eos a me*, i. e. iis verbis, quae a me audiveris. Verbum הַזְהִיר, quod proprie *illustrare* significat, metaphorice designat *admonere*, *commonefacere*, infra 33, 4. 5. 6. 2 Reg. 6, 10. Exod. 18, 20., quia commonefactio et informatio est veluti lux mentem collustrans.

18. בֶּאֱמָרִי לָרָשָׁע *Cum dixero impio*, i. e. cum tibi mandavero, ut dicas impio meo nomine. מוֹת תָּמוּת *Moriendo morieris*, omnino, si ita pergis, exitium tibi imminet. Nam cum conditione tacita hoc intelligendum esse ostendunt quae sequuntur. Infinitivus Verbo suo finito, omissa Praepositione, praemittitur interdum et subjungitur, fortioris asseverationis causa, ut 1 Sam. 34, 21. מָלֹךְ תִּמְלֹךְ *regnando regnabis*, i. e. certissime regnabis. Vid. et Ps. 50, 21, Dan. 11, 10. וְלֹא הִזְהַרְתּוֹ — לְהַזְהִירוֹ *Et si non admonueris eum, nec loquutus fueris ad admonendum*, s. *admonendo impium*, ut recedat *a via sua mala ad vivificandum eum*, ut revoces eum a peccatis, quibus interitum sibi parat. הוּא רָשָׁע בַּעֲוֹנוֹ יָמוּת *Ipse impius per*, s. propter *perversitatem morietur*, וְדָמוֹ מִיָּדְךָ אֲבַקֵּשׁ *sed sanguinem ejus a manu tua requiram*, tibi imputabitur ejus mors; sumam poenas de te, quod fueris causa interitus ejus. Cf. similem loquendi modum Gen. 9, 5.

19. וְאַתָּה — הִרְשָׁעְתָּ *Tu autem*, te quod attinet, *cum admonueris impium* (Vs. 18.), *sed non reversus fuerit ab impietate sua, et a via sua mala*, ab impia vivendi ratione; הוּא — הַצִּלְתָּ *ipse* quidem *per suam perversitatem morietur*,

sed tu animam tuam liberasti, tu a culpa et poena liberaberis. Quae tribus hisce Vss. 17. 18. 19. dicuntur, totidem fere verbis repetuntur infra 33, 7. 8. 9.

20. וּבְשׁוּב — עָוֶל *Et in avertere recti a rectitudine sua, et fecerit perversitatem*, i. e. quando porro rectus a recte agendi ratione recesserit, et impietati sese dediderit. Infinitivus שׁוּב cum praemisso ב, tempus indicante, est in Verbum finitum ope Conjunctionis resolvendum, ut 2 Reg. 5, 18. בְּבוֹא אֲדֹנִי *in venire domini mei*, i. e. cum venerit dominus meus, vid. et 1 Sam. 2, 27. Verba quae primum nostri Versus membrum facinnt leguntur et infra 18, 24. וְנָתַתִּי מִכְשׁוֹל לְפָנָיו *Et* si *offendiculum dederim coram eo*, i. e. si occasionem peccandi ei offerri, eumque impingere et corruere permiserim. מִכְשׁוֹל *offendiculum*, hic dicitur sensu morali de occasione peccati, idque sequuturi *exitii*, cum homini occasio peccandi objicitur, qua impingit et corruit; loquendi formula nostro perquam familiaris, vid. infra 7, 19. 14, 3. 7. 18, 30. 21, 20. 44, 12. Pro הוּא יָמוּת exhibent, praemissa copula, וְהוּא יָמוּת, ut vult Hubigantius, unus Kennicotti codex, et pauci quidam De-Rossii, nec non Syrus et Arabs. Verum nec praemittitur Pronomini הוּא Vs. 18. Verba כִּי לֹא הִזְהַרְתּוֹ בְּחַטָּאתוֹ יָמוּת *quia non admonuisti eum, in peccato suo morietur*, per parenthesin sunt intercludenda. וְלֹא תִזָּכַרְנָה צְדָקֹתוֹ אֲשֶׁר עָשָׂה *Nec commemorabuntur justitia sua quam fecit*, i. e. nulla recte antehac factorum ejus ratione habita. Nomen singularis numeri, צְדָקָתוֹ, jungitur cum Verbo plurali תִּזָּכַרְנָה, quod צְדָקָה collective de recte factis capitur, ut 1 Sam. 13, 15. עַם הַנִּמְצָאִים עִמּוֹ *populus*, i. e. homines *inventi cum eo;* vid. et Jes. 25, 3.

21. כִּי תְזַהֵר צַדִּיק *Quum admonueris eum, justum.* Pro תְּזַהֲרֶנּוּ unicus De-Rossii codex a prima manu exhibet הִזְהַרְתּוֹ *admonueris*, sine suffixo, probante De-Rossio, quod veteres non exprimunt suffixum, quod redundet ob sequens צַדִּיק, *justum.* Sed tali pleonasmo pronominum nil est tritius Hebraeis. Vid. e. c. Exod. 2, 6. Jer. 41, 3. et ibi not.

22. וַתְּהִי עָלַי שָׁם יַד־יְהוָה *Fuitque super me ibi* (in *Tel-Abib* Vs. 15.) *manus Jovae*, vid. ad 1, 3. וַיֹּאמֶר אֵלַי וגו׳ *Dixitque ad me* Jova: *surge, egredere ad vallem, et ibi loquar tecum.* E pago igitur, qui in monte sive colle (cf. not. ad Vs. 15.) situs erat, egredi jubetur אֶל־הַבִּקְעָה, *in vallem* subjectam, locum videlicet a strepitu hominum semotum, ut ibi propheta, adhuc moerens et timidus, visione repetita confirmaretur, ejusque probaretur obsequium. בִּקְעָה, quod *vallem* significare h. l. putamus, ut Jos. 12, 7. Deut. 11, 11., Hieronymus *campum* intelligit, quo significatu idem nomen infra 37, 1. Gen. 11, 2. occurrit. „Qui ingressus fuerat ad transmigrationem, audit: *egredere*, non in confragosas valles, non praeruptas rupes, sed in campi latitudinem, quae possit capere gloriam Domini.“

24. וַיְדַבֵּר אִתִּי *Loquutusque est mecum.* אִתִּי hic ponitur pro אִמִּי, quod exhibent tres De-Rossii codices et unus Kennicotti codex. Sed אִתִּי, אִתְּךָ, אִתָּם, cet. in serioribus codicis hebraei libris saepius leguntur pro אִמְּךָ, אִמָּם, אִמִּי, cet., vid. infra Vs. 27. et cf. not. ad Jer. I, 16. הִסָּגֵר בְּתוֹךְ בֵּיתֶךָ *Conclude te intra domum tuam.* Rationem JARCHI reddit hanc: „ut monstres ipsis, quod indigni sunt correptione (Vs. 26.)." GROTIUS: „exspectans tempus opportunum loquendi." Sed HIERONYMUS: „Revertere in domum tuam, vel ad necessitates corporis, ut quidam putant, vel in signum futurae obsidionis. Et quomodo Jesajas discalceatus et nudus trium annorum captivitatem populi nuntiavit (Jes. 20, 2—6.), ita et tu clausus domo, opere ipso prophcta vicinam obsidionem urbis Jerusalem." Verum quemadmodum quae tribus hisce Capitibus legimus omnia ad munus, quod Ezechieli imposuit Deus, propheticum in universum spectant, ita et earum, quae hujus vaticiniorum libri tanquam Prologum quendam constituunt, visionum clausulam (Vs. 24—27.) ea quae prophctae in suo munere obeundo sint eventura praesignificare arbitror. Atque hoc quidem Versu postquam ipsi denuo gloria Jovae apparuisset, jubetur in domum suam se recipere, ut ibi quomodo erga ipsum se gessuri sint sui populares experiatur. Ceterum vatum ille Hebraeorum mos, futuras res actione et opere adumbrandi, quomodo sit profectus a priscorum hominum necessitate, linguae verborum inopis defectum gestibus ac signis supplendi, ostendit GUIL. WARBURTON in opere, quo divinam Mosis legationem demonstravit *(The divine legation of Moses demonstrated)* Lib. IV. Sect. 4. Vol. III. p. 105. sqq. edit. quart. Londin. 1765., vel in vers. teut. (Wilh. Warburtons *Göttliche Sendung Mosis*, übers. von *J. C. Schmidt*, Frcof. et Lips. 1752. 8.) Vol. II. p. 126. sqq. Iis, quae de prophetarum gestis ac visis symbolicis docte et subtiliter disseruit Warburton, jungenda est C. F. STAEUDLINII de eadem re Commentatio in Symbolis Novis ad Prophetarum interpretationem *(Neue Beyträge zur Erläuterung der bibl. Propheten)* a se editis, p. 125. sqq., praesertim p. 238. sqq.

25. וְאַתָּה הִנֵּה נָתְנוּ עָלֶיךָ עֲבֹתִים וַאֲסָרוּךָ בָהֶם *Te vero quod attinet ponent super te funes, iisque te ligabunt.* Significatur malitiam et pervicaciam popularium suorum fore instar funium, quibus constrictus teneatur, ne in muneris sui cursu libere pergat. Alii existimant familiares prophetae ipsum stultum et insanum habituros et ut talem tractaturos esse. Hieronymus et hoc facto urbis obsidionem praesignificari arbitratur. Sed de illa hac pericopa omnino non agi, vidimus in nota ad Vs 24. וְלֹא תֵצֵא בְתוֹכָם *Et non exibis*, i. e. ut non egredi possis domo tua *in medium eorum.*

26. וְלִשׁוֹנְךָ אַדְבִּיק אֶל־חִכֶּךָ וְנָאַלְמְתָּ *Et linguam tuam adhaerescere faciam palato tuo* (cf. Ps. 137, 6.), *ut obmutescas*,

nec eos moneas, ut sequitur, וְלֹא־תִהְיֶה לָהֶם לְאִישׁ מוֹכִיחַ *et ne sis iis in virum redarguentem*, s. *redargutor*, ut sic haud moniti ad interitum ruant. כִּי בֵּית מְרִי הֵמָּה *Nam domus rebellionis*, homines rebelles sunt *illi*, ut 2, 5. 6. 7. Quum norint, te esse prophetam, non curabunt tamen a te discere quae sunt salutaria. Haec quae vates a se peracta vel sibi accidisse narrat, fere pro *fictionibus allegoricis* habenda esse, quibus res futuras eo vividius repraesentaret, vel ostendit narratio de volumine a se comesto, supra Cap. 2. Cf. not. ad Jes. 20, 2—6., et Staeudlin l. l.

27. וּבְדַבְּרִי אוֹתָךְ אֶפְתַּח אֶת־פִּיךְ וְאָמַרְתָּ אֲלֵיהֶם *Cum autem tecum loquutus fuero*, et *os tibi aperuero*, i. e. tibi licentiam loquendi ad illos dedero, *tunc dices eis*. De verbis כֹּה אָמַר אֲדֹנָי יְהוִה vid. ad 2, 4. הַשֹּׁמֵעַ יִשְׁמָע וְהֶחָדֵל יֶחְדָּל *Qui audiverit audiat, et qui omiserit* audire *omittat;* qui abstinere ab audiendo vult, abstineat suo periculo. Eichhorn *(die hebr. Propheten* P. II. p. 275. not.) tribus posterioribus hujus Capitis Versibus Deum hoc dicere prophetae putat: exsules te subinde de rebus et negotiis difficilibus consulent, quae ad munus tuum propheticum nihil attinent, sed quibus dijudicandis dirimendisque tu par non es. Ad talia igitur non dabis responsa *(obmutescas*, Vs. 26.). Si vero quae religionem et morum disciplinam spectant ex te sciscitantur, sine tergiversatione quid faciendum, quid omittendum sit, libere iis edicas *(aperiam tibi os*, Vs. 27.). Quam quidem genuinam horum Versuum sententiam esse, nos quidem vehementer dubitamus.

II.

Vaticinationes in urbem Hierosolymitanam.

CAP. 4. 5.

Argumentum.

Hierosolymam hostium obsidentium corona cingendam vates jubetur in latere delineare (Vs. 1 — 3.); tum supplicia Hierosolymitanis infligenda divino jussu repraesentat et cubatione situque corporis vario (Vs. 4 — 8.), et panis e frumentis variis confecti esu, atque aquae potu (Vs. 9 — 11.), nec non placentis hordaceis ad stercus coctis (Vs. 12 — 15.), quarum actionum explicationem addit Vs. 16. 17. Cap. 5. jubet Deus vati, ut radat caput et barbam, atque unam tertiam partem pilorum comburat igni, alteram concidat gladio, tertiam dispergat in ventum, ut per hoc portendat, tertiam partem civium Hierosolymae consumendam peste et fame, tertiam gladio, et tertiam dispergendam per orbem. Utrumque hoc Caput illustravit *Staeudlin* in *den Neuen Beyträgen* p. 176. sqq.

Cap. 4, 1. Si, quod interpretum plures statuunt, quae septem prioribus hujus libri Capitibus vati nostro obtigisse leguntur, omnia *anno quinto* exsilii Jojachini (quae temporis nota libri initio praescripta est) accidisse censenda fuerint; Hierosolymae obsidionem vates facto symbolico eo, quod tribus primis hujus Capitis Versibus describitur, praesignificasset *quadriennio* ante, id vero est, tali tempore, quo mortalium nemo, nisi qui divino instinctu inflatuque incitatus esset, praesagire illam certo potuit. Erat enim quintus Jechoniae annus et ipse annus quintus Zedekiae ad imperium evecti. Is autem quum regni sui anno *quarto* se demo Nebucadnezari obstrinxisset, quis illum anno *septimo* datam fidem fracturum et contra imperatorem Chaldaeorum rebellaturum praevidere poterat? qua quidem perfidia ille postea exacerbatus est ita, ut anno Zedekiae *nono* Hierosolymam obsideret, quam vi et fame biennio post ad deditionem coegit. Vid. Jer. C. 52.

Sed minime necesse est, ut quae septem primis hujus libri Capitibus habentur omnia quinto Jechoniae anno assignemus, quum qui haec vaticinia in eum, quem nunc tenent, ordinem redegit, in iis ordinandis non tam temporis, quo singula edita essent, seriem, quam argumenti, quod tractant, similitudinem spectarit (vid. Prolegomm. §. 4.). Quae quum ita sint, nil obstat, quo minus quod hoc et proximo Capite continetur vaticinium ad illud tempus referamus, quo nuntius de Nebucadnezare exercitum adversus Hierosolymam movente ad exsules ad Chaboram fluvium esset perlatus. קַח־לְךָ לְבֵנָה *Sume tibi laterem.* „Pro *latere*, qui Graece dicitur genere feminino ἡ πλίνθος, Symmachus manifestius interpretatus est πλίνθιον, quem nos *laterculum* et *abacum* appellere possumus. In cujus pulvere solent geometrae γραμμάς, id est, *lineas*, *radiosque* describere.“ Hieronymus. וְנָתַתָּה אֹתָהּ לְפָנֶיךָ *Et ponas eum coram te*, more ejus qui aliquid est descripturus. וְחָקוֹתָ עָלֶיהָ עִיר אֶת־יְרוּשָׁלִָם *Et insculpe*, delinea *super illum urbem*, *Hierosolymam* puta. Quod *lateri* obsidendae Hierosolymae picturam insculpit, in eo istius temporis ac regionis morem sequitur. *Epigenes apud Babylonios DCCXX annorum observationes siderum coctilibus laterculis inscriptas docet*, Plinio referente *Hist. Nat.* L. VII. Sect. 57. Et in eo ipso tractu, quo olim Babylonicam urbem sitam esse credibile est, nostra aetate ingens laterum copia e terra est effossa, quibus scriptura, cuneatis figuris constans, est insculpta; de quibus vid. Frid. Münter *Versuch über die keilförmigen Inschriften zu Persepolis* (Havn. 1802. 8.) p. 130. sqq. Neque Hieronymi temporibus mos iste prorsus videtur obsolevisse, ex cujus verbis supra allatis colligere licet, non fuisse necesse, ut propheta latere usus sit, ut quidam volunt, crudo, nondum igne cocto et durato.

2. וְנָתַתָּה עָלֶיהָ מָצוֹר *Et dabis*, i. e. effinges, ordinabis, *contra illam obsidionem*, i. e. figuram obsidionis contra urbem. Apposite Staeudlin observat, simili modo quae in scuto Achillis (*Iliad.* 18, 491. sqq.) efficta erant, ita describi, quasi revera gesta essent. Porro vates ipse perficere legitur (vid. infra Vs. 3. וְצַרְתָּ עָלֶיהָ), quae eventura esse tantum praenuntiat, quod prophetis Hebraeorum est familiare; cf. Jerem. 1, 10. 15, 1. Gen. 27, 37. Plura exempla vid. in Glassii *Philol. S.* p. 216. sqq. edit. Dath. וּבְנִיתָ עָלֶיהָ דָּיֵק *Et exstrues contra eam circummunitionem.* Nomine דָּיֵק (et infra 17, 17. 21, 27. al. 22. 26, 8., nec non 2 Reg. 25, 1. Jer. 52, 4. obvio) sunt, qui *turrim* significari putent, quae dicta sit a *speculandi* notione, verbo Aramaico דוק propria. Et sane multus olim in oppugnandis urbibus turrium usus. Quare Hebraei דֵּיק *turrim ligneam* denotare dicunt, quam adversus urbem exstruere solent, ad expugnandam illam, et unde lapides projiciunt in urbem. De hisce turribus vid. Vitruvius 10, 19., qui illas *ambulatorias* vocat, ut Athenaeus apud Turnebum *Ad-*

versarr. 23, 31. φορητοὺς πύργους. Plura vide in JAHN *Bibl. Archaeologie* P. II. Vol. II. §. 228. p. 434. Quum tamen דַּיֵק semper in singulari usurpetur, et quater (in tribus reliquis vatis nostri locis) cum סֹלְלָה *aggere*, junctum; magis probanda J. D. MICHAELIS in *Supplemm.* p. 449. videtur sententia, intelligendum esse *murum, quo obsidentes urbem, obsessosque circumvallabant* (a *circumdandi* significatu, quem arabicum דוק in conjugatione IV. obtinet), *circonvallation, Circumvallations-Linie* recentiores dixerunt, verum hi vallo usi, veteres muro, unde et Ezechiel semper *aedificandi* verbo (בָּנָה) de דַּיֵק utitur, cui alterum opponit, de aggere positum, *fundendi* (שָׁפַךְ). Nempe muro eminus includebantur obsessi, contra eruptiones, ab hoc ad urbem vallum humo adgesta (סֹלְלָה) ad ipsa moenia obliquc ducebatur. וְשָׁפַכְתָּ עָלֶיהָ סֹלְלָה *Et fundes*, i. e. terra in fossas injecta exstrues *aggerem*, aggestae terrae cumulum, item lapidum, caespitum, lignorum congestionem, ut ex ea, quasi ex monte, displodantur balistae in urbem oppugnandam, vel, ut agger sit, quo se Chaldaei a telis obsessorum tueantur. וְנָתַתָּה עָלֶיהָ מַחֲנוֹת *Et dabis contra eam castra*, figurabis castra urbi circumdata. וְשִׁים־עָלֶיהָ כָּרִים סָבִיב *Et pone contra eam arietes circum. Arietes* h. l. esse machinas bellicas, res ipsa docet. Et Graecis κριός, atque Romanis *aries* dicebatur trabs, laminis ferreis munita, capite ferreo (graece κεφαλὴ aut ἐμβολὴ dicitur) prominente, quae pendens e funibus, et retrorsum ab obsidentibus repulsa, quasi arics moenia et portas magno impetu percutiebat et diffringebat. Talem machinam descripsit JOSEPHUS *de Bello Jud.* 3, 9. Cf. Jahn, §. 227. p. 433.

3. וְאַתָּה קַח־לְךָ מַחֲבַת בַּרְזֶל *Porro tu sume tibi sartaginem ferri*, ferream, qua sunt qui significari existiment urbem Hierosolymitanam, quia sartago quasi muro circumdatur; *ferrum* autem significare urbis munitionem, quod inexpugnabilis esse videretur, ac si ferreos muros habuisset; forc tamen, ut ab ira Dei, quae fortior est ferro, expugnetur. Verum obstat, quod propheta jubetur sartaginem ponere inter se et urbem, — וְנָתַתָּה אֹתָהּ וּבֵין הָעִיר *et pones illam* tanquam *murum ferreum inter te et inter urbem*, unde non fuit urbs ipsa, sed medium quid urbem inter et vatem. Videtur potius propheta Dei gerens personam, inter se, et laterem, in quo Hierosolymam delinearat, sartaginem ferream eo consilio posuisse, ut significaret, quasi ferreum murum interjectum esse cives inter et se, i. e. Deum, Deique decretum, et sententiam contra illos latam, esse irrevocabilem, nec Deum civium preces et querimonias auditurum, aut iis ad misericordiam flectendum. Cf. Jes. 59, 2. Thren. 3, 44. Ita Hieronymus: „Sartago ferrea, quae instar muri inter Prophetam et urbem ponitur, grandem iram demonstrat Dei, quae nullis precibus fatigetur, nec flectatur ad misericordiam. Sicut enim omnia metalla ferrum domat, nihilque eo durius est, sic incredibilia scelera Jerusalem

Deum natura mollem suo vitio fecerunt esse durissimum. Sartago quoque dicitur medius inter Deum et populum murus oppositus, ut ostendat omnem multitudinem in brevi esse frangendam redigendamque ad nihilum " וְהָכִינֹתָ אֶת־פָּנֶיךָ אֵלֶיהָ *Dirigesque ad eam* tum ad sartaginem, tum ad urbem recta *faciem tuam*, i. e. rectis oculis eam intueare, oculos de ea non dejicias. Quo severum et implacabilem vultum judicis inexorabilis putant significari, qui eum a sententia lata immobilis est, eam ac reum obfirmatis oculis intuetur. Sed cf. not. infra ad Vs. 7. וְהָיְתָה בַּמָּצוֹר וְצַרְתָּ עָלֶיהָ *Et sit in obsidione, et angustabis eam*, i. e. perge in figuranda obsidione, ut quae sit diu duratura. אוֹת הִוא לְבֵית יִשְׂרָאֵל *Signum hoc sit domui Israelis*, i. e. haec figura et delineatio Hierosolymae obsessae significet vere urbem ita brevi obsidendam. *Judaeos* vocat *Israelitas*, quia decem tribubus jam abductis in exilium, tota Israelis, i. e. Jacobi, progenies in solo patrio consistebat in Juda et Judaeis. Hos igitur nomine veteri appellat vates, ante regnorum divisionem universis tribubus communi, atque post eversum decem tribuum regnum, ei Jacobi progenici, quae in Judaea remanebat, a prophetis, qui post exilium decem tribuum florucrunt, frequentissime accommodato, vid. c. c. nostrum supra 3, 7. 17., infra 5, 4. 8, 6. al. Cf. Jes. 48, 1. בֵּית יַעֲקֹב הַנִּקְרָאִים בְּשֵׁם יִשְׂרָאֵל A quo more suo noster semel dontaxat, mox Vs. 4. 5. discedit; vid. not. ad Vs. 4.

4. Impietatis poenas genti Israeliticae constitutas, id est, urbis Hierosolymitanae obsidionem, propheta jam alio modo jubetur praesignificare. Nam quum antea ipse urbem vallo circumdedisset, et aggere atque operibus oppugnasset, nunc, duplici sibi imposita parte, tum urbis obsessae imaginem sistit, tum gravia mala denuntiantis prophetae personam sustinet. Ceterum quae inde ab hoc Versu narrantur non revera facta esse, sed pro parabola tantum habenda, vix est quod moneamus. Quis enim credat, vatem per trecentos nonaginta dies funibus vinctum uni lateri incubuisse (Vs. 5. 8.)? וְאַתָּה שְׁכַב עַל־צִדְּךָ הַשְּׂמְאלִי *Porro tu cuba super latere tuo sinistro.* שְׁכַב LXX reddunt κοιμηθήσῃ, Vulgatus *dormies*. Usurpatur quidem verbum שְׁכַב de *dormientibus* vel eum יָשֵׁן junctum (ut 1 Sam. 26, 7. Ps. 4, 9.), vel solum, ut Jud. 16, 3. Prov. 3, 24. Ps. 3, 6. Sed hic vigil potius propheta decubuisse censendus est, spectans obsidionem urbis. *Latere sinistro* Staeudlin quidem nihil peculiariter significari, sed illius tantum propter oppositum dextrum latus (Vs. 6.) mentionem fieri censet. Nos tamen minime aliorum interpretum repudiandam existimamus sententiam, *sinistro* lateri vel dignitatis inferioris significationem inesse, vel ad situm decem tribuum allusionem, quia Samaria, caput illarum, sita erat ad *sinistram* (s. borealem regionem, quomodo שְׂמֹאל 1 Reg. 7, 21. sumitur; respectu Hierosolymae, unde et ipse noster infra 16, 46. ait: *Et soror tua*

major, *Samaria*, *ipsa et filiae ejus*, הַיּוֹשֶׁבֶת עַל־שְׂמֹאולֶךָ *quae habitant ad sinistram tuam.* וְשַׂמְתָּה אֶת־עֲוֹן בֵּית־יִשְׂרָאֵל עָלָיו *Et imponas ei iniquitatem domus Israelis. Domus Israelis* nomine noster alias Jacobi progeniem, quae in regno Juda remanserat, nuncupare solet (vid. not. ad Vs. 3.); hoc tamen loco, et Vs. 5., *decem tribuum regnum* ea appellatione indicari, clarissime docet peculiaris *domus Judae* mentio Vs. 6. Significat vates, eversione urbis Hierosolymitanae, quae utriusque regni erat caput, utpote sacrorum sedes, vindicari gentis universae impietatem. מִסְפַּר הַיָּמִים אֲשֶׁר תִּשְׁכַּב עָלָיו *Pro numero dierum, quibus jacebis super eo*, latere tuo sinistro. מִסְפַּר pro לְמִסְפַּר s. כְּמִסְפַּר s. בְּמִסְפַּר, ut Num. 14, 34. *juxta numerum* dierum, i. e. tot dies, ut infra Vs. 9. תִּשָּׂא אֶת־עֲוֹנָם *Feres iniquitatem eorum*, i. e. eorum peccatis oneratus eris; tot diebus jacebis, quot illi annos deliquerunt. Phrasis נָשָׂא עָוֹן, ubi de Deo dicitur, denotat *levare*, s. tollere *peccatum*, ejusque reatum et poenam, eam remittere, condonare, ita Exod. 10, 17. Num. 14, 18. Ps 32, 5.; ubi vero de homine, saepissime valet *in se suscipere noxam*, obnoxium fieri poenae peccato debitae, ferre supplicium criminis, vel a se ipso, vel ab aliis commissi, ut Levit. 5, 1. 16, 22. Num. 18, 1. Jes. 53, 4. Joa. 1, 29. Quibus locis עָוֹן metonymice est *supplicium peccatorum*, ut Gen. 19, 15. פֶּן־תִּסָּפֶה בַּעֲוֹן הָעִיר *ne consumaris* supplicio *hujus urbis*. Cf et infra 14, 10. 44, 12. Quomodo quum et hic phrasin תִּשָּׂא אֶת־עֲוֹנָם interpretum plures caperent, hujus loci sensum hunc esse statuerunt: tot diebus catenis gravatus et molesta cubatione sustinebis poenam debitam peccatis gentis Israeliticae, atque ea tolerantia repraesentabis, quam ipsi sunt laturi totidem obsidionis diebus. Verum supplicii tempus prophetae decubitu non repraesentari, ostendunt quae Versu proximo dicuntur. Erit itaque phrasis נָשָׂא עָוֹן hoc sensu capienda: *peccatis onerari*, vel *onerare se*, ut Levit. 22, 9. 10. Num. 18, 22. 32. Recte GROTIUS: „Ex diebus intelliges, per quot annos ego illorum peccata tacitus pertulerim. Nam *dies* Ezechieli dati sunt pro totidem annis divinae patientiae, ut statim sequitur."

5. וַאֲנִי נָתַתִּי לְךָ אֶת־שְׁנֵי עֲוֹנָם לְמִסְפַּר יָמִים *Ego dedi tibi annos culpae eorum in numerum dierum*, i. e. tot tibi injungo diebus in latere sinistro cubare, quot illi peccarunt annis. *Annos* sunt qui intelligant culpae contractae, *dies* vero supplicii, i. e. obsidionis Hierosolymae; quasi supplicii tempus praedicatur brevissimum in ultionem impietatis per multa secula protractae. Quam sententiam tamen haud admittit dierum, per quos Hierosolyma obsessa est, numerus. Etenim quum Hierosolymae obsidio anno Zedekiae *nono*, *mense decimo*, ejusque *decimo die* sit coepta (vid. infra 24, 1. 2 Reg. 25, 1. Jer. 39, 1. 52, 4.), finita autem anno Zedekiae *undecimo*, die *nono mensis quarti* (2 Reg. 25, 3. Jer. 39, 2. 52, 6.); prodibunt 530 dies annorum lunarium. Neque

igitur illorum probanda est sententia, qui tot *suppliciorum annos* intelligendos volunt, quot vates decubuit dies. שְׁלֹשׁ־מֵאוֹת וְתִשְׁעִים יוֹם וְנָשָׂאתָ עֲוֹן בֵּית־יִשְׂרָאֵל *Dies trecentos et nonaginta ut portes iniquitatem domus Israelis.* Annos 390 peccatorum Israelis, a vate lateri sinistro incumbente repraesentandos, varii computant vario modo. Nobis quidem ceteris probabilior illorum videtur ratio, qui inde a regno bipertito, Rehabeamo et Jerobeamo regibus, usque ad Hierosolymae expugnationem, undecimo Zedekiae anno, illos numerant. Effluxerant quidem ab initio regni Jerobeami, anno 975 ante Christ. nat., usque ad obsidionem Hierosolymae per Nebucadnezarem, anno 589 ante Chr. nat., tantummodo anni 386; sed pro eo numero hic quem dicunt rotundum poni, in poetico sermone nemo mirabitur. Alias quasdam illos 390 dies computandi rationes recensuimus in Scholiis uberioribus in Notarum ad h. l. Additamento.

6. וְכִלִּיתָ אֶת אֵלֶּה — שֵׁנִית *Quum vero absolveris* (ut infra 43, 27.) *illos* sc. dies 390 decumbendo in latere sinistro, *decumbes iterum in latus tuum dextrum.* Alii vertunt: *et absolves illos, et decumbes*, i. e. ita absolves hos dies, ut per quadraginta dies decumbas in latus dextrum. In universum decubitui vatis assignandos putant 390 dies, in quibus *quadraginta* sint proprii tribus Judae, id quod inde colligunt, quod infra Vs. 9. propheta parato pro obsidionis tempore cibo 390 dies duntaxat vesci jubetur, nulla addita quadraginta dierum mentione. Verum absolutis 390 diebus per alias quadraginta dies vati decumbendum fuisse, manifeste indicat additum h. l. שֵׁנִית *iterum* secunda vice. וְנָשָׂאתָ לָהּ — *Et portabis iniquitatem domus Judae quadraginta dies, singulos dies pro singulis annis constitui tibi illud*, i. e. illum tuum decubitum in latere dextro. Annos quadraginta peccatorum Judae, et, qui eis respondent, totidem supplicii dies computandi ratio minus est explorata. Nihil plane difficultatis adesset, si, quae Staeudlinii est sententia, numerus quadragenarius in universum indeterminatum temporis spatium indicaret, quod quidem saepe alias in V. T. fieri, ex frequenti illius numeri usu in libris historicis ostendit P. J. Bruns in peculiari commentatione *über die Zahl Vierzig im A. T.* in den *Memorabilien* P. VII. p. 53. sqq., ubi et eundem loquendi morem Persis usitatum esse observat, qui itidem numerum quadragenarium *(tschihl)* pro multitudine indeterminata frequentant. Ita vetustissimum illud palatium Persepolitanum, cujus reliquiae hodienum conspicuae, plurimorum, qui oras istas adiere, narrationibus sunt nobilitatae, Persae *khaneh tschihl menar*, i. e. domum quadraginta turrium vocare solent. Sic spatiosum atrium multis suffultum columnis *tschihl setun*, i. e. quadraginta columnas, et lychnuchum multis instructum lucernis *tschihl cherak*, i. e. quadraginta lumina appellant. Et bestiolam illam multipedem, quae Latinis *centipeda* vel *millipeda*,

Persae *tschihl paj*, i. e. quadraginta pedes vocant. Similiter *quadraginta dies* pluisse in narratione de diluvio perhibetur Gen. 7, 17. Jonas Ninevitis *quadraginta dierum* spatium concedit, Jon. 2, 3. Christus *quadraginta dies* sine alimento trahebat, Matth. 4, 2. et quae hujuscemodi sunt alia. Quae quum ita sint, Stacudlin prophetam nostrum simpliciter hoc voluisse censet, plures annos, peccando transactos, sequuturum esse, supplicii causa, tempus calamitosum. Verum quum numerus superior 390 pro definito sit habendus, idem ut de hoc quadragenario statuamus, poscit analogia. Quo pacto autem quadraginta annorum, quibus Juda peccavit, summa conficiatur, vix quisquam certo demonstraverit, nobis computandi rationem, quam sequutus est vates, ignorantibus. Verisimile tamen est, quod sumit J. G. Frankius in *Nov. Syst. Chronol. fundamental.* p. 165., quem sequitur Eichhorn (*die bibl. Propheten* P. II. p. 369.), computare vatem annos illos quadraginta inde ab eo tempore, quo cultum Jovanum, templo purgato, restituit Josias, quo pii regis facto Jova motus quae antea peccata commisisset Juda, ei condonaverat, spe concepta, fore ut populus in suo cultu sit perstiturus. Jam vero inde a duodecimo Josiae regnantis anno, quo ille sacra purgavit, anno 629 ante Chr. nat., usque ad initium obsidionis anno 589 ante Chr. nat. numerantur quadraginta anni, per quos Juda denuo in Jovam deliquerat.

7. וְאֶל־מְצוֹר יְרוּשָׁלַם תָּכִין פָּנֶיךָ *Et ad obsidionem Hierosolymae dispone faciem tuam*, i. e. in hoc tuo decubitu laterem, in quo delineasti obsidionem urbis Hierosolymitanae, fixe intueberis, ut significes, haec omnia mira, quae facis, portendere obsidionem arctissimam Hierosolymae. וּזְרֹעֲךָ חֲשׂוּפָה *Et brachium tuum* sit *nudatum*. Brachium suum vates jubetur *nudare*, id est exserere, nam quum veterum tunicae viriles, in caput injectae, et praecinctae cingulo, vix summa tegerent brachia, qui brachium exseruit, id nudum ostendit. Exsertum brachium vero pugnantium est habitus, cf. Jes. 52, 10. חָשַׂף יְהוָה אֶת־זְרוֹעַ קָדְשׁוֹ *denudavit*, i. e. exseruit, *Jova brachium suum sanctum*. „Praesignificavit hoc Nebucadnezarem, qui pugnavit contra urbem.“ Jarchi. וְנִבֵּאתָ עָלֶיהָ *Et prophetabis contra illam*, non verbis, erat enim mutus (3, 26.), sed hisce factis; te ipse videlicet, tuoque gestu, referes Chaldaeos Hierosolymam oppugnantes.

8. וְהִנֵּה נָתַתִּי עָלֶיךָ עֲבוֹתִים *Et ecce! dabo*, ponam, injiciam *super te funes*. Volo maneas in istis vinculis, quae tibi domestici meo jussu imponent, ut sic quoque urbem obsessam exprimas. וְלֹא־תֵהָפֵךְ — יָמֶיךָ מְצוֹרֶךָ *Nec convertes te a latere tuo*, quo cubabis, *ad latus tuum* alterum, *donec compleveris dies obsidionis tuae;* tempus illud, quo cubando obsidionem urbis praesignificare debes. Pro מְצוֹרֶךָ exhibent מְצוֹרֶיךָ, in plurali, plures codices et libri editi. Sunt quoque codices, in quibus מְצוֹדֶךָ

(cum *Daleth*) *munitionis tuae*, i. e. munitionum, quibus te obsidentium exercitus inclusum tenet.

9. וְאַתָּה — לָקַח *Tu porro sume tibi triticum*, *et hordeum*, *et fabam*, *et lenies*, *et milium*, *et speltam*, *et pones illa in vas unum*, *et facies*, parabis farraginem illam *tibi ad panem*. „Jubetur propheta famem futuram et inopiam populi Israel opere demonstrare. Sicut enim in rerum omnium penuria non quaeruntur ciborum diversitates et deliciae, sed quomodo venter impleatur; sic nunc propheta frumentum, et hordeum, fabam, lentem, et milium, avenamque mittit in unum vas, facitque trecentos nonaginta panes, quos per singulos dies comedat.“ Hieronymus. חִטִּין *triticum* cum Chaldaica Pluralis terminatione, ut רָצִין *cursores* 2 Reg. 2, 13., et מְלָכִין *reges* Prov. 31, 3. Hoc loco codices nonnulli חִטִּים formâ hebraicâ habent. De שְׂעֹרִים *hordeo*, ejusque usu ad cibum vid. libr. nostr. *Bibl. Naturgesch.* P. I. p. 86. sqq. פּוֹל, praeter hunc locum semel, 2 Sam. 17, 28. obvium, esse *fabam*, reliquarum dialectorum consensus docet. Plinius *Hist. Nat.* Lib. XVIII. Sect. 30. *Inter legumina maximus honos fabae; quippe ex qua tentatus sit etiam panis. — — Frumento etiam miscetur apud plerasque gentes, et maxime panico solida, ac delicatius fincta.* Cf. libr. citat. p. 90. De עֲדָשִׁים *lentibus*, vid. ibid. p. 89. Quod Hieronymus *milium* interpretatur, דֹּחַן, ex Arabicae dialecti usu ad eam plantarum speciem pertinet, quam rei herbariae periti *holcum* vocant. Vid. l. l. p. 84. כֻּסְּמִים pluralis nominis כֻּסֶּמֶת *triticum spelta* Linnaei, vid. not. ad Jes. 28, 28. Cf. l. l. p. 83. et *das alte und neue Morgenl.* P. IV. No. 1044. p. 311. תֹּאכְלֶנּוּ — מִסְפַּר הַיָּמִים Secundum *numerum dierum* (cf. Vs. 4.), *quibus tu cubans* eris *super latus tuum* 390 *dies*, *comedes illum* panem.

10. וּמַאֲכָלְךָ אֲשֶׁר תֹּאכְלֶנּוּ בְּמִשְׁקוֹל *Et cibus tuus*, *quem comedes*, *cum pondere* erit; non quantum voles, sed certo pondere, ut in magna fame obsessae urbis fieri solet, cibum tuum edes, עֶשְׂרִים שֶׁקֶל לַיּוֹם *viginti siclos pro die*, „qui decem tantum vel duodecim, uncias et dimidiam efficiunt, quae sunt tres quartae partes librae, nam siclus pendit semunciam, vel potius quinque drachmas.“ J. D. Michaelis. מֵעֵת עַד־עֵת תֹּאכְלֶנּוּ *A tempore ad tempus comedes illud*, i. e. de die in diem, a principio 390 dierum usque ad finem eorum. Phrasis haec praeter hunc locum exstat tantummodo 1 Chron. 9, 25.

11. וּמַיִם בְּמִשּׁוּרָה תִּשְׁתֶּה *Et aquam cum mensura* sc. certa *bibes*, videlicet שִׁשִּׁית הַהִין *sextam Hini partem*. „Sterilitatem cibi aquae auget sterilitas. Sextam enim partem mensurae Hebraicae, quae appellatur *hin*, jubetur per singulos dies bibere. Porro *hin* duos χόας Atticos facit, quos nos appellare possumus duos *sextarios* Italicos, ita ut *hin* mensura sit Judaici sextarii, nostrique castrensis, cujus sexta pars facit tertiam partem sextarii

Italici (cf. Jahn *Bibl. Archaeologie*, P. I. Vol. II. §. 137. p. 45.). Qui cibus et potus juxta inclytum Oratorem (Ciceronem) non vires tribuit, sed mortem prohibet. Quod autem dicit: *a tempore usque ad tempus* (מֵעֵת עַד־עֵת) *comedes*, vel *bibes*, illud, a vespere usque ad vesperam significat; licet quidam male ab anno usque ad annum intelligi putent. (Sed cf. not. ad Vs. 10.) „Notandum quoque, quod juxta numerum dierum sinistri lateris, trecenti nonaginta subcinericii panes jubeantur fieri, et per singulos dies comedi, et de quadraginta dierum dextri lateris panibus omnino taceatur, ut occulte Sancta Scriptura insinuet, non eandem poenam populi esse peccatoris, si tamen notitiam habeat Dei (i. e. regni Judae), et ejus, qui a religione veri Dei omnino discesserit (Israelitici regni)." Hieronymus. Sed quadraginta illis diebus cubationis in latere dextro prophetae comedendas fuisse placentas subcinericias hordaceas, de quibus Vs. 12., ut repraesentaret, quid Judaei peracta obsidione exspectandum habeant, existimat Grotius. Quis vero credat, nostrum, qui singula quaecunque tam accurate explicare solet, illud non diserte monuisse, ut Vs. 9. fecit? Veram rationem, cur de quadraginta diebus cubationis in latere dextro vates sileat, non dubitamus indicatam esse ab Hieronymo.

12. וְעֻגַת שְׂעֹרִים תֹּאכְלֶנָּה *Et placentam subcinericiam hordei comedes.* De עֻגָה *pane*, s. *placenta subcinericia*, s. in prunis cocta, ac de modo tales parandi, vid. not. ad Gen. 18, 6. **LXX** vertunt *καὶ ἐγκρυφίαν*, proprie *abditiciam*, s. *occultaticiam* scil. placentam, quia, dum coquitur, latet in cinere sepultus. וְהִיא בְּגֶלְלֵי צֵאַת הָאָדָם תְּעֻגֶּנָּה *Et ipsa* (placenta) *stercoribus excrementi humani coquatur.* Verbum תְּעֻגֶּנָּה factum ex nomine עֻגָה, et ad illud alludit, quomodo ad לְבִיבוֹת alludit verbum לָבַב *liba*, vel *placentas coquere*, quasi *libare* dixeris, vel *placentare.* Hinc Amnon ad patrem, Davidem, 2 Sam. 13, 6. *Veniat nunc Thamar, soror mea*, וּתְלַבֵּב לְעֵינַי שְׁתֵּי לְבִיבוֹת, quasi dicat: *et libet in oculis meis duo liba*, aut, *placentet duas placentas.* Graeci: *κολλυρισάτω δύο κολλυρίδας.* Quum igitur par sit allusio inter עֻגַת et תְּעֻגֶּנָּה, eam Graeci interpretes, quantum poterant, exhibentes, ut עֻגַת *ἐγκρυφίαν*, ita תְּעֻגֶּנָּה *ἐγκρύψεις* reddiderunt. Ac si Latine quis diceret: *subcinericium panem subcinerabis.* Et ne putetur Deus a propheta id exegisse, ut panem comederet, humano stercore coopertum, quomodo videtur accepisse Hieronymus. Tantum vult, ut panem, pro carbonibus humano stercore coctum comedat, quo miseri homines quandoque pro ligno utuntur. Idque symbolica de causa, et ut significaret Israelitis, fore, ut in captivitate Babylonica in summa rerum omnium inopia versarentur, et cogerentur etiam immundis cibis pollui." Bochartus *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. 34. T. I. p. 338. edit. Lips. Quodsi placentae illae stercoris humani cinere coquendi erant, in illo sane occultari, adeoque cooperiri debuerunt. Nec aliud quidquam videtur Hiero-

nymus voluisse, dum dixit: „diciturque ei, ut humano stercore operiat eos.“ לְעֵינֵיהֶם *Coram oculis eorum.* „Non ignorantibus his, qui comesuri sunt (solet quippe inscitia miserias temperare), sed videntibus, et in oculis eorum, ut ante aspectus horrorem, quam gustus nauseam sustineat.“ HIERONYMUS.

13. כָּכָה יֹאכְלוּ בְנֵי־יִשְׂרָאֵל אֶת־לַחְמָם טָמֵא *Sic comedent Israelitae panem suum immundum* e contactu stercoris, uti nonnulli volunt. Sed quae sequuntur, בַּגּוֹיִם אֲשֶׁר אַדִּיחֵם שָׁם *inter gentes quo illos trudam*, i. e. ad quas ego deportari permittam, suadet potius, hoc indicari, Hebraeos inter populos alios vitam ad legum suarum praescripta non acturos esse, ita ut et cibi lege vetiti ipsis comedendi sint.

14. וָאֹמַר־לֹא מִטַּמְּאָה *Et dixi: ah, Domine, Deus! ecce, anima mea non est polluta*, non pollui me cibis immundis. וּנְבֵלָה *Et cadaver morticinum*, Deut. 14, 21. „*Morticinum* dicitur, quod absque effusione sanguinis amittit vitam, et in quo moritur anima, וּטְרֵפָה *laceratum* a bestiis, quod Graece appellatur *θηριάλωτον*.“ HIERONYMUS. Per synecdochen intelligit omnes per legem immundos cibos, q. d. ne ergo cogar uti re per naturam immunda. וְלֹא־בָא בְּפִי בָּשַׂר פִּגּוּל *Ut etiam non venerit in os meum caro putridi*, tetri foetoris, Levit. 7, 18.

15. וַיֹּאמֶר אֵלַי *Dixit ad me* Deus, נָתַתִּי לְךָ אֶת־צֵפִיעֵי הַבָּקָר וגו׳ *Dedi*, i. e. permitto *tibi fimum bovis pro excrementis humanis.* Bubulum fimum hodieque in Frisia ad ligni materiam siccari, testatur Erasmus in Proverbio *Boliti poenam. Boliti*, id est, *bubuli stercoris*, quod Graece *βόλιτον* dicitur, et *βόλβιτον*, Hebraice in Levitico generali nomine פֶּרֶשׁ, sed in Ezechiele speciali צֵפִיעַ. Arabice scilicet צפע, iisdem radicalibus, est *stercus egerere*, ut צַפְע, nomen, *stercus*, non tamen bovis, sed elephantis. Aethiopibus quoque *T'siph* est *stercus.* Quod hodienum illarum terrarum incolae iis in locis, ubi exigua vel nulla est ligni copia, excrementis utantur animalium ad solem siccatis, allatis pluribus testimoniis eorum, qui oras istas adiere, ostendimus in libro *das a. u. n. Morgenl.* P. IV. No. 1045. p. 313. וְעָשִׂיתָ *Ut facias*, coquas. Pro צֵפִיעֵי, ut est ad marginem, in textu alia Participii passivi forma, צְפוּעֵי legitur.

16. הִנְנִי שֹׁבֵר מַטֵּה־לֶחֶם *En! frangam baculum panis.* Non est sensus: tollam a pane vim nutriendi et sustentandi, ut quidam volunt; sed hic potius: tollam ipsum panem nutrientem, tollam fruges et frumenta, inducam sterilitatem, et annonae inopiam. *Baculus* s. *sustentatio panis* ex Hebraismo est panis sustentans. LUCRETIUS 4, 948. seqq.:

Et quoniam non est quasi quod *suffulciat artus*,
Debile sit corpus, langueseunt omnia membra,
Brachia palpebraeque cadunt, poplitesque procumbunt.

Cf. Jesaj. 3, 1. et ad cum loc. not. וְאָכְלוּ־לֶחֶם בְּמִשְׁקָל *Et edent panem cum pondere* scil. appensum, et quidem tenuiter; cf. Vs. 10. וּבְדָאָגָה *Et in moerore*, timebunt inter edendum, ne deficiat panis et aqua, solliciti de cibo temporis futuri. וּמַיִם בְּמִשּׂוּרָה וּבְשִׁמָּמוֹן יִשְׁתּוּ *Et aquam cum mensura et cum stupore*, horrore (cf. verbum Vs. 17.), *bibent.*

17. לְמַעַן יַחְסְרוּ לֶחֶם וָמַיִם *Propterea quod carebunt pane et aqua*, cibo et potu indigebunt. וְנָשַׁמּוּ אִישׁ וְאָחִיו *Et obstupescent vir et frater ejus*, unus ad alterum, omnes et singuli. וְנָמַקּוּ בַּעֲוֹנָם *Contabescent*, marcescent fame et siti, *iniquitate sua*, i. e. propter iniquitatem suam, ut Levit. 26, 39.

Cap. 5, 1. Quae hoc Capite proponitur parabola cum ejus explicatione (Vs. 5—17.), Eichhornius *(Bibl. Prophet.* P. II. p. 508.) statuit literis consignatam esse, quo tempore ad Chaboram nuntius esset perlatus, plures eorum, qui vastata Urbe remansissent in patria, migrasse in Aegyptum, Jerem. 43., permotus, uti videtur, iis quae Vs. 3. 4. leguntur, quae ad illos Judaeos respicere existimat. Sed vid. not. ad Vs. 3. fin. קַח־לְךָ חֶרֶב חַדָּה *Sume tibi ensem acutum.* חֶרֶב significat in genere omne instrumentum secans et acutum, ut *cultrum* Jos. 5, 3., sed h. l. *novaculam tonsorum* indicari, et res ipsa docet, et quod additur, תַּעַר הַגַּלָּבִים, quorum vocabulorum prius *novaculam*, ut Jesaj. 7, 20. Num. 6, 5., alterum, hoc solo loco obvium, *tonsores*, a verbo Aramaeis usitato גְּלַב, *rasit*, notare constat. וְהַעֲבַרְתָּ עַל־רֹאשְׁךָ וְעַל־זְקָנֶךָ *Et transire facias*, traducas illam *super caput tuum et super barbam tuam* מֹאזְנֵי מִשְׁקָל *lances ponderis*, i. e. qua res ponderari solent; non, ut quidam volunt, quae sint justi ponderis; eae enim מֹאזְנֵי־צֶדֶק vocantur infra 45, 10. וְחִלַּקְתָּם *Ut dividas eos*, scil. pilos resectos; suffixum relativum sine antecedente nomine, e contextu facile intelligendo, ut Num. 7, 89. Jon. 1, 3. Quidnam hoc prophetae facto symbolico significetur, Theodoretus indicat his verbis: *Gladius innuit ulciscendi facultatem; ademptio autem capillorum et barbae, decoris privationem; statera et pondera, divinae sententiae justitiam.* Hieronymus: „Quomodo in caesarie et barba pulchritudinis ac virilitatis indicium est, quae si radantur, foeda nuditas apparet, et universi corporis pars extrema, atque, ut ita dicam, emortua, in capillis atque pilis est; ita Jerusalem et populus eius emortuus, et a vivo Dei corpore separatus, fami ac pestilentiae et caedi, et gladio, captivitati ac dispersioni traditur.“ Sane apud priscos ingens probrum fuisse, barbam alicui praescindere, cognoscitur vel ex 2 Sam. 10, 4. 5., et quanto in honore et pretio hodiernum apud Arabes sit barbae decus, plurimus docet Arvieux in libro, quo Arabum Nomadum mores describit (a nobis in vernaculam linguam translato hac epigraphe:

die Sitten der Beduinen-Araber, Leipz. 1789. 8.) Cap. 7. p. 48. seqq. Cf. *das a. u. n. Morgenl.* P. III. No. 554. p. 133. Erat vero capillamenti et barbae abrasio et signum luctus, vid. Jerem. 41, 5. 48, 37.

2. שְׁלִשִׁית בָּאוּר תִּבְעִיר *Tertiam partem* pilorum *igne combures.* Famem et pestem in Hierosolymitana urbe, durante obsidione, significat, ut diserte infra Vs. 12. explicatur; nam et fames et pestis consumunt corpus instar ignis, conf. Thren. 5, 10. בְּתוֹךְ הָעִיר *In medio urbis.* Intelligunt alii urbem, in qua versatus est tum propheta, alii, in medio urbis Hierosolymitanae a propheta in latere delineatae. כְּמַלֹּאת יְמֵי הַמָּצוֹר *Postquam impleti fuerint* (ut Jerem. 25, 12. כְּמַלֹּאות שִׁבְעִים שָׁנָה) *dies obsidionis*, scilicet 390, quibus volui te decumbere ante laterem, in quo obsidionem urbis delineasti, supra 4, 5. 8. וְלָקַחְתָּ אֶת־ שְׁלִשִׁית הַשְּׁלִשִׁית הַכֵּה בַחֶרֶב *Dein capias tertiam partem, quam percutias gladio.* Significantur caedes, quibus hostes grassabuntur. סְבִיבוֹתֶיהָ *In circuitibus ejus*, urbis, הָעִיר, cujus mentio praecesserat, i. e. undiquaque, ut Vs. 5. 6. Syrus: *circa urbem.* וְשִׁלִשִׁית תְּזָרֶה לָרוּחַ *Et tertiam partem disperges in ventum*, i. e. uti Chaldaeus reddit, לְכָל־רוּחַ *in omnem ventum.* Quo praesignificavit Judaeos hue illue diffugituros, et incertis sedibus vagaturos, ut pili aut paleae, quae a vento disperguntur. Cf. Jesaj. 41, 16. וְחֶרֶב אָרִיק אַחֲרֵיהֶם *Et gladium evaginabo post eos* (cf. Levit. 26, 33.), stricto gladio eos persequar, ut sint in perpetuo metu, expositi omnium violentiae et injuriis. Chaldaeus: *et occidentes gladio immittam post eos.* KIMCHI haec refert ad illos, qui in Aegyptum fugiebant cum Jochanano, filio Kareah, Jerem. 43, 5—7. Alii ad eos, qui effugerunt in alias regiones, vel in Babylonem abducti sunt. Sed significatur in universum, nec illos, qui e vastata urbe effugerint, ab hostium persequentium gladio securos futuros esse.

3. וְלָקַחְתָּ מִשָּׁם *Accipies* tamen *inde*, scil. ex tertia parte, quae in ventum dispergenda erat. מְעַט בְּמִסְפָּר *Paucum in numero*, paucos aliquos pilos. וְצָרַרְתָּ אוֹתָם בִּכְנָפֶיךָ *Et colligabis eos in alis tuis*, i. e. in oris vestis tuae, ut Jerem. 2, 34. LXX: *τῇ ἀναβολῇ σου pallio tuo*, quod *ἀπὸ τοῦ ἀναβεβλῆσθαι, quod in utrumque humerum rejiceretur*, nomen illud graecum sortitum esse, docet Barlaeus ad Luciani Timon. Opp. T. I. p. 159., Bielio monente in Thesauro ad h. v. Bene Vulgatus: *in summitate pallii.* Et Symmachus: *ἐν ἄκρῳ τοῦ ἱματίου σου.* Paucis illis pilis, quos in pallii summitate propheta colligare jubetur, JARCHI designari existimat numerum admodum exiguum eorum, qui deportati Babelem vivi conservabantur. Alii, inter quos EICHHORN (*Bibl. Brophet.* P. II. p. 510.), intelligendos volunt illos, qui permissu Nebucadnezaris pauci admodum in Judaea manserunt. Vid. Jerem. 52, 12. seqq. HIERONYMUS eos, qui de

captivitate redituri sunt in Jerusalem, ait significari. Sed inanis est opera certis quibusdam eventis haec accommodare velle. Nam ex iis, quae infra Vs. 13. seqq. in explicatione actionis symbolicae, quae in quatuor hisce Versibus describitur, Vs. 3. 4. respondent, apparet, generatim iis Jovam praesignificare, se Judaeos ita penitus internecioni daturum esse, ut ne minima pars eorum superstes mansura sit.

4. וּמֵהֶם עוֹד תִּקַּח *Tandem de illis* pilis colligatis (Vs. 3.) *adhuc*, denuo nonnullos *capies*. בָּאֵשׁ — וְהִשְׁלַכְתָּ *Et conjicies illos ad medium ignis, et combures illos igne.* Quod ex paucis illis pilis, quos in summitate pallii sui colligarat, aliquot comburit, eo bellum civile inter Gedaliam et Ismaelem, quod fusius describitur Jerem. 40. seqq., significari volunt; qui motus civiles Chaldaeis occasionem praebuere auferendi e Judaea etiam minimum quemque, nec quemquam relinquendi, utve ulla essent rerum novarum semina; vid. Jer. 52, 30. Sed vid. quae ad Vs. 3. sub fin. diximus. מִמֶּנּוּ תֵּצֵא אֵשׁ אֶל־כָּל־בֵּית יִשְׂרָאֵל *Ex eo egredietur ignis ad omnem domum Israelis.* Ira Dei in totum populum exardesceet. Ignis quem succendet portendet maxima damna quibus afficientur Israelitae.

5. Jam sequitur explicatio facti symbolici, quod Vss. quatuor prioribus propositum est. זֹאת יְרוּשָׁלִַם *Hoc* s. *haec* civitas in latere delineata (Vs. 2.) est *Hierosolyma*, et illi pili Hierosolymitanos praecipue significant. בְּתוֹךְ הַגּוֹיִם שַׂמְתִּיהָ *In medio populorum posui eam*, veluti principem, in summo honore. וּסְבִיבוֹתֶיהָ אֲרָצוֹת *Et circa eam terras* et gentes alias. Judaeam, aut potius Hierosolymam, Judaei in ipso medio orbis terrarum sitam putarunt (vid. Buxtorfii *Lexic. Chald.* p. 854. et Jarchium ad h. l., ubi Hierosolymam באמצע עולם *in medio mundi* sitam esse dicit, nec non ad Cantic 7, 5.), ut Graeci Delphos, Phoebi sedem, quam Pindarus *Pyth.* 4. Stroph. δ. Vs. 8. πὰρ᾽ μέσον ὀμφαλὸν εὐδένδρου ματέρος, *ad medium umbilicum arborosae matris* positam canit. Unde apud Ciceronem de *Divinat.* L. II. Cap. 56. *O sancte Apollo, qui umbilicum certum terrarum obsides!* Et Ovidius *Metamorphos.* 10, 167. — *et orbe In medio positi caruerunt praeside Delphi.* Plura vid. in Relandi *Palaest.* L. I. Cap. X. et libr. nostr. *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. I. p. 150. seqq.

6. In verbis וַתָּמֶר אֶת־מִשְׁפָּטַי לָרִשְׁעָה explicandis negotium interpretibus facessit וַתָּמֶר, quod Chaldaeus et Syrus *commutavit* vertunt. Verum *mutandi* notionem habet verbum מור, unde וַתָּמֶר scriptum esse deberet. Nec perspicua satis atque idonea sententia est: *statuta mea mutavit in impietatem.* Alii, verbi מָרָה (cujus Futuri Hiphil forma apocopata est nostrum vocabulum, cf. וַיָּגֶל 2 Reg. 18, 11. a גָּלָה), notione vera, *rebellavit, immorigerum se exhibuit*, adscita, haec verba ita vertunt: *rebellis*

commutavit judicia mea in impietatem. Constructionem, quae *praegnans* dicitur, esse autumant, qua וַתָּמֶר subaudiendum sit, propter praepositum nomini רִשְׁעָה *Lamed.* Id vero h. l. potius *adverbialem* usum indicat, ut, quemadmodum לָבֶטַח *secure*, לְצֶדֶק *juste*, לְמַעְלָה, *supra*, *sursum* significant, ita לְרִשְׁעָה sit *impie* vertendum. מִשְׁפָּטִים *judicia* denotant et *statuta*, ad quorum normam judicia exercentur, ut Exod. 24, 3. Deut. 7, 11. Verbum מָרָה cum nomine construitur in Accusativo posito praemissa nota ejus אֶת, ut Num. 20, 24. Deut. 1, 26. 43. Quare verba nostra simpliciter sic reddenda sunt: *rebellavit adversus statuta mea impie.* מִן־הַגּוֹיִם *Prae populis*, i. e. magis quam alii populi. Cf. 2 Paral. 33, 9. *Fecit Manasse, ut aberrarent Judaei et incolae Hierosolymae, quo facerent malum magis quam gentes, quas perdiderat Dominus in conspectu Israelitarum.* Grotius: „Gentibus aliis deteriores fuerunt Judaei; illae enim ritus suos ab hominibus inventos melius observarunt, quam isti datos divinitus.“ וְאֶת־חֻקֹּתַי מִן הָאֲרָצוֹת אֲשֶׁר סְבִיבוֹתֶיהָ *Et* adversus *statuta mea* rebellavit *prae terris*, i. e. magis quam incolae *earum terrarum*, *quae circuitus ejus* sunt, i. e. quae terram Hebraeorum circumdant. כִּי בְמִשְׁפָּטַי מָאָסוּ *Nam judicia*, praecepta *mea contemnunt*, Verbum מָאַס infra 20, 13. cum Accusativo construitur, alias, ut 20, 16. Jer. 8, 9. Levit. 26, 43. cum ב, quasi: *fastidio affici in* s. *contra aliquid* וְחֻקֹּתַי לֹא־הָלְכוּ בָהֶם *Et statuta mea* quod attinet *non ambulant in iis*, ea non observant.

7. יַעַן הֲמֹנְכֶם מִן־הַגּוֹיִם אֲשֶׁר סְבִיבוֹתֵיכֶם *Propter tumultuari vestrum magis quam populi qui circa vos.* הֲמֹנְכֶם est Infinitivus verbi הָמַז, ejusdem, ut verisimile est, significationis cum הָמָה, *strepuit*, *tumultuatus est* (Infinitivum enim esse, non vero nomen, inde cognoscitur, quod *Cholem* formando Infinitivo, פָּקוֹד, inserviens, ante suffixum transit in *Kamez-Chatuph*, quum in nominibus Cholem maneat invariatum, ut קְדוֹשְׁכֶם, כְּבוֹדְכֶם), unde הָמוֹן *turba strepens*. *Tumultuari* vero h. l. est cum tumultu et fremitu in Deum insurgere, adversus eum rebellare, ut רָגַשׁ Ps. 2, 1., ubi cf. not. וּכְמִשְׁפְּטֵי הַגּוֹיִם אֲשֶׁר סְבִיבוֹתֵיכֶם לֹא עֲשִׂיתֶם Imo *et secundum statuta gentium quae circa vos* habitant *non egistis.* Infra 11, 12., ubi eadem haec verba repetuntur, negandi particula לֹא ante עֲשִׂיתֶם omittitur, et h. l. in pluribus codicibus, atque in Syriaca versione. Sed לֹא genuinum esse, vix est quod dubitemus. Nam altero illo loco 11, 12. mores gentium mali, hic quatenus boni, intelliguntur. Sensus est: ne omnibus quidem communes et naturae humanae insitas leges observatis. Vel: gentes vobis finitimae majori observantia et religione suos colunt deos, quam vos vestrum Deum. Nam illae, inquit Jarchi, non mutant Deos suos, qui tamen Dii non sunt; vos autem commutastis gloriam meam cum eo, quod non prodest. Conf. Jerem. 2, 10. 11.

8. הִנְנִי עָלַיִךְ *En! me contra te!* Chaldaeus: *ego mitto iram meam in te.* גַּם־אֲנִי *Etiam ego*, inquam, scil. contra te insurgam. וְעָשִׂיתִי בְתוֹכֵךְ מִשְׁפָּטִים לְעֵינֵי הַגּוֹיִם *Et faciam in medio tui judicia ad oculos gentium*, poenas tibi irrogabo conspicientibus omnibus populis, in tui ignominiam. Suffixa feminina in עָלַיִךְ et בְּתוֹכֵךְ respiciunt ad יְרוּשָׁלַם Vs. 5., quod, ut nomen urbis, feminei est generis, et quia urbs illa regni Judaici caput erat, ea pro Judaeis usurpatur, unde Vs. 7. Verba et Pronomina suffixa feminini generis alternant.

9. וְעָשִׂיתִי בָךְ *Et faciam in te*, Hierosolyma, Vs. 5. אֲשֶׁר לֹא־עָשִׂיתִי *Quae*, i. e. qualia *non feci*, scil. in gente alia. Sicut vos fecistis ea, quae non fecit gens alia, sic etiam ego in vos exercebo supplicia, qualia nec feci, nec facturus sum. Aequum enim est, puniri gravius, quibus majora contigerunt beneficia. וְאֵת אֲשֶׁר־לֹא־אֶעֱשֶׂה כָמוֹהוּ עוֹד *Et quod non faciam sicut illud adhuc*, i. e. quibus similia ultra non faciam, ut recte Vulgatus.

10. לָכֵן אָבוֹת יֹאכְלוּ בָנִים *Ideo patres comedent filios*, pro quo Chaldaeus posuit *carnem filiorum suorum;* ut mox pro אֲבוֹתָם idem *carnem patrum suorum*, in summa rerum omnium inopia et fame, qualis est in urbe ab hostibus obsessa. וְזֵרִיתִי אֶת־כָּל־שְׁאֵרִיתֵךְ לְכָל־רוּחַ *Et dispergam omne reliquum tui in omnem ventum*, in omnes mundi plagas, ut nusquam sint populus rempublicam habens. Hos. 3, 4. Metaphora ducta a tritico, quod exponitur vento, ut repurgetur, ut infra 12, 14. 17, 21. Jerem. 49, 32. 36. Kimchi: „Aliqui iverunt in Aegyptum, alii Babelem, et sic etiam ad Moabitas, Ammonitas, Idumaeos, atque in reliquas regiones. Conf. 2 Reg. 25, 26.“ Sed vid. quae supra sub fin. not. ad Vs. 4 monuimus.

11. חַי־אֲנִי *Vivo ego*, ita vivam, conf. not. ad Deut. 32. 20. אִם־לֹא *Si non*, q. d. non habear a vobis posthac Deus verus, si non יַעַן אֶת־מִקְדָּשִׁי טִמֵּאת *ideo quod Sanctuarium meum polluisti*, idolis in templo repositis a Manasse rege, vid. 2 Reg. 21, 4. 5. 7. בְּכָל־שִׁקּוּצַיִךְ וּבְכָל־תּוֹעֲבֹתָיִךְ *Omnibus tuis detestandis et abominandis*, idolis et eorum cultu, quae hac phrasi et 1 Reg. 11, 5. 7. 2 Reg. 23, 13. et saepius designantur. וְגַם־אֲנִי אֶגְרַע Ideo *et ego subtraham* scil. עֵינִי *oculum meum*, quod sequitur, coll. Job. 36, 7. לֹא־יִגְרַע מִצַּדִּיק עֵינָיו *non subtrahet*, deflectit, *a justo oculos suos*, non desinet ejus curam agere. Hic vero dicit Deus, se curam pro populo Hebraeo deponere. Sed pro אֶגְרַע legunt אֶגְדַּע *excindam* scil. te Hierosolymam, Orientales, i. e. Babylonii Judaei, exhibentque codices nonnulli et manu et typis descripti, nec non veteres interpretes. Sed videtur praeferendum quod in nostris codicibus exstat, utpote paulo difficilius explicatu; אֶגְדַּע *excindam* videtur alicujus male sedulae curae, sensum clariorem reddendi, deberi. וְלֹא־תָחוֹס עֵינִי *Nec parcet*

oculus meus. Parcere est animi, tribuitur vero *oculis*, quasi indicibus, ut infra 7, 4. 9. 8, 18.

12. שְׁלִישִׁתֵיךְ בַּדֶּבֶר יָמוּתוּ *Tertia pars tua peste morientur*, quae famem consequi solet. Cf. Vs. 17. 7, 15. וּבָרָעָב יִכְלוּ בְתוֹכֵךְ *Et fame consumentur* (ut Jerem. 16, 4.) *in medio tui*, o Hierosolyma. וְהַשְּׁלִשִׁית בַּחֶרֶב יִפְּלוּ סְבִיבוֹתָיִךְ *Et tertia pars gladio cadent in circuitibus tuis*, vid. Vs. 2. 17. וְהַשְּׁלִשִׁית לְכָל־רוּחַ אֱזָרֶה *Et tertiam partem ad omnem ventum*, in omnes coeli plagas, *dispergam* (Fut. *Piel*), cf. Vs. 2. 10. וְחֶרֶב אָרִיק אַחֲרֵיהֶם *Et gladium educam post eos*, stricto gladio et ipsos fugientes persequar, ut Vs. 2. 17. Chaldaeus: *et occidentes gladio immittam post eos.*

13. וְכָלָה אַפִּי *Sic consummabitur*, i. e. plene se exseret contra illos, *ira mea*, ut infra 7, 8. וַהֲנִחֹתִי חֲמָתִי בָם *Et quiescere faciam furorem meum in iis*, ut in iis diu haereat, nec cito transeat, ut infra 16, 42. 21, 22. וְהִנֶּחָמְתִּי Praeteritum Hithpael pro וְהִתְנַחַמְתִּי, *consolabor me*, quod alii pro promissione veniae habent, q. d. solatio quasi erectus obliviscar omnium peccatorum, quibus me ad iram concitarunt; sive, poena erit tanta, ut Deum quoque illius tandem poeniteat. Ita Chaldaeus: וַאֲסִיף *et finiam.* Alii pro *comminatione* habent, quod est contextui antecedentium et consequentium convenientius, hoc sensu: solatium capiam vindictam sumendo acceptae contumeliae, quomodo eadem phrasis Jesaj. 1, 24. sumenda. וְיָדְעוּ *Et scient* non illi, inquit Hieronymus, „qui consumti sunt fame et pestilentia, nec qui gladio ceciderunt in circuitu urbis, sed illi, qui dispergentur in omnem ventum; aliorum mortibus, suisque miseriis sentient iratum Deum, quem clementem sentire noluerunt.“ כִּי־אֲנִי יְהוָה דִּבַּרְתִּי בְקִנְאָתִי *Quod ego, Jova, loquutus sum in indignatione mea* קִנְאָה, a קָנָא, quod Arabibus *vehementius rubuit*, facie flammante quasi prae fervore, proprie *iram ferventem* in universum denotat, speciatim vero dicitur de vehementiore ira ea, quae ex zelotypia oritur, et de Deo usurpatum de ira ejus in populum Hebraicum concitata ejus perfidia, qua a Deo, tanquam ejus marito, defecit; vid not. ad Exod. 20, 5. Num. 25, 11. בְּכַלּוֹתִי חֲמָתִי בָם *In consummando meo*, cum consummavero *iram meam in iis*, ut 6, 12

14. וְאֶתְּנֵךְ לְחָרְפָּה *Et dabo te in vastitatem*, desolationem, cf. infra 35, 8. Jer. 7, 34., quam subsequutam esse testatur Jeremias Thren. 2, 1. seqq. וּלְחֶרְפָּה בַגּוֹיִם אֲשֶׁר סְבִיבוֹתָיִךְ *Et in opprobrium inter gentes quae circa te.* Cf. Jer. 24, 9. Kimchi: „quia erit terra ceterarum gentium habitata, tua autem vastata.“ לְעֵינֵי כָל־עוֹבֵר *Ad oculos omnis transeuntis*, pro quo supra Vs. 8. *ad oculos gentium* dixit.

15. וְהָיְתָה חֶרְפָּה וּגְדוּפָה *Ut sit* Hierosolyma *probrum et convitium*, probro et contumelia affecta. Loquitur de urbe modo

in secunda, modo in tertia persona, ob affectum concitatum; cf. Vs. 16. מוּסָר *Castigatio*, s. exemplum castigationis (Prov. 24, 32.), ut erudiantur gentes illius exemplo, et justitiam Dei ex poena ei inflicta agnoscentes discant inde non peccare. Cf. Deut. 29, 24. seqq. et infra 23, 48. וּמְשַׁמָּה וגו׳ *Et stupor gentibus quae circa te*, obstupescent ad tot et tanta mala, quae tibi accident. בַּעֲשׂוֹתִי בָךְ שְׁפָטִים *Quum faciam in te judicia*, cum poenas tibi irrogabo, ut Vs. 10. בְּתוֹכְחוֹת חֵמָה *Castigationibus excandescentiae*, irae, i. e. non castigatione qualis est filiorum, sed ultione tanquam hostium. אֲנִי יְהוָה דִּבַּרְתִּי *Ego, Jova, loquutus sum*, qui non revoco quae minatus sum.

16. בְּשַׁלְּחִי חִצֵּי הָרָעָב *Cum misero sagittas famis.* Quibus non est opus, ut cum Grotio intelligamus fulmina, ventos, procellas, locustas, aeruginem, quibus quasi sagittis Deus sternit segetes, famemque immittit. Sed fami ipsi tribuit tela, quod ea undique, instar hostis, cos premet, et quasi telis conficiet. הָרָעִים בָּהֶם *Cum mala in eos* misero, quae fames afferre hominibus solet, maciem et pestem. אֲשֶׁר־הָיוּ לְמַשְׁחִית *Quae sunt ad perdendum*, mortifera. אֲשֶׁר־אֲשַׁלַּח אוֹתָם לְשַׁחֵתְכֶם *Quae mittam ad perdendum vos*, mutata persona per affectum. וְרָעָב אֹסִף עֲלֵיכֶם וְשָׁבַרְתִּי לָכֶם מַטֵּה־לָחֶם *Et famem addam*, s. augebo, continuabo *super vos*, *et frangam vobis scipionem panis*, cf. not. ad 4, 16.

17. וְשִׁלַּחְתִּי עֲלֵיכֶם רָעָב וְחַיַּת רָעָה *Quumque ita emisero contra vos famem et bestiam malam*, i. e. bestias noxias, וְשִׁכְּלֵךְ *et orbam reddent te* incolis, Hierosolyma et Judaea, וְדֶבֶר וָדָם יַעֲבֹר־בָּךְ *et pestis*, s. *pestis quoque et sanguis transibit per te*, praeter pestem et mutuae caedes in te grassabuntur. וְחֶרֶב אָבִיא עָלַיִךְ *Atque gladium* quoque hostium *inducam super te*, quantum ad residuos tuos, aut fuga dilapsos. Hieronymus: „Bestias pessimas induci super terram solitudinis, quae fame et gladio, et peste vastata est, praesentia quoque ostendunt tempora, quando familiaria animalia canes in dominorum carnes rabie concitantur, et ursis ac lupis cunctisque aliis generibus bestiarum terra completur; pestilentiamque et sanguinem transire per eam, morbum gladiumque significat.“

III.

Vaticinium in Israelem infaustum.

CAP. 6.

Argumentum.

Montibus, collibus, omnibusque locis excelsis, fanis ac simulacris Deorum fictorum repletis, minatur vastitatem et stragem (Vs. 1–7.). Reliquias vero populi, qui videntes tantam stragem, ad Deum redibunt, se promittit servaturum (Vs 8—10.). Tum prophetae jubet Deus complosis manibus et pedibus terram pulsantibus significare iram et vindictam suam, qua populum Judaeorum variis malorum generibus totum conficiet (Vs. 11—14.).

2. שִׂים פָּנֶיךָ אֶל־הָרֵי יִשְׂרָאֵל *Pone*, converte *faciem tuam ad montes Israelis*, intelligunt aliqui totam Judaeam ac terram Israeliticam, montibus plenam (Deut. 3, 25. 11, 11.). Alii vero *montium* ideo putant fieri mentionem, quod in iis deorum simulacra collocata adorarent, cf. Jes. 57, 4. sqq. Jer. 3, 6. Hos. 4, 13. Ita Hieronymus ad Vs. 3.: „Montes Israel, qui simulacris daemonum fuerant occupati, non auribus, sed imperio ac potentia conditoris suum audiunt et intelligunt creatorem. — — Ad quos propheta loquitur, indicans idola destruenda, et aras, universasque caeremonias, quibus prius idolis servierunt, conterendas.“

3. לָאֲפִיקִים *Alveis* torrentium, i. e. convallibus. Vid. de hoc nomine not. ad Ps. 18, 16. Jes. 8, 7. Job. 6, 15. In vallibus quoque diis sacra facta fuisse, vel intelligitur inde, quod in valle filiorum Hinnom Molocho infantes cremari solebant, 2 Reg. 23, 10., cf. Jes. 57, 5. 6. et ad eum loc. not. edit. sec. וְאַבַּדְתִּי בָּמוֹתֵיכֶם *Et exscindam excelsa vestra*, i. e. altaria et sacella idolis in locis excelsis erecta. De nomine בָּמוֹת vid. not. ad Levit. 26, 30.

4. וְנִשְׁבְּרוּ מִזְבְּחוֹתֵיכֶם *Et destruentur altaria vestra*, in quibus falsis diis sacrificia obtulistis. וְנִשְׁבְּרוּ חַמְּנֵיכֶם *Et confringentur statuae vestrae soli consecratae*, quae nomine חַמָּנִים

a חַמָּן *sol* designantur ut in inscriptionibus Phoenicis בַּעַל חַמָּן *dominus*, i. e. *deus solaris* est. Vid. GESENII Praefat. ad Lexic. hebr. german. p. 30. Sunt, qui *templa* soli dedicata nomine hebraico significari existiment; sed *columnas* potius, sive *statuas* intelligendas esse, illud suadet, quod iis magis convenit verbum שָׁבַר h. l., et גָּדַע 2 Chron. 34, 4. 7. et infra Vs. 6. de illis usurpatum, neque *templa* aris imposita dici possint, ut 2 Chron. 34, 4. de חַמָּנִים legimus. וְהִפַּלְתִּי חַלְלֵיכֶם לִפְנֵי גִלּוּלֵיכֶם *Imo cadere faciam confossos vestros coram idolis vestris*, ut loca idolis sacra vestris cadaveribus polluantur. גִּלּוּלִים Hebraei fere a גָּלַל, גֵּל *excrementa, stercus*, idola quasi *stercorea* dicta ajunt, per contemtum et derisionem.

5. וְנָתַתִּי אֶת־פִּגְרֵי בְנֵי יִשְׂרָאֵל לִפְנֵי גִלּוּלֵיהֶם *Et reddam cadavera Israelitarum coram idolis eorum*, quod ipsum Levit. 26, 30. denunciatur. וְזֵרִיתִי אֶת־עַצְמוֹתֵיכֶם סְבִיבוֹת מִזְבְּחוֹתֵיכֶם *Et dispergam ossa vestra* per *circuitus altarium vestrorum*, ut intelligatis, nihil vobis profuisse idolorum cultum, neque ex illis opem aliquam aut auxilium habuisse in iis quae vobis illatae sunt calamitatibus.

6. בְּכֹל מוֹשְׁבוֹתֵיכֶם הֶעָרִים תֶּחֱרַבְנָה *In omnibus habitationibus vestris urbes vastabuntur.* Syrus: *et urbes totius sedis* i. e. regionis *vestrae vastabuntur.* וְהַבָּמוֹת תִּישָּׁמֵנָה *Et excelsa desolabuntur. Excelsis*, בָּמוֹת, intelliguntur tam arae, quam templa in locis editis exstructa, ex more gentium aliarum, cf. Jes. 17, 7. et not. ad Levit. 26, 30. לְמַעַן יֶחֱרְבוּ וְיֶאְשְׁמוּ מִזְבְּחוֹתֵיכֶם *Ut vastentur et desolentur altaria vestra.* Verbum אָשַׁם hic significatione convenit cum יָשַׁם, quod in priori Versus hemistichio, et שָׁמַם, ut Hos. 14, 1., ubi not. cf. J. H. MICHAELIS interpretatur: *in* ultionem *delicti devastentur*, quasi mixtae sint significationes radicum אָשַׁם *deliquit* et שָׁמַם *desolatus est.* Quod argutius. וְנִשְׁבְּתוּ וְנִמְחוּ מַעֲשֵׂיכֶם *Ut cessent*, aboleantur, *et deleantur opera vestra*, i. e. deorum fictorum simulacra et delubra, quae vestris manibus vobis fecistis.

7. וְנָפַל חָלָל *Cumque ceciderit confossus*, quod collective sumendum: cum ceciderint interfecti inter vos, וִידַעְתֶּם כִּי־אֲנִי יְהוָה *tum intelligetis, me esse Jovam*, i. e. me solum Deum esse omnium Dominum; idola autem deos esse vanissimos, nec cultores suos a vindicta Dei veri servare posse.

8. וְהוֹתַרְתִּי — בַּגּוֹיִם *Residuum tamen faciam* aliquid *dum fuerint vobis elapsi gladii inter gentes*, i. e. relinquam tamen ex vobis aliquot inter gentes, qui effugerint gladium. Cf. 12, 16. בְּהִזָּרוֹתֵיכֶם *Cum dispersi fueritis*, Infinitivus Niphal verbi זָרָה, more nominum pluralium flexus, pro בְּהִזָּרוֹתָכֶם.

9. וְזָכְרוּ פְלֵיטֵיכֶם אוֹתִי *Tum recordabuntur elapsi vestri*, i. e. qui e vobis elapsi fuerint, *mei*, i. e. ut recte Chaldaeus,

timoris mei, ad meum cultum redibunt. בַּגּוֹיִם אֲשֶׁר־נִשְׁבּוּ־שָׁם *Inter gentes ubi captivi ducti erunt*, Niphal verbi שָׁבָה, ut 1 Reg. 8, 47. Verba אֲשֶׁר נִשְׁבַּרְתִּי אֶת־לִבָּם הַזּוֹנָה quidam sic interpretantur: *quorum fractus sum corde scortante*, i. e. quorum animo a me averso et deorum fictorum cultui dedito, summo dolore sum adfectus, coll. Gen. 6, 6., ubi Deus dicitur *secum doluisse* (יִתְעַצֵּב אֶל־לִבּוֹ), quod hominem condiderit. Sed praestat, cum Vulgato, Syro et Chaldaco sic transferre: *contrivi*, vel potius, Praeterito accepto pro Futuro, ut in stylo prophetico frequentissime, *conteram* (propr. *fractum reddam*) *cor eorum scortans*, i. e. faciam, ut eos peccatorum poeniteat, id enim *corde fracto*, לֵב־נִשְׁבָּר, *et fractis corde*, נִשְׁבְּרֵי־לֵב, significari constat, vid. Ps. 34, 19. 51, 19. 147, 3. Jes. 57, 15. אֲשֶׁר־סָרָה מֵעָלַי *Quod* (cor eorum) *recessit a me*, i. e. Chaldaco interpretante, *a cultu meo*. וְאֶת עֵינֵיהֶם הַזֹּנוֹת אַחֲרֵי גִלּוּלֵיהֶם *Et quorum oculos scortantes post idola eorum* scil. נִשְׁבַּרְתִּי *ego fractos reddam*, i. e. dolore et tristitia afficiam. Verbis אֲשֶׁר נִשְׁבַּרְתִּי אֶת־לִבָּם הַזּוֹנָה in hemistichio priore, eo, quem indicavimus, sensu accepto, consonat, ex lege parallelismi quod subjicitur in altero hemistichio: וְנִקְשׁוּ *taedio afficientur*, s. taedebit eos (est enim Praeterit. Niphal verbi קוּט, cum Dagesch euphonico, vel formam geminantium secundam imitatur, quasi sit a קָטַט, quod tamen in usu non est). בְּפְנֵיהֶם referunt quidam ad deorum fictorum simulacra, *in conspectu eorum*, i. q. supra Vs. 5. לִפְנֵי גִלּוּלֵיהֶם. Sed rectius alii: *in vultu ipsorum*, i. e. ita ut taedium et pudor sese in vultu prodat; conf. infra 20, 43. וְנִקְטֻתֶם בְּפְנֵיכֶם בְּכֹל־רָעוֹתֵיכֶם אֲשֶׁר עֲשִׂיתֶם. Quod h. l. sequitur, אֶל־הָרָעוֹת, est vertendum vel: *ob prava*, אֶל pro עַל posito, ut mox infra Vs. 11. et Jud. 21, 6. *(poenituit Israelitas* אֶל־בִּנְיָמִן *propter Benjaminum)*; vel est constructio praegnans: respicientes *ad* prave facta. Ceterum eadem plane sententia expressa est Jer. 22, 22. Hos. 4, 19. אֲשֶׁר עָשׂוּ לְכֹל תּוֹעֲבוֹתֵיהֶם *Quae fecerunt secundum omnia abominanda eorum*, cultui abominandorum suorum idolorum convenienter. Dii commenticii vocantur תּוֹעֵבוֹת 2 Reg. 23, 13. infra 16, 36.

10. וְיָדְעוּ — הָרָעָה הַזֹּאת *Et intelligent*, experti sentient, *quod ego, Jova, non in vanum loquutus*, minatus *sum facturum me esse hoc malum.* Vel, secundum accentus: *et intelligent, me esse Jovam*, cujus minae non sunt inanes, ut infra Vs. 14.

11. הַכֵּה בְכַפְּךָ *Percute manu tua*, idem quod infra 21, 19. הַךְ־כַּף אֶל־כַּף *percute manum ad manum*, complode manus, in signum doloris et indignationis; vid. et infra 22, 13. וּרְקַע בְּרַגְלְךָ *Et pulsa* humum *pede tuo*, item gestus indignantis ob tanta flagitia. רָקַע propric notat *humum pulsare pede* ita ut facere solent qui pavimentum stipare volunt, cf. not. ad Gen. 1, 6. — וְאֱמָר אָהּ *Et dic: ah!* „Magnitudinem peccatorum jubetur propheta manibus pedibusque ac sermone monstrare, ut gestu corporis ac

indignatione vocis habitum stupentis mirantisque et plorantis ostendat. Quomodo enim, si quando novum aliquid mirandumque conspicimus, tam corpore, quam animo perhorrescimus, ita ut complodamus manus et pedes allidamus ad terram, et vocem inclinemus ad fletum; sic nunc oculis animi Propheta cernens ventura supplicia, ad universas abominationes malorum domus Israel loquitur quae sequuntur." HIERONYMUS: אֲשֶׁר בַּחֶרֶב בָּרָעָב וּבַדֶּבֶר יִפֹּלוּ *Qui*, Israelitae, ideo *per gladium, per famem et per pestem cadent*, interibunt.

12. הָרָחוֹק *qui procul aberit* scil. ab hoste, vel a patria. HIERONYMUS: „Qui obsidionem urbis effugerit et ad deserta migraverit." וְהַקָּרוֹב *Et qui prope fuerit*, quem igitur hostes adsequentur. וְהַנִּשְׁאָר *Et residuus* e peste. וְהַנָּצוּר *Et servatus*, scil. a gladio; est Participium Paul verbi נָצַר, ut Jes. 49, 6. נְצוּרֵי יִשְׂרָאֵל *servati Israelis*. Alii: *obsessus* in arce munita, quasi Participium sit Niphal verbi צוּר, Cholem commutato cum Schurek, ut Exod. 14, 3. נְבֻכִים *perplexi* a verbo בּוּךְ. Ita LXX καὶ περιεχόμενος. Chaldaeus: *et qui ingressus fuerit arces obsidionis*. HIERONYMUS: „Quem autem circumdederit hostilis exercitus, fame interibit et penuria." Sed praestat prius allata interpretatio, ut הַנִּשְׁאָר וְהַנָּצוּר sint *residui ac servati* a peste et gladio. וְכִלִּיתִי חֲמָתִי בָם vid. 5, 13.

13. מְזִבְחוֹתֵיהֶם — וִידַעְתֶּם *Et intelligetis*, *me esse Jovam*, potentissimum Numen, *cum fuerint confossi eorum in medio idolorum suorum per circuitus altarium eorum*. Alloquitur vates quos coram praesentes vidit, exules; sed Pronomina suffixa tertiae Pluralis personae respiciunt eos qui in Judaea relicti erant. Male LXX suffixa *secundae* Pluralis personae expresserunt. אֶל כָּל־ גִּבְעָה רָמָה *Super omnem collem altum*. אֶל i. q. עַל, ut infra 7, 16. 18, 6. 11. אֶל־הֶהָרִים, pro quo Vs. 15. עַל־הֶהָרִים. בְּכֹל רָאשֵׁי הֶהָרִים *In omnibus cacuminibus montium*. Communis pluribus antiquitatis populis ritus, *Deos coelestes* in montibus colendi, *religione insita, eos maxime locos propinquare coelo, precesque mortalium numquam propius audiri*, ut ait TACITUS *Annal.* L. XIII. C. 57. Exemplum antiquissimi temporis habemus in historia Balaki, Bileamum ex unius montis cacumine in aliud circumducentis, Num. 22, 41. 23, 14. 28., et recentioris in Juliano, Jovi saera faciente *in monte Casio, nemoroso, et tenui ambitu in sublime porrecto*, AMMIANO MARCELLINO referente L. XXII. C. 14. Conf. not. ad Levit. 26, 30. Judaeos falsorum deorum cultui deditos in montibus et collibus statas habuisse aras, liquet ex historia Jorami, 2 Chron. 21, 11. וְתַחַת כָּל־עֵץ רַעֲנָן *Et sub omni arbore viridi*. Lucos idolorum cultui saeratos significari, recte observat Hieronymus. Tales luci potissimum dicati erant cultui Astartes, s. Veneris. Vid. SELDENUM de *Diis Syris* Synt. II. Cap. 2. SPENCERUM de *Legib. Hebraeor. ritualib.* L. II. Cap 16.

Sect. II. Hinc saepius in V. T. idolorum aras et lucos aut arbores conjunctas reperimus; vid. Deut. 12, 2. (qui locus nostri prae caeteris similis), 2 Reg. 16, 4. 21, 3. Jes. 17, 8. 27, 9. infra 20, 28. וְתַחַת כָּל־אֵלָה עָבְתָה *Et sub omni terebintho densa.* אֵלָה s. אֵלוֹן esse *terebinthum*, pluribus ostendit MICHAELIS in *Supplemm.* p. 72. sqq. Cf. et Hos. 4, 13., et libr. nostr. *Bibl. Naturgesch.* P. I. p. 229. מְקוֹם — גְּלוּלֵיהֶם *Loco quo dant odorem acquiescentiae*, i. e. delectationis, suavitatis, *omnibus idolis suis*, i. e. ubi in eorum honorem *thura rodolentia*, ut Vulgatus reddidit, incendunt. De רֵיחַ נִיחֹחַ vid. not. ad Gen. 8, 21. Ad rem cf. infra 8, 11. 16, 18.

14. וְנָטִיתִי אֶת־יָדִי עֲלֵיהֶם *Et extendam manum meam contra eos.* Chaldaeus: et *elevabo plagam potentiae meae contra eos.* דִּבְלָתָה — וְנָתַתִּי *Et dabo*, reddam, *hanc terram vastitatem et desolationem a deserto Diblam usque.* Sed urbis Diblae nomine quum alias nulla fiat mentio, satis probabiliter conjecit J. D. MICHARLIS in *Supplemm.* p. 2229., legendum esse רִבְלָתָה (cum *Resch*), quod exstat in quatuor a Kennicotto commemoratis (a De-Rossio praetermissis) codicibus. Est vero *Riblah* urbs antiquissima et nobilissima, jam Numer. 34, 11. memorata, a qua borcales Palaestinae fines incipiunt. Mentio fit hujus urbis et 2 Reg. 23, 33. Jer. 39, 5. 52, 10. Cf. libr. nostr. *Bibl. Geogr.* Vol. I. P. II. p. 273. Nomini vero hebraico additum ה est *locale*, unde haec prodit sententia, *vastatum iri Palaestinam a deserto inde, quod ei ab Oriente et Meridie est, Riblam usque, terminum ejus borealem.* Mendum si sit דִּבְלָתָה (cum *Daleth*) perquam antiquum est, quum veteres interpretes unanimi consensu ita legant. Diblam vero aliqui non diversum putant ab urbe Moabitarum בֵּית דִּבְלָתַיִם, cujus mentio facta Jer. 48, 22., sive דִּבְלָתַיִם Num. 33, 46., et sita ad fines immanis deserti. EPHREM: *Deblath est Daphne, prope Antiochiam.* Scholiastes Graecus ad Jer. 52, 9. Ἡμὰθ ἡ νῦν καλουμένη Ἀντιόχεια. Δεβλαθὰ δὲ τὸ αὐτῆς προάστειον ἡ Δάφνη. Grotius מ aute מִדְבָּר comparativum indicare putat, ut ita sit vertendum: *faciam terram Judaeam desolatiorem et magis vastatam quam desertum Deblatha.* Ita jam Syrus interpres: *et faciam hanc terram vastatam magis quam terram Deblatha.* Sed esse *Riblam* h. l. legendum, jam Hieronymi tempore multis verisimile erat. Ad בְּכֹל מוֹשְׁבוֹתֵיהֶם vid. Vs. 6., et ad וְיָדְעוּ כִּי־אֲנִי יְהוָה ad Vs. 7.

IV.

Vaticinium de terra Israelitica prorsus devastanda.

CAP. 7.

Argumentum.

Annunciat vates proxime impendens toti terrae Israeliticae exitium, quo Deus tot tantaque Israelitarum scelera sit vindicaturus (Vs. 2—11.); summamque tunc futuram universi populi consternationem, perturbationem atque ad resistendum impotentiam describit (Vs. 12—19.). Aurum et argentum avare collectum, et quaecunque hominibus cara et sancta sint, praedae crudelissimorum hostium futura minatur (Vs. 20—22.). Quarum calamitatum denunciationem eo terminat, ut superstites signo confectae a se, divino jussu, catenae, vinciendos et captivos abducendos significet (Vs. 23—27.).

2. Post בֶּן־אָדָם subaudiendum אָמַרְתָּ sive אֱמֹר (expressum supra 6, 2. 11. et alias), et h. l. expresserunt LXX per εἰπὸν. לְאַדְמַת יִשְׂרָאֵל קֵץ *Terrae Israelis finis* scil. venit s. imminet (Vs. 3. 6. Thren. 4, 18.), i. e. reipublicae Judaicae. בָּא הַקֵּץ עַל־ אַרְבַּעַת כַּנְפוֹת הָאָרֶץ *Venit*, inquam, *finis super quatuor alas*, i. e. oras *terrae;* i. e. super totam Judaeam. Cf. eandem phrasin Ies. 11, 12. Job. 37, 3., ubi de orbe terrarum usurpatur; hic vero de sola terra Hebraeorum capiendam esse, docent quae sequuntur, et recte vidit Hieronymus: „Post comminationem montium Israel [Cap. 6.] ad omnem terram Israel, sive decem, sive duodecim tribuum sermo propheticus dirigitur, et nequaquam Propheta futura praenuntiat, sed jam ingruentem videt captivitatem. Quinto enim anno Sedeciae coepit Ezechiel in Babylone prophetare captivis, et anno nono venit Nabuchodonosor et obsedit Jerusalem, cepitque eam anno undecimo Sedeciae. Ex quibus perspicuum est, venisse finem et appropinquasse, non super montes et colles, rupesque et valles, sed super quatuor plagas terrae ex omni parte Israel, non omnis terrae; quod si dixisset, de toto mundo credi poterat, sed terrae simpliciter, quod significat Israelis."

3. עַתָּה הַקֵּץ עָלָיִךְ *Nunc finis super te*, tibi imminet. וְשִׁלַּחְתִּי אַפִּי בָךְ *Et emittam*, effundam enim *iram meam in te.* וְשָׁפַטְתִּיךְ כְּדַרְכָּיִךְ *Et judicabo te secundum vias tuas*, poenas tibi pro meritis infligam. וְנָתַתִּי עָלַיִךְ אֶת כָּל־תּוֹעֲבֹתָיִךְ *Ponam super te omnes abominationes tuas*, ut in caput tuum earum poena recidat, cf. Jer. 13, 40. Alii: *contra te*, tanquam accusatores tuos coram me judice.

4. וְלֹא־תָחוֹס עֵינִי עָלַיִךְ *Nec parcet oculus meus super te*, cf. not. supra ad 5, 11. Idem statim sic exprimit: וְלֹא אֶחְמוֹל *nec clementia utar.* כִּי דְרָכַיִךְ עָלַיִךְ אֶתֵּן *Nam vias tuas super te ponam*, quae mala tua vivendi agendique ratione commeruisti, tibi rependam. וְתוֹעֲבוֹתַיִךְ בְּתוֹכֵךְ תִּהְיֶינָה *Et abominanda tua in medio tui erunt.* *Abominandis* simul corum poenas comprehendit, quas quum dicit *in medio ejus* fore, illas gladii instar, viscera dissecantis et acerbissimo dolore diserueiantis, denuntiat inter ipsos grassaturas. Alii: poenae erunt omnibus manifestae ac conspicuae. Sunt, qui subaudito ב ante תּוֹעֲבוֹתַיִךְ, atque אֲשֶׁר ante בְּתוֹכֵךְ, ita hebraea transferant: *et secundum abominanda tua, quae in medio tui* perpetrata *fuerunt*, scil. עָלַיִךְ אֶתֵּן *tibi rependam.* Quod minus placet.

5. רָעָה אַחַת *Malum unum*, s. *unicum*, i. e. singulare et maximum funestissimumque, cui simile non datur, coll. supra 9, 9. *Et faciam in te*, *quod non feci.* Arabes etiam suum אחדי *unicum*, de *re gravi* et *miranda*, de casu atroci usurpare solent. Alii *malo uno* talem intelligunt calamitatem, qua totus populus, quasi fulmine ictus, profligetur, ut non opus sit altera. Sic *semel* capitur pro *perfecte* 1 Sam. 26, 8. *Perfodiam eum* (Saulem) *lancea* פַּעַם אַחַת *unica vice*, וְלֹא אֶשְׁנֶה לוֹ *nec repetam ipsi* scil. ictum, i. e. ut secundo non opus sit. Sunt, qui verba רָעָה אַחַת cum proximis רָעָה תִּנָּה בָּאָה conjungant hoc sensu: *malum unum* et *malum* scil. alterum *ecce venit*, i. e. malum malo succedit. Sed praestat primo loco allata interpretatio. —

6. הַקִּיץ אֵלַיִךְ *Evigilavit ad te*, s. *contra te* scil. Deus, sive, pernicies, quae per prosopopoeiam tanquam homo inducitur, qui e somno excitatus improviso in hostem irruit.

7. In verbis בָּאָה הַצְּפִירָה אֵלַיִךְ interpretandis difficultatem creat nomen צְפִירָה, praeter hunc locum, et infra Vs. 10. semel duntaxat, Jes. 28, 5., in V. T. obvium. Jesajano quidem loco *coronam*, *cidarim* (arab. צפר *plexuit)* notare, dubio caret, quum quod ibi in hemistichio priori עֲטֶרֶת צְבִי vocatur, idem in altero hemistichio צְפִירַת תִּפְאָרָה dicatur. Eodem significatu qui nomen hebraeum h. l. usurpatum volunt, *coronae* imagine *regem* hostium, Chaldaeorum, Nabuchodonosorem innui existimant. Simplici tamen *coronae* imagini videtur in gravi comminatione, qualis h. l. et infra Vs. 10. locus esse minus idoneus. Sed recte Hebraeorum aliqui nomini צְפִירָה *circuli* significatum tribuunt (propter

coronae s. cidaris similitudinem), unde sic vertunt: *venit ad te circulus*, i. e. jam te ordo fati, et quidem adversi, tangit. Similiter Arabibus nomen دائرة, *circulus, orbis*, usurpatur de *conversione, periodo fortunae*, praesertim *adversa*. Ita in Corano Sur. 48, 6. عليهم دائرة السوء *super eos* erit *circulus*, orbis, *mali*. Pro אֵלַיִךְ exhibent אֲלֵיכִי cum suffixo femin. pauci quidam codices, probante De-Rossio, scilicet quod Vs. 6. אֵלַיִךְ de eadem persona, populo Judaico, praecessit. Sed quis nescit, nil frequentius esse prophetis, quam *de populo* in eodem orationis tenore, nunc quasi de viro, nunc quasi de femina loqui? יוֹשֵׁב הָאָרֶץ *O incola hujus terrae!* בָּא הָעֵת *Venit tempus* sc. fatale, calamitosum, ut Jes. 13, 22. Jer. 27, 7. קָרוֹב הַיּוֹם מְהוּמָה pro קָרוֹב הַיּוֹם יוֹם מְהוּמָה *Propinquus* est *dies illa* fatalis (cf. Vs. 10.), *dies*, inquam, *tumultus*, i. e. stridoris horrendi tam hostium irruentium quam hominum trucidatorum. Ante nomen מְהוּמָה repetendum est יוֹם sine articulo, in statu regiminis. וְלֹא הֵד הָרִים *Non autem vociferationis montium*, i. e. non personabunt montes festis clamoribus, sed clamoribus hostium ululatu planctuque occisorum permixtis. הֵד non videtur significatione differre ab הֵידָד, quod Jes. 16, 9. 10. Jer. 25, 30. 48, 33. de lactis vociferationibus uvas colligentium et calcantium dicitur. Utrumque nomen derivatum ab הדד, quod Arabibus de *sono graviore* usurpatur. Hoc loco non tam ovationes et lactos clamores vindemiatorum intellexerim, quam choreas agentium festis diebus in honorem deorum fictorum, qui in montibus et locis excelsis colebantur, vid. supra 6, 3. 13.

8. עַתָּה מִקָּרוֹב אֶשְׁפּוֹךְ חֲמָתִי עָלָיִךְ *Nunc* enim *e propinquo*, i. e. brevi (ut Deut. 32, 17. Job. 20, 5.) *effundam indignationem super te.* „Si a quinto anno transmigrationis regis Jechoniae, usque ad nonum annum regni Sedeciae, quando venit Nabuchodonosor, et obsedit Jerusalem, supputare voluerimus, tres anni erunt medii. Unde recte dicitur: *Nunc de propinquo effundam iram meam super te.* Nequaquam tibi ventura praedicam, nec comminabor, quae longe post futura sunt; nunc in te complebo furorem meum.“ Hieronymus. וְכִלִּיתִי אַפִּי בָךְ *Et consummabo iram in te.* Cf. 6, 12. Chaldaeus: *et quiescet ira mea in te.* וְשָׁפַטְתִּי כִּדְרָכָיִךְ *Et judicabo te secundum vias tuas*, rependam tibi secundum facta tua. וְנָתַתִּי עָלַיִךְ וגו׳ Vid. Vs. 3. 4.

9. וְיָדַעְתֶּם כִּי אֲנִי יְהוָה נֹכֶה *Ut cognoscatis, me esse Jovam*, qui *percutit.* Hoc singulare addit Versui quarto hic repetito, tale fore istud judicium, ut omnibus appareat, non forte fortuna, aut per communem aliquam proterviam, ut aliis gentibus, irrogari ipsis plagas, sed ab eo numine, quod non ut Deum suum agnoscebant.

10. הִנֵּה הַיּוֹם *En!* praesto est *dies* supplicii. הִנֵּה בָאָה *Ecce advenit* malum, רָעָה, praedictum Vs. 5. 6. וְצָאָה הַחֹטֶר

Exit, prodit *orbis* fati, fatum tibi adversum, quod hic cum planta e terra prodeunte comparatur, uti docent verba quae sequuntur, item a plantis desumta. De voce צְפִירָה vid. ad Vs. 7. צָץ הַמַּטֶּה *Effloruit virga* ad percutiendum vos. HIERONYMUS: „Floruit virga, quae multo vobis tempore minabatur, et de flore fructum plagarum protulit.“ Cf. geminam huic imaginem Jes. 10, 5., ubi hostis Assyrius virgae comparatur, qua Dominus utitur ad castigandos Israelitas. פָּרַח הַזָּדוֹן *Effloruit insolentia*, qua nonnulli intelligunt Israelitarum fastum et proterviam, divina atque humana promiscua, nihil pensi neque moderati habentium, ut Jerem. 49, 16. Prov. 11, 2. Sed docet res ipsa, significari insolentiam hostium, Judaeos male tractantium, poenarum iis infligendarum exsecutorum.

11. הֶחָמָס קָם לְמַטֵּה־רֶשַׁע *Violentia exsurgit virgae impietatis.* הֶחָמָס, ut Versu superiore הַזָּדוֹן, dissentiunt interpp., num de *violentia* hostium Israelitis immittendorum (coll. infra Vs. 21. 24.), an vero de *violentia* Israelitarum inter se invicem sit intelligendum, quo quidem sensu aperte sumitur infra Vs. 23. Ita JARCHI: „*Violentia*, qua vos utimini, *insurget* contra vos *in baculum impietatis* ad perdendum vos.“ Ita violentia sistetur tanquam radix emittens surculos scelerum, qui tandem crassescunt in virgas, quibus ipsamet castigetur. Nec indigna, quae commemoretur, COCCEJI interpretatio: „Violentia et iniquitas vestra excrescit in *virgam* s. sceptrum *improbitatis*, gignit dominationem improbi in vos; propria violentia deducet vos sub regnum improbi et crudelis tyranni, ita ut ea calamitas videatur ex vestris injuriis effloruisse.“ Concinit infra Vs. 21., ubi Israelitae tradendi dicuntur לְרִשְׁעֵי הָאָרֶץ. Erit igitur מַטֵּה־רֶשַׁע i. q. שֵׁבֶט הָרֶשַׁע Ps. 125, 3., et מַטֵּה רְשָׁעִים Jes 14, 5., cui in altero hemistichio respondet שֵׁבֶט מֹשְׁלִים *sceptrum tyrannorum.* Simplicior tamen GROTII interpretatio: *Exsurgit violentia*, i. e. hostis violentus et crudelis, *in* s. *adversus tribum impiam*, tribum Juda, Judaeos. לְ hic *in*, *adversus*, *contra*, valet, ut Jer. 1, 18. Obad. Vs. 5. et alias saepe. מַטֶּה vero, ut שֵׁבֶט, de populi Hebraei tribubus usurpari constat, veluti Num. 1, 49. Jos. 13, 29. Illum sensum expressit Chaldaeus: *direptores surgunt ad visitandum impios.* In verbis לֹא מֵהֶם וְלֹא מֵהֲמוֹנָם *non ex iis*, *nec e multitudine eorum* explicandis variant iterum interpretes, aliis ad *Judaeos*, aliis ad *Chaldaeos* haec referentibus. Et hi quidem hoc sensu: incrementa haec imperii et potestatis *non ex iis* proveniunt, *neque ex multitudine* populorum, *neque ex strepitu* et tumultu exercituum, sed ex Deo, qui illos fecit flagellum vestrum. COCCEJUS: „Ostendit propheta, id regnum extraneum esse, ideo dicit, *non* esse *ex ipsis*, et distincte, *neque ex multitudine eorum*, quemadmodum multi reges in decem tribubus ex multitudine exstiterant, *neque ex strepente ipsorum*, quo fastus regum filio-

rum Davidis innuitur, sed alium Regem et alios (extraneos) dominos obtinuisse in ipsos potestatem.“ Nobis concinnius videtur ad *Judaeos* haec referre, ut sit sensus: *non* remanebit aliquis *ex iis* immunis a malo, sive superstes, neque *ex multitudine ipsorum*, et quae sequuntur. Sic JARCHI: „Sie dicit Dominus ad perditorem: opus non est, ut relinquas ullum intactum, nihil enim boni exspectandum *ex iis*, *ex filiis et turba eorum.*“ וְלֹא מֵהֲמוֹנָם *Nec e multitudine eorum*, i. e. plebe, ut Jes. 5, 13. 14. 31, 4. Alii: Ex multitudine *divitiarum* ipsorum; de quibus sane nomen hebraicum usurpatur Ps. 37, 16. Coh. 5, 9. מֵהֲמֻלָּם propr. *ex strepitibus ipsorum* (pro מֵהֲמֻלֵּיהֶם nomen plurale הֲמֻלִּים ab הָמַל *tumultuatus fuit, strepuit*), i. e. turba, plebe. Alii: *ex streperis ipsorum*, i. e. magnatibus, qui cum strepitu comitantium incedunt. Hebraei putant esse ex geminato Pronomine הֵם, quasi וְלֹא מֵהֶם אֲשֶׁר מֵהֶם *neque ex illis qui ab ipsis sunt*, i. e. liberis, posteris. Hinc Chaldaeus: *nec ex filiis eorum.* In iis quae sequuntur, וְלֹא־נֹהַּ בָּהֶם, Hebraeis interpretibus נֹהַּ est nomen formae שֹׁד, quod ut a verbo secundam radicalem geminante, שֹׁדַד, deductum est, ita נֹהַּ volunt a נָהַּ *lamentatus est*, Mich. 2, 4. *lamentum* significare, ut sit vertendum: *nec luctus in iis*, quod KIMCHI sic explicat: ob multitudinem calamitatum vivi non deflebunt mortuos, q. d. tanta erit morientium multitudo, et tanta superstitum calamitas, ut vivi mortuos non lugeant, atque mortui careant decenti sepultura, collata simili sententia Jer. 16, 4—7., ubi summos aeque ac infimos propheta minatur funesta morte occubituros, nemine eos plangente, aut calvitium sibi propter eos inducente. Sed Mappik literae *He* insertum, ultimam radicalem ה arguit non ex י ortum (nam נָהָה est pro נָהַי, vid. N. G. SCHROEDERI *Institt. L. H.* Reg. 82.) et quiescentem, sed mobilem, adeoque nomen נֹהַּ ad radicem נוּהַ esse referendum, cujus significationem docet arabicum נאה (נוה), *elata fuit res*, *eminuit* v. c. aedificium, *magnificus fuit*, *validus*, *intrepidus*, *generosus fuit* animus, unde hebraeam vocem *rem magnificam*, *praestantem*, *decoram* notare apparet. Summa insolentia et superbia elatos minatur orbandos spoliandosque omnibus illis, de quibus intolerantissime gloriabantur, ornamentis ac praesidiis.

12. בָּא הָעֵת *Venit tempus* tibi fatale, vid. Vs. 7. Chaldaeus: *venit tempus retributionis peccatorum.* הִגִּיעַ הַיּוֹם *Pertigit*, advenit *dies* (de tempore appropinquante verbum הִגִּיעַ in serioribus V. T. libris usurpatur, vid. Cantic. 2, 12. Cohel. 12, 1. Esth. 2, 12 15.), i. e. proxime instat, et certissime veniet. *Praeteritum propheticum*, ut Jes. 5, 12. 9, 2. Jer. 15, 7. Cf. STORRII *Observatt.* p. 163. sq. Chaldaeus: *propinquus est dies ultionis delictorum.* הַקֹּנֶה אַל־יִשְׂמַח *Acquirens* s. emtor (ut Prov. 20, 14.) *ne laetetur*, quia re emta non fruetur, quippe quam praedabuntur Chaldaei, et ita pecuniae jacturam faciet. וְהַמּוֹכֵר אַל־

וְהָאֹבֵל *Et venditor ne lugeat*, quod scilicet ex inopia vendere cogatur, et ad tempus, tanquam non habens haereditatem, inter suos versetur (cf. Neh. 5, 3. 4.) quia, etsi non vendidisset, tamen perdidisset. Sic pauperis et divitis eadem sors erit. כִּי חָרוֹן אֶל־כָּל־הֲמוֹנָהּ *Quia excandescentia in universam multitudinem ejus* urbis et regionis. „Quia ira Dei in brevi ventura sit super omnem multitudinem terrae Judaeae, sive Jerusalem. Ex superioribus enim intelligitur, in quibus scriptum est: *haec dicit Dominus terrae Israel* etc.“ HIERONYMUS.

13. כִּי הַמּוֹכֵר אֶל־הַנִּמְכָּר לֹא יָשׁוּב *Nam venditor ad rem venditam non revertetur.* „Juxta Hebraicum morem loquitur. Omnis enim emtio ad venditorem revertebatur quinquagesimo anno remissionis, qui apud illos vocatur Jubilaeus (Levit. 25, 10. 13.). Ante igitur, quam annus remissionis adveniat, quando possessiones ad priores dominos revertuntur, ingruet captivitas, quae omnem urbis auferet consuetudinem.“ HIERONYMUS. וְעוֹד בַּחַיִּים חַיָּתָם *Etiamsi adhuc sit inter vivos vita ipsorum*, i. e. etsi vivi ad Jubilaeum usque manebunt, non tamen repetent vendita, quia in aliorum erunt potestate, et ipsi in peregrina terra. כִּי־חָזוֹן *Nam visio*, i. e. vaticinium hoc, et poenae denuntiatio, in visione mihi a Deo demandata. Observa paronomasiam inter חָרוֹן אֶל־כָּל־הֲמוֹנָהּ Vs. 12. et חָזוֹן אֶל־כָּל־הֲמוֹנָהּ h. l. אֶל *ad* sc. directa, i. e. *contra* universam ejus multitudinem. לֹא יָשׁוּב *Non redibit*, sc. vacua eventu, aut irrita, sed perficietur, cf. eandem phrasin Jes. 45, 23. 55, 11., et similes Num. 23, 20. Jes. 43, 13. Metaphora est a sagitta, quae cum non perforat scopum, resilit inani ictu; vel a legato aut satellite, qui re infecta ad dominum revertitur. Alii: *quia visio* prophetarum erat *ad omnem populum ejus*, ad poenitentiam eum revocans, *nec tamen convertebat* se. Prius allatum sensum commendat mos loquendi. Illum et Hieronymus expressit: „Quomodo possessio non revertetur ad priorem dominum, eversione urbis instante; sic visio et comminatio prophetalis, quae ad omnem multitudinem urbis dirigitur, nequaquam regredietur et irrita fiet, sed rebus explebitur, viventibus adhuc his, ad quos prophetalis sermo dirigitur. Hoc autem ait, ut ostendat imminentem captivitatem, ne secundum consuetudinem dicerent: visio haec in longos dies erit, et post tempora multa complebitur.“ וְאִישׁ בַּעֲוֹנוֹ חַיָּתוֹ לֹא־יְתַחַזֵּקוּ *Et quisque, cujus est vita* (ellipsis relativi saepius obvia) *in iniquitate sua, non confortabunt sese*, ut possint consistere contra hostes (cf. 2 Sam. 10, 12. חֲזַק וְנִתְחַזַּק בְּעַד עַמֵּנוּ), opesque suas ab iis tueantur atque retineant. Nomini singulari, sed *collectivo* אִישׁ, verbum plurale adjungitur ob distributionem, ut saepius fit. Vel potest, non subaudito אֲשֶׁר, simpliciter sic verti: *nemo per iniquitatem vitae suae sese confortabit*, sed cadet hostibusque succumbet. Ita redundabit pronomen priori nomini adfixum, more Aramaco

(vid. J. D. MICHAELIS *Grammat. Syr.* p. 288.); ut Job. 29, 3., ad quem loc. vid. not.

14. תָּקְעוּ בַתְּקוֹעַ *Clangent clangendo*, s. *clangore*, i. e. classicum canant, ut milites convocentur adventanti hosti obviam processuri. „Jubentur per ironiam hi, qui huic officio mancipati sunt, tuba clangere, ut omnes contra Babylonium pareatur exercitum.“ HIERONYMUS. Non sunt audiendi, qui nomen verbo h. l. additum pro nomine proprio urbis *Thecoa* in tribu Juda habent, ut sit vertendum: *clangent in Thecoa* (coll. Jerem. 6, 1. וּבְתְקוֹעַ תִּקְעוּ שׁוֹפָר *et in Thecoa clangite tuba*), nam hoc nomen per Scheva ab initio scribitur, vid. et 2 Sam. 14, 2. Amos. 1, 1. Est igitur Infinitivus absolutus, nominaliter positus cum articulo; similis loquendi forma נֵלְכָה הָלוֹךְ *eamus eundo* Zachar. 8, 21., מָלֹךְ תִּמְלֹךְ *regnando regnabis*, 1 Sam. 34, 21. וְהָכִין הַכֹּל *Et praeparando* scil. praeparabunt s. praeparent *omnia* (cf. N. G. SCHROEDERI *Instit. L. H.* Syntax. Reg. 54. b. et GESENII *Lehrg.* p. 782.), quae ad bellum requiruntur; de apparatu bellico idem verbum Nah. 2, 4. usurpatur. וְאֵין הֹלֵךְ — אֶל־כָּל־הֲמוֹנָהּ *Sed non erit iens ad bellum*, nemo erit qui pugnare audeat, *quia ira mea ad*, contra *omnem multitudinem ejus*, vid. Vs. 12.

15. מִבַּחוּץ — הַחֶרֶב *Gladius foris*, in agris, *et pestis ac fames intus*, in urbe, ut sequitur. אֲשֶׁר — יֹאכְלֶנּוּ *Qui in agro* erit, *gladio morietur, et qui in urbe, eum fames et pestis consumet*; cf. 5, 12. 6, 12.

16. וּפְלִיטֵיהֶם וְהָיוּ אֶל־הָהָרִים *Et* si, quodsi etiam *evaserint* (Kal hoc solo loco usurpatur, Piel frequentius) *evasores* quidam *ex ipsis*, *erunt* tamen *super montibus* et rupibus, quae loca habitationibus incommoda petent, vitae suae conservandae causa. כְּיוֹנֵי הַגְּאָיוֹת *Sicut columbae convallium*, quae nempe metu aucupis, aut accipitris, naturali sede deserta, coguntur alio secedere, ut vitae suae consulant. כֻּלָּם הֹמוֹת *Omnes illi gementes*, est enim in voce columbae aut turturis aliquid querulum et gemebundum, unde VIRGILIUS *Eclog.* 1, 58. *Nec gemere aëria cessabit turtur ab ulmo.* Similiter Omijah (אמיה), vetustus Arabum poeta, Muhammedi aequalis, sed ei infensus, ex cujus lesso in gentis suae nobiles, qui in proelio Bedrensi occubuerunt, ABULFEDA in *Annal.* T. I. p. 88. 90. haec adfert: *Ah! deploro nobiles, nobilibus natos, dotibus laude dignis praeditos, quemadmodum plorant columbae super densarum arborum cacuminibus, in ramis lentis, plorant tristes, moerore oppressae, quando cum aliis vespere redeunt* (ad nidos pullis vacuos). אִישׁ בַּעֲוֹנוֹ *Vir in iniquitate sua*, unusquisque propter iniquitatem suam, cujus poenas nunc luit.

17. כָּל־הַיָּדַיִם תִּרְפֶּינָה *Omnes manus remissae erunt* prae metu. Nullae erunt in iis vires propter maximam consternationem. וְכָל־בִּרְכַּיִם תֵּלַכְנָה מָיִם *Et omnia genua abibunt in aquas*,

videbuntur resolvi in aquam, ut labascant, nec hostibus resistere possint, sicut alias *cor*, vel ipsi etiam *homines* metu ac desperatione *liquescere* dicuntur, c. c. Exod. 15, 15. (נָמֹגּוּ כֹּל יֹשְׁבֵי כְּנָעַן), Deut. 1, 28. (הֵמַסּוּ אֶת־לְבָבֵנוּ), cf. Jes. 2, 9. 20. 2 Sam. 17, 10.

18. וְחָגְרוּ שַׂקִּים Unde *accingent saccos*, ut fiebat in summo moerore, Jes. 3, 24. Jer. 48, 37. וְכִסָּתָה אוֹתָם פַּלָּצוּת *Et operiet*, undique invadet, *eos tremor* (de nomine hebraico, ter praeter h. l. obvio, Jes. 21, 4. Job. 21, 6. Ps. 55, 6. vid. not. ad poster. loc.), ut Jer. 51, 51. כִּסְּתָה כְלִמָּה פָּנֵינוּ *operiet opprobrium vultum nostrum*, et Mich. 7, 10. וְתִכַּסֶּה בוּשָׁה *et operiet eam pudor.* אֶל כָּל־פָּנִים בּוּשָׁה *Ad*, super (pro עַל) *omnes vultus pudor* apparebit. וּבְכָל־רָאשֵׁיהֶם קָרְחָה *Et in omnibus capitibus calvitium*, ob evulsos crines, signum luctus, Esr. 9, 3. cf. Jes. 15, 2. Jer. 48, 37. Mich. 1, 16. et not. ad Job. 1, 20.

19. כַּסְפָּם בַּחוּצוֹת יַשְׁלִיכוּ *Argentum suum in plateas abjicient.* „Fuga et captivitate cogente divitias et auri argentique pondera projicient in plateis, suas tantum animas servare cupientes, ne sint ponderi, quae prius fuere luxuriae.“ Hieronymus. וְזָהָבָם לְנִדָּה יִהְיֶה *Et aurum eorum in abominationem erit*, ut illud quasi rem immundam aversentur. כַּסְפָּם — עֶבְרַת יְהוָה *Argentum eorum et aurum eorum non poterit eos eripere in die irae Jovae*, cum Jova ira exaestuans ob eorum scelera poenas de iis sumet. כַּסְפָּם וְזָהָבָם sunt, qui h. l. deorum simulacra argentea et aurea denotare existiment, coll. Jes. 2, 20.: *die illa abjiciet homo* אֶת אֱלִילֵי כַסְפּוֹ וְאֶת אֱלִילֵי זְהָבוֹ *idola argenti sui et idola auri sui*, i. e. idola sua argentea et aurea. Verum satis idoneum esse sensum, si thesauros argenti et auri intelligamus, allata Hieronymi verba docent. נַפְשָׁם לֹא יִשְׂבָּעוּ *Animam suam*, i. e. appetitum suum *non satiabunt.* וּמֵעֵיהֶם לֹא יְמַלְּאוּ *Et viscera sua non replebunt* cibo. „Nulli dubium, quin obsidionis et famis tempore aurum argentumque esurientes non liberet, et illisi pretiosissimo metallo dentes, instar durissimi lapidis retundantur. Praesentibus malis didicimus multos divites inter sericum, gemmas, et auri argentique pondera habuisse exitum mendicantium.“ Hieronymus. כִּי־מִכְשׁוֹל עֲוֹנָם הָיָה *Quia offendiculum*, occasio *impietatis suae fuit* scil. aurum et argentum. „Ideo, inquit, possidentium aurum et argentum nec anima saturabitur, nec venter implebitur, quia hoc ipsum aurum et argentum, *scandalum scelerum eorum factum est.* Significat autem idola, quae auro argentoque fabricata suos condemnant artifices.“ Hieronymus. Cf. Hos. 2, 10. וְזָהָב עָשׂוּ לַבָּעַל *et aurum fecerunt in Baalem*, i. e. ejus simulacrum. Item 8, 4. כַּסְפָּם וּזְהָבָם עָשׂוּ לָהֶם *aurum et argentum suum fecerunt sibi idola.* Et 13, 2. וַיַּעֲשׂוּ לָהֶם מַסֵּכָה מִכַּסְפָּם *fecerunt sibi fusas imagines ex argento suo.*

20. וְצִבִי עֶדְיוֹ לְגָאוֹן שָׂמָהּ Quod enim attinet ad *decus ornatus sui*, *in superbiam*, elationem, fastum, *posuit*, adhibuit illud populus, sive quisque illorum. *Decore ornatus* populi Judaici intelligunt quidam templum, de quo Judaei gloriabantur (vid. infra 24, 21. Jerem. 7, 4.), et quo Deus eos prae ceteris ornaverat. Rectius alii aurum et argentum, atque bona omnia, quae illis divinitus obtigerunt. Ita et Hieronymus: „Quae ego, inquit, dederam in ornamentum possidentium atque divitias, illi verterunt in superbiam, ut de quibus poterant per eleemosynas et bona opera suam animam liberare, ex illis haberent materiam arrogantiae.“ וְצַלְמֵי תוֹעֲבוֹתָם שִׁקּוּצֵיהֶם עָשׂוּ בוֹ *Et imagines abominationum suarum*, *detestanda sua fecerunt.* שִׁקּוּצֵיהֶם *Detestanda* scil. idola *sua*, de quibus id nomen et 1 Reg. 11, 5. Jes. 66, 3. usurpatur. Vel est asyndeton, ut sit cum צַלְמֵי jungendum: *simulacra abominandorum suorum*, et *detestandorum suorum.* Exhibent וְשִׁקּוּצֵיהֶם, praeposita conjunctione, plures codd. et libri typis descripti, nec non Syrus et Vulgatus. Verba עָשׂוּ בוֹ sunt, qui vertant: *fecerunt in eo*, sc. templo. Sed quum nulla ejus expressa mentio praecesserit, praestat, בוֹ *ex eo* scil. argento et auro, sive ornatu suo (צְבִי עֶדְיוֹ) transferre. ב saepe significat materiam, ex qua aliquid conficitur, veluti Exod. 38, 8. *Fecit labrum aeneum* בְּמַרְאוֹת *ex speculis.* 1 Reg. 7, 14. לַעֲשׂוֹת כָּל־מְלָאכָה בַּנְּחֹשֶׁת *ad faciendum omne opus ex aere.* Vid. et Levit. 13, 52. 2 Paral. 2, 6. עַל־כֵּן נְתַתִּיו לָהֶם לְנִדָּה *Propterea dabo eis illud*, ornamentum suum, *in nauseam*, faciam, ut res pretiosissimae ipsis fastidio sint, hostibus irruentibus, et urbe ab iis obsessa. Cf. Vs. 19.

21. וְנְתַתִּיו בְּיַד־הַזָּרִים לָבַז *Et*, ideo *dabo illud*, decus ornatus sui Vs. 20., *in manum alienorum*, hostium, *in praedam.* Verba וְלִרְשָׁעֵי הָאָרֶץ vertunt nonnulli: *improbis* hominibus *hujus terrae*, i. e. Babyloniae, ubi vaticinabatur Ezechiel; sensu jejuno. Intelligendi potius *improbissimi terrarum*, qui infra Vs. 24. רָעֵי גוֹיִם *pessimi gentium* vocantur. Vid. et Ps. 75, 9. וְחִלְּלֻהוּ *Ut profanent illud*, non templum, ad quod nonnulli suffixum referunt, sed illud, de quo in superioribus sermo erat, argentum et aurum, sive potius argentea et aurea simulacra deorum, quae illis sacra erant, et profanata existimabantur, cum tractabantur indigne.

22. וְהַסְבֹּתִי פָּנַי מֵהֶם *Et avertam faciem meam ab iis*, Judaeis, eos amplius non curabo. וְחִלְּלוּ אֶת־צְפוּנִי *Et profanabunt*, s. *ut profanent* impune hostes *arcanum meum*, „quod significat Sancta Sanctorum, quae exceptis sacerdotibus soloque Pontifice nullus alius audebat intrare.“ Hieronymus. וּבָאוּ־בָהּ פָּרִיצִים וְחִלְּלוּהָ *Venientque in illud praefractores*, *et profanabunt illud.* Suffixa feminina in בָּהּ et וְחִלְּלוּהָ sunt neutraliter capienda, nisi generis enallagen statuas. Minus placet, quod quidam ad *urbem* Hierosolymitanam referunt, quam ingressuri sint

hostes et profanaturi. פָּרִיצִים propr. *perfractores*, i. e. violenti grassatores, qui faciunt irruptionem violentam, ut depraedentur, latrones, ut infra 18, 10. Jer. 7, 11. Dan. 11, 14.

23. עֲשֵׂה הָרָתוֹק *Fac catenam.* *Catenam* (הָרָתוֹק, quod nomen bis tantummodo praeter h. l. obvium 1 Reg. 6, 21. Jes. 40, 19., Jarchi שַׁלְשֶׁלֶת notare asserit, concinente Arabico רתק *clausit*, et Chaldaico רָתַק *circumdedit*) vates jubetur conficere, ut praefiguraret captivitatem, in quam catenis vincti abducendi erant. כִּי הָאָרֶץ מָלְאָה מִשְׁפַּט דָּמִים *Nam plena est terra judicio*, i. e. reatu *sanguinum*, i. e. homicidiis aliisque peccatis flagitiisque morte dignis. Chaldacus: *nam terra repleta est reatu caedis.*

24. וְהֵבֵאתִי רָעֵי גוֹיִם וְיָרְשׁוּ אֶת־בָּתֵּיהֶם *Ideo adducam pessimos*, crudelissimos gentium, *ut occupent domus eorum*, ipsis in alias terras abductis. וְהִשְׁבַּתִּי גְּאוֹן עַזִּים *Cessare faciam*, evertam, *superbiam fortium*, i. e. pertinaciam, resipiscere nolentium. Intelligit templum, quo gloriabantur Judaei, ut apparet ex loco infra 24, 21. הִנְנִי מְחַלֵּל אֶת־מִקְדָּשִׁי גְּאוֹן עֻזְּכֶם *en! profanabo sanctuarium meum, gloriam roboris vestri.* Deprompta haec phrasis ex Levit. 26, 19. וְשָׁבַרְתִּי אֶת־גְּאוֹן עֻזְּכֶם *et frangam fastum roboris vestri*, quod Jarchi itidem, sed male, de Sanctuario intelligit. עַזֵּי פָנִים pro עַזֵּי פָנִים *validi facie*, i. e. duri, pertinaces, impudentes, coll. Deut. 28, 50. Dan. 8, 23. Coh. 8, 1. Prov. 7, 13. וְנָחֲלוּ sunt, qui, Hieronymo auctore, *possidebunt* vertant, quasi forma *Piel* sit verbi נָחַל, quae tamen forma ceteris, quibus legitur, V. T. locis transitivam significationem obtinet, vid. Num. 34, 29. Jos. 13, 32. 14, 1. 19, 51. Est potius *Niphal* verbi חָלַל *profanavit* (nam ante ח in verbis defectivâ secundâ נ characteristica retinet Chirek, ut נָחַר *exsiccatur*, Ps. 69, 4., נָחַת *contritus fuit*, Mal. 2, 5., נְחָתָה *confractus est*, Ps. 18, 35., נָחַל *profanatus fuit*, infra 25, 3., נֶחֱלֹתָ *profana effecta es*, infra 22, 16.), quomodo et LXX ceperunt, qui *μιανθήσεται τὰ ἅγια αὐτῶν* reddiderunt. מְקַדְּשֵׁיהֶם *Sanctificantes eos*, intelligunt sacerdotes, qui populum lustrationibus expiare solebant, irrumpentibus vero hostibus barbaris tanquam profani tractantur, et captivi abducuntur. Verum nullo alio V. T. loco sacerdotes ita nuncupantur, nec satis commodus est sensus. Sed veteres omnes *sanctuaria eorum* verterunt, quod esset hebraice מִקְדָּשֵׁיהֶם, quomodo non dubito legendum esse, coll. infra 25, 3. הֶאָח אֶל־מִקְדָּשִׁי כִּי־נֶחַל. Jarchi nomine hebraeo ait significari loca excelsa et fana et delubra, quibus convenire solebant, scil. ad colendos deos fictos, quasi מְקַדְּשֵׁיהֶם dicas loca, *quae* ipsi *sancta* sibi *fecerunt*. Si מִקְדָּשֵׁיהֶם legas, *templum* erit intelligendum, quod quum tribus constaret partibus, nomine plurali ita appellatur Ps. 48, 36. Jer. 51, 51.

25. Nomen קִפְדָּה vulgo *excidium* interpretantur, notione petita a verbo קָפַד Jes. 38, 12., cui loco *abrumpendi*, *abscindendi*

significatum maxime accommodatum putant, quum imago ibi sistatur textoris filum abrumpentis, invitante praeterea sequente יְבַצְּעֵנִי *resecat me.* Ac sane h. l. *excidii* notio optime quadrat, etsi lingua Syriaca et Arabica illa careat. Syris קְפַד est *horruit*, unde קְפָדָה satis apte *horrorem* vertere possis. Ceterum ה nominis קְפָדָה esse mere paragogicum, inde patet, quod Verbum masculinum בָּא illi jungitur. וּבִקְשׁוּ שָׁלוֹם וָאָיִן *Quaerentque pacem*, salutem, *sed nulla erit*, etiamsi supplicatione pariter ac pecunia pacem petierint, non erit, qui concedat. Cf. Jer. 8, 11. 15. 14, 19.

26. הוָה עַל־הוָה תָּבוֹא *Infortunium super infortunium*, aliud post aliud *veniet.* וּשְׁמֻעָה אֶל־שְׁמוּעָה תִהְיֶה *Et fama ad famam erit*, mali nuntii se invicem excipient. וּבִקְשׁוּ חָזוֹן מִנָּבִיא *Tunc quaerent visionem a vate*, consulent vates, an aliqua a Deo insinuetur ratio evadendi tot mala, sicut fecisse leguntur apud Jeremiam (37, 17. 38, 14.), sed frustra. וְתוֹרָה תֹּאבַד מִכֹּהֵן וְעֵצָה מִזְּקֵנִים *Sed lex peribit a sacerdote et consilium a senioribus*, non erit omnino, qui ulla ratione succurrere possit labenti patriae, neque oraculo divino, neque humano consilio. Cf. Jer. 18, 18.

27. הַמֶּלֶךְ יִתְאַבָּל *Rex lugebit*, cujus tamen esset, alios erigere, et tantis malis medelam adferre, cf. Thren. 4, 20. Hos. 10, 3. וְנָשִׂיא יִלְבַּשׁ שְׁמָמָה *Et princeps induet stuporem*, eo, vestimenti instar, undique operietur et circumdabitur. Cf. Ps. 119, 18. וַיִּלְבַּשׁ קְלָלָה כְּמַדּוֹ, *induit exsecrationem tanquam togam suam.* וִידֵי עַם־הָאָרֶץ תִּבָּהַלְנָה *Et manus populi terrae conturbabuntur*, attonitae haerebunt. Confer Jes. 21, 3. Jer. 51, 32. Trepidabunt milites cum ducibus, et rege ipso, neque audebunt arma capere desperatis rebus patriae. עַם־הָאָרֶץ dici solet plebs, vulgus promiscuum, oppositum regi ac principibus, vid. 2 Reg. 11, 14. 21, 24. 23, 30. מְדַרְכָּם אֶעֱשֶׂה אוֹתָם *Ex via eorum agam cum iis*, i. e. ex merito ipsorum impiae vivendi rationis; מ h. l. caussale, ut infra 12, 19. מֵחֲמַס כָּל־הַיֹּשְׁבִים בָּהּ. וּבְמִשְׁפְּטֵיהֶם אֶשְׁפְּטֵם *Et per judicia eorum*, i. e. eorum delictis convenientia, *judicabo eos.* *Judicia* h. l. sunt merita, secundum quae judicatur, et fertur sententia. Alii: *judiciis*, quibus *ipsi* alios *judicarunt*, v. c. pauperes oppresserunt, *judicabo eos* jure talionis. וּכְמִשְׁפְּטֵיהֶם (per Caph) exhibent plures codices Kennicotti, et Vulgatus: *secundum judicia eorum.* וְיָדְעוּ כִּי־אֲנִי יְהוָה *Et scient me esse Jovam.* „Iste versiculus frequenter in hoc Propheta ponitur [veluti supra Vs. 4. 6, 14. 5, 13.], quod supplicia atque cruciatus sequatur scientia Dei, ut quem non intelligebant per beneficia, per tormenta cognoscant.“ HIERONYMUS.

V.

Vati visione divinitus oblata Hierosolymitanorum ostenduntur crimina et supplicia.

CAP. 8—11.

1) *Prima visionis pars Judaeorum, qui Hierosolymis supererant, impietatem adumbrat, C. 8.; 2) secunda stragem civium, in ipsa urbe edendam, exceptis tantum iis, quos Deus obsignaverat, figurat, C. 9.; 3) tertia ignem describit, quo flagrans et indignatus Jova tum fame ac peste ante expugnationem urbis oppidanos profligavit, tum, post expugnationem incendit, exhausit et funditus evertit civitatem totam, cum ipso templo, unde abibat gloria Jovae, C. 10.; 4) postrema et exsilii atque dispersionis comminationem, et reditus in patriam restaurandaeque reipublicae promissionem continet, C. 11.*

CAP. 8.

Argumentum.

Vates per ecstasin Babylone Hierosolymam rapitur (Vs. 1. 2. 3.), ubi quadruplex ei monstratur civium εἰδωλολατρεία, et primo quidem conspicit Baalis simulacrum, in templo collocatum (Vs. 5. 6.), deinde imagines animalium parietibus insculptas, et sacerdotes ei sacrificantes (Vs. 7—12.), tum mulieres Adonidem plangentes (Vs. 13. 14.), denique sacerdotes solem orientem adorantes. Quocirca Deus minatur eis suam vindictam (Vs. 17. 18.).

1. בַּשָּׁנָה הַשִּׁשִּׁית *Anno sexto* „Quinto anno transmigrationis Jechoniae, quarto mense, quinta mensis, superiorem visionem factam ad Prophetam legimus [vid. not. ad C. 1, 2.]. Haec autem, quam nunc exponere volumus, sexto anno ejusdem regis, sexto mense, quinta mensis facta memoratur. Ex quo perspicuum est, post annum et duos menses haec facta quae scripta sunt, et vel intermissam per annum et duos menses prophetiam,

vel per totos quatuordecim menses gesta, quae superior sermo contexit.“ Hieronymus. Sextum *Jechoniae* annum intelligendum esse, apparet ex 1, 2. Recte Theodoretus: *Perspicuum est, prophetam cum Jechonia in captivitatem abductum fuisse, quare ubique tempus ipsum notat.* De nominibus post בַּחֲמִשָּׁה et בַּשִּׁשִּׁי subaudiendis vid. not. ad 1, 1. p. 53. אֲנִי יוֹשֵׁב בְּבֵיתִי Cum *ego sederem in domo mea* in terra Chaldaeorum. וְזִקְנֵי יְהוּדָה יוֹשְׁבִים לְפָנָי *Et seniores Judae sedebant coram me*, primores eorum qui cum Jechonia fuerant deportati. „Sedebat propheta in domo sua fugiens frequentiam multitudinis, et senes Juda sedebant coram eo, vel prophetae verba audire cupientes, vel insidiantes sermonibus ejus. Significanterque dicuntur senes *Juda*, ut nihil ad Israel, hoc est, ad decem tribus, quae prius captae fuerant, sed ad eos, qui de tribu Juda cum Jechonia ducti erant in captivitatem, dici intelligamus.“ Hieronymus. וַתִּפֹּל עָלַי שָׁם יַד אֲדֹנָי יְהוִה *Ceciditque super me ibi manus Domini Jovae.* Vid. not. ad 1, 3. p. 56. Chaldaeus: *et resedit super me ibi spiritus prophetiae a Jova Deo.*

2. וָאֵרְאֶה וְהִנֵּה דְמוּת כְּמַרְאֵה־אֵשׁ *Et vidi, et en! similitudo quasi adspectus ignis.* דְּמוּת *Similitudo* scil. viri, s. hominis, tribuit enim ei lumbos, partesque superiores et inferiores. Cf. 1, 26. 27. *Ὃν ἐπὶ τῶν Χερουβὶμ ἐθεάσατο. τοῦτον ὁρᾷ δίχα τῶν Χερουβίμ, quem super Cherubim contemplatus fuerat, hunc videt absque Cherubim*, monet Theodoretus. LXX: ὁμοίωμα ἀνδρός, sive, ut editio Aldina habet, ὡς εἶδος ἀνδρός. „*Virum* hebraeus sermo non continet,“ ait Hieronymus. אִישׁ tamen, quod LXX exprimunt, praefert Hubigantius, nec immerito, „sed nullus,“ inquit De-Rossi, „ex collatis codicibus servat. Solus Kennicott. 89. posteriori loco pro אֵשׁ primo habebat אִישׁ.“ מִמַּרְאֵה מָתְנָיו *Inde ab adspectu*, s. *forma lumborum ejus.* Non dicit simpliciter מִמָּתְנָיו, sine quis verum lumbum, corporeum quid cogitet. Cf. infra Vs. 3. תַּבְנִית יָד. וּלְמַטָּה אֵשׁ *Et deorsum* erat *ignis.* וּמִמָּתְנָיו וּלְמַעְלָה כְּמַרְאֵה־זֹהַר *Et a lumbis ejus et sursum quasi adspectus splendoris.* זֹהַר *fulgorem* indicat non ignis vulgaris, sed puriorem, qualis est siderum, de quibus hoc nomen dicitur Dan. 12, 3. כְּזֹהַר הָרָקִיעַ, quod altero hemistichio declaratur per comparationem cum stellis (כַּכּוֹכָבִים). Hinc Arabibus et Amharensibus lucidissima stella Veneris cum terminatione feminina זֹהָרָה dicitur. De כְּעֵין הַחַשְׁמַלָה vid. not. supra ad 1, 4. Eadem ὀπτασία, quae supra 1, 27. describitur.

3. וַיִּשְׁלַח תַּבְנִית יָד *Emisitque* scil. vir ille adspectu igneo (Vs. 2.), *formam*, speciem, *manus.* „*Similitudo manus*, non ipsa manus, extenditur, neque enim in Deo aliquid corporale est.“ Hieronymus. וַיִּקָּחֵנִי בְּצִיצִת רֹאשִׁי *Apprehenditque me in peniculamento*, cincinno *capitis mei.* Similiter Habaeucus rapitur e capillitio suspensus, Hist. Beli Vs. 36. *Καὶ ἐπελάβετο ὁ ἄγ-*

γελος κυρίου τῆς κορυφῆς αὐτοῦ, καὶ βαστάσας τῆς κόμης τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ, ἔθηκεν αὐτὸν εἰς Βαβυλῶνα. „Parsque comprehenditur capillorum, quia totius apprehensionem capitis humana natura non sustinet.“ HIERONYMUS. וַתִּשָּׂא אֹתִי רוּחַ בֵּין־הָאָרֶץ וּבֵין־הַשָּׁמָיִם *Tulitque me ventus inter terram et inter coelum*, ad instar volucris medium aërem secantis videbar mihi sublimis vehi. בְּמַרְאוֹת אֱלֹהִים *In visionibus Dei.* „Ostendit se non in corpore, sed in spiritu esse translatum,“ recte monet Hieronymus. אֶל־פֶּתַח שַׁעַר הַפְּנִימִית *Ad januam portae interioris* scil. *atrii.* „Propheta non delatus est intra atrium ad hanc portam, sed positus est extra, atque ibi jussus est septentrionem versus respicere. Haec porta erat *inferior septentrionalis*, dicta etiam (Vs. 5.) *porta altaris*, quod e regione ejus sita esset; *superior* vero *porta septentrionalis* (9, 2.) infra Vs. 14. *porta aedis Domini* dicitur, quod ipsi aedificio templi opposita esset.“ LIGHTFOOT *Descript. Templi Hierosol.* in *Opp.* T. I. p. 620. הַפְּנִימִית *Interioris* scil. *atrii* (Vs. 16. 10, 3. 1 Reg. 6, 36. 7, 12.), s. sacerdotum. *Femininum* enim neque cum פֶּתַח, neque cum שַׁעַר, quae masculina sunt, sed cum subaudiendo חָצֵר, quod *communis* est generis, convenit. Plura alia exempla expressi tantum adjectivi, substantivo ex contextu supplendo, collegit GLASSIUS *Philolog. S.* p. 35. edit. Dath. הַפּוֹנָה צָפוֹנָה *Spectans ad aquilonem. Vestibulum*, quod respicit ad aquilonem, intelligit Hieronymus, sed intelligenda potius *porta*, quae aquilonem versus spectabat, cf. infra 40, 35. Chaldaeus: *quae aperta erat ad aquilonem.* אֲשֶׁר־שָׁם מוֹשַׁב סֶמֶל הַקִּנְאָה הַמַּקְנֶאת *Ubi*, scil. e regione illius portae, septentrionem versus, erat *sedes imaginis Zeli zelum provocantis*, qua Dei alieni statuam intelligendam esse, docet res ipsa. THEODORETUS: *erat autem idolum ibi praeter legem positum, quod zelum vocat, per translationem a mulieribus sumtam, quae adulterium committunt, et viros suos ad zelotypiam provocant. Hoc vero etiam per magnum Mosen dixit Deus* (Deut. 32, 21.): *Ipsi me ad zelum provocaverunt eo, qui non erat Deus. Atque id interpretatus subjecit: irritaverunt me idolis suis. Molochi* statuam, cujus cultus erat summus idololatriae apex, et Deum quam maxime ad iram provocabat combustione liberorum, intelligit Lightfoot l. c. Alii intelligunt *Baalis* statuam, qualem Manasse in templo posuit, destruxerat Josias, reposuerant reges sequentes. „Statuam autem idoli *Baal*,“ ait HIERONYMUS, „in templo Dei positam, narrat historia (2 Reg. 23, 4. 5. al.).“ Quae quidem sententia et hac ex causa verisimilior altera, quod nomen בַּעַל et vero Deo competebat. „Eo nomine primum fuisse summum omnium rerum creatorem designatum merito sentias; quum et aliis vocibus ejusdem fere significationis, et ab Ebraeis, Arabibus, et Graecis id quod proprium Dei Opt. Max. nomen habetur antiquitus data opera explicatum saepissime legamus.

Tetragammatum enim nomen יְהוָה redditur a LXX Ἄδωναι aut Κύριος, hoc est, *Dominus*, et substituunt Arabes אלרב, quod idem sonat. Et quam convenire potuerit τοῦ *Baal* nomen Deo vero, satis monstrat Hos. 2, 18. *Tunc me vocabis* אִישִׁי, *maritus meus, nec amplius me vocabis* בַּעְלִי *dominus meus.* Populus Dei *Baalem suum* pie satis cum vocabant, priusquam ob vocem illam ad profana numina frequenter nimis traductam, id ipsum ipse Deus vetaret.“ Seldenus *de Diis Syris* Synt. II. C. 1. p. 195. seqq. Dei veri effigiem aliquam significari, J. D. Michaelis in notis translationi teutonicae subjectis, inde colligit, quod ea, quae postea commemorantur, superstitiosi cultus genera, hoc primo pejora dicuntur. Sed veri Dei simulacrum aliquod nusquam in V. T. commemoratum legimus. Quemadmodum autem ceteri, qui hoc Cap. recensentur, ritus superstitiosi e populorum exterorum religionibus sunt petiti, ita et eam, quae hic innuitur, statuam, falsi alicujus Dei a populo aliquo vicino culti effigiem fuisse credibile est. *Baalum* vero, sive *Belum*, Chaldaeorum seu Babyloniorum numen fuisse constat, vid. Jes. 46, 1. Jer. 50, 2. 51, 44. Nomen סֶמֶל, quod praeter hunc locum *quater* legitur, (infra Vs. 5. Deut. 4, 16. 2 Paral. 33, 7. 15.), veteres fere unanimes *idolum*, *imaginem* interpretantur, contextui locorum, quibus nomen illud occurrit, perquam apte, ut alia significatio vix quadrare videatur, quamvis etymon lateat. הַמַּקְנֵא pro הַמַּקְנִיא, *ad zelum provocans*, miscentur formae radicum cognatarum. Cf. Ps. 78, 58. וּבִפְסִילֵיהֶם יַקְנִיאוּהוּ, *et imaginibus suis ad zelum provocarunt eum.* Deut. 32, 16. 21. Coccejo videtur subesse antanaclasis seu paronomasia, ut significetur simulacrum, quod Deum *faciat zelare*, *faciatque* Israelitas *mancipia tradi* hostibus, quum verbum הִקְנָה de possessione mancipii Zachar. 13, 5. usurpetur. Quamquam Josias omnia peregrini cultus vestigia e templo sustulisset (vid. 2 Paral. 33, 15.), tamen sub regibus, qui ipsum sequuti sunt, falsorum Deorum simulacra templo rursus illata fuisse, ex nostro loco manifestum est, etsi nec in libris historicis V. T. neque in Jeremia id commemoratur. Michaeli opinanti statuae basin tantummodo (quam מוֹשַׁב dictam existimat) superfuisse, quae superstitionis materia esset, obstat, quod Vs. 5. simpliciter סֶמֶל הַקִּנְאָה dicitur.

4. Eadem, quam in planitie (בַּבִּקְעָה) ad flumen Chobar (3, 21. 23.) conspexerat, Dei facies, hic ad templi ostium aquilonare iterum vati ostenditur, ut significaret Dominus, se jam egredi de Sanctuario et templo suo ejusmodi sordibus polluto, atque inde emigrare, ut ex C. 10. 11. fiet manifestum.

5. שָׂא־נָא עֵינֶיךָ דֶּרֶךְ צָפוֹנָה *Tolle oculos tuos viâ septentrionem versus.* מִצָּפוֹן לְשַׁעַר הַמִּזְבֵּחַ *A septentrione ad portam altaris.* Ea porta supra Vs. 3. *aquilonaris* vocatur, vid. not. Aliis sic dicta videtur ab *altari* Salomonis, quod Ahas e medio

atrii transtulit ad portam aquilonarem, vid. 2 Reg. 16, 14. Alii *aram* falso Deo erectam, et inde portam hanc appellatam esse, cum Kimchio putant. Cf. 2 Reg. 21, 4. 5. סֵמֶל הַקִּנְאָה הַזֶּה בַּבֹּאָה *Simulacrum istud aemulationis in introitu* atrii, vid. Vs. 3.

6. הֲרֹאֶה אַתָּה מָּהֵם עֹשִׂים *Nonne vides quid illi faciant.* Adfuisse aliquot Israelitae adorantes idolum zeli censendi sunt, quos demonstrat quasi cum digito Deus, cum dicit: *videsne? quid isti faciant?* מָּהֵם contracte pro מָה הֵם, ut Exod. 4, 2. מַזֶּה pro מָה זֶּה *quid hoc?* Jes 3, 15. מַלָּכֶם pro מָה לָּכֶם *quid vobis?* Mal. 1, 13 מַתְּלָאָה pro מָה תְּלָאָה, *quanta defatigatio!* Nonne, inquit, vides *abominationes magnas, quas faciunt isti ibi* לְרַחֲקָה מֵעַל מִקְדָּשִׁי *recedendo a Sanctuario meo.* Ambiguum est, sitne לְרַחֲקָה referendum ad *Deum*, vel ad *Israelitas?* Ad hos quidem retulit Theodoretus, qui haec ad exsilium refert, in quod procul a patria et templo ablegandi sint Israelitae: *Vides, inquit, quomodo ipsi propriis sceleribus in se attrahant supplicia? Nam impie agentes et cultum meum contemnentes, procul erunt a sanctis locis meis, secundum Davidem prophetam* (Ps. 73, 27.): *quia qui elongant se a te, peribunt.* Verum concinnius videtur ad Deum referri, hoc sensu: tam indigne acceptus sum in templo meo, ut inde migrare cogar. Cf. Jerem. 12, 7. עָזַבְתִּי אֶת־בֵּיתִי, *relinquam aedem meam, deseram hereditatem meam.* Eodem sensu et Vulgatus Latinus *(ut procul recedam a Sanctuario meo)* sive potius Hieronymus haec verba accepit, qui in Commentario ea recte ita explicat: „Ne me, inquit Deus, putes injuste templum deserere [C. 10. et 11.], et subvertendam relinquere civitatem, aspice, quae in templo faciant.“ לְרַחֲקָה Infinitivus cum ה paragogico, ut לְרַחֲצָה, *ad lavandum se*, Ex. 30, 18. וְעוֹד תָּשׁוּב תִּרְאֶה *Sed insuper iterabis videbis*, i. e. iterum videbis, hebraismus notus, ut Genes. 26, 18. וַיָּשָׁב וַיַּחְפֹּר *et reversus est et effodit*, i. e. iterum effodit Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 823. תּוֹעֵבוֹת גְּדֹלוֹת *Abominanda magna*, scil. מַאֲלָה, quod infra Vs. 15. exprimitur.

7. אֶל־פֶּתַח הֶחָצֵר *Ad ostium atrii* interioris (Vs. 3.), i. e. ad portam Orientalem, quae erat tum temporis frequentissima commeantibus, et in qua nunc sedebat magnum Synedrium. הַר־אֶחָד בַּקִּיר *Foramen* ibi erat *in pariete* s. muro Atrii. Grotius intelligit *fenestellam*, per quam viderit Propheta, quae intra cellas Levitarum peragebantur. Cf not. ad Vs. sq.

8. חֲתָר־נָא בַּקִּיר וָאֶחְתֹּר בַּקִּיר וְהִנֵּה פֶתַח אֶחָד *Perfode parietem, et quum perfodissem, en! ostium unum* apparuit, quod obstructum fuit, atque aliunde secretior idololatris aditus. *Ostium*, inquit Pradus, „hoc erat non Templi, sed gazophylacii, seu conclavis sacerdotum, vel principum, coll. Vs. 12.“ „Quia omnia quasi imagine picturaque monstrantur, unum in pariete foramen vidisse se dicit, juberique sibi, ut illud perfodiat, et amplius

faciat, quo videlicet aperto foramine, latius possit intrare et videre, quae foris positus videre non poterat.“ Hieronymus.

10. Hoc Versu et duobus, qui proxime sequuntur, Aegyptiacum animalium cultum describi, ostendit Warburton in Opere quo *divinam Mosis legationem demonstravit (The divine legation of Moses demonstrated)*, Vol. IV. p. 18. sqq. ed. quart. 1765. 8. sive in Vol. II. p. 446. translat. teuton. et *das a. u. n. Morgenl.* T. IV. No. 1046. p. 314. Cf. P. E. Jablonskii *Pantheon Aegyptiorum*, Vol. III. Prolegg. p. LXXXIV. sqq. כָּל־תַּבְנִית רֶמֶשׂ וּבְהֵמָה *Omnis effigies reptilis et bruti*, i. e. effigies reptilium et brutorum omnis generis. שִׁקּוּץ *Abominationis*, abominabilium, i. q. שִׁקּוּצִים supra 5, 11. Cf. Jes. 66, 17. וְכָל־גִּלּוּלֵי בֵית יִשְׂרָאֵל *Et omnium idolorum domus Israelis.* De גִּלּוּלִים vid. not. supra ad 6, 4. מְחֻקֶּה *Insculptum* s. *depictum* unumquodque illorum erat. עַל־הַקִּיר סָבִיב סָבִיב *Super pariete circuitu circuitu*, circumquaque, omni ex parte.

11. וְשִׁבְעִים אִישׁ מִזִּקְנֵי בֵית־יִשְׂרָאֵל *Et septuaginta viri e senioribus domus Israelis. Septuaginta illos seniores*, quos propheta suffitionem facere vidit, fuisse Synedrii magni Assessores, cum praeside illius, Jezonia, qui ex officio, tanquam summi judices, rem adeo detestabilem de medio tollere debuissent, haud improbabilis Kimchii est opinio. Synedrium enim magnum septuaginta viris, qui ex senioribus populi electi erant, ex instituto Mosis, Num. 11, 16. 24. constabat. בְּתוֹכָם עֹמְדִים לִפְנֵיהֶם *In medio eorum stantes coram illis*, imaginibus et picturis Vs. 10. commemoratis. וְאִישׁ מִקְטַרְתּוֹ בְיָדוֹ *Et vir*, i. e. unusquisque *thuribulum suum* tenuit *in manu sua.* וַעֲנַן־הַקְּטֹרֶת עֹלֶה *Et fumus nubis suffitus ascendens* erat. Nomen עֲנַן interpretes fere *abundantiae* significatu capiunt, et hoc dici existimant, suffitum tam densum fuisse, ut nubes videretur. Sed commodior erit sensus, si nomen illud *fumi* notione accipiamus, collato Syriaco עֲנָנָא *fumus*, *vapor*, a verbo עָנַן *fumavit fumo odorato*, ת et ט permutatis, ut in קטל et arab. קתל *occidit*, חָתַף et חָטַף *rapuit*, טָעָה et תָּעָה *erravit.* Sic in Targum Hierosolymitano Exod. 19, 18. pro hebraico עָשַׁן legitur עָנַן, et Act. 2, 19. graecum *ἀτμίδα καπνοῦ* Syriace expressum est תננא עטרא.

12. הֲרָאִיתָ בֶן־אָדָם — בַּחֹשֶׁךְ *Num vidisti, o fili hominis, quid seniores domus Israelis faciunt in tenebris?* Quod vates superstitiosi hujus cultus ritus a proceribus Israelitarum in conclavibus abstrusis, in quorum parietibus animalium imagines essent depicta, et quidem *in tenebris*, locis quasi subterraneis, peractos memorat, plane convenit cum his, quae Ammianus Marcellinus L. XXII. Cap. de Aegyptiorum sacris narrat: *Sunt et Syringi subterranei quidam et flexuosi secessus, quos, ut fertur, periti rituum vetustorum — — penitus operosis digestos fodinis per loca diversa struxerunt, et excisis parietibus, volucrum ferarumque genera multa sculpserunt, quae hierogly-*

phicas literas appellarunt. אִישׁ בְּחַדְרֵי מַשְׂכִּיתוֹ *Quisque in penetralibus effigiei suae*, i. e. quisque in conclavi suo picto. Pronomen suffixum ad nomen regens pertinens additum est nomini recto (nequit enim commode interjici inter nomen regens atque rectum, quae desierunt numerari duae voces), ut Deut. 1, 41. *accinxistis* אִישׁ אֵת־כְּלֵי מִלְחַמְתּוֹ *quisque instrumenta belli sui*, i. e. arma sua. Jes. 2, 20. *Die isto projiciet homo* אֶלִילֵי כַסְפּוֹ וְאֵת אֱלִילֵי זְהָבוֹ *deastros suos argenteos et aureos.* Vid. et infra 9, 1. 2. et cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 732. כִּי אֹמְרִים אֵין יְהוָה רֹאֶה אֹתָנוּ *Nam dicunt: non est Jova videns nos*, non curat nos; non respicit nos, nec nostris miseriis succurrit. עָזַב יְהוָה אֶת־הָאָרֶץ *Deseruit Jova hanc terram*, q. d. non ergo nostra, sed Jehovae culpa fit, quod in alienum cultum traducimur.

13. עוֹד תָּשׁוּב תִּרְאֶה *Adhuc*, insuper, *iterabis videbis*, iterum videbis, ut supra Vs. 6.

14. וַיָּבֵא אֹתִי אֶל־פֶּתַח שַׁעַר בֵּית־יְהוָה אֲשֶׁר אֶל־הַצָּפוֹנָה *Duxitque me ad ostium portae domus Jovae*, templi, *quae ad septentrionem* spectabat; cf. supra Vs. 3. 5. infra 9, 2. וְהִנֵּה־שָׁם הַנָּשִׁים יֹשְׁבוֹת מְבַכּוֹת אֶת־הַתַּמּוּז *Et en! ibi mulieres quae sedentes Thammuzum plangebant.* Cultum *Adonidis*, Syris receptum, describi, recte monuit Hieronymus: „Quem nos *Adonidem* interpretati sumus, et Hebraeus et Syrus sermo *Thamuz* vocat: unde quia juxta gentilem fabulam in mense Junio amasius Veneris et pulcherrimus juvenis occisus et deinde revixisse narratur, eundem Junium mensem eodem appellant nomine (cf. J. D. Michaelis Commentat. *de mensibus Hebraeorum* §. 6. p. 29. 30. *Commentationum in Societate Gotting. per annos* 1765 — 1768. *praelectarum)*, et anniversariam ei celebrant solennitatem, in qua plangitur a mulieribus quasi mortuus, et postea reviviscens canitur atque laudatur. — Eadem gentilitas hujuscemodi fabulas Poetarum, quae habent turpitudinem, interpretatur subtiliter, interfectionem et resurrectionem Adonidis planetu et gaudio prosequens, quorum alterum in seminibus, quae moriuntur in terra, alterum in segetibus, quibus mortua semina renascuntur, ostendi putat.“ Pluribus orgia in Adonidis honorem celebrata describit Lucianus *de Dea Syria* T. III. p. 454. edit. Reiz. Cf. Jon. te Water *Auctarium ad P. E. Jablonskii Opuscula*, T. I. p. 453. et Matth. Norbergii *Onomast. codicis Nasaraei* p. 145. Nominis etymon et significatio obscurum est. *Thammuzum* autem, s. *Adonin* non alium esse quam *solem*, cujus discessum ad inferiorem hemisphaerii partem, autumno et hyeme, luctus simulatione repraesentarunt, reditum vero, sub veris initio, laetis ritibus celebrarunt, ostendit Macrobius *Saturnal.* I. Cap. 21. et Dupuis *Origine de tous les cultes, ou Religion universelle*, T. IV. P. I. p. 177. sqq. et T. VI. p. 206. sqq. Cf. *das alte u. neue Morgenl.* T. IV. No. 1047. p. 318. sqq. Quod ceterum vates noster mu-

liercs Thammuzum plangentes describit *sedentes* (יֹשְׁבוֹת), luctus signum erat, vid. Neh. 1, 4. Ps. 137, 1. Matth. 27, 61.

15. *Iterum videbis* תּוֹעֵבוֹת גְּדֹלוֹת מֵאֵלֶּה *abominationes magnas prae illis*, illis quae Vs. 14. descriptae sunt, majores, quippe in loco sacratiore admissas.

16. וַיָּבֵא אֹתִי אֶל־חֲצַר בֵּית־יְהוָה הַפְּנִימִית *Duxitque me ad atrium domus Jovae interius*, i. e. sacerdotum, vid. ad Vs. 3. בֵּין הָאוּלָם וּבֵין הַמִּזְבֵּחַ *Inter vestibulum* s. *porticum* ante portam aedis, ad plagam orientalem (cf. 1 Reg. 6, 3. 1 Par. 28, 11.) *et altare* scil. holocausti, cf. Joel. 2, 17. כְּעֶשְׂרִים וַחֲמִשָּׁה אִישׁ *Circiter viginti quinque viros*, quos verisimile est fuisse sacerdotes, quoniam locus, in quo stabant, solis sacerdotibus destinatus erat. Lightfoot in *Chronolog. V. T.* in *Opp.* P. I. p. 124. capita *viginti quatuor* classium sacerdotalium, cum ipso *Pontifice maximo*, quorum erat Deo servire ad altare, significari existimat. אֲחֹרֵיהֶם אֶל־הֵיכַל יְהוָה *Quorum posteriora erant versus templum Dei*, aversi ab ea parte, in qua erat adytum (quod hic *templum* vocatur, quod pars templi dignior esset), ac si ipsum pro ludibrio haberent, aut post tergum quasi rejecissent, cf. infra 23, 35. וּפְנֵיהֶם קֵדְמָה *Et vultus eorum orientem versus.* וְהֵמָּה מִשְׁתַּחֲוִיתֶם קֵדְמָה לַשָּׁמֶשׁ *Et illi prostrati erant orientem versus ad solem*, more gentium carum, quae orientem solem adorabant, Persarum inprimis, vid. Hydii *Histor. Relig. Vett. Persar.* Cap. 4. p. 117. sqq. edit. Oxon. 1760. Hinc Vitruvius *Archit.* L. IV. Cap. 3. *Templa*, inquit, *eo pacto sunt constituenda, ut aedis signum seu simulachrum spectet ad vespertinam coeli regionem, ut supplicantes signa quasi cum sole exorientia intueantur et suspiciant.* Quem ritum Jobus exsecratum se esse profitetur 31, 26. (ad quem loc. not. cf.). Hujus superstitionis exstirpandae gratia Deus praecepit, ut facies tabernaculi primum, deinde etiam templi, conversa esset ad Orientem, Oraculum autem, in quo erat arca, ad Occidentem spectaret, ita ut adoraturi converterentur ad Occidentem. At vero sacerdotes Jovae, quorum intererat, legem vindicare, et illius ritus religiosius observare, legis immemores, verterunt terga contra arcam Domini, atque ad Orientem conversi solem venerabantur, contra interdictum Deut. 17, 3. Vox מִשְׁתַּחֲוִיתֶם plerisque composita videtur ex Participio (מִשְׁתַּחֲוִים) et secunda plural. Praeteriti Hithpael (הִשְׁתַּחֲוִיתֶם) cum occulta apostrophe, cujus vim Kimchi hoc modo explicat: „Propheta volebat dicere וְהֵמָּה מִשְׁתַּחֲוִים *et ipsi incurvabant se;* at conspectu commotus sermonem ilico in interrogationem convertit, quasi dicat: וְאַתֶּם הִשְׁתַּחֲוִיתֶם *vosne incurvatis vos?* Alia ratione rem expedire studuit Ludov. de Dieu in *Grammat. Linguar. OO. inter se collatar.* p. 371. 375., qui, postquam observasset, peculiare esse Chaldaeis et Syris, quod pronomina primae et secundae personae componantur in modum affixorum, sed in casu recto cum

participiis etc., ut participium exponatur per praesens Indicativi (c. g. פָּקַדְנָא *jubeo ego*, פָּקַדְתְּ *jubes tu*), haec addit: „Videtur haec pronominis cum participio Benoni compositio etiam in Hebraismo interdum usurpata, ut וְיוֹלַדְתְּ אַתְּ *et paries*, quasi וְיוֹלֶדֶת אַתְּ Gen. 16, 11. Et cum י in fine, more Syrorum, וְשַׁבְתִּי בַּלְּבָנוֹן מְקֹנַנְתִּי בָּאֲרָזִים *quae habitas tu in Libanon, quae aedificata es tu in cedris*, Jer. 22, 23. שֹׁכַנְתִּי *quae habitas tu*, Jer. 51, 13. Quae si scriberentur שֹׁכֶנֶת, יוֹשֶׁבֶת, מְקֹנֶנֶת, יוֹלֶדֶת, plane essent formae Syriacae. Sic in plurali מְשַׁתַּחֲוִיתֶם *adoratis*, Ezech. 8, 6., quasi מְשַׁתַּחֲוִים אַתֶּם.“ Sed quominus hoc admittatur impedit tertiae personae Pronomen, הֵמָּה quod praemittitur. Verum videtur מְשַׁתַּחֲוִיתֶם librarii alicujus sphalma esse pro מְשַׁתַּחֲוִים, quomodo plures Kennicotti et De-Rossii codices habent, probante Dathio et De-Rossio, qui „emendanda,“ inquit, „ergo lectio communis, potissimum quum in confirmanda lectione regulari מְשַׁתַּחֲוִים bini hispaniei mei consentiant 575. et 782. Toletanus, anni 1277. magnae apud Norzium auctoritatis et fidei.“ Neque suffixum a veterum ullo exprimitur. Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 464.

17. הֲנִקַּל Niphal formae נָמַס, cf. 1 Reg. 16, 31. 1 Sam. 18, 23. *Num leve est?* An pro nihilo ducit Juda, talia scelera designare? מֵעֲשׂוֹת Q. d. *ex eo, quod faciunt*, eadem constructio Jes. 49, 6. נָקֵל מִהְיוֹתְךָ לִי עֶבֶד *leve*, i. e. nimis vile *est, ut mihi sis servus.* Cf. Storrii *Observatt.* p. 449. sqq. Coccejus: *an leve* erat *domui Judae prae ut facerent*, i. e. an illa abominanda perpetrare, tanti ipsis non est visum, nisi etiam hoc adderent? כִּי־מָלְאוּ אֶת־הָאָרֶץ חָמָס *Quod* insuper *implent*, s. *impleverunt* (sub Manasse et Amone) *terram violentia*, cf. 7, 23. 9, 9. Mich. 6, 12. חָמָס compleetitur injurias omnes hominibus illatas, תּוֹעֵבוֹת vero impietatem in Deum, ritus superstitiosos imitando. Alii: *quod* s quum jam *impleverint terram injuria*, hoc sensu: tam leve erat, adversus homines fuisse injuriosos, quod superimponunt peccatorum lanei, contra Deum esse impios? וַיָּשֻׁבוּ לְהַכְעִיסֵנִי *Et* post ineeptam vix sub Josia emendationem *reversi sunt ad irritandum me* impietate. Insanus deorum falsorum cultus ita animos insederat, ut, quidquid ageret Josias ad illos exterminandos, ipsi tamen mox summa levitate ad ingenium redirent suum, et *a Deo aversi manerent aversione perpetua*, ut dicit Jeremias 8, 5. וְהִנָּם שֹׁלְחִים אֶת־הַזְּמוֹרָה אֶל־אַפָּם *Et ecce illi mittunt palmitem ad nasum suum.* Ritum aliquem superstitiosum in solis honorem usurpatum innui, ex orationis contextu, et prophetae scopo colligere licet. Qualis vero ille fuerit, haud liquet. זְמוֹרָה, quod proprie *ramum* s. *palmitem* ab arbore abscissum (a זָמַר *putavit*), omnibus, quibus legitur, locis significare constat (vid. infra 15, 2. Num. 13, 23. Jes. 17, 10.), hoc loco denotare *thyrsum* quem Bacchi festo in honorem ejus gestare solebant, atque his verbis שֹׁלְחִים אֶל־אַפָּם describi certum gestum, quo concussus

inter saltandum vel adorandum thyrsus faciei ac naribus admoveretur, conjectura est Arn. Bootii in GATACKERI *Adversarr. Miscellann. posth.* Cap. 48. p. 924. Multa de ritu isto vid. in LACKEMACHERI *Observatt. philologg.* P. I. p. 41. sqq. et 53. Sed potius e Persarum, solem, sive ejus symbolum, ignem, adorantium, ceremoniis sacris nostri loci explicatio petenda videtur. Magi ignicolae inter precandum virgarum fasciculum manibus tenere solent, quibus vim contra daemonia tribuunt. *Barsom* vocantur lingua Persica, suntque longitudine unius spithamae, tenues et enodes, ab arboribus Gez aut Hom, vel, earum defectu, a malogranato resectae. Vid. HYDII *Histor. Relig. Veter. Persar.* L. I. C. 27. p. 350. 351. ed. Oxon. 1760., et *Zendavesta* a Kleukero germanice reddit. Vol. III. p. 204.

18. וְגַם־אֲנִי אֶעֱשֶׂה בְחֵמָה *Unde etiam ego agam* cum iis *cum furore* per justissimam talionem. לֹא־תָחוֹס עֵינִי vid. 5, 11. וְלֹא אֶשְׁמַע אוֹתָם *Nec audiam eos.* Chaldaeus: *nec suscipiam preces eorum.*

CAP. 9.

Argumentum.

In Hierosolymitanos ob flagitia ab iis commissa, et Cap. superiori descripta Deus ministris suis mandat vindictam exercere (Vs. 1. 2 3.), signatis tamen antea peccata sua lugentibus, communi exilio eximendis (Vs. 4.); cetera vero omnis multitudo interneccione delctur (Vs. 5. 6. 7.), vate pro illis deprecatore sese frustra praebente (Vs. 8 — 11.).

1. וַיִּקְרָא *Clamavit* sc. ille, qui hactenus loquutus est, Jova (Vs. 4.), tanta impietate lacessitus et ad vindictam provocatus. בְּאָזְנַי *In auribus meis*, i. e. me audiente, ut recte Hieronymus infra Vs. 5. et 10, 13. hanc dictionem reddidit. Ita et Chaldaeus: *et clamavit, me audiente.* קוֹל גָּדוֹל *Voce magna*, subaudiendum בְּ ante קוֹל, ut בְּפִי *ore*, pro בְּפִי Ps. 17, 10. 66, 17. coll. 89, 2. Quae vocis contentio indignationis divinae index, et tanquam *κέλευσμα* erat ministris supplicia impiis istis divinitus destinata exsequuturis. קָרְבוּ פְּקֻדּוֹת הָעִיר *Afferte poenas hujus urbis.* קָרְבוּ h. l. non est Praeteritum, sed Imperativus Piel, ut Jes. 41, 21. קָרְבוּ רִיבְכֶם *adferte litem vestram.* Ita et h. l. hebraea proprie sonant: *adferte visitationes urbis*, i. e. supplicia a me judice, sceleribus istis cognitis, urbi illi a me decretis. Eodem significatu פְּקֻדּוֹת Jer. 10, 15. 21, 23. Hos. 9, 7. usurpatur. Nam פָּקַד, *visitare*, est munus exsequi praesidis invisentis provinciam, qui alios quidem vindicat ab injuriis, alios punit, unde pro *punire* dicitur Num. 14, 18. Ps. 88, 33. Cf. STORRII *Observatt.*

p. 218. not. Ante פְּקֻדּוֹת subaudiendum esse אַנְשֵׁי *viri visitationum*, docet Versus proximus; cf. Zach. 8, 13. 2 Reg. 3, 26. et not. supra ad 2, 8. וְאִישׁ כְּלִי מַשְׁחֻתּוֹ בְיָדוֹ *Et vir*, i. e. unusquisque *instrumentum perditionis ipsius in manu ejus*, i. e. letiferum instrumentum, *quo perditurus est ipse* cives.

2. שִׁשָּׁה אֲנָשִׁים *Sex viri*, irae divinae ministri et executores. Supervacanea est Grotii conjectura, innui duces exercitus Nebucadnezaris, qui non solum ex sex partibus urbem oppugnarint, sed totidem numero cam etiam occuparint. בָּאִים מִדֶּרֶךְ־ שַׁעַר הָעֶלְיוֹן אֲשֶׁר מָפְנָה צָפוֹנָה *Venientes ex via* s. *per viam portae superioris, quae spectat ad septentrionem.* Videtur propheta iis verbis significasse portam aquilonarem atrii sacerdotum, nam, ut videbimus Cap. 40., ante singulas portas aliquot gradus erant excitati. Unde portae interiores erant superiores exterioribus, portaeque exteriores inferiores merito dicebantur, ut ex loco infra 40, 19. constat. Venire autem *de via portae* est per viam portae incedere: neque enim sensus est, viros profectos ex alia porta exteriori, quae superior diceretur, iter suscepisse versus atrium interius, quum illa porta exterior diceretur *inferior*, ut monuimus. Sed ea est mens prophetae, viros illos per medium atrium aquilonare venientes incessisse per viam, quae ducebat ad portam superiorem, atque interiorem atrii Israelis, quare statim subdit: *ingressique sunt et steterunt juxta altare*, etc. Quod per *aquilonarem* portam noster viros istos ingressos describit, caussam quidam comminiscuntur hanc, ut plaga coeli innuatur, unde hostes urbem destructuri sint venturi. Cf. not. supra ad 1, 4. Sed recte THEODORETUS: *quum ab aquilone et idolum positum esset, et mulieres Thammuz lugerent, convenienter inde aditum reperit supplicium.* Vid. supra 8, 3. 5. 14. מָפְנָה propr. *respiciens facta est* (Hophal, coll. הֻפְנוּ Jer. 44, 8.), i. e. obversa est. וְאִישׁ כְּלִי מַפָּצוֹ בְיָדוֹ *Et quisque instrumentum allisionis*, destructionis *suae*, i. e. quo destrueret, *in manu sua.* כְּלִי מַפָּצוֹ i. q. כְּלִי מַשְׁחֻתּוֹ Vs. 1. Cf. Jer. 51, 20. sqq. לָבוּשׁ בַּדִּים *Lineis vestibus indutus*, qui habitus, quum sit candidus, sacer et sacerdotalis fuit, qualis erat Pontificis maximi, vid. Levit. 6, 3. 16, 4. 23. 2 Sam. 6, 14. Eodem vestitu indutus describitur Angelus Dan. 10, 5. 12, 6. 7. *Lineas* autem vestes voce בַּדִּים significari, patet ex eo, quod idem vestitus sacerdotum, qui locis Levitici indicatis בַּדִּים, Exod. 39, 28. שֵׁשׁ *byssinus* (cf. not. nostr. ad Gen. 41, 42. et Exod. 25, 4.), et infra apud nostrum 44, 17. פִּשְׁתִּים appellatur. בַּד i. q. arab. בַּז *byssus*, permutatis ד et ז. Syrus h. l. recte בוּצָא, quod idem, posuit. Ex iis autem, quae de hoc viro lineis induto mox dicentur, eum referre patet imaginem *salvatoris*, sequestris et mediatoris inter divinam justitiam et humanum genus. וְקֶסֶת הַסֹּפֵר בְּמָתְנָיו *Et capsulam scribae in lumbis suis.* Nomini קֶסֶת quidam *cinguli* significatum tribue-

runt, quod proxime *lumborum* (מָתְנַיִם) fit mentio, imo eo progressi sunt, ut pro הַסַּפָּר, *scribae*, legere maluerint הַסַּפִּיר, *sapphiri*, ut intelligenda sit *zona sapphirina*. Ita LXX: *καὶ ζώνη σαπφείρου*. Sed vulgo receptam sententiam, vocibus קֶסֶת הַסֹּפֵר *thecam scriptoris*, i. e. atramentarium indicari, idoneis argumentis vindicavit C. B. Michaelis in Dissert. quae inscribitur: *Ritualia quaedam codicis sacri ex Alcorano illustrata*, Hal. 1739. (repetita cum additamentis in *Sylloge Commentatt. Theologicar.* a. D. J. Pott edita, Vol. II. p. 75 sqq.) §. 2. Nomen קֶסֶת observat derivari a themate קָסָה (uti קָשַׁת, קָצַף, רָשַׁשׁ, a קָשָׁה, צָפָה, רָשַׁה), quod eum כָּסָה, *texit*, ita concinat, uti קָהָה cum כָּהָה *hebescere*, קוֹבַע cum כּוֹבַע *galea*, cet., et hinc vaseulum *tegi* solitum, seu *tegendis* atramento et calamis significare, tum vero radicalibus literis et sono convenire cum Hebraico קַשְׂוָה et Chaldaico קַסְוָה *scutella*, Graeco item *κίστη*, Latino cista, et nostro *Kiste*. Et scriptorium apparatum fuisse, patet praeterea inde, quod consignandis in fronte hominibus inserviebat, Vs. 4. Quod autem atramentarium *in lumbis*, i. e. ad lumbos, s. in zona lumbis praecincta, gestatum h. l. dicitur, cum hodierno more Orientalium convenire, idem Michaelis monet. „Nos," inquit, „ex ore complurium Graecorum, Constantinopoli huc advectorum, studiisque in hac academia in convictu nostro annis 1705. et 1706. operatorum, accepimus, Graecos, et Turcos inprimis, quotquot eruditi sint, hodienum id in consuetudine habere, ut in publicum prodeuntes, atramentarium, cum adjuncto calamario, more Persico confectum, figura oblonga, inter cingulum et lumbos cum catena argentea pendulum gestent; idque ipsos idiotas, sed fortunis et opibus florentes, ut pro literatis habeantur, imitari nonnunquam." Ejusmodi atramentarium imagine repraesentari in Rich. Pocockii *Descript. Orientis*, T. I. Tab. 57. fig. 50. observat Pott in nota subjecta, ubi idem ille mos alio praeterea testimonio confirmatur. Cf. quae ex aliis Itinerum scriptoribus attulimus in *dem a. u. n. Morgenl.* P. IV. No. 1050. p. 323. וַיָּבֹאוּ וַיַּעַמְדוּ אֶצֶל מִזְבַּח הַנְּחֹשֶׁת *Et ingressi sunt* in atrium interius, *et steterunt*, exspectantes nutum ac mandatum divinum, *juxta altare aeneum*, sive holocaustorum (1 Reg. 8, 64.), quod in atrio populi sive Israelis positum erat. *Aeneum* vocat ad differentiam *aurei*, sive *altaris suffitus*, quod stabat in aula sancta ante adytum. Quod autem viris istis locus juxta altare holocaustorum est datus, Grotius suspicatur ideo esse factum, quod Deo multas paraturi erant victimas, quibus comparantur scelerati, de quibus Deus vult ultionem sumere, Jes. 34, 6. Jer. 12, 3. 46, 10. Ezech. 39, 17.

3. וּכְבוֹד אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל *Et gloria Dei Israelis.* Dissentiunt interpretes, num *gloria Dei*, quae hic memoratur, sit eadem, quam viderat in campo juxta fluvium Chobar C. 1.; an ea, quae

residebat in Templi oraculo: quasi vero haec alia sit ab illa, et non potius ab ea repraesentetur. *Gloria Domini* est Dei facies, qua se exhibere solebat praesentem in Templo, hoc est, solium ejus gloriosum, factum ex alis Cherubim, elevatum super propitiatorium arcae foederis. Cujus similitudo Vati ostensa est, cum C. 1. juxta flumen Chobar, tum C. 8., cum raptus est in ecstasin, visurus, quae in Templo fiebant, abominanda. נַעֲלָה מֵעַל הַכְּרוּב אֲשֶׁר הָיְתָה עָלָיו *Sublata est a Cherubo, super quo fuerat* antea. Cherubi h. l. intelligendi sunt, qui in adyto erant super propitiatorio, ligno oleagineo confecti, et 1 Reg. 6, 23. pluribus descripti, super quibus nubes gloriae Domini residebat (cf. 2 Sam. 6, 2.), quae quum adyto emigraret, Cheruborum *animatorum* (de quibus C. 1. et infra 10, 5. 6.) alis attollebatur. Alii eos intelligunt super quibus gloria Domini tunc apparebat prophetae supra 8, 4. אֶל מִפְתַּן הַבַּיִת Recipiens se *ad limen aedis* (10, 4. 18.), ut significaret, se jam loco cessurum ob impietatem populi, atque ut propius accederet ad judiciorum suorum ministros, quibus, quasi pro tribunali sedens, mandaret, ut urbem vastarent.

4. עֲבֹר בְּתוֹךְ הָעִיר *Transi per medium urbis*, per urbem. וְהִתְוִיתָ תָּו — וְהַנֶּאֱנָקִים *Et signabis signum super frontes virorum gementium et alie suspirantium.* Eorum, quos peccatorum poenitet, frontes vir ille lineo indutus et atramentario instructus, jubetur notâ signare, unde occisores illi agnoscerent, quibus parcendum esset, Vs. 6. Illa nota autem qualis fuerit, Judaeorum jam Origenis tempore variae erant conjecturae. Ex illius annotatione, prout a Montfauconio in Nott. ad Hexapla ad h. l. e cod. ms. est prodita, in Commentario ad h. l. haec tradit Hieronymus: „Pro *signo*, quod Septuaginta, Aquila et Symmachus transtulerunt, Theodotio ipsum verbum Hebraicum posuit *Thau*, quae extrema est apud Hebraeos viginti et duarum literarum, ut perfectam in viris gementibus et dolentibus scientiam demonstraret. Sive, ut Hebraei autumant, quia Lex apud eos appellatur *Thora*, quae hac in principio nominis sui litera scribitur, illi hoc accipere signaculum, qui Legis praecepta compleverant. Et, ut ad nostra veniamus, antiquis Hebraeorum literis, quibus usque hodie utuntur Samaritani, extrema, *Thau*, litera, crucis habet similitudinem, quae in Christianorum frontibus pingitur, et frequenti manus inscriptione signatur.“ Etsi autem in iis, quibus Samaritani hodie utuntur, literis *Thau* crucis formam non habeat, minime tamen propterea Hieronymus erroris est arguendus; nam in vetustis Phoeniciis nummis litera Thau vere cruci non absimilis est, utpote quae hujusmodi figuram ✝. ✕. †. habet, e qua Graeci et Latini T forma est orta. Vide U. T. Kopp *Bilder und Schriften der Vorzeit* P. II. p. 218. 324. Huc pertinet, quod arabicum תוי *signum* notat *in animalis femore vel collo impressum crucis forma.* Cf. H. E. G. Pauli *archäologische Beob-*

achtungen über semitische, besonders hebräische Lesezeichen, in *den Memorabilien* P. IV. p. 124. „Hieronymi sententia," inquit PRADUS ad h. l., „confirmatur ex siclo argenteo Hebraeorum, quem noster Arias Montanus apud se habet, in quo non semel observavimus, literas veteres Hebraeorum, quarum Hieronymus meminit, Graecorum elementis haud absimiles. Quum ergo Graecorum T manifestam habeat crucis imaginem, consequens est, eandem repraesentasse antiquum Thau Hebraeorum. Eandem sententiam probat TERTULLIANUS, Hieronymo et Origene vetustior. *Da*, inquit [*adversus Marcion.* L. III. C. 22.], *signa Thau in frontibus virorum: ipsa est enim litera Graecorum, Thau, nostra autem T species crucis.* Quod vero qui a communi strage servandi erant, *crucis*, nec alia figura signabantur, ratio videtur haec fuisse, quod *crux* esset *vitae* symbolum in Veterum arcana disciplina. Certe hoc fuit in Aegyptiorum sacris (vid. JABLONSKII *Opuscula* T. I. p. 254. sqq.), quibuscum plerique antiquitatis populi suis in sacris aut communia, aut certe non absimilia habuerunt, quae vel ab illis ipsis petita erant, vel, quod mihi quidem magis sit verisimile, ex communi aliquo fonte ulterius sunt repetenda. Sed nostro loco nomine תָּו simpliciter *signum* videtur indicari, quodcunque illud fuerit. Ita LXX: *καὶ δὸς σημεῖον*. Nec non Syrus et Chaldaeus: *et nota signum.* Cum his consentit CAMPEG. VITRINGA, qui in *Observatt. SS.* L. II. C. 15. §. 8. *τὸ* תָּו h. l. non exponendum censet *τεχνικῶς* de *litera hujus nominis*, in Alphabeto, sed de signo, hac potissimum ratione ductus, quod in universo V. T. nomina literarum Alphabeti, ad hunc usque diem vulgata, nusquam pro literis illis atque earum figuris usurpantur; veluti עַיִן, פֵּה, בֵּית, וָו, כַּף, quae vocabula omnibus quibus usurpantur V. T. locis non ut figurarum, sed rerum nomina sunt explicanda. „Accedit" pergit, „quod voci תָּו h. l. junctum sit nomen verbale תָּוָה. Quoniam vero apud Hebraeos receptae sunt ejusmodi conjunctiones *verborum* cum *nominibus* ab illis ortis; probabile est, *τὸ* תָּו hic ejusdem esse significationis cum verbo תָּוָה, cui junctum est." Praeterea in parallelo Apocalypseos loco 7, 3. ubi, quum eadem facti species enarretur, nulla tamen *notae* alicujus *literalis* mentio fit. Frontes igitur h. l. signandae dicuntur virorum gementium עַל כָּל־הַתּוֹעֵבוֹת הַנַּעֲשׂוֹת בְּתוֹכָהּ *propter omnia illa abominanda quae facta sunt in medio ejus*, urbis Hierosolymitanae.

5. וְלָאֵלֶּה *Et illis* scil. occisoribus, Vs. 2. Syrus: *et illis qui secum erant.* אָמַר בְּאָזְנָי *Dixit* Deus *in auribus meis*, me audiente. עִבְרוּ בָעִיר אַחֲרָיו *Transite per urbem post eum*, virum *bysso* indutum, de quo Vs. 2. 3. וְהַכּוּ *Et percutite*, occidite (ut הִכָּה Genes. 4, 15. Exod. 2, 12.), obvios vobis factos. אַל־תָּחֹס עֵינֵיכֶם *Ne parcat oculus vester* vid. ad 5, 11. עַל quod in textu verbo תָּחֹס praemissum legitur, non dubium est esse

mendum, et legendum אֵל, quod ad marginem legi jubetur et plures codd. mss. et impressi in textu habent, Kennicotto et De-Rossio testibus; et vett. omnes exprimunt. Pro עֵינֵיכֶם ad marginem עֵינְכֶם legendum praecipitur; et sane Singularis, qui in eadem locutione supra 8, 18. et infra Vs. 10. usurpatur, requirit verbum תָּחֹס.

6. זָקֵן — לְמַשְׁחִית *Senem, juvenem, et virginem, parvulum et mulieres occidatis ad perditionem*, quemadmodum *ad internecionem trucidatus est* dixit *Vellejus Paterculus* L. II. C. 119. וְעַל־כָּל־אִישׁ אֲשֶׁר־עָלָיו הַתָּו אַל־תִּגָּשׁוּ *Sed ad omnem virum super quo*, in cujus fronte est *illud signum* de quo Vs. 4., *ne accedatis* ad eum occidendum. Verbum נָגַשׁ hic per עַל cum nomine construitur, ut infra 44, 13., pro אֶל, ut alias, v. c. Lev. 21, 23. Num. 8, 19. וּמִמִּקְדָּשִׁי תָּחֵלּוּ *Et a Sanctuario meo*, i. e. ab illis, qui in templo sunt, et gravius peccarunt, *incipite.* LXX: *καὶ ἀπὸ τῶν ἁγίων μου ἄρξασθε*, quasi וּמִמִּקְדָּשַׁי legissent. Sed existimo illos potius *sanctuarium* accepisse pro iis, qui in eo versabantur, quomodo et recte sensum THEODORETUS explicat, et post eum HIERONYMUS: „Quodque sequitur, *et a sanctuario meo incipite*, sive, ut Septuaginta transtulerunt, *et a sanctis meis incipite*, vel sacerdotes significat, qui versabantur in Templo et adorabant idola; vel eos, qui pro sacerdotii merito *sancti* vocabantur in populo; et qui fuerant in populis caussa peccati, primi merucre supplicia.“ Aquila et Theodotion: *ἀπὸ τοῦ ναοῦ.* וַיָּחֵלּוּ בָּאֲנָשִׁים הַזְּקֵנִים אֲשֶׁר לִפְנֵי הַבָּיִת *Inceperunt ergo a viris senioribus, qui erant ante domum, templum.* Occiduntur viri seniores, de quibus supra 8, 10. 11. legimus, quod haberent thuribula, et adolerent idolis incensum.

7. טַמְּאוּ אֶת־הַבַּיִת *Contaminate domum*, sanguine occisorum polluite templum a Deo destitutum. Nam tactis cadaveribus polluebantur homines, utensilia et domus, Num. 19, 11., quod statim explicat: וּמַלְּאוּ אֶת־הַחֲצֵרוֹת חֲלָלִים *et implete atria interfectis.* Non est, inquit, quod revereamini templum quasi sacrum, non reputo amplius eadem meam, quam tot superstitionum sordibus polluerunt. *Domum* vocat more solito atrium interius; *atria* (חֲצֵרוֹת) vero reliquas areas in circuitu illius constructas: nam atrium Israel in novem dividebatur atria, vel areas subdiales, porticibus cinctas, ambiebatque undique Sanctuarium, vel domum, sive atrium interius. צְאוּ וְיָצְאוּ וְהִכּוּ בָּעִיר Deinde *exite* e templo in urbem; *exiverunt igitur et percusserunt in urbe* non signatos.

8. כְּהַכּוֹתָם *Cum illi caederent* omnes sine discrimine. In codicibus pluribus Kennicotti et De-Rossii legitur בְּהַכּוֹתָם cum *Beth*, sensu haud diverso. וְנֶאשְׁאַר אֲנִי *Et relictus essem ego* solus, scilicet caesis sacerdotibus et senioribus, qui in Templo fuere, quorum nullus signatus fuit; nam supra Vs. 4. vir ille

lineo indutus jussus fuit signare aliquos in civitate, sed neminem in Templo. Caede igitur in Templo peracta jubentur carnifices in urbem egredi, dumque illi in cives saeviunt, propheta solus in Templo relictus, in faciem se prosternit, deprecantis habitu. נֶאשָׁאַר, tertia persona Praeteriti Niphal, cum Aleph epenthetico, ponitur pro prima, q. d. *is*, *qui remansit*, *ego* ipse fui, subaudito אֲשֶׁר, ut saepe alias. Sed GESENIUS *Lehrgeb.* p. 463. נֶאשָׁאַר e duabus lectionibus נִשְׁאַר (Praeterit. Niphal) et אֶשָׁאַר junctis ortum existimat. Sane in pluribus codicibus legitur וְנִשְׁאַר, sine א epenthetico. In uno De-Rossii codice ad marginem וְנִשְׁאַר tanquam Keri notatum est. In paucis aliis codd. exstat ואשאר sine נ, quod De-Rossi *et superstes fui*, s. *remansi* explicat, et recte hoc quidem, si punctis hisce vocalibus est instructum: וָאֶשָׁאַר. — וָאֶפְּלָה עַל־פָּנַי *Et cecidi super faciem meam*, supplicaturus Deo, Num. 17, 10. Jos. 7, 6. וָאֶזְעַק *Et clamavi.* Codex Kennicotti 178. membranaceus seculi 14. ineuntis, addit קוֹל גָּדוֹל *voce magna*, ut est infra 11, 13. consentiente Syro. הֲמַשְׁחִית אַתָּה עֹל־יְרוּשָׁלִַם *Num perdens tu* eris *omne reliquum Israelis*, *dum* totam *effundis iram tuam?*

9. מְאֹד — עָוֹן *Perversitas domus Israelis et Judae magna* est *in fortitudine fortitudinis*, vehementissima. מְאֹד proprie est nomen radicis אוּד, quae Arabice *firmus*, *validus evasit* denotat, sed plerumque pro Adverbio *valde* usurpatur. וְהָאָרֶץ דָּמִים *Et repleta est haec terra sanguinibus*, caedibus. Pro דָּמִים legitur חָמָס *violentia*, in editionibus nonnullis seculi sexti decimi; nec tamen a veterum ullo exprimitur. הָעִיר מְלֵאָה מְשֻׁבָה *Et urbs repleta est perverso.* מְשֻׁבָה Participium Hophal verbi נָטָה, *declinavit*, quod alii intelligunt de defectione a veri Dei religione, de qua illud 1 Reg. 11, 9. Jes. 44, 20. usurpatur, alii de perversione justae causae in judicio, sive iniquitate (cf. Deut. 27, 19. אָרוּר מַטֶּה מִשְׁפַּט גֵּר־יָתוֹם *exsecrabilis, qui jus peregrini, pupilli pervertit;* et Amos. 5, 12. וְאֶבְיוֹנִים בַּשַּׁעַר הִטּוּ *et causam egenorum in judicii loco pervertunt)*, quod h. l. praeferendum, quod caedes (דָּמִים), sive crudelitas, et injustitia saepius solent conjungi ad universam vitiorum cohortem significandam, cf. Ps. 24, 4. Jes. 1, 21. Hos. 4, 2. Chaldaeus: *et civitas plena est perversione judicii.* כִּי אָמְרוּ עָזַב יְהוָה אֶת־הָאָרֶץ *Nam dicunt: reliquit Jova terram*, ut supra 8, 12. וְאֵין יְהוָה רֹאֶה *Nec vidit Jova* scil. quae in terra agunt homines, ea non curat. Cf. Ps. 94, 7. „Caussa tantorum scelerum illa est, quod putaverant providentiam non esse super terram, nec Deum curare mortalia, juxta illud, quod alibi legimus [*Aeneid.* 4, 379.]: *Scilicet is Superis labor est, ea cura quietos Sollicitat.*“ HIERONYMUS.

10. וְגַם אֲנִי *Ideo etiam ad me* quod attinet. לֹא־תָחוֹס עֵינִי *Non parcet oculus meus*, cf. not. supra ad 8, 18. דַּרְכָּם בְּרֹאשָׁם נָתָתִי *Viam eorum in caput eorum dabo*, pro vitae ratione iis rependam, ut 11, 21. et saepius.

11. הָאִישׁ לָבוּשׁ הַבַּדִּים וגו׳ *Vir ille indutus lineo*, rel. vid. supra Vs. 2. מֵשִׁיב דָּבָר *Reduxit verbum*, responsum referebat, ut Genes. 37, 14. Num. 13, 26. עָשִׂיתִי כַּאֲשֶׁר צִוִּיתָנִי *Feci quemadmodum praecepisti mihi.* „Uti Centuriones Romae Imperatoribus dicere solebant: *factum est quod imperasti.* Sensus hic est: provisum, ut piis parcatur.“ GROTIUS. Pro כַּאֲשֶׁר ad marginem legi praecipitur כְּכֹל אֲשֶׁר, *secundum omne quod*, quod plures codices Kennicotti et De-Rossii in textu habent, nec non Biblia Soncinensia, Complutensia, Talmud Babylonicum, et Targum cod. De-Rossii 737. „Inutilis tamen,“ inquit DE-ROSSI, „Masoretharum correctio, ut contra omnium Veterum fidem, unde retinendum כתיב, seu lectio textualis, multique codices legunt כַּאֲשֶׁר, cum suis punctis, sine ullo Keri.“

CAP. 10.

Argumentum.

Objicitur vati eadem, quam C. 1. descripserat, visio (Vs. 1. 3. 4. 5. 8. sqq.), et audito mandato de effundendo per urbem igne (Vs. 2. 6. 7.), videt gloriam Domini templo emigrantem, quam non diversam esse comperit ab ea, quam ad flumen Chobar conspexerat (Vs. 20. 21. 22.).

1. Dum vates animadverteret ad eum, qui ipsum alloquebatur (9, 9.), vidit Cherubos agentes currum gloriae Dei, atque supra eorum capita extensum firmamentum, seu coelum quoddam, cui impositum apparebat solium regale ex sapphiro, uti videbatur. Haec eadem enarravit supra 1, 26. וָאֵרְאָה וְהִנֵּה אֶל־הָרָקִיעַ *Et vidi, et en! super expanso illo* s. *firmamento.* אֶל hic valet עַל *super*, ut supra 2, 10. וְכתוּב אֵלֶיהָ *et scriptum erat super eo*, volumine. Vid. et infra 11, 11. Quos vero hic כְּרֻבִים, eosdem supra 1, 5. sqq. חַיּוֹת *animantia* vocat; cf. not. ad eum locum. כְּמַרְאֵה דְמוּת כִּסֵּא נִרְאָה עֲלֵיהֶם *Sicut adspectus similitudinis* s. *formae throni conspiciebatur super iis.* Cf. 1, 16.

2. וַיֹּאמֶר *Dixitque*, scil. is, qui solio insidebat, de quo 1, 26. אֶל־הָאִישׁ לָבֻשׁ הַבַּדִּים *Ad virum lineis indutum*, de quo supra 9, 2. 11. בֹּא אֶל־בֵּינוֹת לַגַּלְגַּל *Veni ad interstitium*, intervallum *rotae*, i. e. rotarum, Singulari collective pro Plurali posito, ut infra Vs. 13. אֶל־תַּחַת לַכְּרוּב *Ad* locum qui *subter Cherubum*, s. *Cherubos*; וּמַלֵּא חָפְנֶיךָ גַּחֲלֵי־אֵשׁ מִבֵּינוֹת לַכְּרֻבִים *et imple pugillos tuos prunis ignis ex intermedio Cheruborum*, i. e. rotarum Cherubicarum. וּזְרֹק עַל־הָעִיר *Et sparge* eas *super hanc urbem.* Symbolice significatur, consumendam esse Hierosolymam judiciis divinis. וַיָּבֹא לְעֵינָי *Intravit ergo ad oculos meos*, me vidente, ut Vs. 19. Ceterum hujus visionis *σχῆμα*

concipiendum est tale: apparet currus quatuor rotis constructus, quarum binas anteriores praecedebant Cherubi duo, posteriores vero totidem; super plaustrum solium Dei, ante quod in eodem plaustro visebatur prunarium, inter quatuor rotas, sed eis eminentius; unde conveniens erat, ut prunas capturus vir intraret ad locum intermedium rotarum, i. e. accederet ad latus plaustri inter binas rotas, manumque elevaret ad prunarium, quod erat inter Cherubos.

3. Versus 3. 4. 5. in parenthesi legendos esse, recte GROTIUS monet. EICHHORNIUS (*die bibl. Propheten* P. II. p. 456.) versus hosce ab alia manu textui insertos esse suspicatur, quum iis omissis planiora et clariora sint omnia. וְהַכְּרֻבִים עֹמְדִים מִימִין לַבָּיִת *Et Cherubi stabant a dextra domus. Dextra parte* intelligenda est plaga *meridionalis* (Chaldaeus: מִדְּרוֹם לְבֵיתָא *ab austro domus)*, quod a sinistris, id est, parte *aquilonari*, ritus isti superstitiosi peragebantur, de quibus 8, 5. sqq. et 14. *Dextrum* enim templi latus illud dici, quod ad *meridiem*, uti *sinistrum*, quod ad aquilonem spectabat, multis ostendit C. B. MICHAELIS in *Dissert. de locor. differentia ratione anticae, posticae* etc. §. 29. 30. (in *Sylloge Commentatt. Theologicc.* a D. J. POTT ed. Vol. V. p. 134. sqq.). Eorum sententiae, qui *dextro latere* h. l. *partem* domus *aquilonarem* intelligunt, qua Babylon erat, ut significetur, Chaldaeos eam devastaturos; Michaelis l. c. recte haec opponit: „Certe gloria Dei hic non ut ad irrogandum supplicium veniens, sed ut relicto templo suo discessura [describitur], idque ex adyto templi ad limen ejus 9, 3., hinc vero conscenso curru cherubinico (10, 18.) ad portam atrii orientalem (Vs. 9.), et hinc porro ad montem (olivcti), qui ad orientem urbis (11, 23.), ut vel hinc adpareat, dextrum sinistrumque heic capi debere ex respectu ad orientem." וְהֶעָנָן מָלֵא אֶת־הֶחָצֵר הַפְּנִימִית *Et nubes implevit atrium interius*, sacerdotale, 8, 3. 16. 44, 17.

4. וַיֵּרֶם כְּבוֹד־יְהוָה מֵעַל הַכְּרוּב *Sustulit autem se*, s. *sustulerat se gloria Jovae e loco super Cherubo.* Repetitur hoc ex C. 9, 3., additurque quod sequitur in hoc et sq. Versu. עַל מִפְתַּן הַבַּיִת *Super limen domus. Limine domus* non intelligendum est limen *sanctuarii*, sed *portae atrii*, qua egredi parabat Dei majestas, nomine בַּיִת sensu latiore sumto, ut omnem templi ambitum comprehendat, conf. infra Vs. 18. Quum autem duo fuerint atria, interius, sacerdotum, et exterius, Israelitarum, de interiori esse vati hoc Versu sermonem, ex eo colligitur, quod subdit Vs. sq., auditum esse in atrio exteriori sonum alarum, quem edebant Cherubi praetervolantes atrium interius. וַיִּמָּלֵא הַבַּיִת אֶת־הֶעָנָן *Et repleta est domus nube.* Ad verbum: *plena fuit domus nubem* in se continens; quomodo explicanda est constructio Passivi verbi וַיִּמָּלֵא cum Accusativo nominis rem implentem exprimentis. Ita et 1 Reg. 7, 14. וַיְמַלֵּא אֶת־הַחָכְמָה *et*

repletus erat sapientiam possidens, i. e. plenus erat sapientiâ. וְהֶחָצֵר מָלְאָה אֶת־נֹגַהּ כְּבוֹד יְהוָה *Et atrium repletum est splendore gloriae Jovae.* Cf. 1, 4.

5. וְקוֹל כַּנְפֵי הַכְּרוּבִים נִשְׁמַע הֶחָצֵר הַחִיצֹנָה *Et sonus alarum* collidentium *Cheruborum auditus est in atrio exteriori;* vid. supra 1, 24. כְּקוֹל אֵל־שַׁדַּי בְּדַבְּרוֹ *Sicut vox Dei omnipotentis cum loquitur*, i. e. sicut tonitru, ut recte Symmachus et Theodotion explicarunt; cf. Ps. 29, 4. 5. et supra 1, 24.

6. וַיְהִי *Factum* itaque *est;* redit ad narrationem Versu 1. et 2. inceptam. בְּצַוֹּתוֹ אֶת־הָאִישׁ לְבֻשׁ הַבַּדִּים *Quum praecipere ille*, throno insidens, *viro induto lineis vestibus*, Vs. 2. מִבֵּינוֹת לַכְּרֻבִים *Ex intermedio intra Cherubos*, i. e. ex quadrato illo spatio, quod Cherubi inter se relinquebant; vid. Vs. 2.

7. וַיִּשְׁלַח הַכְּרוּב אֶת־יָדוֹ *Et misit*, extendit, unus *Cheruborum manum suam.* מִבֵּינוֹת לַכְּרֻבִים אֶל־הָאֵשׁ *E* loco *inter Cherubos ad ignem.* וַיִּשָּׂא — וַיִּתֵּן *Sustulitque* ignem *et dedit eum ad pugnos induti lineis vestibus, qui illum accepit exiitque* ad extimi atrii ambitum, prunas in urbem ex mandato Dei (Vs. 2.) effusurus. Cf. Apocal. 8, 5.

8. תַּחַת כַּנְפֵיהֶם — וַיֵּרָא *Et visa est Cherubis*, in iis, *species manus hominis sub alis eorum.*

9. Visio haec maximam partem cum visione Capitis primi convenit, vate ipso observante (Vs. 15.); pauca tantum hic adduntur, quae supra nondum adfuerunt. אוֹפָן אֶחָד אֵצֶל הַכְּרוּב *Rota una apud Cherubum unum*, i. e. singulae rotae juxta singulos Cherubos; tot erant rotae, quot Cherubi. LXX haec verba non exprimunt. כְּעֵין אֶבֶן תַּרְשִׁישׁ *Sicut adspectus lapidis chrysolithi*, vid. ad 1, 16.

10. וּמַרְאֵיהֶם *Quod vero* attinet ad *adspectum eorum.* דְּמוּת אֶחָד לְאַרְבַּעְתָּם *Forma una quatuor iis*, pares ac sibi similes erant rotae. כַּאֲשֶׁר יִהְיֶה הָאוֹפָן בְּתוֹךְ הָאוֹפָן *Quasi esset rota in medio rotae;* vid. not. supra ad 1, 16.

11. בְּלֶכְתָּם *Quando ibant* illae rotae, s. illi Cherubi. אֶל־אַרְבַּעַת רִבְעֵיהֶם יֵלֵכוּ *Ad quatuor quadraturas suas ibant;* cf. not. supra ad 1, 17. לֹא יִסַּבּוּ בְּלֶכְתָּם *Non vertebant se dum irent;* cf. not. ad 1, 9. כִּי הַמָּקוֹם אֲשֶׁר־יִפְנֶה הָרֹאשׁ אַחֲרָיו יֵלֵכוּ *Nam ad locum, quo spectabat caput* s. facies cujusque, *post ipsum ibant.* הָרֹאשׁ quidam intelligunt *primum* Cheruborum, qui ceterorum quasi caput esset.

12. וְכָל־בְּשָׂרָם *Tota autem caro* s. *corpus eorum* scil. animantium, s. Cheruborum. סָבִיב — וְגַבֵּיהֶם *Et terga eorum, et manus eorum et alae eorum, et rotae, plenae erant oculis circumquaque.* Species oculorum diffusae erant per omnes horum animantium partes, quum supra 1, 18. solae rotae oculis instructae

dicantur; cf. not. ad illum locum. Hoc vero non accessisse viso isti, quod Cap. 1. describitur, censendum est, sed accuratius a propheta observatum aut enarratum. לְאַרְבַּעְתָּם אוֹפַנֵּיהֶם *Quatuor illis* Cherubis erant ita *rotae eorum*, q. d. singulorum Cheruborum rotae singulae plenae erant oculis. Alii per asyndeton: *quatuor illis* Cherubis, et *rotis eorum* omnia oculis plena erant. De Cherubis et rotis mixtim loquitur propheta, quia erant quasi unum quid, unus quippe utrisque spiritus, Vs. 17.

13. לָאוֹפַנִּים *Rotas* autem quod attinet; quomodo praefixum ל in eadem constructione Gen. 31, 43. 1 Sam. 9, 20. est capiendum. Cf. Storrii *Observatt.* p. 283. sq. et 289. לָהֶם קוֹרָא *Iis acclamatum est* (Participium Pyal, cf. Jes. 48, 8.), i. e. vocabantur גַּלְגַּל, ob volubilitatem, quasi quatuor istae rotae essent *una rota valde volubilis;* nam eximii quidpiam, hisce rotis peculiare, ea nuncupatione significari, res ipsa docet. Kimchi tamen אוֹפָן et גַּלְגַּל planc idem significare monet (ut בֶּגֶד et שִׂמְלָה utrumque *vestimentum* notat), ad Jes. 28, 27. 28. provocans, ubi quod primo אוֹפָן עֲגָלָה, mox גַּלְגַּל עֲגָלָה vocatur. Quare הַ h. l. nomini גַּלְגַּל praefixum pro *Vocativi* nota habet, ut Jerem. 2, 31. הַדּוֹר *o generatio!* Hoc igitur vatem velle ait, se audisse vocem aliunde ad rotas pervenientem, quae unamquamque rotam acclamasset, quasi excitaret singulas ad parentum imperio praecipientis. Quod sequutus Vatablus, „Cherub," inquit, „nominatim appellavit rotas, et jussit nescio quid: *o rotae agite, facite hoc aut illud!* Subticet formam dati praecepti, quo excitabat eas ad parendum imperio praecipientis." Grotius: „*Et audiente me inclamavit* (nempe ex Cherubinis alter) *rotis illis*, i. e. cuique rotarum: *volvitor*, ut sit defectus ה in fine, qui verbis talibus frequens." Sed quid tum praepositum הַ? J. D. Michaelis tam in Notis versioni vernaculae additis, quam in *Supplemm.* p. 308. rotis illis istud nominis ideo inditum existimat, quod et *turbinem* significare possit, coll. Syriaco גַּלְגְּלָא, qua ipsa notione idem nomen hebraicum et Ps. 77, 19. capiendum censet. *Rotae* tamen significatio indubia, qua et apud Nostrum infra 23, 24. 26, 10. recurrit.

14. וְאַרְבָּעָה פָנִים לְאֶחָד *Et quatuor facies unicuique* Cherubo erant. Singulis istis animalibus h. l. tribuuntur singulae facies, quum tamen singulae habuerint quatuor tales facies, ita omnino postulante ratione itionis ipsorum, Vs. 11., coll. 1, 6. et infra Vs. 21. Sed hic ea tantummodo singulorum facies nominatim indicatur, quo spectabat foras, s. extrorsum; ex reliquis autem tribus faciebus una spectabat ad dextram, altera ad sinistram, tertia ad tergum. Sic igitur hi Cherubi dispositi erant, ut, seu starent, seu moverentur, quadratum veluti agmen efficerent. Primus facie humana Orientem respiciebat, alter Occidentem facie aquilina, tertius Austrum facie leonina, quartus Septentrionem

facie vitulina. Alii, qui singulis animantibus s. Cherubis quaterna capita tribuunt, ad nomina numeralia הָאֶחָד, הַשֵּׁנִי etc. nomen רֹאשׁ subaudiendum putant, ut sit: *facies primi* capitis erat *facies Cherubi* etc. Sed quum et Cap. 1. et hoc nostro Cheruborum partes singulae accuratissime describantur, nusquam tamen quatuor capita singulis tribuuntur. KIMCHI פְּנֵי הָאֶחָד sumit pro הַפָּנִים הָרִאשׁוֹן, i. e. *facies prima* de quatuor istis faciebus (ut שְׁנַת שְׁתַּיִם *annus duorum* pro *secundo*, et שְׁנַת שֶׁבַע *annus septem* pro *septimo* dicitur), sic etiam *secunda, tertia, quarta*, de quatuor faciebus istis. Quod ferri possit, si dictum esset פְּנֵי שְׁנַיִם, פְּנֵי שְׁלוֹשׁ, etc., sed פְּנֵי הַשֵּׁנִי nil nisi *facies secundi* notare potest. פְּנֵי הַכְּרוּב *Facies Cherubi*, pro quo supra 1, 10. dicitur *facies bovis*, vid. ibi not. „Facies *hominis*, *leonis* et *aquilae* aeque erant facies Cherubi, ac facies *bovis*. Videtur igitur hujus appellationis haec esse ratio, quod, quum summus sacerdos ingressus Adytum ad arcam accederet, Cherubus, qui erat ad ejus dextram, ad quam facilius respicere poterat, quam ad sinistram, obversam ad ipsum habebat faciem *bovis*.“ LIGHTFOOT in *Descript. Templi* in *Opp.* Vol. I. p. 652.

15. וַיֵּרֹמּוּ הַכְּרוּבִים הִיא הַחַיָּה *Sustulerunt quoque se Cherubi*, i. e. *animal*, animalia, collective; cf. 1, 20.

16. אֶצְלָם — וּבְלֶכֶת *Et in ire*, quando ibant *Cherubi, ibant rotae juxta eos*, vid. 1, 19. וּבְשֵׂאת הַכְּרוּבִים — לֹא־יָסֹבּוּ *Et quando attollebant Cherubi alas suas ad se attollendum a terra, non convertebant se rotae*, sed גַּם־הֵם מֵאֶצְלָם *etiam illae ab apud eos*, sed semper illos comitabantur et pariter attollebantur.

17. בְּעָמְדָם יַעֲמֹדוּ *Cum stabant illi*, Cherubi, *stabant* et hae, rotae. וּבְרוֹמָם יֵרֹמּוּ אוֹתָם *Et cum illi sese attollerent, sustulerunt se et hae.* כִּי רוּחַ הַחַיָּה בָּהֶם *Nam spiritus vitae* erat *in iis*. Maximus consensus erat inter rotas et animalia; agebantur enim eodem spiritu divino; cf. 1, 20.

18. וַיֵּצֵא כְּבוֹד יְהוָה מֵעַל מִפְתַּן הַבָּיִת *Exiitque gloria Jovae a limine aedis*, ad quod descenderat, supra Vs. 4. וַיַּעֲמֹד עַל־הַכְּרוּבִים *Dum insisteret*, s. insistens, *Cherubis*, neque enim descenderat a vehiculo, ut denuo illud conscendisse dicatur.

19. וַיֵּרֹמּוּ מִן־הָאָרֶץ *Et sustulerunt se a terra.* Chaldaeus: *et elevati sunt quasi sub altitudine coeli.* בְּצֵאתָם *Dum exibant* ex templo, ad cujus dextrum latus initio viderat illos, Vs. 3. וַיַּעֲמֹד פֶּתַח שַׁעַר בֵּית־יְהוָה הַקַּדְמוֹנִי *Sic stetit* sc. unusquisque Cheruborum, collective, vid. Vs. 2., juxta *ostium portae domus Jovae*, templi, *orientalis*, sc. atrii exterioris s. populi.

20. הִיא הַחַיָּה אֲשֶׁר רָאִיתִי תַּחַת אֱלֹהֵי־יִשְׂרָאֵל בִּנְהַר כְּבָר *Hoc est* illud ipsum *animal*, s. *haec sunt* illa ipsa *animalia* (cf. Vs. 15.), *quae vidi sub Deo Israelis in flumine* ad flumen *Cho-*

bar, vid. 1, 3. 5. וָאֵדַע כִּי כְרוּבִים הֵמָּה *Et intellexi quod Cherubi illi* essent, i. e. memor figurae Cheruborum in templo, atque eam cum animalium, quae spectabam, habitu conferens, intellexi, non esse nova monstra, sed ipsorum Cheruborum Templi archetypos, videlicet intelligentias invisibiles Cheruborum faciebus indutas, quae more suo stipabant Deum Israelis, atque triumphi ipsius insignia circumgestabant.

21. אַרְבָּעָה אַרְבָּעָה פָּנִים לְאֶחָד *Quatuor quatuor facies uni*, i. e. quaternae facies unicuique erant, ut dictum Vs. 14. וְאַרְבַּע כְּנָפִים לְאֶחָד *Et quatuor* etiam *alae uni*cuique, quarum binis volabant, binis inferiora tegebant, vid. 1, 6.

22. וּדְמוּת פְּנֵיהֶם *Et quod ad similitudinem*, formam, *facierum eorum* attinet. Nominativus absolutus. מַרְאֵיהֶם וְאוֹתָם Quoad *adspectus eorum et ipsos*, q. d. non tantum adspectu, sed et re ipsa eadem prorsus erant, quae vidi in hac secunda visione, cum his, quae vidi in prima illa visione.

Cap. 11.

Argumentum.

Abreptus spiritu propheta impiis Hierosolymae proceribus excidium denuntiare jubetur (Vss. 1—12.), non admissa vatis deprecatione (Vss. 13. 14. 15.), ceteris vero Israelitarum reliquiis inter gentes dispersis promittere reditum in patriam et in meliorem frugem (Vss. 16—21.). Abscedit visio, et vates Babyloniam reducitur ad exsules, quibus ea omnia, quae ipsi acciderant, narrat (Vss. 22—25.). Videtur vati haec visio objecta esse quo tempore Chaldaei Hierosolymam obsidebant, vid. not. ad Vs. 3. 6. 7. 8.

1. וַתִּשָּׂא אֹתִי רוּחַ וַתָּבֵא אֹתִי *Sustulitque me ventus et duxit.* Verbum וַתִּשָּׂא Grotius putat in Plusquamperfecto vertendum: *elevarat me spiritus* i. e. suspensum me tenuerat, coll. 8, 16., ut ibi dicta h. l. repetat propheta, et sermonem ad convertendas res majores interruptum hic continuet. Sed vates, postquam in atrio interiori spectasset eadem sacerdotum, atque audiisset incendii sententiam pronuntiari, nunc se in sublime raptum ab atrio sacerdotum deductum narrat ad portam orientalem atrii exterioris, ubi constiterat Dei gloria 10, 19. אֶל־שַׁעַר בֵּית־יְהוָה הַקַּדְמוֹנִי *Ad portam aedis Jovae orientalem.* „Tametsi ternae portae ad totidem coeli regiones spectantes in domo Domini essent celebres, ob popularium undequaque in Templum subeuntium frequentiam; *orientalis* tamen porta omnium erat celeberrima, et ad eam confluebat tam indigenarum, quam hospi-

tum numerosior conventus, quod vel ex Jeremia colligere licet, in quo (7, 2.) legimus: *sta in porta domus*, haud dubie orientali, quae autonomatice id nomen sortita est (quod ipsum et monent ad eum loc. Kimchi et Abarbenel, cf. not. nostr. ad Jeremiae loc.). Qua de causa cum infimatibus magnates etiam concurrebant ad portam orientalem, non solum ut ex ea in templum subirent, sed potissimum, quoniam in ea, qui magistratus erant graviores, quandoque causas tractabant, ut patet apud Jeremiam dicentem (26, 10.): *Et audierunt principes Juda verba haec, et ascenderunt de domo regis in domum Domini, et sederunt in introitu portae domus Domini novae, et loquuti sunt sacerdotes ad principes Juda, et ad omnem populum: judicium mortis est viro huic.*" Pradus. Quod autem post הַקַּדְמֹנִי additur: הַפּוֹנָה קָדִימָה *quae spectat orientem versus*, quod supervacaneum videri possit, vero simile est ideo factum esse, ut significaretur, eam portam esse extimam Templi, neque alia ulteriori impediri, quo minus adspiceret orientem solem. Chaldaeus vertit: *quae aperta erat ad Orientem.* בְּפֶתַח הַשָּׁעַר *In ostio portae.* Bene Pradus observat, portas templi exstructas fuisse ad instar portarum urbium, quae in turribus aperiuntur, duplicique ostio constant, atque medio inter utrumque dilatantur vestibulo. עֶשְׂרִים וַחֲמִשָּׁה אִישׁ *Viginti et quinque viri.* „Vero simile est, viginti quatuor fuisse duces, et capita viginti quatuor regionum, in quas civitas Jerusalem partita erat, ut ex Hebraeorum scriptis accepimus: vigesimus quintus autem videtur esse princeps de domo Juda, totius urbis moderator, qui ejusmodi ducum conventibus praeerat; nam magistratus eos omnes fuisse, numerus definitus declarat, qui frustra appositus videatur, si principum collectio tumultuaria esset, aut fortuito contigisset. Accedit, a vate appellatos *principes populi* (שָׂרֵי הָעָם), atque de rebus publicis iniisse consilium, ut ex Vs. 2. patet. Denique ipsis viginti quatuor judicibus, hoc est, reliquis praeter principem domus Juda exacte respondere viginti quatuor seniores vices Ecclesiae gerentes, qui in Apocalypsi (4, 4.) visuntur adstare Deo et agno." Pradus. Quaenam sint illa Hebraeorum scripta, e quibus sumserit Pradus, quae de viginti quatuor ducibus, totidem vicis Hierosolymitanae urbis praepositis dicit, ego quidem dicere non habeo; sed undecunque illa hauserit, certe commentum est, quod forsan originem debet illis, quae Talmudici tradunt de Synedriis minoribus, qualia in omnibus locis, quae plures quam 120 incolas habebant, instituta erant, quorum quodque viris 23 constabat. Istiusmodi Synedria duo erant Hierosolymis, alterum ad ostium atrii, alterum ad portam montis Templi. Vid. Lightfooti *Descript. Templi* T. I. Opp. p. 604. Sed ea Synedria, si unquam exstiterint, demum post urbis excidium, loco Synedrii magni, instituta esse, e silentio Josephi de illis colligit Jahn *Bibl. Archäologie* P. II. Vol. II. §. 187. p. 306. sqq. Cetera vero, quae observat Pradus, nostra

facere non dubitamus. Hosce viginti quinque viros quidam post Jarchium putant eosdem esse cum illis, qui supra 8, 16. narrantur ad orientem solem adorasse. Verum alios ab illis exstitisse, locus utrorumque testatur, nam illi adorabant inter vestibulum et altare, atque adeo sacerdotes creduntur fuisse; isti vero, qui h. l. commemorantur, consultabant de reipublicae commoditatibus, dicunturque principes populi. Qui hic commemorantur יַאֲזַנְיָה בֶּן־עַזֻּר alius est ab eo qui supra 8, 11. nominatur, qui Schaphanis filius fuit.

2. וַיֹּאמֶר אֵלָי *Dixitque ad me* Dominus, ut recte addidit Graecus Alexandrinus, insidens Cherubis, 10, 19. אֵלֶּה הָאֲנָשִׁים הַחֹשְׁבִים אָוֶן *Hi* sunt *illi viri, qui cogitant vanitatem,* quae perversa eorum cogitata Vs. 3. exprimuntur. וְהַיֹּעֲצִים עֲצַת־רָע בָּעִיר הַזֹּאת *Et qui consulunt consilium mali*, noxium, *in urbe hac.* Significantur qui dissuaserunt deditionem urbis ad Chaldaeos eam obsidentes, vid. ad Vs. 3.

3. הָאֹמְרִים לֹא בְקָרוֹב בְּנוֹת בָּתִּים *Qui dicunt: non* est *in propinquo aedificare domos*, i. e. procul abest tempus pacatum, quo urbem novis aedificiis exornare possumus, adduntque rationem, nam הִיא הַסִּיר וַאֲנַחְנוּ הַבָּשָׂר *illa*, הָעִיר *haec urbs*, cujus mentio Vs. 2. praecessit, est *lebes* s. *olla*, *et nos* sumus *caro*, i. e. communis est nostra sors cum hac civitate; eam volumus defendere contra hostes, et ferre obsidionis difficultatem, sicut simul eodemque igne affligitur aut inflammatur olla et elixanda in ea caro. Hae erant voces eorum, qui falsis prophetis incitati, urbem a Chaldaeis obsessam eis noluerunt paeis conditionibus dedi, sed in ea defendenda pertinaciter perstiterunt. Quod consilium tanquam urbi et reipublicae exitiosum maximopere improbavit Jeremias, male propterea tractatus a proceribus, vid. Jerem. 27, 9—13. 38, 2. sqq. Et noster vates Vs. 7. dicit, Deum illos, qui urbem exire nollent, extracturum esse ex illa olla, seu loco mundo, extra urbem perituros. Sunt, interque eos Lutherus, qui hunc Versum hoc modo interpretentur: *non est prope*, sed procul potius abest se. urbis destructio, quam prophetae minari solent: *aedificate* (Infinitivo, ut alias haud raro, pro Imperativo accepto) igitur *domos; nam haec urbs est instar lebetis, et nos sicut caro*, i. e. in ea permanebimus, donec moriamur. Non extrahuntur de olla carnes, nisi satis elixatae; sic putabant illi se de urbe haud unquam vivos egressuros, donec ad extremam pervenirent aetatem. Quae tamen sententia adversatur Versui 8., ex quo consultantium mentes in alium sensum inclinasse patet. Ait enim Jova: *gladium metuistis, et gladium inducam super vos.* Praeterea ad לֹא בְקָרוֹב *non* est *in propinquo* mero ex arbitrio subauditur: urbis destructio.

5. וַתִּפֹּל עָלַי רוּחַ יְהוָה *Cecidit igitur super me spiritus Jovae*, vid. supra 8, 1. et cf. 1, 3. et ad eum loc. not. כֵּן אֲמַרְתֶּם

Recte dicitis, illud quod Vs. 3. eos dixisse narratur. Vere, inquit, dixistis illo adagio, sive illa similitudine; at non eo sensu, quo vos eam usurpastis. וּמַעֲלוֹת רוּחֲכֶם אֲנִי יֹדֵעַתִּיהָ *Et ascensiones*, quae ascendunt cogitata (ut infra 14, 3.) *spiritus vestri* quod attinet, *novi* unamquamque *earum*, singulas. Novi, vos sperare, ex urbe strenue defensa non esse exituros.

6. הִרְבִּיתֶם חַלְלֵיכֶם *Multiplicastis caesos vestros.* Significantur intestina civium dissidia, et mutuae caedes, aliis deditionem ad Chaldaeos suadentibus, aliis ei se opponentibus, qui quidem, uti ex indicatis ad Vs. 3. Jeremiae locis colligere est, potiores et numero et auctoritate erant, qui ut persequutores aliter sentientes neci tradebant. וּמְלֵאתֶם חוּצוֹתֶיהָ חָלָל *Et impletis vicos ejus percusso*, i. e. caesis. Pro וּמְלֵאתֶם *et repletis* Masora parva scribi jubet וּמְלֵאתִים cum Jod otioso, ut in מֵרֵאתִי *a me ipso;* Jes. 44, 24., in בְּאֵישׁוֹן *in caligine*, Prov. 20, 20., et in וּמַרְאֵךְ *et adspectus tuus*, Cant. 2, 14. Nam huic vocabulo hanc notam apponit: ל׳ ומל׳, id est, *non amplius ita scriptum reperitur, et hoc quidem loco plenum* s. cum Jod quiescente *exstat.* Ita et legunt Orientales, i. e. Judaei veteres in Babyloniae Academiis. Sed Occidentales, i. e. Palaestinenses, legunt וּמְלֵאתֶם sine Jod, et codices quamplurimi a Kennicotto et De-Rossio collati, multi etiam libri typis exscripti. Masorethicum ומלאתים DE-ROSSI in *Varr. Lectt.* h. l. interpretatur *et implebo eos*, s. *implebo eos.* Sed est mera scribendi diversitas.

7. חַלְלֵיכֶם *Caesi vestri*, i. e. veri prophetae et viri probi, quos, quod perversis vestris consiliis sese opponerent, interfecistis. אֲשֶׁר שַׂמְתֶּם בְּתוֹכָהּ *Quos posuistis*, neci dedistis, *in medio ejus*, urbis. וְאֶתְכֶם הוֹצִיא *Et vos educendo* sc. educam, אוֹצִיא, quod pro הוֹצִיא in codicibus quamplurimis a Kennicotto inspectis, nec non in Bibliis Soncinensibus et Venetiis 1518. ad marg. exstat.

8. חֶרֶב יְרֵאתֶם וְחֶרֶב אָבִיא עֲלֵיכֶם *Gladium* hostium, Chaldaeorum, *timuistis, et gladium adducam super vos.*

9. וְהוֹצֵאתִי אֶתְכֶם מִתּוֹכָהּ *Et educam vos e medio ejus*, urbis, nec fiet, quod cogitastis, ut in urbe maneatis, donec moriemini. וְנָתַתִּי אֶתְכֶם בְּיַד זָרִים *Et tradam vos in manum peregrinorum*, exterorum. וְעָשִׂיתִי בָכֶם שְׁפָטִים *Ut faciam in vos judicia*, poenas a vobis exigam, ut supra 5, 10. 15.

10. בַּחֶרֶב תִּפֹּלוּ עַל-גְּבוּל יִשְׂרָאֵל *Gladio cadetis in termino Israelis*, a victoribus Chaldaeis extra fines patriae in regiones longe remotas deportandi. *Kimchi* hasce minas exitum suum habuisse observat in eo, quod rex Babelis Zedekiam cum filiis et Judaeorum principes Riblae, in terra Chamath, in finibus terrae Judaicae (1 Reg. 8, 65.) interfici jussit, 2 Reg. 25, 18—21. Jer. 52, 9—11.

11. הִיא לֹא-תִהְיֶה לָכֶם לְסִיר *Illa* igitur, urbs, *non erit vobis pro olla*, Vs. 3., eo sensu quo vos dixistis, cf. ad Vs. 5.

Ante verba וְאַתֶּם תִּהְיוּ repetenda est negandi particula ex initio Versus (expressa quoque a veterum nonnullis), vel praefixum Vau in וְאַתֶּם caussaliter sive eventualiter sumendum: *ut vos sitis* etc. Similiter Deut. 33, 6. *Vivet Ruben, nec morietur,* יְחִי רְאוּבֵן וְאַל יָמֹת וְיִהְיוּ מְתָיו מִסְפָּר *ita ut fiant homines ejus pauci*, s. nec fiant homines ejus pauci.

12. אֲשֶׁר בְּחֻקַּי לֹא הָלַכְתֶּם *Qui*, s. *cujus in statutis meis non ambulastis.* וּכְמִשְׁפְּטֵי הַגּוֹיִם אֲשֶׁר סְבִיבוֹתֵיכֶם עֲשִׂיתֶם *Sed secundum consuetudines gentium, quae circa vos, egistis.* Cf. supra 5, 7. et ad eum loc. not. Hosee duos Versus in LXX non haberi, observat Hieronymus, nec leguntur in eod. Rom.

13. וַיְהִי כְּהִנָּבְאִי וּפְלַטְיָהוּ בֶן־בְּנָיָה מֵת *Factum autem est, dum ego prophetassem, mortuus est Pelatjah Benajae filius*, repente ex improviso, in praecedentis prophetiae confirmationem, et futurae calamitatis praesagium. Sed Theodoretus existimat, videre prophetam opera illorum, qui jussi fuerant, per civitatem, nulli parcentes, stragem edere, vid. supra 9, 7. Nam quemadmodum consistens in atrio interiori vidit sacerdotum stragem ad altare Domini, sic e porta extima nunc observat principum supplicium per eos, qui secures portabant, executioni mandatum. כְּהִנָּבְאִי *Dum ego prophetassem*, i. e. dum per visum Deum mihi loquentem audirem, ejusque verba principibus Judae repetere mihi viderer. בְּהִנָּבְאִי eum *Beth* legi in aliquot codicibus animadvertit Norzius, et deprehenderunt in paucis quibusdam codicibus Kennicottus et De-Rossi. אֲהָהּ LXX et Arabs reddunt *Οἴμοι, οἴμοι.* הֲכָלָה אַתָּה עֹשֶׂה אֶת שְׁאֵרִית יִשְׂרָאֵל *Num consummationem facis cum reliquiis Israelis?* Itane omnes vis perdere, ut istum Pelatjam? Ante הֲכָלָה subaudiendum *He*, interrogationis signum, ut Genes. 27, 24. אַתָּה זֶה בְנִי עֵשָׂו וַיֹּאמֶר אֲנִי *Tune hic filius meus Esavus? respondit que: ita* (cf. Vs. 22.). 1 Sam. 30, 8. et alias.

15. אַחִיךְ אַחֶיךָ *Fratres tui, fratres*, inquam, *tui.* אַנְשֵׁי גְאֻלָּתֵךְ *Viri cognotionis tuae.* גְּאֻלָּה est proprie *jus redimendi bona ab aliquo propinquo alicui vendita*, Levit. 25, 25. Ruth. 4, 3. Hinc, quod illo jure proximi affines gaudebant, h. l. pro *cognatione* in universum usurpatur, ut igitur *viri cognationis tuae* non alii sint a *fratribus*, i. e. consanguineis et cognatis, quibus non solum eos, qui de stirpe Ezechielis erant, sed ceteros quoque omnes Israelitas ex variis tribubus, qui simul cum Propheta in exsilium fuerant abducti, comprehendi patet. אַנְשֵׁי גְאֻלָּתֵךְ LXX et Syrus transtulerunt *viri captivitatis tuae.* Hi igitur interpretes vel גּוֹלָתֵךְ legerunt, vel eum eo גְּאֻלָּתֵךְ confuderunt. Praefert illud Dathius, vertitque: *qui tecum captivi sunt.* Eos vero *viros captivitatis prophetae* recte dici potuisse, aut dictos fuisse, mihi nunquam persuadebitur. Exsilii socios vates infra Vs. 24. 25. vocat simpliciter הַגּוֹלָה, abstracto posito pro concreto. Sed nostrum אַנְשֵׁי גְאֻלָּתֵךְ patet sensu non differre ab אַחִיךְ, quod praecessit. וְכָל־בֵּית יִשְׂרָאֵל כֻּלָּהּ *Imo universa domus Israel*

tota (ut infra 20, 40.); quotquot scilicet in exsilium demigrarunt, mihi tamen fideliter adhaerescunt. אֲשֶׁר אָמְרוּ לָהֶם Sunt *illi, quibus* s. *de quibus* (cf. Genes. 20, 13. אִמְרִי לִי אֲחִי הוּא *dic de me: frater meus est)* fastuose *dicunt.* יֹשְׁבֵי יְרוּשָׁלַם *Incolae Hierosolymae*, i. e. qui remanserunt Hierosolymis, fratribus captivis importune insultantes. רַחֲקוּ מֵעַל יְהוָה *Procul estote*, facessite *a Jova*, et templo ac terra ipsius (cf. Jon. 1, 3.), indigni enim fuistis, qui hic loci habitaretis. „Abarbenel hic legit רָחֲקוּ, in Praeterito, et sic explicat contorte. Neque enim sensus rotundus, et, qualem velis talibus verbis dictum, inde cognascitur. Quamquam et nostri quidam id sequuntur. Atqui boni codices habent רַחֲקוּ in Imperativo. Ita et manuscriptus Bibliothecae nostrae [Leidensis]. Et in margine Masorae annotatio: ל, i. e. *non amplius reperitur cum Pathach.* Atque ita editum est. Etiam LXX: *μακρὰν ἀπέχετε ἀπὸ τοῦ Κυρίου.*“ Coccejus. לָנוּ הִוא נִתְּנָה הָאָרֶץ לְמוֹרָשָׁה *Nobis data est terra in possessionem hereditariam.* Illi quidem ejiciendi erant ab hac terra sancta, quod reprobi essent, nos vero veri et Deo probati Israelitae, hic perpetuo mansuri, quippe quibus terra in possessionem hereditariam est data.

16. אֱמֹר *Dic* abest in quatuor codd. Kennicotti (a prima manu), totidemque De-Rossianis, nec exprimitur a Vulgato, Syro, Chaldaeo. כִּי הִרְחַקְתִּים בַּגּוֹיִם וְכִי הֲפִצוֹתִים בָּאֲרָצוֹת *Si*, etsi, *elongaverim eos*, procul ejecerim eos, *inter gentes*, *et quamvis disperserim eos per terras.* וָאֶהְיֶה לָהֶם לְמִקְדָּשׁ מְעַט *Ero tamen iis in Sanctuarium paulisper.* Nomine מִקְדָּשׁ templum Jovae sacrum significatur, ut supra 9, 6., infra 28, 18. Thren. 1, 7. 1 Maccab. 4, 38. Quod igitur h. l. iis, qui a patria remoti non tamen a patrio Deo recesserunt, promittit se ipsis sanctuarii s. templi instar fore, hoc velle censendus est, se illis affuturum et exauditurum preces eorum, ut olim exaudire solebat in templo Hierosolymitano; quasi e sanctuario quodam altero ipsis prospecturum, et hoc quidem מְעַט *paulisper*, i. e. exiguo exsilii tempore, duraturi duntaxat septuaginta annos, uti de tempore מְעַט et Hos. 1, 4. Hagg. 2, 6. Jes. 29, 17. dicitur. Doederlein ad Grotium מִקְדָּשׁ hic *asylum*, ut Jes. 8, 14. designare statuens, sensum loci hunc esse ait: „Fratres tui, consanguinei tui (sacerdotes) et Israelitae, quos cives Hierosolymorum dicunt procul esse a Jova semotos, ut sibi jam tota regio cesserit in possessionem, equidem (sic iis meo nomine declara) a me sunt inter gentes abducti, et per regna plurima dissipati; sed vel ipse, quanquam paucis, asylum ero in iis regionibus, quo venerunt. *Nam congregabo vos*, rel. Vs. 17. Promittit igitur, se vel exsules tutari atque praesidio suo regere; ac refellit illam opinionem, quasi jam extra Palaestinam nihil commercii iis cum Jova intercedat.“ Alii מִקְדָּשׁ מְעַט vertunt *sanctuarium paucitatis*, i. e. paucorum illorum, qui in exsilio fidi mei cultores manent. Etsi enim מִקְדָּשׁ

non est formae constructae, tamen subinde absolutae conjunguntur cum alio substantivo, *subaudito constructo*, in statu regiminis, ut infra 40, 38. בְּאֵילִים הַשְּׁעָרִים *ad limina portarum* (pro בְּאֵילֵי הַשְּׁעָרִים *ad limina, limina, inquam, portarum)*, cf. not. ad Ps. 40, 5. et Job. 31, 11. מְעַט de brevi exsilii tempore capiendum esse, arguit additum בָּאוּ־שָׁם בָּאֲרָצוֹת, *in terris, in quas venerunt.*

17. וְקִבַּצְתִּי אֶתְכֶם — בָּהֶם *Et congregabo vos e populis, et colligam vos e terris, in quas dispersi estis.* Quod aliqui jam Hieronymi aetate opinati sunt, solos revertisse Hierosolymam tempore Zorobabelis eos, qui cum Ezechiele et rege Jojachin in Babylonem descenderant, eos autem, qui tempore Sedeciae abducti sunt, vel in Aegyptum profugerunt, numquam remeasse in patrias sedes, fundamento caret. Omnes Israelitae, qui unquam captivi abducti fuerunt, edicto Cyri acceperunt libertatem in patriam terram redeundi. Neque tantum redierunt, qui primo reducti sunt a Zorobabele, sed quicunque voluerunt ex omnibus tribubus. Neque inter tribus tum dissidium fuit, ut tempore Jerobeami I. exstiterat. Omnes idem sanctuarium adierunt, omnes *Judaei* appellati sunt, omnes parnerunt Senatui, Hierosolymis residenti, ubicunque habitarent. Eadem promittit Jerem. 23, 3. 31, 10., et Zach. 8, 8.

18. וּבָאוּ שָׁמָּה *Tum venient eo* scil. filii, et superstites ex vobis. Aliquando eos alloquitur secunda persona, aliquando tertia. וְהֵסִירוּ אֶת־כָּל שִׁקּוּצֶיהָ *Removebuntque omnia sua detestanda*, idola. Ad hoc, quod vates illos, qui in patriam tellurem sint redituri, praenuntiat idolorum cultum abrogaturos, animadvertit Theodoretus haec: *Hoc docet Esdrae historia, et narratio de Maccabaeis. Nam post reversionem e Babylone, relicto idolorum cultu, auctorem omnium rerum, Deum, studiose colere perseverabant.*

19. וְנָתַתִּי לָהֶם לֵב אֶחָד *Dabo enim illis cor unum.* Eo quidam hoc indicari existimant, futurum esse, ut magna animorum consensione Deum patrum suorum colant, et ad ejus templum reaedificandum eadem concurrant voluntate. Sed cetera hujus Versus arguunt, hoc potius vatem promittere, fore, ut vera et sincera pietate unum Deum colant, non, ut antea, ore et ritibus Jovam, affectu alienos deos sint veneraturi. De quibus Elias 1 Reg. 18, 21. *Quousque in utrumque crus claudicatis? Si Jova Deus est, hunc sequimini, sin Baal, illum sequimini.* Et Hos. 10, 2. חָלַק לִבָּם *divisum est cor eorum.* Cui oppositum Jos. 24, 14. *Colite Jovam* בְּתָמִים וּבֶאֱמֶת *integre et sincere* (coll. Jud. 9, 16. 19.), *et removete Deos, quos patres vestri coluerunt ultra fluvium et in Aegypto.* Cf. Ps. 119, 80. Locus nostro geminus Jer. 32, 39. וְנָתַתִּי לָהֶם לֵב אֶחָד וְדֶרֶךְ אֶחָד לְיִרְאָה אוֹתִי כָּל־הַיָּמִים *Dabo eis cor unum et viam unum* (oppositam distractioni in viis pravis Jes. 53, 6.) *ad timendum me per omne tem-*

pus. Infra C. 36, 26., ubi totus hic versiculus repetitur, pro לֵב אֶחָד dicitur לֵב חָדָשׁ, hoc vero loco sequitur וְרוּחַ חֲדָשָׁה *et spiritum novum*, emendatum, renovatum et prorsus purgatum a pristinis perversis cupiditatibus. Pro בְּקִרְבְּכֶם eum secundae personae suffixo habent בְּקִרְבָּם codices plures et manu et typis exarati, et affixum tertiae personae, quam reliqui contextus series postulat, exprimunt veteres omnes. Verum ejusmodi pronominum permistione nihil apud poëtas Hebraeos, praesertim apud nostrum, tritius est, quare ego non dubito, בְּקִרְבָּם a correctoris manu profectum esse. וַהֲסִרֹתִי לֵב הָאֶבֶן מִבְּשָׂרָם וְנָתַתִּי לָהֶם לֵב בָּשָׂר *Auferamque cor lapideum e carne*, i. e. corpore *suo*, et *dabo iis cor carneum. Cor lapideum* vocat cor immorigerum et indocile, quod non admittit correptionem, sicuti non admittit impressionem lapis, sed resistit. Cui opponitur *cor carneum*, aptum recipiendae disciplinae. Pro מִבְּשָׂרָם exstat מִבְּשַׂרְכֶם in aliquot codicibus et editionibus, quemadmodum et pro לָהֶם, quod sequitur, in paucis quibusdam codicibus לָכֶם exstat.

20. וְהָיוּ־לִי לְעָם וַאֲנִי אֶהְיֶה לָהֶם לֵאלֹהִים *Eruntque mihi in populum, et ego iis ero in Deum.* Active et passive, ut ajunt, haec verba accipi possunt. Primo modo hunc sensum reddunt: ipsi erunt mihi populus, me unice adorantes et diligentes, et ego iis Deus, illorum prospiciens saluti et incolumitati. Altero modo: ipsi erunt populus meus a me custoditus et protectus, ego eorum Deus ab ipsis dilectus et cultus.

21. Hucusque de iis loquutus, qui in bello capti fuerant, nunc transfert ad eos, qui Hierosolymis remanserant (de quibus supra Vs. 15.), orationem. Hemistichii prioris verba hebraea, subaudito pronomine relativo, ita sunt ordinanda: וַאֲשֶׁר לְבַב הֹלֵךְ אֶל־לֵב שִׁקּוּצֵיהֶם וגו׳ *Quorum autem cor ambulat ad cor*, i. e. lubitum *abominandorum suorum*, i. e. ea patrant, quae grata esse putant fictis suis diis (quibus *cor* tribuitur eodem sensu quo Deo vero 1 Sam. 13, 14. Jer. 13, 15.), *illorum viam in capite suo ponam*, i. e. iis dignas scelerum, quae ausi sunt, infligam poenas (cf. eandem locutionem supra 9, 10.). Animadvertam in eos, quorum animus est magis propensus ad colendos deastros, quam me.

23. וַיַּעַל כְּבוֹד יְהוָה מֵעַל תּוֹךְ הָעִיר *Et ascendit gloria Jovae e medio urbis.* „Paulatim gloria Domini receedit de Jerusalem. Primum Templum deserens stat in atrio vel in limine domus, et postea in introitu portae Orientalis [cf. supra not. ad 10, 3.], novissime, sublatis pennis rotisque sequentibus, stat super montem, qui est ad Orientem urbis, haud dubium, quin montem significet Oliveti, unde Salvator ascendit ad Patrem. Stabatque gloria Domini, quae de Jerusalem urbe discesserat, super montem Oliveti, in signum resurrectionis et luminis, ut inde perituram arsuramque cerneret Jerusalem. Mirumque in modum usque in praesentem diem gloria Domini, quae deseruit Templum, stat super montem Oliveti, et in crucis signo ruti-

lans, specta: Templum quondam Judaicum, in favillas et cineres dissolutum.“ Hieronymus. *Monte urbi ad orientem sito*, cujus hic vates mentionem facit, intelligendum esse הַר הַזֵּיתִים *montem olearum* (2 Sam. 15, 30. Zach. 14, 4.), qui Rabbinis vulgo הַר הַמִּשְׁחָה *mons olei* nuncupatur, Chaldaeo interprete auctore (עַל טוּר זֵיתָא דְּמַדְנַח לַקַרְתָּא *super montem oliveti, qui est ad orientem urbis*), Jarchius et Kimchius diserte monent. Messiam in hoc monte plurimum versaturum, Judaeorum erat opinio (vid. Lightfooti *Centur. Chorograph. Matthaeo praemiss.* Cap. 40.), ex hoc nostro loco haud dubie hausta, quacum consentit historia evangelica, vid. Luc. 21, 37. 22, 39. Quemadmodum autem lata contra Hierosolymitanam urbem sententia gloriae divinae imago in hunc montem discessit, inde urbem evertendam prospiciens, ibique novum exspectavit templum, in quod remigrasse dicitur infra 43, 2.; ita Christus ex eodem monte, postquam ibi urbem cladem praedixisset (Luc. 19, 37. 41—44.), in regiam suam migravit, Actor, 1. 12. coll. Matth. 28, 16.

24. וְרוּחַ נְשָׂאַתְנִי וַתְּבִאֵנִי כַשְׂדִּימָה אֶל־הַגּוֹלָה *Spiritus autem sustulit me et reduxit me in Chaldaeam ad migrationem*, i. e. ad deportatos illic Judaeos. וַיַּעַל מֵעָלַי הַמַּרְאָה אֲשֶׁר רָאִיתִי *Et adscendit supra me visio quam vidi.* Per ecstasin antea sibi videbatur abductus ad Hierosolymitanos, adeoque nunc reductus ad captivos in Chaldaea. Hieronymus: „Quod *sublatam a se visionem* dicit, *quam viderat*, significat, non in corpore Prophetam in Jerusalem de Babylone translatum, sed in spiritu, sublataque visione, quae eum in spiritu duxerat Jerusalem, et universa monstraverat, quae superior sermo narravit, reversus est in semetipsum, et loquutus est ad transmigrationem omnia, quae ei fuerant demonstrata, ad eos videlicet, de quibus supra (8, 1.) scriptum est: *Ego sedebam in domo mea, et senes Juda sedebant juxta me, et cecidit super me ibi manus Domini Dei et vidi.* Mirumque in modum sedentibus his, qui ad se venerant visitandum, visiones mysticas Propheta cernebat, et absens erat ab his, qui coram se sederant, absens spiritu, praesens corpore. Omniaque fiunt, ut consolationem recipiant, qui captivi erant, quod reducendi sint in terram Israel, et ambulaturi in praeceptis Domini, futurique ei in populum, et ille futurus sit eis in Deum. Qui autem non fuerint conversi ad poenitentiam, sed ambulaverint post abominationes suas, recipiunt, quae fecerunt. *Verba* autem [כָּל דִּבְרֵי יְהוָה אֲשֶׁר הֶרְאַנִי Vs. 25.] in Scripturis sanctis pro rebus dici, saepe admonuimus.“ Cf. eandem locutionem Jer. 38, 21. *Ascendendi* verbo (וַיַּעַל מֵעָלַי הַמַּרְאָה) innuitur, visionem hanc coelestem fuisse, divinitusque oblatam, cf. Genes 17, 22. 35, 13.

VI.

Regem cum principibus ex urbe ab hostibus expugnata migraturos vaticinatur.

Cap. 12.

A r g u m e n t u m.

Vates domo sua cum suppellectile emigrando significare divinitus jubetur Zedekiae, regis, fugam nocturnam, captivitatem, excoecationem, et Judaeorum abductionem et dispersionem (Vs. 1—16.). Tum, panem cum trepidatione comedendo, calamitates ante deportationem eventuras, famem, sitim, sollicitudinem repraesentat, (Vs. 17—20.). Denique supplicia divinitus infligenda contra irrisores brevi ventura iterum (Vs. 21—25.) iterumque (Vs. 26. sqq.) praenuntiat ac confirmat. Totum Caput teutonice vertit et exposuit C. F. Staeudlin *in den Neuen Beyträgen zur Erläuterung der Propheten* (Götting. 1791.) p. 191. sqq.

2. בְּתוֹךְ בֵּית־הַמְּרִי אַתָּה יֹשֵׁב *In medio domus rebellionis*, i. e. inter homines contumaces, *tu sedes. Gente contumaci* (ut supra 2, 5. 6. 3, 26.) Judaeos in Babylonia degentes intelligit, qui, quum Hierosolymam superstitem viderent, neque eam perituram crederent, dolebant, quod se Chaldaeis dedissent, et Hierosolymitanis dissuadebant, ne se dederent, quum et ipsi reverti vellent, si possent. Vid. de Achabo, Kolajae filio, et Zedekia, Maasejae filio, in Babylonia mira populo pollicentibus, ridentibusque illorum facilitatem, qui vaticiniis Jeremiae permoti patriam deseruissent, nec non de Semaja Nehelamita, qui audacissime ad Hierosolymitanum Pontificem, quasi divino jussu, scribebat, arguens eum velut segnem et mollem, qui non severius in Jeremiam animadverteret, eumque comprimeret, Jer. 29, 20. 21. 24. אֲשֶׁר עֵינַיִם לָהֶם — וְלֹא יִשְׁמָעוּ *Quibus oculi* sunt *ad videndum*, *nec vident*, *aures* sunt *iis ad audiendum*, *sed non audiunt.* Cf. Jes. 6, 9. 10. Jer. 5, 21. Ideo, „doce eos per imaginem atque picturam, et schematibus ostende corporcis, ut venturam captivitatem non solum auditu, sed et oculis recognoscant.“ Hieronymus.

3. עֲשֵׂה לְךָ כְלֵי גוֹלָה *Fac*, compara *tibi vasa migrationis*, necessaria demigraturo, collige sarcinas tuas, ut Jer. 46, 19. וְגֶלֵה יוֹמָם לְעֵינֵיהֶם *Et migra interdiu ad oculos eorum*, iis conspicientibus. יוֹמָם nonnulli interpretantur *de die in diem*, quasi vates pluribus diebus identidem faciendum jubeatur, quod praecipitur. Sed יוֹמָם est *interdiu*, claro die, cui opponitur *noctu*, vid. Ps. 1, 2. 1 Sam. 25, 16. Nehem. 9, 19. Exod. 13, 21. 22. אוּלַי יִרְאוּ כִי בֵית מְרִי הֵמָּה *Forsan videbunt*, *quod domus rebellionis* sunt *ipsi*, forsan sentient, se contumaces tuas adhortationes contemnere, et justas poenas promeritos esse.

4. וְהוֹצֵאתָ כֵלֶיךָ *Educes igitur vasa tua*, praemittes sarcinas tuas, dum adhuc dies est, ipse vesperi sequuturus, ut repraesentes Zedekiae, regis, fugam nocturnam, de qua vid. 2 Reg. 25, 4. Jer. 39, 4. sqq. כִּכְלֵי גוֹלָה *Sicut* efferuntur *vasa migrationis*. וְאַתָּה תֵּצֵא בָּעֶרֶב לְעֵינֵיהֶם *Tu vero exibis* urbe *vesperi conspicientibus iis*. כְּמוֹצָאֵי גוֹלָה *Juxta exitus migrationis*, sicut illi, quibus fuga in exilium est abeundum, Vs. 7. 11. Alii cum Kimchio habitum demigrantis significari existimant, q. d. tu egredieris moestus et indignabundus, cf. Vs. 6, 12.

5. לְעֵינֵיהֶם חָתַר־לְךָ בַקִּיר *In conspectu eorum effode tibi* foramen *in pariete* domus tuae, quae Hierosolymam significabat. וְהוֹצֵאתָ בּוֹ *Ut efferas per eum* parietem, scil. vasa s. supellectilem tuam. Quod significabat, Zedekiam per ostium horti regii, quasi per angustum muri foramen, fugiturum, et Judaeos furtim sese subrepturos e conspectu hostis; vid. Jer. 39, 4. sqq. Hieronymus: „Legimus Sedeciam nocte muro suffosso fugisse ad deserta Jordanis, ibique a Babyloniis esse comprehensum, et hoc significare perfossum parietem.“

6. עַל־כָּתֵף תִּשָּׂא *In humeris portabis*, „subauditur sarcinas tuas, et quicquid ad viae solatium fugientes portare consueverunt.“ Hieronymus. בָּעֲלָטָה תּוֹצִיא *In caligine efferes* supellectilem tuam. Aliis Hiphil תּוֹצִיא h. l. videtur intransitive capiendum, quod infra Vs. 12., ubi significatio eorum, quae vati hic injunguntur, enarratur, וְיָצָא, *exibit*, positum sit. Sic nomen מוֹצָא, ex Hiphil deductum, simpliciter *egressum* significat. Alii נַפְשְׁךָ subaudiunt, ut sit: efferes temet ipsum, te subducas. Quod autem *in caligine* exire jubetur, eo repraesentabat Zedekiam noctu exeuntem, Jer. 39, 4. 52, 7. Nomen עֲלָטָה in V. T. non nisi hoc nostro Cap. bis adhuc, infra Vs. 7. 12., et praeterea semel duntaxat, Genes. 15, 17., usurpatum reperitur, qui locus de illius significatu nos non sinit dubitare. In dialectis cognatis non est usitatum. פָּנֶיךָ תְכַסֶּה *Vultum tuum obteges*, instar illorum, qui pudore et moerore affecti, adspici nolunt nec cognosci. Ita Davides a filio, Absalone, fugiens, exiit בּוֹכֶה וְרֹאשׁ לוֹ חָפוּי *flens et capite velato*, 2 Sam. 15, 30. וְלֹא תִרְאֶה אֶת־הָאָרֶץ *Nec videbis hanc terram*, in qua tu, propheta, vivis, i. e. Ba-

byloniam; sicut eam ob coecitatem, quae velatis oculis adumbratur, visurus non est rex Zedekias, oculis privatus a Nebucadnezare; vid. Jer. 39, 7. כִּי־מוֹפֵת נְתַתִּיךָ לְבֵית יִשְׂרָאֵל *Nam portentum dedi te domi Israelis*, i. e. imaginem rerum futurarum. Tuis, inquit Deus, factis ostendere volo, quid Judaeis sit eventurum, praesertim regi. מוֹפֵת hic non denotat prodigium, sed *quod portendit ac praemonstrat aliquid futurum*, ut infra 24, 24. 27. Cf. Zachar. 3, 8.

7. וָאֶעֱשֶׂה כֵּן כַּאֲשֶׁר צֻוֵּיתִי *Feci igitur sic quemadmodum jussus eram*, ut infra 24, 18. כֵּלַי הוֹצֵאתִי כְּכְלֵי גוֹלָה יוֹמָם *Vasa mea eduxi sicut vasa migrationis*, i. e. tanquam is qui migrare cogitur, (vid. Vs. 4.) *interdiu*. בְּיָד *Manu*, quod aliqui sic intelligunt: manibus pedibusque, ad significandam summam festinationem. Is vero illius dictionis sensus nullo alio exemplo probari potest. Recte Kimchi: „*Manu* perfossit murum, non instrumentis ferreis, ne strepitus audiretur."

8. 9. בַּבֹּקֶר *Mane* altero. הֲלֹא אָמְרוּ אֵלֶיךָ *Nonne dixerunt tibi*, i. e. interrogarunt te, admiratione tuarum actionum ducti, quid eae sibi velint?

10. אֱמֹר אֲלֵיהֶם *Dic ergo ad eos*, licet non rogantes. הַנָּשִׂיא הַמַּשָּׂא הַזֶּה בִּירוּשָׁלַם *Princeps est oraculum hoc*, qui est *in Hierosolymitana urbe*, i. e. hoc oraculum regem Zedekiam portendit, quem quidem *principis* (נָשִׂיא) nomine nuncupare, nostro proprium est, vid. supra 7, 27., infra Vs. 12. 21, 30. מַשָּׂא est *effatum*, *oraculum*, ut Jes. 13, 1. (ad quem loc. vid. not.), 30, 6. 2 Reg. 9, 25. Sed idem nomen a *portandi* significatione, qua verbum נָשָׂא gaudet, et *gestationem*, *portationem* denotat, Num. 4, 24. 47. 49. 2 Chron. 35, 3. Quem significatum a nostro in nomine illo h. l. usurpato spectatum fuisse inde credibile sit, quod ea, quae regi eventura essent, non verbis prolatis, sed portatu sarcinarum a vate repraesentabantur. וְכָל־בֵּית יִשְׂרָאֵל אֲשֶׁר־הֵמָּה בְתוֹכָם *Et tota*, s. totius *domus Israel* scil. הַמַּשָּׂא הַזֶּה est *hoc oraculum*, s. iste portandi actus, omnium Israelitarum fatum portendit, *qui sunt in medio illorum*, scil. Hierosolymitanorum. *Israelem* vocat Judaeos quoslibet, speciatim eos, qui e decem tribubus Judaeis commixti erant, quia Hierosolymam, tanquam in asylum, confugerant. Alii: *in quorum medio illi* (principes, ut singulare sit collectivum, aut etiam duces principis) *sunt*.

11. אֱמֹר אֲנִי מוֹפֶתְכֶם Porro *dic: ego sum signum*, s. prodigium *vestrum*, vobis, Israelitis praesentibus, ego portendo, quae fratribus vestris, Hierosolymis relictis, eventura sunt. Quod statim ipse dicit: כַּאֲשֶׁר עָשִׂיתִי כֵּן יֵעָשֶׂה לָהֶם *quemadmodum feci, sic fiet iis*, nam בַּגּוֹלָה בַּשִּׁבְי יֵלֵכוּ *in exsilium et in captivitatem ibunt*.

12. וְהַנָּשִׂיא אֲשֶׁר בְּתוֹכָם *Princeps autem, qui in medio vestrum* versatur, i. e. Zedekias rex, Vs. 10. אֶל־כָּתֵף יִשָּׂא *Super humero portabit*, scil. vasa, vel vestes, ut homo alio migraturus, cf. supra Vs. 7. אֶל pro עַל, ut 6, 13. et infra Vs. 19. בָּעֲלָטָה וְיֵצֵא *In tenebris* (Vs. 6.), vel, cum tenebrae erunt, *tunc exibit*, secundum accentus. Cf. 2 Reg. 25, 4. Jerem. 39, 4. 52, 7. בַּקִּיר יַחְתְּרוּ *In muro fodient* foramen, non hostes, ut Staeudlin putat, sed qui cum rege erant, eumque hostibus eripere cupiebant. Sequitur enim: לְהוֹצִיא בּוֹ *ad educendum* eum *per illud* in muro factum foramen. יַעַן אֲשֶׁר לֹא־יִרְאֶה בָּעַיִן אֶת־הָאָרֶץ *Propterea quod non videbit, quoad oculum*, i. e. oculo, quippe visu privatus (Jer. 39, 7.), *hanc terram*, sc. Chaldaeorum, in qua vates versatus haec omnia fecit et praedixit.

13. וּפָרַשְׂתִּי אֶת־רִשְׁתִּי עָלָיו וְנִתְפַּשׂ בְּמִצוּדָתִי *Expandam* enim *rete meum contra eum, ut capiatur* Chaldaeorum arte et industria, praeclusa omni elabendi occasione (2 Reg. 25, 5. Jerem. 39, 5. 52, 8.) *in sagena mea* (ut nomen hebraicum et Coh. 7, 26. 9, 12. 14. usurpatur), quod ego ei immittam. וְהֵבֵאתִי — וְשָׁם בָּבֶלָה אֹתוֹ אֶל־אֶרֶץ כַּשְׂדִּים *Et ducam eum Babyloniam in terram Chaldaeorum, nec tamen eam videbit, et ibi morietur*, vid. Jer. 32, 5. 52, 11.

14. וְכָל־אֲשֶׁר — וְכָל־רוּחַ *Et omne quod circa eum, auxilium ejus, et omnes exercitus ejus dispergam ad omnem ventum*, ad omnes coeli plagas, ut 5, 10. 12. עֶזְרוֹ pro עֶזְרָתוֹ, ut ad marginem notatur, *auxilium ejus*, quo vel Aegyptii ei foederati, vel ejus aulici et satellites intelliguntur. וְכָל־אֲגַפָּיו *Et omnes alas ejus*, milites, copias, exercitus, ut infra 17, 21. Nomen אֲגַף a radice גַּף (defectiva secunda) derivari, arguit Dagesch literae ף impositum, accedente suffixo, aut terminatione plurali. Verbum גַּף Chaldaeis in Peal et Aphel est *claudere, occludere, concludere*, in Pahel *amplecti, amplexari*, unde גַּף *ala* (ut Syr. גֻּפָּא, גֻּפְתָּא), et nomen ab initio litera Aleph auctum אֲגַף, quod de *alis* usurpatur in Paraphrasi Chaldaica Cant. 5, 11. אוּכְמִין כַּאֲגַפֵּי עוּרְבָּא *nigri ut alae corvi.* Concinit arabicum גפף, quod in conjug. I. praeter alia, et *congregavit in unum*, in II. *alas motitavit avis incubans ovis* denotat, unde nomen גַּפָּה *agmen, caterva hominum.* Nec novum est, *alis* significari partes exercitus, sicut apud Latinos tantum turmas equestres, quia solebant lateribus phalangis adjici, ut similitudinem avis volantis tota acies haberet. Nam Jes. 8, 8. de exercitu Assyriaci regis dicitur וְהָיָה מְטוֹת כְּנָפָיו יְמַלֵּא־רֹחַב *extensio alarum ejus replebit latitudinem.* In verbis אֶזְרֶה לְכָל־רוּחַ observa paronomasiam inter עֶזְרָה *auxilium ejus*, et אֶזְרֶה *dispergam.* וְחֶרֶב אָרִיק אַחֲרֵיהֶם *Et gladium evaginabo post eos*, ut supra 5, 2. 12.

15. וְיָדְעוּ כִּי־אֲנִי יְהוָה — בְּאַרְצוֹת *Ut cognoscant me esse Jovam, in dissipando me*, cum dissipavero *eos inter gentes, et dispersero eos per terras*, ut infra 30, 26.

16. וְהוֹתַרְתִּי מֵהֶם אֲנָשִׁי מִסְפָּר *Reliquos tamen faciam ex iis*, Hierosolymitanis, *homines numeri*, i. e. paucos superstites tot malorum, qui facile numerari poterunt, ut Gen. 34, 30. Jes. 10, 19., ad quae loca cf. nott. Simili phrasi usus THEOCRITUS *Idyl.* 16. *ἀριθματοὺς ἀπὸ πολλῶν numerabiles de multis.* מֵחֶרֶב מֵרָעָב וּמִדֶּבֶר *E gladio, e fame et e peste*, cf. infra 14, 21. לְמַעַן וְיִסְפְּרוּ — שָׁם *Ut enarrent omnia abominanda eorum inter gentes ad quas veniunt*, ut dicant causas, quare civitas eorum eversa fuerit. וְיֵדְעוּ כִּי־אֲנִי יְהוָה *Ut sciant*, cognoscant gentes illae *quod ego Jova* sim, Deus unicus et potentissimus.

17. Describitur tribus qui sequuntur Versibus nova symbolica actio, vati paulo post eam, quae hucusque descripta est, injuncta.

18. לַחְמְךָ בְרַעַשׁ תֹּאכֵל *Panem tuum in conturbatione* animi *comedes.* וּמֵימֶיךָ בְרָגְזָה וּבְדָאָגָה תִּשְׁתֶּה *Et aquam tuam cum trepidatione et moerore bibes;* ut sic exprimeret propheta, et facto suo portenderet id, quod sequitur.

19. אֶל־עַם־הָאָרֶץ *Ad populum hujus terrae*, i. e. Chaldaeae, ad Judaeos per terram Chaldaeorum dispersos, qui felices putabant Judaeos Hierosolymae relictos. לְיוֹשְׁבֵי יְרוּשָׁלַם *De habitantibus Hierosolymam.* לְ hic notat objectum, ut Gen. 20, 13. אִמְרִי־לִי *Dic mihi*, i. e. de me: frater meus est. Quomodo et אֶל usurpatur eodem Capite Vs. 2. Sic Ps. 3, 3. *Multi dicunt* לְנַפְשִׁי *animae meae*, h. e. de anima mea: non est salus ei in Deo. Item Jes. 45, 24. לִי אֲמַר *de me dixit.* אֶל־אַדְמַת יִשְׂרָאֵל *Super*, in *terra Israelis.* אֶל pro עַל, ut supra Vs. 12. LXX: *ἐπὶ τῆς γῆς τοῦ Ἰσραήλ.* Vulgatus: *in terra Israel.* לְמַעַן הֵשַׁם *Eo quod*, s. *ut* intelligant, fore brevi *ut desoletur.* Cf. supra 4, 16. 17. אַרְצָהּ *Terra ejus* scil. urbis Hierosolymitanae, terra, in qua illa sita est. Pro אַרְצָהּ habet אֶרֶץ sine suffixo codex Rossianus 596. et ita habent veteres omnes. In codicibus aliis אַרְצָם *terra eorum.* Vocem מְמִלֹּאָהּ intelligunt aliqui: *propter plenitudinem ejus*, i. e. quia tota repleta est sceleratis hominibus, quod verba proxima dicunt: מֵחֲמַס כָּל־הַיֹּשְׁבִים בָּהּ *propter violentiam omnium incolarum suarum. Ταυτολογία* vix toleranda. Omnino vertendum: *a plenitudine ejus*, i. e. privabitur incolarum et opum, frugum, pecudum, domuum, thesaurorum multitudine. Ita infra 32, 15. de Aegypto, וְנִשַּׁמָּה אֶרֶץ מְמִלֹּאָהּ, quibus verbis ibi statim additur: בְּהַכּוֹתִי אֶת־כָּל־יוֹשְׁבֵי בָהּ *dum percutiam omnes, qui in ea habitant.* Eodem sensu nomen מְלֹא usurpatur infra 19, 7. 30, 12. Jerem. 8, 16. LXX: *σὺν πληρώματι αὐτῆς.* Vulgatus: *a multitudine sua.* מֵחֲמַס כָּל־הַיֹּשְׁבִים בָּהּ *Ob violentiam universitatis habitantium in ea*, ob violentiam, qua usi sunt omnes illius incolae, innocentes opprimendo, aliena rapiendo, pios persequendo. Cf. 7, 23.

20. תִּהְיֶה — וְהֶעָרִים *Et urbes habitatae*, populosae, diruentur, *et terra devastata erit.* HIERONYMUS: „Illud autem

notandum, quod uno atque eodem tempore Jeremias prophetabat in Jerusalem, et Ezechiel in Babylone, et illius prophetia mittebatur ad captivos, et hujus ad eos, qui habitabant in Jerusalem, ut unius in diversis regionibus Dei providentia probarctur, et intelligerent audientes, quaecunque accidebant populo, nequaquam idolorum potestate, sed Domini jussione consistere."

22. מַה־הַמָּשָׁל הַזֶּה לָכֶם *Quid* sibi vult *dicterium istud vobis?* Interrogatio exprobrantis, sive expostulantis, ut infra 19, 2. Etiam prophetae κοινωνικῶς tribuitur id, quod ab ipso maxime erat alienum, qui unus erat ex corpore populi. In quam sententiam Kimchi recte confert Exod. 16, 28. *Dixit Dominus Mosi: quousque renuetis mea praecepta observare?* Aut Deus (addit Kimchi) jubet prophetae, ut Israelitis dicat: *quid sibi vult?* etc. יַאֲרִכוּ הַיָּמִים *Prolongantur dies* sc. exitii nobis a prophetis praedicti, protrahuntur, post multos demum annos, aut numquam futuri. Kimchi respici putat ad 11, 3. וְאָבַד כָּל־חָזוֹן *Et peribit*, irrita fiet, *omnis visio*, rerum futurarum prophetis divinitus in visione objectarum praedictio. Hoc volunt, prophetas ea praedicere, quae longe post ipsos sint eventura, illis vero mortuis nihil fieri eorum, quae praedixerint.

23. הִשְׁבַּתִּי Praeteritum propheticum, *cessare faciam.* וְלֹא יִמְשְׁלוּ אֹתוֹ עוֹד *Nec ultra hoc dicterio utentur;* cf. 16, 24. LXX: καὶ οὐκέτι μὴ εἴπωσι τὴν παραβολὴν ταύτην. Vulgatus: *neque vulgo dicetur ultra.* קָרְבוּ הַיָּמִים *Prope sunt dies*, quibus exitum habebit quod prophetae vobis comminati sunt. Oppositum יַאֲרִכוּ הַיָּמִים Vs. 22. וּדְבַר כָּל־חָזוֹן *Et res omnis visionis*, i. e. quidquid praedixerunt prophetae eventu mox comprobabitur. Syrus: *et eveniet omnis visio.*

24. כִּי לֹא יִהְיֶה עוֹד כָּל־חָזוֹן שָׁוְא *Nam non erit adhuc*, s. *amplius* quod prophetae vident, praedicunt, *omnis* s. *ulla visio vanitatis*, vana, falsa. Verba וּמְקֻסָּם חָלָק sunt, qui vertant: *et divinatio blandientis*, s. assentatoris, i. e. falsi prophetae, veris prophetis contradicendo, et felicem promittendo statum populo. Ita LXX: καὶ μαντευόμενος τὰ πρὸς χάριν. Mallem: *divinatio lubrica* s. *ambigua*, quum verbum חָלַק *divisum fuit* significet, ut Hos. 10, 2. Prov. 26, 28. לְשׁוֹן־שֶׁקֶר *lingua mendax* et פֶּה חָלָק conjunguntur. Ita Hieronymus: „Ubi a nobis editum est: *Neque erit divinatio ambigua* (quomodo et in Vulgato habetur), vertere Septuaginta, *nec divinans juxta gratiam*, pro quo omnes *lubricum* interpretati sunt, quod nos *ambiguum* diximus, ut decipientia audientes suos Prophetarum verba noscamus."

25. Sunt, qui אֲדַבֵּר prius nomini יְהוָה jungant, hoc sensu: *nam ego Dominus loquor; quod loquutus fuero verbum, id fiet.* Sed accentus Rbhia, nomini יְהוָה superpositus, verba כִּי אֲנִי יְהוָה ab iis, quae proxime sequuntur, distinguenda jubet, ut hic prodeat

sensus: *nam ego sum Dominus*, sive: *nam vere sum Jova*, ut jurandi sit formula; simulac *loquar*, *quodcunque loquar verbum*, statim *efficietur*. Cf. infra Vs. 28. Particulam *simulac (sobald)* Hebraei vix aliter exprimere possunt, quam per ו consequenti praefixum. Vid. e. c. Ps. 33, 9. Ei vero sensui, quem accentus postulant, bene congruit hemistichium posterius: לֹא תִמָּשֵׁךְ עוֹד *non protrahetur amplius.* כִּי בִימֵיכֶם בֵּית הַמֶּרִי אֲדַבֵּר דָּבָר וַעֲשִׂיתִיו *Nam in vestris diebus, o domus rebellis, loquar verbum et faciam illud*, vobis viventibus quod praenuncio exitum habebit.

27. Pro בֵּית־יִשְׂרָאֵל LXX habent: ὁ οἶκος Ἰσραὴλ ὁ παραπικραίνων, quasi הַמֶּרִי additum esset, quod tamen hodie in nullo codice legitur. הֶחָזוֹן אֲשֶׁר־הוּא חֹזֶה *Visio quam ille*, Ezechiel, *videt*, i. e. quod praedicit. חָזוֹן haud raro *vaticinium*, *prophetiam* denotat, vid. not. ad Jes. 1, 1. לְיָמִים רַבִּים *In dies multos* protrahetur, post longioris temporis intervallum eventum habebit. וְלַעִתִּים רְחוֹקוֹת הוּא נִבָּא *Et ad tempora remota ille vaticinatur*, ea quae post longum demum tempus evenient praedicit.

28. לֹא־תִמָּשֵׁךְ עוֹד כָּל־דְּבָרָי *Non differetur amplius ullum verborum meorum*, vel, subaudito עֵת, ob verbum femininum, *tempus* ullius vel *omnium verborum meorum.* Kimchi subaudit גְּזֵרָה *decretum.* De אֲשֶׁר אֲדַבֵּר דָּבָר וְיֵעָשֶׂה vid. ad Vs. 25.

VII.

Jovana contra pseudovates verba.

Cap. 13.

Argumentum.

Acerrime invectus in vates mendaces (Vs. 1—16.), atque in mulieres fatidicas (Vs. 17. sqq.), utrisque poenas denuntiat severissimas.

2. אֶל־נְבִיאֵי יִשְׂרָאֵל הַנִּבָּאִים *Ad prophetas Israelis, qui vaticinantur.* Chaldaeus: *de prophetis mendacii*, i. e. pseudoprophetis. Hieronymus: „Est sermo contra pseudoprophetas, qui decipiebant populum, et contra Dei mandata aliud prophetabant. Nec quempiam moveat, quod *Prophetae* appellantur: hanc enim habet sancta Scriptura consuetudinem, ut unumquemque vaticinationis suae et sermonis *Prophetiam* nuncupet; sicut *Prophetae* appellantur *Baal*, et *Prophetae idolorum*, et *Prophetae confusionis.* Unde et Apostolus Paulus poetam Graecum *Prophetam* vocat (Tit. 1, 12.)." לִנְבִיאֵי מִלִּבָּם *Prophetis e corde suo*, i. e. non missis a Deo, sed pro arbitrio suo prophetias vanas et falsas effutientibus. Cf. Neh. 6, 8. כִּי מִלִּבְּךָ אַתָּה בוֹדֶאת *sed ex corde* s. animo tuo *fingis ea.* Praefixum (מ) non impedit statum constructum nominis praecedentis, vid. 2 Sam. 1, 21. חַרְרֵי בַּגִּלְבֹּעַ, Jes. 9, 2. כְּשִׂמְחַת בַּקָּצִיר, Ps. 2, 12. חוֹסֵי בוֹ.

3. הוֹי עַל הַנִּבְרִיאִים הַנְּבָלִים *Vae prophetis stultis!* Chaldaeus: *vae pseudoprophetis, qui stulti sunt.* אֲשֶׁר הֹלְכִים אַחַר רוּחָם *Qui ambulant post spiritum suum,* qui sectantur cogitationes et phantasias suas. וְלִבְלְתִּי רָאוּ *Et* post id quod *non viderunt*, i. e. quamvis nulla iis divinitus oblata sit visio; quum nihil ostenderit iis Deus, quod per eos populo suo annuntiari velit.

4. כְּשֻׁעָלִים בֶּחֳרָבוֹת נְבִיאֶיךָ יִשְׂרָאֵל הָיוּ *Sicut vulpes in vastitatibus sunt tui prophetae, o Israel!* Comparantur falsi prophetae et seductores populi vulpibus subdolis, quae in vineas aut agros intrant, et depascunt seu laedunt uvas et segetes; coll.

Cant. 2, 15. Nam populus Israeliticus est vinea Jovae, vid. Jes. 5. Et quum veris prophetis seu doctoribus id muneris incumbat, ut colant Jovae vineam; falsi, vulpium instar, illam perdunt et corrumpunt. Ut ad eos pertineant haec Dei verba Jerem. 12, 10. *Multi pastores corruperunt vineam meam, conculcaverunt sortem meam, redegerunt partem meam desiderabilem in desertam desolationis.* Bochartus in *Hieroz.* P. I. L. III. Cap. 13. T. II. p. 205. ed. Lips. „Prophetae Israelis," inquit, „comparantur vulpibus in desertis, qui per cuniculos subjectam terram excavant et suffodiunt. Quod faciebant illi prophetae, quum Hierosolymorum ruinas repararc et sepem obducere debuissent, ut imminenti malo occurrerent. Eo enim respectu conferri cum vulpibus, suadent statim sequentia: *Non ascenditis in ruinas, nec obduxistis sepem pro domo Israelis.*" חָרְבוֹת quibusdam sunt *loca sepium disrupta*, per quae bestiis patet locus intrandi. Sed videntur potius loca vastatione desolata, deserta, inculta significari, ut infra 26, 20. Jes. 48, 21.

5. לֹא עֲלִיתֶם בַּפְּרָצוֹת *Non ascendistis in rupturas.* Metaphora ab oppugnatione urbium, ubi, ruptura facta in muro, ocius eo se conferunt obsessi ad arcendum hostem, ne per rupturam perrumpat. Cf. Ps. 106, 26. Apostrophe ad falsos doctores, cujus sensus non est obscurus: non consuluistis saluti populi, precibus et intercessione vestra pro eo, nec per sanam doctrinam veram monstrastis rationem, qua mala maxima, tum culpae, tum poenae, tolli de populo et possint et debeant. וַתִּגְדְּרוּ גָדֵר עַל־בֵּית יִשְׂרָאֵל *Nec sepsistis*, s. *ut sepiretis sepem pro domo Israelis.* „Ubi hostis moenium partem arietibus disjecit, duo fieri solent: opponi homines, qui hiantia defendant, et muniri interiora. Sic Deo irato ii, qui prophetae dici volunt, debent opponere consilia et monita." Grotius. Aliis est nova metaphora a munitione vinearum ad arcendas feras. לַעֲמֹד בַּמִּלְחָמָה *Ad standum in proelio*, in oppugnatione, i. e. ut staretis ut strenui propugnatores pro populo vestro, i. e. ut salutaribus monitis et deprecationibus mala imminentia averruncaretis. בְּיוֹם יְהוָה *In die Jovae*, idem quod supra 7, 19. בְּיוֹם עֶבְרַת יְהוָה *die irae Jovae.* Cf. Zephan. 2, 2. 3.

6. חָזוּ שָׁוְא וְקֶסֶם כָּזָב *Viderunt*, prophetarunt, *vanum, et divinationem mendacii.* לֹא שְׁלָחָם — הָאֹמְרִים *Qui dicentes* sunt, simul tamen dicunt: *effatum Jovae* est quod pronunciamus, *quum Jova non miserit eos.* וְיִחֲלוּ לְקַיֵּם דָּבָר *Exspectare faciunt ad stabiliendum verbum* suum, spem faciunt populo, ratum fore, quod dicunt. Falsa spe lactant populum, felicia ei promittendo, dum veri prophetae jussu divino mala minitarentur. Cf. Vs. 10. Alii sensum hunc faciunt: etsi nomine meo abusi, mendacio ingens addunt crimen, Deum auctorem inscribendo, nihilominus exspectant, impleturum esse Deum mendacia ipsorum vaticinia.

7. הֲלוֹא מַחֲזֵה־שָׁוְא חֲזִיתֶם *Nonne visionem vanitatis vidistis?* Interrogatio contestantis et indignantis, ut Jes. 57, 4. Ps. 14, 4.

8. הִנְנִי אֲלֵיכֶם *En! me ad*, s. contra *vos*. Chaldaeus: *ecce ego mitto iram meam contra vos.*

9. וְהָיְתָה יָדִי אֶל־הַנְּבִיאִים *Eritque manus mea ad*, i. e. contra *prophetas*. Chaldaeus: *et erit plaga potentiae meae super pseudoprophetas.* בְּסוֹד עַמִּי לֹא־יִהְיוּ *In concilio populi mei non erunt*, i. e. inter populum meum non censebuntur. De nomine סוֹד vid. not. ad Ps. 25, 14. Idem significatur eo, quod statim additur: וּבִכְתָב בֵּית־יִשְׂרָאֵל לֹא יִכָּתֵבוּ, phrasi a censibus populi desumta, quae et Exod. 32, 32. Ps. 69, 29. Jes. 4, 3. usurpatur. Omnes videlicet Israelitae divino jussu Exod. 30, 12—16. relati sunt in catalogum, de quo delebantur nomina mortuorum, semelque deleti non transscribebantur in alteram chartam, quae quotannis renovabatur ex veteri transsumta.

10. יַעַן וְיַעַן *Propterea, et propterea*, inquam, ut Levit. 26, 43., ubi cf. not. הִתְעוּ אֶת־עַמִּי *Errare fecerunt*, seduxerunt *populum meum*. Verbum תָּעָה, cujus forma Hiphil hoc tantum loco legitur, significatu non differt a תָּעָה *erravit*. לֵאמֹר שָׁלוֹם *Dicendo: pax*, i. e. salva esse omnia. THEODORETUS: *Ego populo bellum, et caedem, et captivitatem praedicebam, comminatione malorum cupiens eos ad sanam mentem reducere: sed isti contraria mihi facientes, pacem ipsis incassum pollicebantur.* וְהוּא בָּנָה חַיִץ וְהִנֵּם טָחִים אֹתוֹ תָּפֶל *Et* quando *ille*, populus, *aedificat parietem, tum illi oblinunt eum caemento.* Metaphora a fabris murariis desumta, parietem ruinosum inepta litura oblinentibus, quibus adumbrantur isti pseudovates, qui tum falsam doctrinam ac religionem inanibus sophismatibus ac coloribus pingere et veluti fulcire conantur; tum etiam homines imminente iis horribili Dei ira ac poenis, humanis figmentis consolantur et securos reddunt, persuadendo illis adesse favorem Dei et pacem. *Illinentibus* (טָחִים) pseudovates significari, expresse dicitur infra Vs. 16. חַיִץ quidam *parietem luteum*, qui ex luto materiaque per plateas (חוּץ) jacente efformetur, significare existimant. Sed vix dubium, convenire cum arabico חאיט *murus, septum*. תָּפֶל plerique volunt esse *inconditum* (ut Job. 6, 6.), *ineptum*, quod h. l. de inepta litura, i. e. luto mero, nullo intermixto stramine, dicatur. Sed vix dubium, esse non diversum a טָפַל, quod Chaldaeis *crusta, tectorium parietis* est, a *conjungendi, oblinendi* significatu, quem verbum טָפַל obtinet. Eadem similitudo infra 22, 28. repetitur.

11. אֱמֹר אֶל־טָחֵי תָּפֶל וְיִפֹּל *Dic ad eos, qui caemento oblinunt, ut cadat* paries a populo erectus. הָיָה גֶּשֶׁם שׁוֹטֵף *Erit pluvia inundans*, uti recte Vulgatus. Imbri omnia inundanti, parietes ac aedificia obruenti et evertenti, hostilis incursus et Jes. 8, 8. 28, 2. Nahum 1, 8. comparatur. וְאַתֶּנָה אַבְנֵי אֶלְגָּבִישׁ תִּפֹּלְנָה *Et lapides grandinis cadetis* super eos. „Nomen אֶלְגָּבִישׁ non

occurrit nisi hoc Versu et infra Vs. 13., sed ex filo orationis manifestum, majoris grandinis nomen esse, solo latente etymo. Mihi quidem nomen Arabicum esse videtur, servato adeo articulo אל, *glacie*mque (κρύσταλλον) significare, ut גֶּבִישׁ, Job. 28, 18. κρύσταλλον, gemmam. Ortum putem a גמס *concrevit, congelatus est*, M more Arabum ut B adpellato. *Lapides glaciei* sunt grando major.“ Michaelis in *Supplemm.* p. 87. Descriptiones poenarum divinarum sumuntur saepius ab illa horribili specie tempestatum, quas nonnumquam Deus iratus rebus humanis immittit, inde conjunguntur grando, procellae, fulmina, et similia meteora, vid. Ps. 18, 13. 14. 77, 18. 19. 105, 32. Apocal. 16, 21. תִּפֹּלְנָה h. l. pro *secunda* persona capienda est, ut ostendit praemissum וְאַתֶּנָה *o vos!* lapides grandinis super eos cadetis. Apostrophe emphatica, qua significat, quum prophetae isti non audiant, habere Deum lapides sibi dicto audientes, qui cadant in illos. Pro וְאַתֶּנָה LXX, Vulgatus et Syrus וְאֶתֵּנָה *et dabo* legerunt, quod ipsum in codice De-Rossii 923. (membranaceo, hispanico, seculi 14.) legitur, et a Dathio in Not. crit. ad h l. probatur. Chaldaeus: *et lapides grandes descendent.* Non expressit וְאַתֶּנָה, nec וְאֶתֵּנָה. וְרוּחַ סְעָרוֹת תִּבְקָע *Et ventus turbinum perrumpet.* Ad verbum תִּבְקָע *perrumpet* plerique subaudiunt pronomen relativum et nomen הַקִּיר, hoc sensu: *et procella* irruet, quae *perrumpet*, deturbabit parietem. Malim: *et procella prorumpet*, ut verbum intransitive sit capiendum, quod similiter de luce prorumpente Jes. 58, 8. dicitur: אָז יִבָּקַע כַּשַּׁחַר אוֹרֶךָ *Tum prorumpet sicut aurora lux tua.*

12. וְהִנֵּה נָפַל הַקִּיר *Ecce igitur*, cum *ceciderit ille paries*, Vs. 11. הֲלֹא יֵאָמֵר אֲלֵיכֶם *Nonne dicetur ad vos?* LXX, in cod. Alex., Arabe et Theodoreto: καὶ ἐροῦσιν πρὸς ὑμᾶς. אַיֵּה הַטִּיחַ אֲשֶׁר טַחְתֶּם *Ubi est tectorium illud quod obduxistis?* Jarchi: „Quum venerit malum, dicetur vobis: ubi est pax, in qua confisi estis?“

13. וּבְקַעְתִּי רוּחַ־סְעָרוֹת בַּחֲמָתִי *Faciam enim prorumpere ventum turbinum in ira mea.* Sensum bene expressit Chaldaeus: *et adducam regem, qui fortis est in vento tempestatum in ira mea.* וְגֶשֶׁם שֹׁטֵף בְּאַפִּי יִהְיֶה *Et imber inundans erit in ira mea.* Chaldaeus: *et populi occidentes quasi pluvia inundans in furore meo venient.* וְאַבְנֵי אֶלְגָּבִישׁ *Et lapides grandinis.* Chaldaeus: *et reges, qui robusti sunt, ut lapides grandinis.* בְּחֵמָה לְכָלָה *In furore*, fervore meo decident *ad consumtionem*, ut omnes consumantur.

14. תָּפֵל — וְהָרַסְתִּי *Et destruam parietem, quem obduxistis tectorio.* Chaldaeus: *et destruam urbem, in qua vos prophetastis prophetias falsas.* Recte; nam pariete destruendo urbem Hierosolymitanam intelligendam esse, res ipsa docet. וְנִגְלָה יְסוֹדוֹ *Ita ut retegatur fundamentum ejus* parietis, funditus eversi,

Mich. 1, 6. Ps. 137, 7. Verbum femininum וְנִפְלָה et suffixum femininum ad בְּתוֹכָהּ referenda sunt ad urbem Hierosolymitanam, non expressam quidem, sed e contextu cognoscendam; cf. Glassii *Philol. Sacr.* p. 158. ed. Dath. Minus placet, quod alii וְנִפְלָה ad חֲמָה (Vs. 13.) referunt, ut sit: *eaque ira irruente* etc., quomodo verbum נָפַל in Hithpael Genes. 43, 18. usurpatur. וּכְלִיתֶם *Et consumemini*, ut Mal. 3, 6. Ps. 90, 7. בְּתוֹכָהּ *In medio ejus*, urbis. LXX et Arabs: *μετ' ἐλέγχων*. „Pro בְּתוֹכָהּ forte censuerunt legendum בְּתוֹכָהּ, et credibile est, quod neseiverint, quonam spectaret affixum foemininum.“ Coccejus.

15. וְכִלֵּיתִי אֶת־חֲמָתִי בַּקִּיר *Et consumam iram meam* i. e. tam copiose eam effundam, ut nihil ejus in me relictum esse videatur, *in parietem*, in urbem, Vs. 14. וּבַטָּחִים אֹתוֹ חָפַל *Et in eos, qui eum obduxerunt caemento*, falsos prophetas. וְאֹמַר לָכֶם *Et* tunc *dicam vobis*, s. *de vobis*. אֵין הַקִּיר וְאֵין הַמְטִחִים אֹתוֹ *Non est* amplius *paries*, *nec sunt* amplius, sublati sunt, *qui eum obduxerunt.* Chaldaeus Versum ita explicavit: *et residebit indignatio mea in civitate et pseudoprophetis qui prophetarunt in ea prophetias falsas, et dicetur vobis: non est civitas nec pseudoprophetae.*

16. וְהַחֹזִים לָהּ חֲזוֹן שָׁלוֹם *Et qui vident*, vaticinantur (ut supra Vs. 7.) *illi*, urbi, pro illa, in gratiam ejus, *visionem*, vaticinium *pacis.* Chaldaeus: *et decipiunt eam oraculo pacis.*

17. Quia in populo Israelitico interdum etiam feminae prophetiae dono donatae fuerant, uti Debora (Jud. 4, 4.), Anna (1 Sam. 2, 1.), Hulda (2 Reg. 22, 14.), ideo et aliae mulieres hunc honorem sibi arrogabant, Deo non dante. Igitur et his poenas denunciare propheta jubetur. שִׂים פָּנֶיךָ אֶל־בְּנוֹת עַמֶּךָ הַמִּתְנַבְּאוֹת מִלִּבָּהֶן *Pone faciem tuam ad filias populi tui*, *quae vaticinantes* sunt *ex corde ipsarum*, quae commenta sua vaticinantur. *Ponere faciem suam ad aliquid* significat mentem ad aliquid convertere, quod sicut corpoream faciem homo eo vertit, quo vult ire, aut aliquid agere; sic et animus ejusdem ad suum opus vertitur, aut intentus est; ita tamen, ut etiam ipsum motum corporis simul complectatur. Ita 2 Reg. 22, 18. וַיָּשֶׂם חֲזָאֵל פָּנָיו לַעֲלוֹת עַל־יְרוּשָׁלָם, *Posuit Hasael suam faciem adscendere contra Hierosolymam.* Jer. 42, 15. אִם־אַתֶּם שׂוֹם תְּשִׂמוּן פְּנֵיכֶם לָבוֹא מִצְרַיִם, cf. et Vs. 17. Sic et Luc. 9, 51. *Καὶ αὐτὸς τὸ πρόσωπον ἐστήριξε τοῦ πορεύεσθαι εἰς Ἰερουσαλήμ.* Cf. Vs. 53. Apud Nostrum ea phrasis tum usurpatur, cum personae aut regioni alicui aliquid divinitus denunciaturus ad illam sese convertere jubetur, vid. supra 2, 1. 6, 2. infra 21, 1. 25, 2.

18. הוֹי לְמַחְפְּרוֹת כְּסָתוֹת עַל כָּל־אַצּוּלֵי יָדָי *Vae consuentibus pulvillos omnibus humeris.* Quod quidam ad verbum accipiunt de quodam illarum magico ritu, quod appositis talibus ornamentis aut rebus consulentium corpori, eos voluerint quasi capaces

suarum divinationum facere. Sic Ephraem *amuleta* existimat significari, brachiis circumligata, quorum ope oracula proferebant interrogantibus. Sed praestat haec per metaphoram seu allegoriam, ut praecedentia dicta intelligere, quod voluerint istae mulieres adulando, et in sua securitate confirmando populares in suis peccatis pertinaces efficere. *Pulvilli* enim res mollis sunt, cui cum voluptate incumbas. THEODORETUS: *Per translationem molliores ac mitiores hisce verbis innuit sermones. Cervicalia enim et pulvinaria requietem quandam et solatium afferunt membris, quibus supponuntur, et molliora verba cum falsa sint, ad tempus quidem aures titillant, sed omnis generis perversiones animis afferunt.* Ducta est similitudo a pulvillis, quos veteres non, uti nos, sedentium lumbis supponebant, sed pro ritu discumbentium, quo tunc utebantur, cervicibus vel humeris recumbentium solebant substernere. Hinc MARTIALIS *Epigr.* L. III. 81. *Jacet occupatus Galbanatus in lecto, Cubitis trudit hinc et inde convivas Effultus ostro, sericisque plumis.* Apposite viris tribuit aedificare parietem, mulieribus, pulvillos consuere. לִמְתֹּפְרוֹת, *Consuentibns*, possit et *applicantibus* reddi, ut Job. 16, 15. *Saccum* תָּפַרְתִּי *applicavi*, affixi, *cuti meae.* Genes. 3, 7. וַיִּתְפְּרוּ *Applicarunt*, complicarunt, *folia ficulnea.* Consonum arabicum Verbum denotat: *crassum lorum sub cauda aptavit jumento, eaque revinxit illud ephippii firmandi ergo.* Nomen כְּסָתוֹת praeter hunc locum et infra Vs. 20. nusquam in V. T. legitur, nec reperitur in dialectis cognatis. Veteres tamen consentiunt in *pulvinarium* significatu, quem et res ipsa postulat. Et eodem significatu nomen כֶּסֶת apud Talmudicos usurpatur. עַל h. l. est *ad* vel: *propter*, pro. אַצִּילֵי יָדַי propr. *juncturas manuum.* Sed ad has quid pulvinaria? Denotantur *radices brachiorum*, i. e. axillae, humeri; nam יָד per synecdochen pro brachio toto dicitur; hinc et infra Vs. 20. pro אַצִּילֵי יָדַיִם usitatius זְרוֹעֹת *brachia* ponitur. יָדַי per apocopen pro יָדַיִם positum necesse est, nisi pro forma plurali habere malueris, ut הָרַי *montes*, Zachar. 14, 5., pro quo mox ponitur usitatior forma הָרִים; illam pluralis formam Syri in statu constructo usurpare solent, Hebraei vero etiam in statu absoluto, ut חַלּוֹנַי, *fenestrae*, Jer. 22, 14., גֹּבַי, *locustae*, Amos. 7, 1. Nah. 3, 17., דִּבְרֵי חוֹזַי *verba videntium*, 2 Paral. 33, 19. וְעֹשׂוֹת הַמִּסְפָּחוֹת עַל־רֹאשׁ כָּל־קוֹמָה *Et quae faciunt cervicalia pro caput omnis staturae.* מַסְפָּחוֹת Kimchius *pepla* esse dicit, ab *adjungendi* significatu, verbo סָפַח proprio, *qui illa inhaerent et constanter adjuncta sunt capiti.* Cui sententiae calculum adjecit N. G. SCHROEDER *de Vestitu Mulier. Hebr.* p. 266., qui dictione hac *vela capitis* denotari, ipsum textum evincere ait. Dici enim illa esse עַל־רֹאשׁ *super capite.* Videri itaque nomine illo pepla, quibus feminae istis in oris totum caput, praecipue vultum, obnubunt, tum cujuscunque generis tegmina et velamina intelligenda. Ita et LXX ἐπιβόλαια,

et Syrus, *operimenta.* *Velamina*, quibus mulieres faciem velant, intelligens etiam Grotius, „sic, inquit, illae prophetides magnis et parvis suggerebant praetextus ad obtegenda vitia.“ Malim cum Symmacho et Hieronymo intelligere *cervicalia,* s. *culcitas,* super quas secure dormitant homines, sive *strata*, coll. aethiopico שפה *expandit*, *stravit lectum.* כָּל־קוֹמָה Hominum *omnis altitudinis* s. *staturae*, 17, 6. Cantic. 7, 8., magnorum et parvorum: absque delectu omnibus gratificantur. לְצוֹדֵד נְפָשׁוֹת *Ad venandum animas*, ut perdant, s. ut tanquam retibus irretitae suis pereant. Chaldaeus: *ad perdendum animas.* Jarchi: „Venabantur animas in gehennam [i. e. ut eas pessum darent], confirmantes quippe manus impiorum, divinando ipsis pacem, remissas autem facientes manus piorum, divinando ipsis malum.“ *Venari animam alicujus* est insidiari ei, aut moliri exitium, ut 1 Sam. 24, 12. וְאַתָּה צֹדֶה אֶת־נַפְשִׁי לְקַחְתָּהּ *Et tu insidiaris vitae meae*, *ut eam capias.* Exod. 21, 13. וַאֲשֶׁר לֹא צָדָה *Et qui non insidiatur* alicui. Mich. 7, 2. אִישׁ אֶת־אָחִיהוּ יָצוּדוּ חֵרֶם *Quisque fratrem suum venatur reti*, i. e. instar venatoris struit exitium suis artibus. Alterum Versus hemistichium, תַּחֲיֶינָה — הַנְּפָשׁוֹת, pleriquc sic reddunt, *animas venamini inter populum meum*, *et animis vobis*, i. e. lucri vestri caussa, *vitam promittitis.* Alii subaudito כִּי ante הַנְּפָשׁוֹת ita: *cum venati estis*, s. cepistis *animas populi mei*, *vitam eis lucri vestri causa promittitis.* Sic post Vulgatum Luthcrus (qui tamen לָכֶם non expressit): *Wenn ihr nun die Seelen gefangen habt unter meinem Volk*, *verheisset ihr denselbigen das Leben.* Sed recte monuit Jarchi, הַ ante נְפָשׁוֹת esse interrogandi particulam, quae ante Schva cum Pathach praefigitur, litera vcro, quae Schva sub se habet, Dagesch forte euphonicum assumit; vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 623. Quod sequuti aliqui locum nostrum ita capiunt: *numquid animas venabimini populi mei*, *et animas vobis vivificabitis?* id est, numquid liberum crit vobis, iis, qui vestris carminibus irretiti et dementati sunt, vitam et felicia omnia polliceri meo nomine? itane quibus mortem inscrtis, veram vitam promittitis mendaciter? Idem est quod Jesajas dicit 3, 12. עַמִּי מְאַשְּׁרֶיךָ מַתְעִים *populc mi*, *qui te beatum dicunt*, *ipsi te decipiunt.* לְ ante עַמִּי vel *inter* vertendum censent, ut Num. 3, 40. *Recenseto omnem primogenitum marem* לִבְנֵי יִשְׂרָאֵל *inter filios Israel.* Exod. 12, 2. *Primus esto vobis* לְחָדְשֵׁי הַשָּׁנָה *inter menses anni;* vel habent pro Genitivi nota, ut Jes. 40, 3. מְסִלָּה לֵאלֹהֵינוּ *via Dei nostri*, Jer. 51, 31. שְׁנַת לְגָלוּת *annus migrationis*, vid. et infra 40, 1.; 1 Sam. 22, 8. עֲבָדִים לִשְׁאוּל *servi Saulis;* 1 Sam. 18, 18. חָתָן לַמֶּלֶךְ *gener regis.* לָכֶם autem illis est Dativus commodi: *vobis* in quaestum et pro mercede. Ita Jarchi: „Opus istud divinatorium vobis quaestui et lucro est, ut inde victum et alimenta habeatis.“ Cf. Vs. sq. Sed quum נְפָשׁוֹת לְעַמִּי et נְפָשׁוֹת לָכֶם manifeste sibi invicem opponantur, prius non dubito significare *animas* quae

sunt *populo meo*, i. e. meis, i. e. piis, alterum vero: *animas* quae sunt vobis (שֶׁהֵן לָכֶן), i. e. quae vobis sunt deditae, et credunt vobis. Sensum hunc esse puto: numquid permittam, ut perdatis meos, eis imponatis vestris mendacibus oraculis, praedicendo illis omnia adversa et infelicia? vestras vero vivas faciatis, promittendo illis omnia felicia? Res aliter continget, quam speratis: nam prospera impiis non evenient, ut denunciatis, sed vobis et vestris auditoribus infelicia omnia. Quae sententia disertius declaratur Vs. 19. 21. 22. תְּחַיֶּינָה *Vivas conservatis*, i. e. vivendas declaratis, vitam et felicia omnia promittitis. Nam apud Hebraeos *declarandi* verba *faciendi* vocabulis appellari solent, vid. Vs. sq., nec non infra 43, 3. בְּבֹאִי לְשַׁחֵת אֶת־הָעִיר *cum venirem ad perdendum urbem*, i. e. ad praedicendam urbis eversionem. Cf. Deut. 25, 1. Jes. 6, 10. Jer. 1, 10.

19. וַתְּחַלְּלֻנָה אֹתִי *Profanatis me*, meo nomine vestra venditantes figmenta. Particula אֶל ante עַמִּי h. l. est *apud* vertenda, ut infra 17, 8. Proverb. 30, 10. Kimchi pro בְּעַמִּי accipit, uti Exod. 25, 21. אֶל־הָאָרֹן pro בָּאָרֹן *in arca illa (pones testimonium)*. בְּשַׁעֲלֵי שְׂעֹרִים וּבְפִתּוֹתֵי לָחֶם *Pro pugillis hordei et frustulis panis*, i. e. victus causa et pro minima mercede mentimini. *Antiquissimum in cibis hordeum*, ait PLINIUS *Histor. Nat.* L. XVIII. C. 7. Locutio proverbialis, cui persimile illud Catonis: *Frusto panis conduci potest, vel uti taceat, vel uti loquatur.* לָהָמִית — תְּחַיֶּינָה — — *Morti tradendo animas quae mori non debebant, et vivas servando animas quae vivere non debent*, i. e. praedicendo exitium piis, quos ego servabo, salutem autem promittendo et vana spe lactando impios, quos ego perdere statui. בְּכַזֵּבְכֶם *Dum mentimini*, viri et feminae, utriusque generis pseudovates comprehendit suffixo masculino. Pro וּלְהַחֲיוֹת codices nonnulli collationis Kennicottianae et De-Rossianae exhibent וּלְהַחֲחִיוֹת cum ה conjugationis Hiphil expresso. לְעַמִּי שֹׁמְעֵי כָזָב *Populo meo, qui audiunt* libenter *mendacium*, eique fidem habent.

20. Jam redarguita impietate supplicium minatur. הִנְנִי אֶל־כְּסוּתֵיכֶנָה *En! me contra pulvillos vestros.* אֶל pro עַל, *contra*, ut saepius, positum, estque aposiopesis, ita supplenda: *missurus sum iram meam* (conf. infra Chaldaeum), i. e. fraudibus et mendaciis vestris, quibus populo meo imponitis, finem faciam eaque puniam. שָׁם *Ibi*, in illo loco, l. e. Hierosolymis, Vs. 16. THEODORETUS: *Redarguam, inquit, verba vestra, et falsa esse ostendam, et pro bonis illis pollicitationibus, quae similes sunt mollibus cervicalibus et pulvinis, infligam calamitates populo, qui vobis crediderit, et dispergam eos, experientia docens mendacia vestra.* In verbis אֲשֶׁר אַתֶּנָה מְצֻדְּדוֹת שָׁם אֶת־הַנְּפָשׁוֹת לְפָרְחוֹת explicandis difficultatem creat horum verborum postremum, quum ex verbi פָּרַח significatione Hebraeis usitata, *germinavit, floruit*, vocis לְפָרְחוֹת sensum commodum vix elicias.

Nam quod aliqui *ad florentes* scil. *hortos*, s. *ad floralia* interpretantur, hoc sensu: ut eas (animas) abducatis in hortos et lucos vestros Veneri sacros; vel: *ad hoc, ut efflorescant* juxta promissa vestra, quum prosperitas et alias *efflorescendi* imagine adumbretur, veluti Ps. 72, 7. 92, 8. 13., parum placebit. Sensus commodus prodibit adscita *volandi* significatione, quam פָּרַח apud Aramaeos obtinet. Ita JARCHI: „*ut avolent per vos in Gehennam*," i. e. ut a vobis deceptae in perniciem ruant. Malim cum KIMCHIO: „*ut advolent et veniant ad vos*, i. e. insidiamini animis, ut allicietis eas mendaciis vestris. Bene ceterum Hebraei לְפָרְחוֹת explicant לִהְיוֹת פְּרָחוֹת, eadem constructio, quae Deuter. 10, 12. *Quid poscit de te Dominus Deus tuus* כִּי אִם־לְיִרְאָה *nisi ut timeas eum*, וּלְאַהֲבָה אֹתוֹ, *et ut ames eum?* וְקָרַעְתִּי אֶתְכֶם מֵעַל זְרוֹעֹתֵיכֶם *Et lacerabo eos*, pulvillos, *a brachiis vestris*, sublatos a brachiis vestris, quae illis innituntur, eos lacerabo. וְשִׁלַּחְתִּי *Dimittam*, veluti captas aves (cf. Deuter. 22, 7.), animas in retibus vestris captas. אֶת־נְפָשׁוֹת *Quoad animas*, similis loquendi modus Deuter. 33, 11. מְחַץ מָתְנַיִם קָמָיו *percute quoad lumbos qui contra eum surgunt.* Priori loco positum אֶת־הַנְּפָשׁוֹת, Coccejo observante, notat *ipsos homines*, qui habent animas, alterum hoc notat *animas eorum*, quas petebant insidiis suis. Ceterum pluralis terminatione masculina נְפָשִׁים hoc solo loco legitur, quemadmodum a feminino פִּילֶגֶשׁ pluralis est פִּילַגְשִׁים, Genes. 25, 6. 2 Sam. 5, 13. Ultimum לִפְרָחוֹת sunt qui non ad נְפָשׁוֹת, sed ad *culcitas* (כְּסָתוֹת), in priori hemistichio memoratas, referant. Inter hos NOLDIUS in *Annotatt. ad Concordantt.* No. 1900. „Nam *culcitis*," inquit, „Deus minatus fuerat, quod vellet *brachiis abripere eas*, idque *ut avolent*; puta, seu ut *plumae*, ex quibus constant, seu ut *flos*, Jes. 5, 24." Minime tamen necesse videtur, unum idemque praedicatum in eodem Versu ad diversa subjecta referre.

21. וְקָרַעְתִּי אֶת־מִסְפְּחֹתֵיכֶם *Discindam strata vestra*, cf. Vs. 18. וְהִצַּלְתִּי אֶת־עַמִּי מִיֶּדְכֶן *Et liberabo populum meum ex manibus vestris.* THEODORETUS: *Liberabo eos a vestro mendacio, persuadens ipsis per mala, quas sustinebunt, haud amplius verbis vestris esse attendendum, sed me esse cognoscendum pro domino atque hero.* Pro מִיֶּדְכֶן habent מִיֶּדְכֶם, cum affixo masculino, codices aliquot Kennicottiani et De-Rossiani, nec non Chaldaeus. Sane suffixa feminina requirit oratio ad feminas directa. Verum genera apud Nostrum saepius inter se permiscceri, vidimus supra ad 1, 6. p. 63. וְלֹא־יִהְיוּ עוֹד בְּיֶדְכֶן לְמִצּוּדָה *Nec erunt amplius in manibus vestris ad venationem* s. praedam venando captam.

22. יַעַן הַכְאוֹת לֵב־צַדִּיק *Propter affligendum*, i. e. propterea quod affligitis *cor justi.* Verbum כָּאָה Coccejus significatione non differre putans a כָּהָה *hebescit*, (Jes. 42, 4.), vertit:

eo quod hebetastis cor justi, imminuendo spem in divinas promissiones et animi alacritatem. Sed adsiscenda potius arabici כא et כיא notio, *moesto*, *pavido et pusillo animo fuit*, unde Ps. 109, 16. נִכְאֵה לֵבָב *tristis corde*, et Dan. 11, 30. de territo legatione Romana Antiocho, וְנִכְאָה, *et pusillanimis fiet*, *timebit*. שֶׁקֶר *Mendacio*, i. e. vaticinio mendaci, denunciando illis adversa et infelicia nomine meo, idque falso. וַאֲנִי לֹא הִכְאַבְתִּיו *Et ego non contristavi eum*, i. e. quos tamen ego non contristari volui. וּלְחַזֵּק יְדֵי רָשָׁע *Et confirmando* s. *dum confirmatis manus impii*, animum ei additis, ut securius peccet. *Manum alicujus roborare* est alicui vires et animum reddere, vid. 1 Sam. 23, 16. Jes. 35, 3. Job. 4, 3. לְהַחֲיֹתוֹ *Vivificando eum*, i. e. promittendo ei omnimodam felicitatem, cf. not ad Vs. 18. sub fin.

23. לָכֵן שָׁוְא לֹא תֶחֱזֶינָה *Propterea vanum non videbitis*, non amplius oracula falsa proferetis, quippe ipso eventu pudefaciendae et ludibriis exponendae, ut omnibus patcant mendacia vestra, quin et ipsae periturae in calamitatibus instantibus. וְקֶסֶם לֹא תְקַסֵּמְנָה עוֹד *Et divinationem non divinabitis*, oracula non proferetis, *adhuc* in posterum.

VIII.

CAP. 14, 1—11.

A r g u m e n t u m.

Qui falsorum Deorum cultui dediti, sive genere Israelitae, sive peregrini inter eos degentes, simulata Numinis religione scisciatum prophetas venerint, in gravissimam incurrent animadversionem (Vs. 1—8.); impostoribus vero, qui sua commenta pro divinis venditant effatis, aeque ac illis, qui tales consulunt, supplicia divinitus denunciantur severissima (9—11.).

1. וַיָּבוֹא אֵלַי אֲנָשִׁים מִזִּקְנֵי יִשְׂרָאֵל *Venerunt ad me viri e senioribus Israelis.* Quod nomini pluralis numeri verbum jungitur numeri singularis, Abarbenel rationem comminiscitur hanc, quod propheta indicare voluerit, venisse virorum illorum *unum post alterum.* Jarchi vero et Kimchi verbo singulari significari existimant, quod unanimiter et mala mente omnes venerint. Argutiae! Solent Hebraei, quemadmodum Arabes, nomen *plurale, personas* indicans, verbo *masculino singulari, neutraliter* intelligendo, jungere, maxime si verbum praecedat, ut Num. 32, 25. וַיֹּאמֶר בְּנֵי־גָד וּבְנֵי רְאוּבֵן *dixerunt Gaditae et Rubenitae.* Jud. 12, 6. וַיְהִי אֲנָשִׁים *exstiterunt viri.* Esth. 9, 23. קִבֵּל הַיְּהוּדִים *susceperunt Judaei.* Vid. et 1 Sam. 1, 2. 2 Sam 5, 6. 1 Par. 26, 6. et cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 713. Neque igitur opus est, ut cum paucis quibusdam codicibus וַיָּבֹאוּ legamus, quod vix dubium est librariis intempestivo emendandi studio ductis deberi. Infra 20, 1. dicitur בָּאוּ אֲנָשִׁים מִזִּקְנֵי יִשְׂרָאֵל, additurque caussa, cur prophetam adierint, scil. לִדְרֹשׁ אֶת־יְהוָה *ut Jovam consulerent*, de eo quid eventurum esset ipsis, et popularibus in Judaea relictis. Grotius *senioribus Israelitarum* Serajam, et qui cum eo a Sedecia missi Babylonem (Jer. 51, 59.), intelligendos putat, qui Ezechielem, prophetiae fama celebrem in itinere sibi compellandum duxerint. Supervacanea conjectura, quum in toto hoc segmento nil plane occurrat, quod in exsilio degentibus non conveniret. Nam et in Babylonicis terris Judaei deportati suos creabant praesides

(qui h. l. זְקֵנִים vocantur, nomine aetatem significante pro nomine dignitatis usurpato). Sic in Histor. Susannae Vs. 5. memorantur *δύο πρεσβύτεροι ἐκ τοῦ λαοῦ κριταὶ ἐν τῷ ἐνιαυτῷ ἐκείνῳ.* וַיֵּשְׁבוּ לְפָנַי *Et sederunt coram me.* Venerant ad rogandum per me Dei responsum, et quasi a meo ore pendentes auscultabant, hoc facto religiosos se, et veri Dei cultores mentientes.

3. הֶעֱלוּ גִלּוּלֵיהֶם עַל־לִבָּם *Ascendere fecerunt idola sua super corda sua*, i. e. in animum induxerunt cultum idolorum, toto animo eum gestant. Phrasis hebraica de mentis cogitationibus dicitur 2 Reg. 12, 5. Jerem. 7, 31. infra 38, 10. Cf. supra 11, 5. מַעֲלוֹת רוּחֲכֶם. Unde formula *ἀνέβη ἐπὶ τὴν καρδίαν αὐτοῦ*, Actor. 7, 23. 1 Cor. 2, 9. LXX: *Ἔθεντο τὰ διανοήματα αὐτῶν ἐπὶ τὰς καρδίας αὐτῶν.* וּמִכְשׁוֹל עֲוֹנָם נָתְנוּ נֹכַח פְּנֵיהֶם *Et offendiculum iniquitatis suae*, i. e. idola, quae cultoribus suis offendiculum sunt, quo impingunt, et in omnia mala culpae et poenae ruunt (cf. supra 7, 19.), *posuerunt coram facie sua*, ea colunt non modo intus in animo (quod phrasis, quae proxime praecessit, indicat), verum et cultum externum iis exhibent. Idola semper et ubique eorum oculis obversantur. הַאִדָּרֵשׁ אִדָּרֵשׁ לָהֶם *An quaesitus quaerar iis?* „Verbi דָּרַשׁ quoties e conjugatione Niphal ductae reperiuntur formae, non absolute positae, ubique *τὸ* ל subsequitur. Atque tum quidem, si praecesserit דָּרַשׁ, significatu *rogandi sententiam*, aut aliunde pateat, adfuisse qui rogarint, haud sane rejiciendus videatur, tanquam plane alienus, *respondendi* sensus. Ezech. 14, 1. venisse memorantur ad prophetam seniores Israelis, et coram illo consedisse, nimirum, ut decretum quod erat Numini, rescirent. Hos ille Dei nomine compellat Vs. 3. interrogativa locutione, quae fortius negat, הַאִדָּרֵשׁ אִדָּרֵשׁ לָהֶם *aequumne erit, ut illis respondeam?* Ita et LXX consentiente Chaldaeo et Latino. Formula jurisjurandi legitur 20, 3. חַי־אֲנִי אִם אִדָּרֵשׁ לָכֶם *quam certum est, me vivere, tam certum quoque, me non responsurum vobis*, quem etiam in modum sumserunt antiquorum interpretum singuli. Recurrit eadem formula Vs. 31., bis insuper repetita voce אִדָּרֵשׁ. Sed tamen in his locis vix poterit simplex et nuda responsio intelligi, quoniam, etsi futurum omnino negatur, ut Deus יִדָּרֵשׁ לָהֶם, Propheta nihilominus, Dei nomine, ubique responsum exhibet, foretque adeo aperta contradictio, si *τὸ* אדרש nil ferret secum, praeter vulgatum *respondendi* notionem. Itaque negari tantummodo putemus responsionem ejusmodi, qua se faventem et propitium Deus ostenderet. Conferatur heic Deut. 11, 12. (אֶרֶץ אֲשֶׁר־יְהוָה דֹּרֵשׁ אוֹתָהּ). Siquidem reciprocam vim persaepe exserit conjugatio Niphal, significabunt haud dubie formulae illae apud Ezechielem, *non me patiar a vobis inveniri clementem, vestrive, quales nunc estis, amantes.* Huc ducit אִדָּרֵשׁ Ezech. 36, 37., cui certe nudae responsionis significatio minime competit, quodque adeo a nemine

veterum interpretum eam in partem versum est. Integri commatis haec patet series: *Sic dicit Dominus Jova:* עוֹד זֹאת אִדָּרֵשׁ לְבֵית־יִשְׂרָאֵל *adhuc me patiar tali modo inveniri domui Israelis propensum et benignum, ut multiplicem apud eos, magni instar gregis, homines?* Accedit Jes. 65, 1. נִדְרַשְׁתִּי לְלֹא שָׁאֲלוּ *inventus sum his,* benevolum me praebui, me cognitionem summaque beneficia his tribui, *qui me* olim *non petierant.*" Car. Aurivillius in *Dissertat. de varia constructione verbi* דָּרַשׁ §. 5. in Ejus *Dissertatt.* a J. D. Michaelis editt. p. 439. Ceterum הֵאָדָּרֵשׁ est Infinitivus formae Niphal, mutato ה in א, ne duo He concurrentia difficilem facerent et ingratam pronunciationem, Kimchio observante. Eadem constructio 2 Reg. 6, 21. הַאַכֶּה אַכֶּה *num percutiam?* s. *occidam?*

4. אִישׁ אִישׁ *Vir vir*, i. e. quisquis, quicunque, ut Levit. 17, 3. 8. 10. Ad verba quae proxime sequuntur usque ad פָּנָיו vid. not. ad Vs. 1. וּבָא אֶל־הַנָּבִיא *Et* tamen *venerit ad prophetam*, s. collective, *ad prophetas.* Theodoretus intelligit *falsos vates*, quos consulant idolorum cultores. Sed de iis Versu demum 9. loquitur. Hoc loco *veros prophetas* intelligendos esse, quos consultum veniant falsorum cultui dediti homines, Versus 1. et 3. arguunt, ubi seniores populi idololatrae, sed verae religionis simulatores, ad nostrum prophetam venisse dicuntur, quos manifeste respiciunt Vs. 4—8. dicta. אֲנִי יְהוָה נַעֲנֵיתִי לוֹ בָּהּ בְּרֹב גִּלּוּלָיו Tali consulenti *respondebo ego Jova pro ea* re, videlicet *pro multitudine idolorum suorum*, i. e. ut dignum est, prout ingens ejus idololatria et simulatio meretur, redarguendo et puniendo eum. Verbi עָנָה forma Niphal alias (Ps. 119, 107. Jes. 53, 7. 58, 10.) *affligi* denotat, sed h. l. et infra Vs. 7. *respondendi* significatu capiendam esse, res ipsa flagitat. Proprie erit: *adducor* s. *moveor ad respondendum*, ut in aliis pluribus verbis *Niphal* passivam notionem conjugationis *Hiphil* exprimit, ut Jes. 44, 21. לֹא תִנָּשֵׁנִי *ne fias oblivisci*, i. e. *ne inducaris ab aliis ad obliviscendum mei*, al. הִשָּׁה *oblivisci fecit;* Ex. 22, 7. וְנִקְרַב *et accedere fiet*, s. *adducetur*, ex הִקְרִיב *adducere;* Levit. 4, 14. וְנוֹדְעָה *et notum factum fuerit*, coll. Vs. 23. 28., ubi pro eo est אוֹ הוֹדַע אֵלָיו *si notum* quis *fecerit ei*, more Aramaeo, observante C. B. Michaelis in Dissertat. *Lumina Syriaca pro illustr. Ebraismo sacro* §. 23. (in *Sylloge Commentatt. Theologg.* a D. J. Pott *edita* Vol. I. p. 205. sq. coll. p. 212.). Particula ב h. l. est *pro, secundum* vertenda, ut Levit. 5, 15. *Arietem integrum ex armento* בְּעֶרְכְּךָ *secundum aestimationem tuam;* Num. 14, 34. בְּמִסְפַּר הַיָּמִים *secundum numerum dierum, quibus explorastis terram;* Exod. 26, 2. 27, 9. 18. בָּאַמָּה *secundum cubitum*, s. mensuram cubitalem. בָּהּ *Pro ea* scil. re, s. secundum id, quod sequitur, multitudinem idolorum suorum, pleonasmus Pronominis Aramaeis frequentissimus, nec tamen Hebraeis inusi-

tatus, ut Jer. 51, 56. בָּא עָלֶיהָ עַל־בָּבֶל *venit contra eam, Babelem*, Job. 29, 3. (ad quem loc. vid. not.), 33, 20. Pro בָּהּ Masorethae בָּא *venit* legendum jubent ad marginem (קְרִי), habentque plures codices Kennicotti et De-Rossii in textu. Expressit quoque Chaldaeus. Sed τὸ כְּתִיב bene se habet, ut supra vidimus.

5. Ita respondebo istis simulatoribus ex Israelitis (Vs. 4.): לְמַעַן תְּפֹשׂ אֶת־בֵּית־יִשְׂרָאֵל בְּלִבָּם *ut capiam domum Israelis in corde suo*, i. e. ut meis objurgationibus eorum animos pudore et moerore afficiam. Chaldaeus: *ut admoveam domum Israelis, ut ponat poenitentiam in corde suo.* אֲשֶׁר נָזְרוּ מֵעָלַי בְּגִלּוּלֵיהֶם כֻּלָּם *Qui abalienati sunt a me per idola sua omnia.* Chaldaeus: *qui recesserunt a cultu meo, et polluti sunt omnes cultu idolorum suorum.*

6. שׁוּבוּ *Convertimini*, Chaldaeus addit: לְפוּלְחָנִי *ad cultum meum.* וְהָשִׁיבוּ מֵעַל גִּלּוּלֵיכֶם *Et convertite* sc. animum, s. facies vestras, uti statim sequitur, *ab idolis vestris.* וּמֵעַל כָּל־תּוֹעֲבֹתֵיכֶם הָשִׁיבוּ פְּנֵיכֶם *Et ab omnibus abominandis vestris convertite facies vestras.* Chaldaeus: *et omnes iniquitates cultus idolorum abominationum vestrarum projicite a facie vestra.*

7. וּמֵהַגֵּר אֲשֶׁר־יָגוּר בְּיִשְׂרָאֵל *Aut de peregrino, qui peregrinatur in Israele.* Nam et extranei, qui inter Israelitas vivebant, etiamsi Legi se non subjecissent, tenebantur tamen ab idololatria se abstinere. Ceterum eadem plane h. l. loquendi formula, quae Levit. 17, 10. וְנָזַר מֵאַחֲרָי *Et separaverit se a me.* Chaldaeus: *et qui declinaverit a cultu meo.* וְיַעַל גִּלּוּלָיו אֶל־לִבּוֹ *Et ascendere fecerit idola sua ad cor suum,* vid. supra Vs. 3. 4. לִדְרֹשׁ־לוֹ בִי *Ad interrogandum eum in me* nixus. Verbo דָּרַשׁ ubi nomen jungitur, cui ב praefixum, *fiducia* intermisceri affectum, in ea re positae, cujus nomen collocatur, bene observat AURIVILLIUS in *Dissert.* supra ad Vs. 3. laudat., p. 443. Vid. 2 Reg. 1, 2. 3. 6. 16. 1 Chron. 10, 14. 2 Chron. 16, 12. 34, 26. Unde nostrum locum, quo ב et ל simul ponuntur, quum de callidis religionis simulatoribus sermo sit, ita docet reddendum: *ut ab eo quaerant, simulata in me fide*, quid sim responsurus. אֲנִי יְהוָה נֶעֱנֵיתִי־לוֹ בִי *Ego Jova respondere factus* s. motus *ero* (est enim Participium Niphal, cf. ad Vs. 4.) *pro me*, i. e. ut me, cujus dignitati tali simulatione illuditur, par est istis consultoribus respondere, scil. severa castigatione. Praefixum ב in בִי eodem significatu capiendum, ut in בָּרַךְ supra Vs. 4.

8. וְנָתַתִּי פָנַי בָּאִישׁ הַהוּא *Et dabo* s. *ponam faciem meam in virum illum.* Phrasis *dare faciem in aliquem*, s. *in aliquam rem*, de irati Dei inspectione, aut judicio ac poena super reos usurpatur, vid. infra 15, 7. Levit. 17, 10. 20, 3. Deprompta est ab homine, qui austero vultu intuetur eum, cui irascitur. וַהֲשִׁמּוֹתִיהוּ interpretum plures explicant *et devastabo eum*, alii:

stuporem ei immittam, ad radicem שָׁמַם illud referentes. Ita vero deberet הַשְׁמוֹתִיהוּ (cum Dagesch literae מ indito, ut est in Bibliis Athianis anni 1661.) scriptum esse (cf. Job. 16, 7. הֲשִׁמוֹת), non vero הַשִׁימוֹתָ sine Dagesch, uti est in libris recentioribus tantum non omnibus. Verum multo aptius est, quod veteres omnes exprimunt, et in Bibliis Bombergianis anni 1525 legitur, וַהֲשִׁימוֹתִיהוּ (a rad. שׂוּם), *et ponam*, reddam eum לְאוֹת וְלִמְשָׁלִים *in signum*, i. e. aliis in exemplum vitandi peccata et iram Dei (cf. Num. 17, 3. 25. Deut. 28, 46.), *et in adagium*, quo alii supplicium severissimum indicare volunt. Cf. Ps. 44, 15. תְּשִׂימֵנוּ מָשָׁל *reddis nos adagium.* וְהִכְרַתִּיו מִתּוֹךְ עַמִּי *Et excindam eum e medio populi mei*, Levit. 20, 3. 5. 6. וִידַעְתֶּם כִּי־אֲנִי יְהוָה *Ut cognoscatis, me esse Jovam.* „Ut illo perdito de populo Dei, cognoscant ceteri, quod ipse sit Dominus, qui cordis arcana cognoscit, et perversitatem mentis intelligit, nec considerat verba loquentium, sed corda.“ Hieronymus.

9. וְהַנָּבִיא כִּי־יִפָּתֶה וְדִבֶּר דָּבָר *Propheta autem si seduci se passus fuerit*, spe lucri ab impiis eum consulentibus, et laeta responsa flagitantibus, *ut loquatur verbum* aliquod falsum ceu divinum. Cf. supra 13, 2. sqq. 1 Reg. 22, 11—22. פִּתִּיתִי אֶת הַנָּבִיא הַהוּא *Ego seducam*, s. decipiam, falso spiritu afflabo, *prophetam illum.* Malo consultori, malum vatem dat Deus, et contra. Theodoretus: *At non est justi judicis proprium, et decipere prophetam, et in errorem inductum punire. Non igitur secundum efficaciam ait, se prophetam in errorem inducturum esse, sed secundum permissionem.* Recte; solent enim Hebraei verba actionem indicantia per metonymiam etiam de *permissione* usurpare, ut iis in locis, ubi *cor Pharaonis Deus* dicitur *indurasse*, Exod. 4, 21. 7, 3. 10, 1. 20. 27. 11, 10., et in aliis similibus loquutionibus, quas recensitas et explicatas reperies in Glassii *Philolog. S.* p. 242. sq. ed. Dath., et in Storrii *Observatt.* p. 25. sq. Ceterum verba פִּתִּיתִי אֶת הַנָּבִיא הַהוּא Grotius de poena inopinata intelligit, ita explicando: „*decipiam*, exitum illi inferens, quem non exspectat.“ Sic et Dathius l. c. p. 244.: *Hunc ego prophetam praeter spem atque opinionem suam perdam.* Quae tamen interpretatio usui verbi פָּתָה non congruit. Nova ratione hunc Versum exposuit Storr in *Observatt.* p 196. not. „Si quis propheta aberrare factus (abductus) fuerit a meo cultu (cf. Vs. 2—4.), eoque animo oraculum det, quo adjuvetur idololatria (cf. Deut. 13, 1.); eum ego Jova *aberrasse declarabo*, idololatram esse ostendam, dum eum non minus, quam oraculum ab eo petentem, poena afficiam, qua dignus est (Vs. 10.). Cf. Deut. 13, 5.“ וְנָטִיתִי אֶת־יָדִי עָלָיו *Et extendam manum meam contra eum*, ad letalem plagam ei infligendam. Sequitur enim: וְהִשְׁמַדְתִּיו מִתּוֹךְ עַמִּי יִשְׂרָאֵל *et perdam eum e medio populi mei Israel.*

10. וְנָשְׂאוּ עֲוֹנָם *Et portabunt* utrique, et consulentes, et consultus, *iniquitatem suam*, et illius poenas dabunt. *Iniquitas* comprehendit poenam ejus, ut infra 44, 12. Levit. 5, 1. 20, 19., ubi eadem locutio. כַּעֲוֹן הַדֹּרֵשׁ כַּעֲוֹן הַנָּבִיא יִהְיֶה *Sicut poena quaerentis, ita poena prophetae erit.* Poenas pariter sentient, et qui emunt vaticinia, et qui vendunt. Chaldaeus: *sicut delictum ejus, qui venit ad discendum, sed nil discit, ita delictum prophetarum mendacium erit.*

11. לְמַעַן לֹא־יִתְעֶה עוֹד בֵּית־יִשְׂרָאֵל מֵאַחֲרַי *Ne amplius erret domus Israelis*, seducta scilicet a pseudoprophetis illis, *a post me*, i. e. recedendo a me. Chaldaeus: *a cultu meo.* וְלֹא־יִטַּמְּאוּ עוֹד בְּכָל־פִּשְׁעֵיהֶם *Nec polluent sese amplius per omnia delicta sua.* וְהָיוּ לִי לְעָם *Eruntque mihi in populum*, se gerent, ut populum, qui colit Jovam, decet. Cf. supra 11, 20.

IX.

CAP. 14, 12 — 23.

Argumentum.

Deus etiamsi alias, si quem populum ob scelera commissa publica calamitate adfligit, sontium nemini parcat; tamen in futura rerum Judaicarum eversione plures reos de communi pernicie a se eximendos praedicit, ut ex superstitum perditis moribus palam fiat, quam justo supplicio in reliquam multitudinem sit usus.

13. אֶרֶץ כִּי תֶחֱטָא־לִי לִמְעָל־מַעַל *Terra* aliqua *si peccaverit mihi*, in me, *praevaricando praevaricationem*, crimen commiserit. וְשָׁבַרְתִּי לָהּ מַטֵּה־לָחֶם *Frangamque ei baculum panis.* Cf. supra 4, 16. Deprompta est phrasis ex Lev. 26, 26., et metaphora sumta a scipione, quem si detrahas homini infirmo, aut senio confecto, corruet; ita perit homo, detracto ei cibo. Pendet sententia usque ad Vs. 16., in quo perficitur. וְהִשַּׁלַּחְתִּי־בָהּ — וּבְהֵמָה *Et immiserim in eam famem, et exciderim ex ea hominem et pecus.*

14. וְהָיוּ שְׁלֹשֶׁת הָאֲנָשִׁים הָאֵלֶּה — נַפְשָׁם *Et* si *fuerint tres hi viri in ejus medio: Noachus, Daniel, Jobus; illi per suam rectitudinem eriperent animam suam.* Theodoretus: *Si nationem, quae peccarit, inquit, punire voluero, et fame necare, et ii, qui punientur, noluerint ad poenitentiam adduci, nullam veniam consequentur, ne si Noachus quidem, et Jobus, et Daniel in ipsis inventi fuerint. Verum hi certe justitiae suae colligent fructus, et salutem adipiscentur; sed illos ab illato supplicio minime liberabunt.* Cur autem tres illi ipsi viri, nec alii, commemorati a Nostro fuerint, Theodoretus recte observat ideo factum esse, *quod his, quae dicta sunt, consentiebant ea, quae illorum tempore acciderunt.* Quod deinceps latius exponit, sed nos, brevitatis causa, Hieronymi verbis dabimus, quibuscum Theodoreti expositio in rei summa convenit: „Quaeritur, quum et Abraam, et Isaac, et Jacob, Moyses quoque, et ceteri Patriarchae et prophetae justi fuerint; cur horum tantummodo fiat

mentio? Quod facile solvitur: Noe enim imminens orbi terrarum diluvium, quia omnis terra polluerat vias Domini, prohibere non potuit; sed filios, qui forsitan ejusdem virtutis erant, ob seminarium humani generis habuit reservatos. Daniel quoque imminentem captivitatem populi Judaeorum nullis fletibus mitigavit. Sed et Iob non ob peccata, sed ob probationem, nec domum, nec filios liberavit. Alii autem dicunt, quia hi tantum tres viri et prospera, et adversa, et rursum prospera conspexerunt; idcirco pariter nominatos: et hoc latenter significari, ut, quomodo illi et bona et mala, et rursum laeta viderunt, sic et populum Israel, qui prius bonis fruitus fuerat, et postea captivitatis sustinuit jugum, si egerit poenitentiam, redire ad pristinam felicitatem.“ Quae posterior Hebraeorum est sententia, quam multis immistis argutiis a Jarchio et Kimchio traditam reperies. Sed ratio a Theodoreto et Hieronymo primo loco allata, scopo Nostri magis convenit, qui docere vult, de communi exitio solos pios ob suam pietatem eximi solere. Cf. Vs. 16. et 18., ubi diserte additur: *soli ipsi liberabuntur.*

15. חַיָּה רָעָה *Bestiis malis* Theodoretus intelligit *eos qui crudeliter in servitutem abripiunt*, ut supra 5, 17. Sed nulla idonea caussa est, cur non proprie feras et noxias bestias intelligamus, vid. not. ad dictum loc., et cf. divinas comminationes Levit. 26, 22., quae impletae leguntur 2 Reg. 17, 25. וְשִׁכְּלָתָהּ *Et orbaverit eam*, i. e. privarit eam incolis. Se ipsum declarat verbis sequentibus: וְהָיְתָה שְׁמָמָה מִבְּלִי עוֹבֵר מִפְּנֵי הַחָיָה *ut fiat vastitas ex defectu transeuntis*, i. e. et fiat ita desolata, ut nemo per eam iter faciat, *propter illas bestias.* Jeremias 51, 43. idem sic extulit: *Terra in qua non habitabit quisquam, nec transibit per eam filius hominis.* Cf. Zeph. 3, 6. הֶחֱרַבְתִּי חוּצוֹתָם מִבְּלִי עוֹבֵר *desolavi vicos eorum, ita ut nemo transeat.* Pro וְשִׁכְּלָתִיהָ legunt וְשִׁכַּלְתִּיהָ *et orbavero illam*, duo codices Kennicotti. Primam personam et LXX exprimunt, quamvis non accurate reddunt verbi hebraici notionem: *καὶ τιμωρήσομαι αὐτήν.* Vulgatus: *ut vastem eam.*

16. שְׁלֹשֶׁת — יֵצִילוּ *Tres illi viri* Vs. 14. commemorati, *in medio ejus* terrae, *vivens ego* sum, *inquit Dominus*, *si filios et si filias liberabunt*, i. e. nequaquam liberabunt. Nam in jurisjurandi formulis אִם negat, quod repetendum est ex plene expressa jurisjurandi formula hac: *sic mihi Deus faciat*, *si* cet. 1 Sam. 3, 17. 14, 44. Hinc factum, ut אִם et in aliis jurisjurandi formulis vim negantem retineret; vid. Deut. 1, 35. 2 Sam. 20, 20. Jes. 62, 8. Et infra Vs. 18. in eadem qua hic loquendi formula pro אִם ponitur לֹא *non.* Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 814. Atque nostra quidem verba sic erunt capienda: quam vere ego existo, tam certum est, ne parvulis quidem ejus regionis, cujuscunque aetatis fuerint, me parciturum propter eos. הֵמָּה לְבַדָּם יִנָּצֵלוּ

Illi soli viri probi *eripientur.* וְהָאָרֶץ תִּהְיֶה שְׁמָמָה *Terra autem illa erit vastata,* Vs. 15.

17. אוֹ חֶרֶב אָבִיא עַל־הָאָרֶץ הַהִוא *Aut* quando *gladium adduxero super terram illam.* חֶרֶב *Gladio* intellige magnum militum armatorum exercitum, s. hostiles copias. Eadem locutio supra 6, 3. 11, 8. Chaldaeus: *qui occidunt gladio.* וְאָמַרְתִּי חֶרֶב תַּעֲבֹר בָּאָרֶץ *Et* quando *edixero: gladius transeat per hanc terram;* eadem loquendi formula Levit. 26, 6. וְהִכְרַתִּי מִמֶּנָּה אָדָם וּבְהֵמָה *Ut exscindam ex ea homines et pecus,* Vs. 13. 21, 8.

18. Vid. Vs. 16.

19. אוֹ דֶבֶר אֲשַׁלַּח אֶל־הָאָרֶץ הַהִוא *Aut* si (Vs. 17.) *pestem misero ad hanc terram.* Cf. supra 5, 17. Levit. 25, 26. וְשָׁפַכְתִּי חֲמָתִי עָלֶיהָ בְדָם *Ut effundam iram meam super eam cum sanguine.* בְּדָם quidam reddunt *propter sanguinem,* i. e. ad punienda homicidia et alia violentia facinora, quibus inter se invicem sunt antea grassati. Rectius: *cum sanguine*, i. e. cum multa hominum strage, ut *gladium* s. bellum (Vs. 17.) comitetur pestis, certissimam et praestantissimam mortem afferens. Nam, inquit Grotius, omne mortis immaturae genus *sanguis* Hebraeis.

21. אַף כִּי אַרְבַּעַת שְׁפָטַי — וּבְהֵמָה *Etiam si quatuor judicia*, supplicia *mea mala*, Vs. 12. sqq. memorata, *gladium*, *et famem*, *et bestias malas misero ad*, contra *Hierosolymam ad exscindendum ex ea hominem et pecus.* אַף כִּי Hebraei monent idem esse quod כָּל שֶׁכֵּן *quanto magis*, ut sit anacoluthon, hoc sensu: unaquaeque ex dictis plagis perdit nationem totam; quanto magis, quum omnes quatuor Hierosolymae sim immissurus, verendum est, ut ullus in ea superstes maneat, aut evadat e tot suppliciis? Attamen hoc fiet. Quod in Versu sequenti promittitur. Nihil tamen obstat, quo minus propriam significationem verborum אַף כִּי hic retineamus, qui et Neh. 9, 18. locum habet.

22. וְהִנֵּה נוֹתֶרֶת־בָּהּ פְּלֵטָה הַמּוֹצָאִים בָּנִים וּבָנוֹת *Et ecce relicta erat evasio*, i. e. tamen remanebunt ex illis aliquot, qui evadent, nempe *qui abducentur filii et filiae* sontium occisorum. הִנָּם — אֵת־עֲלִילוֹתָם *Ecce illi exeuntes* erunt *ad vos*, ante extra patriam abductos, *et videbitis*, cognoscetis *viam eorum*, perversam eorum agendi rationem, *et facinora eorum.* וְנִחַמְתֶּם עָלֶיהָ — *Et consolabimini vos propter malum illud*, *quod adduxi super Hierosolymam*, *omne* videlicet *illud quod adduxi super eam.* Ceterarum quidem nationum, inquit, sontes omnes perdere soleo, solis parcens insontibus; sed cum populo Israelitico aliter agam. Nam etsi in eum omnes simul calamitates immisero, erunt tamen aliqui sontes superstites, qui cum ad vos, in exsilio degentes, deportati pervenerint, cognitis illorum perversis moribus, capietis inde consolationem, et intelligetis, quod Hierosolymam ita affecerim, me merito fecisse, et

justam fuisse tantorum flagitiorum ultionem. Id quod Versu 23. clarius dicit.

23. וְנִחַמּוּ אֶתְכֶם *Et consolabuntur vos*, consolationem vobis afferent illi destructa Hierosolyma ad vos exules venturi, de quibus Vs. 22. נִחַמּוּ Praeteritum Piel, cujus Futurum Thren. 2, 13. Job. 29, 25. legitur. בָּהּ — וִידַעְתֶּם *Et intelligetis*, *quod non frustra feci omne quod feci in ea.* לֹא חִנָּם *Non frustra*, i. e. non sine caussa, sed justo judicio, provocatus peccatis eorum gravissimis, nec excedens modum in poenis. Pro חִנָּם habent אֶל־חִנָּם (ut supra 6, 10.) plures codices manuscripti et editi. Ad בָּהּ *in ea*, urbe, Masora minor in Bibliis Rabbinicis anni 1522. annotat, in codice emendato scriptum esse לָהּ *ei* (sed mendose, ut observat Norzius, et ex eo De-Rossi). „Utraque lectio bona est, neque manum verterim, utra sit melior.“ Cappellus *Crit. S.* p. 915. edit. Vogel-Scharfenberg.

X.

CAP. 15.

Argumentum.

Imagine ligni vitis praecisi, soli servientis igni, Hierosolymitanae urbis excidium repraesentatur.

2. מַה־יִּהְיֶה עֵץ־הַגֶּפֶן מִכָּל־עֵץ הַזְּמוֹרָה אֲשֶׁר הָיָה בָּעֲצֵי הַיָּעַר *Quid erit lignum vitis prae omni* alio *ligno? palmes qui est inter arbores sylvae?* Sunt, qui LXX et Vulgato praeeuntibus, insuper habito Athnacho, nomini עֵץ apposito, nomina מִכָּל־עֵץ הַזְּמוֹרָה quasi in statu regiminis posita conjungant, ut vertendum sit: *prae omni ligno rami*, i. e. omnibus ramosis arboribus? Ita CASTALIO: „*Ramosas arbores* vocat arbores, supervacaneo adjectivo, quod tamen in Hebraeo est substantivum, sed adjectivi loco positum, sicuti saepe *volucres aereae* et *pisces marini* s. *aquatiles* dicuntur, adjecto verbo non necessario.“ Verum sensus prodibit concinnior, si, ut Masorethae jubent, post עֵץ interpungamus (quod et Syrus et Chaldaeus interpretes fecerunt), ut sit: *ramus* (vid. not. supra ad 8, 17.) s. *palmes*, *qui est inter arbores sylvae*, i. e. sylvestribus et infructuosis arboribus est annumerandus. JARCHI: „Ego non loquor, inquit Deus, de vite, quae est in vinea, et fert fructum, sed de palmite vitis crescentis in sylvis,“ fructus non proferentis. Sensus ergo Prophetae hic est: quidnam praestet lignum vitis infructuosae s. sylvestris (גֶּפֶן שָׂדֶה 2 Reg. 4, 29., quum contra *vitis vinifera* sit גֶּפֶן הַיָּיִן Num. 6, 4.) ceteris lignis? Merus palmes erit, sicut rami arborum sylvestrium, qui nullos fructus ferunt. Cf. Joh. 15, 6. GROTIUS: „Verteris recte: *Quid erit*, *in quo vitis praestet aliis plantis*, *si palmes ejus sit par sylvestribus arboribus?* i. e. nullos fructos proferat.“

3. הֲיֻקַּח מִמֶּנּוּ עֵץ לַעֲשׂוֹת מְלָאכָה *Num sumetur ab eo lignum ad faciendum opus*, i. e. ad apparandum illud ad aliquod opus? ut ex aliis arboribus sylvaticis fiunt mali navium, trabes,

mensae. אִם־יִקָּחוּ מִמֶּנּוּ יָתֵד לִתְלוֹת עָלָיו כָּל־כְּלִי *Num sument ex eo paxillum ad suspendendum super eo ullum vas?* Ne paxillus quidem ex eo fieri potest, in quo suspendatur vel minimum vas, sive instrumentum aliquod. Ne in hoc quidem satis firma sunt sarmenta.

4. הִנֵּה לָאֵשׁ נִתַּן לְאָכְלָה *Ecce igni datur in escam.* Nulla alia ejus utilitas erit, nisi ut igni detur in pabulum, quo alatur. אֵת שְׁנֵי קְצוֹתָיו אָכְלָה הָאֵשׁ *Duas extremitates ejus comedet ignis. Duabus extremitatibus* intelligunt Hebraeorum quidam afflictiones, quas passi sunt Israelitae ab Aramaeis ab Oriente, et a Palaestinis ab Occidente, *medio* vero intelligunt Hierosolymam, quae jam ex vicino igne adustata fuerat. Argutiae! Significatur fore, ut totus comburatur, quo et verba proxima pertinent: וְתוֹכוֹ נֶחָר *et medium ejus* quoque *comburitur.* Praeteritum Niphal verbi חָרַר. Addit: הֲיִצְלַח לִמְלָאכָה *num proderit ad opus* aliquod inde faciendum? Vs. 3., ut propterea cura ejus aliqua haberi debeat? Nequaquam; sed igni traditur absumendum.

5. לִמְלָאכָה — הִנֵּה *En! cum* adhuc *integrum est* illud lignum *non adhibetur opus* ullum. אַף כִּי־אֵשׁ אֲכָלַתְהוּ *Quanto minus cum ignis comederit eum.* Particula אַף כִּי h. l. non *quanto magis* vertenda, ut supra 14, 21., sed *quando minus*, ut 1 Reg. 8, 27. Proverb. 17, 7. 19, 10. al. In collatione rerum affirmativa valet *quanto magis*, at in collatione negativa *quanto minus.* Ad verba וְנֶעֱשָׂה עוֹד לִמְלָאכָה subaudiunt nonnulli negandi particulam, quae praecessit. Sed potest. simpliciter verti: *ut adhibeatur amplius ad opus* aliquod inde faciundum ad usum aliquem. „Variis similitudinibus, quas Graeci parabolas vocant, praenunciatur subversio urbis Jerusalem. Et quomodo supra (C. 4.) in sartagine, in qua carnes populi frigebantur, et in latere, in quo munimenta, et aggeres arietum ac vinearum machinae pingebantur, ejusdem urbis obsessio famesque descripta est, et postea in hoc eodem lecturi sumus, sic in praesenti loco eadem Jerusalem vineae et viti fructiferae comparatur. De qua in alio loco (Jer. 2, 21.) scriptum est: *Ego te plantavi vineam frugiferam, omnem veram; quomodo conversa es in amaritudinem vitis alienae?* Et in Isaja (5, 2.): *Plantavi*, inquit, *vineam Sorec*, quod *electam* et *pulchram* sonat. Et in Psalmis (80, 9.) legimus: *Vineam ex Aegypto transtulisti, ejecisti gentes, et plantasti eam. Dux itineris fuisti in conspectu ejus.* Et manifestius discimus, Scriptura dicente (Jes. 5, 7.): *Vinea autem Domini Saboath domus est Israel.* Haec vinea quamdiu affert fructus, in omnibus lignis saltuum nihil ea pretiosius est; sin autem uvas habere desierit, in nullo utilis erit, nisi ut cum radice et propaginibus sui tradatur incendio. Cetera ligna sylvarum (ut de pomiferis arboribus taceam, quarum et Scriptura modo nullam facit mentionem) quum poma non habeant, succisa

plurimam praebent utilitatem, et in omnem agriculturam, et in usum armorum proficiunt, dum attenuantur in scuta, raduntur in hastilia, cludunt foribus, continent armariis, risco, loculis, omnemque domus tribuunt supellectilem. Vitis autem si semel uvas afferre cessaverit, intantum inutilis est, ut ne paxillus quidem ex ea possit fieri, de quo aliquid pendeat. Quumque malleolos excideris, utramque partem eorum primum ignis accipit, deinde flamma consumit, tantumque nihil prodest, quum redacta fuerit in favillam, ut etiam quum integra sit, atque frugibus nullam praebeat utilitatem.“ Hieronymus.

6. כַּאֲשֶׁר עֵץ־הַגֶּפֶן בְּעֵץ הַיַּעַר *Quemadmodum lignum vitis* se habet *inter lignum*, ligna *sylvae*, i. e. quod annumerari debet arboribus infructiferis et sterilibus, ut Vs. 2. Explicat parabolam. Quia, inquit, cives Hierosolymitani tantopere abhorrent a resipiscentia et operibus bonis, statui me traditurum illos igni afflictionum et tribulationum, sicut vitis infructuosa igni solet tradi. Pro בְּעֵץ הַיַּעַר pauci aliquot codices habent בַּעֲצֵי הַיַּעַר *in lignis sylvae.* Pluralem et veteres omnes exprimunt; sed potuerunt et עֵץ collective capere. Codex Kennicotti 4. et Rossii 440. בְּתוֹךְ הַיַּעַר *in medio sylvae.*

7. וְנָתַתִּי אֶת־פָּנַי בָּהֶם *Et ponam vultum meum in eos*, convertam vultum meum iratum contra eos, torvo vultu eos adspiciam, et in eos incumbam, ut perdam eos. Cf. supra 14, 8. et ad eum loc. not. Jer. 21, 10. 44, 11. 27. Syrus: *et collocabo iram meam in eos.* Chaldaeus: *et dabo ultionem meam in eos.* מִן־הָאֵשׁ יֵצְאוּ וְהָאֵשׁ תֹּאכְלֵם *Ex igne egredientur, et ignis eos consumet*, vitato uno malo in aliud incident, donec conficiantur calamitatibus. *Ignis* omne malorum genus significat, ut Ps. 66, 12. et alias Bene tres hosce Versus 6. 7. 8. explicat Hieronymus: „Sicut vitis infructuosa incendio traditur in nullam utilitatem, sic et Jerusalem, imo habitatores ejus tradentur ardoribus, ut *egrediantur de igne, et ignis consumat eos;* id est, etiamsi de urbe evaserint, foris hostili gladio consumentur; et qui remanserint, ipso miseriarum pressi pondere, me esse Dominum recognoscent, quum posuero, sive obfirmavero faciem meam super eos, et dedero illos in aeternam solitudinem. Non enim *peccatores*, sicut ceterae gentes, sed *praevaricatores* exstiterunt. Aliud est enim negligere, quod ignores, aliud contemnere, quod colueris.“

XI.

CAP. 16.

Argumentum.

Jovae ingentia in populum Judaicum merita, hujus vero animum maxime ingratum describit imagine mulieris, quam a partu in summa miseria et squalore projectam Deus benignissime suscepit, a sordibus purgavit, aluit, educavit, eandemque non solum vestivit et ornavit, verum et adultam sibi responsavit (Vs. 2—15.). Illa vero pulchritudine sua superbiens, turpissima incensa libidine, corpus suum in vulgus dedit, omniumque permisit cupiditati, in effrenati animi impotentia eo usque progressa, ut et ea, quae a marito accepta possidebat, omnia amatoribus suis effunderet (Vs. 16—34.). Quo scelere ad vindictam provocatus Deus ingratae et impudicae mulieri, sive, cujus ea imaginem sistit, populo perfido et impio, justa denunciat supplicia (Vs. 35—59.). Attamen, qua est clementia, fide et promissi constantia, quae olim receperat majoribusque spoponderat, et certo se praestiturum significat, quin cum populo, quam primum resipuerit, denuo foedus, idque nullo unquam tempore rumpendum, sese facturum pollicetur (Vs. 60—63.).

2. הוֹדַע אֶת־יְרוּשָׁלַם אֶת־תּוֹעֲבוֹתֶיהָ *Scire fac Hierosolymam abominanda sua*, ostende, et in animum revoca Hierosolymitanis sua scelera, videlicet, ex Kimchii et Grotii sententia, per epistolam, quam mittere debebat ad Judaeos in patria agentes. *Hierosolymae*, i. e., per syccdochen, Judaeae, inprimis vero Hierosolymae, quae caput regni, et in qua erat sedes sacrorum gentis et cultus religiosi. Unde in oraculorum Jesajanorum inscriptione directa illa dicuntur contra *Judam et Hierosolymam*, Jes. 1, 1.

3. Nomen מְכֹרָתַיִךְ, quod apud Nostrum tantum, et bis quidem praeter hunc locum, infra 21, 35. 29, 14. legitur, Hebraeorum plerique vertunt *habitationem*, *commorandi locum* (ita Chaldaeus: מוֹתַבְתְּכוֹן *habitatio vestra)*, quasi idem sit quod

מְגוּרָה, *Caph* et *Gimel* permutatis. Etsi vero non desint exempla harum literarum inter se permutatarum, et apud Arabes, ut גָּהַד et כָּהַד, *labor*, לָמַג et לָמַךְ *degustavit*, גָּפְרִית et כְּבְרִית *sulphur*; tamen dubito illam significationem adsciscere, quum *habitationis locus* ante *natales* (מוֹלַדְתֵּיךְ) parum commode ponatur. Quod ipsum obstat eorum sententiae, qui nomen istud ad מָכַר, *vendidit*, referentes, *negotiationes* illo notari censent. Alii interpretantur: *formationes*, i. e. origines tuae, coll. arab. כור, in secunda conjug. *collegit*, *congessit in unum*, et Chald. כִּיר, *pinxit*, *figuravit*, unde כִּיוּר, *figura*, *pictura*, et כּוּרָן *moduli* s. *figurae*, ad quas vasa aenea et lutea formantur. Sed magis placet, ad כּוּר i. q. כָּרָה *effodit*, referre, ut מְכֹרֹתַיִךְ proprie sint *effossiones tuae*, i. e. origines, metaphora desumta a metallis qui e fodinis suis effodiuntur; ita qui nascitur e populo aliquo, e terra illius populi, quasi e fodina, effossus cogitatur. Claris verbis haec figura expressa Jes. 51, 1. *Respicite* אֶל־צוּר חֻצַּבְתֶּם *ad rupem*, *unde excisi estis*, i. e. Abrahamum, ex quo geniti estis, ut explicatur Vs. 2., וְאֶל־מַקֶּבֶת בּוֹר נֻקַּרְתֶּם *et ad cavum putei*, *unde educti estis*. LXX: ἡ ῥίζα σου, Vulgatus: *radix tua*, Syrus: עקרכי, quod idem. מוֹלַדְתֵּיךְ *Generationes tuae*, *natales*, unde מוֹלֶדֶת אֶרֶץ est *terra patria*, ubi aliquis natus est, Genes. 11, 18. 24, 7. Jer. 22, 10. 46, 16. מֵאֶרֶץ הַכְּנַעֲנִי *E Cananaea*, moribus corruptissima, originem natalesque trahis. Impura es, ut illae gentes, ut ab illis genus ducere videaris, non ab Abrahamo, unde proprie ortus est tibi. Hinc et Zephan. 1, 11. populus Israeliticus כָּל־עַם כְּנַעַן vocatur. Contra Zach. 16, 21. promittitur, restituta Hierosolyma, inter pios sacrificaturos nullum amplius fore *Cananaeum*, i. e. profanum et impium. אָבִיךְ הָאֱמֹרִי וְאִמֵּךְ חִתִּית *Patrem* populo Judaico *Amoraeum* esse dicit, *matrem Chittaeam*, non quod ex horum genere procreati essent, sed ob consimilem impietatem. *Amoraeorum* et *Chittaeorum* nomine per synecdochen reliquae gentes Cananaeae, impietate insignes, significantur, ut Genes. 15, 16. Amos. 2, 9. 2 Reg. 7, 6. Sensus est: imitaris eorum pessimos mores et impiam superstitionem, ac si ex illis ortus esses, ut *filius* alterius etiam saepe is dicitur, qui mores ejus imitatur, ut Matth. 3, 7. 23, 33. Pharisaei et Sadducaei *γεννήματα ἐχιδνῶν*, et Joh. 8, 44. Ὑμεῖς ἐκ τοῦ πατρὸς τοῦ διαβόλου ἐστέ, cf. ibid. Vs. 39. 41. Similiter VIRGILIUS *Aeneid.* 4, 356. sqq. *Nec tibi diva parens*, *generis nec Dardanus auctor*, *Perfide*, *sed duris genuit te cautibus horrens Caucasus*, *Hyrcanaeque admorunt ubera tigres.* Ita et Jes. 1, 10. populi Judaici proceres *principes Sodomae* et *populus Gomorrhae*, i. e. Sodomitae et Gomorrhaei, vocantur, quasi inde oriundi, quod popularium illorum mores imitarentur.

4. וּמוֹלְדוֹתַיִךְ בְּיוֹם הוּלֶּדֶת אוֹתָךְ *Et ad natales tuos quod attinet*, *die*, *quo nata es.* בְּיוֹם הוּלֶּדֶת Proprie: *die*, *quo fiebat*

parere (scil. mater tua), ut Genes. 40, 20., pro quo Hos. 2, 5. יוֹם הִוָּלְדָהּ. Ceterum de nostro הִוָּלְדָת cf. et not. ad Ps. 78, 63. *Die natali* populi Israelitici quidam intelligunt illud tempus, quo Deus Abrahamum, tum idolorum cultorem, vocavit ex Ure Chaldaeorum, Jos. 24, 2. Rectius alii haec referunt ad tempora post mortem Josephi, usque ad exitum ex Aegypto, quum Israel multiplicatus inciperet esse non familia Israelis, sed populus. לֹא־כָרַת שָׁרֵךְ *Non erat abscissus umbilicus tuus* ab intestino illo, per quod infans matri adhaeret uti in recens natis infantibus fieri solet. THEODORETUS: *Asserunt medici, foetum in utero matris velut quandam radicem habere umbilicum, per quam ajunt eum nutriri et augeri. Cum igitur obstetrices partem illam umbilici, quae propendet apud infantem, praecidere consueverint* (unde obstetrices et ὀμφαλοτόμους dixerunt), *figurate et per translationem ait, umbilicus tuus non est praecisus, id est, hodie quoque ab utero materno, id est, Aegypto, impietatis attrahis alimentum.* וּבַמַּיִם לֹא רֻחַצְתְּ *Et aqua non eras lota.* THEODORETUS: *Hoc itidem dictum est per translationem ab infantibus petitam, qui post partum abluuntur et absterguntur, et a sanguine ex utero contracto liberantur.* Quod sequitur, לְמִשְׁעִי, *ad purgationem* s. *purgando* recte interpretatur ex dialecto Arabica JOSEPHUS KIMCHI, qui observat, תמשיע (Infinitiv. Conjug. 2.) Arabibus idem esse, quod Hebraeis טָהֲרָה, et pro טִהֵר הַקְּעָרָה *purgavit* s. *abstersit scutellam*, illos usurpare verbum אַמשׁע. Hinc et ALB. SCHULTENS, in libro *de Defectibus hodiernis Ling. Hebr.* §. 29. sqq. nostram vocem interpretatur *ad tersionem mihi*, cum pleonasmo pronominis affixi, ut Jes. 13, 3. *Advocavi* גִּבּוֹרַי עַלִּיזֵי גַּאֲוָתִי *heroas meos, qui exultant superbia mihi.* Item Jer. 49, 25. *Deserta est* קִרְיַת מְשׂוֹשִׂי *urbs hilaritatis meae.* Sed syllaba ־ִי h. l. est afformativa pro ־ִית, more Chaldaico, ut רֵאשִׁי pro רֵאשִׁית. וְהָמְלֵחַ לֹא הָמְלַחְתְּ *Et saliendo non salita eras.* „Tenera infantium corpora dum adhuc uteri calorem tenent, et primo vagitu laboriosae vitae testantur exordia, solent ab obstetricibus sale contingi, ut sicciora sint et restringantur.“ HIERONYMUS. Observat et GALENUS *de Sanit.* 1, 7. *Sale modico insperso cutem infantis densiorem solidioremque reddi.* וְחַתֻּלִים לֹא חֻתָּלְתְּ *Et fasciis involvendo non eras involuta.* „Pannis involvuntur (infantium corpora), duplicem ob caussam, ut et sale siccetur corpus, quod pannis, ne defluat, servatur et stringitur; et membra tenerrima ne facile depraventur. Unde et corpora Barbarorum Romanis corporibus rectiora sunt: usque ad secundum enim, et tertium annum semper pannis involvuntur.“ HIERONYMUS. Significat, gentem Israeliticam, dum Aegyptiorum dura servitute opprimeretur, omnibus iis institutis, quae ad condendam et formandam rempublicam requiruntur, prorsus destitutam fuisse, et infantis a primo partu expositi instar, foedam et neglectam jacuisse.

5. לֹא־חָסָה עָלַיִךְ עַיִן לַעֲשׂוֹת לָךְ אַחַת מֵאֵלֶּה *Non misertus fuit tui oculus, ut faceret tibi unum istorum*, i. e. omni ope et auxilio humano cras destituta. לְחֶמְלָה עָלָיִךְ *Clementia utendo erga te*, cf. verbum supra 5, 11. Jes. 9, 18. „Aegyptiorum, qui quasi parentes illis esse debuerunt, duritiem significat, ut recte hic observat Jonathan (Chaldaeus interpres)." Grotius. בְּגֹעַל נַפְשֵׁךְ *In fastidio animae tuae*, ita, ut ipsamet vitam tuam fastidires, cf. verbum infra Vs. 45. Levit. 26, 11. 15. 30. Jer. 14, 19.

6. Incipit nunc commemorare beneficia in gentem miseram et omni ope destitutam collata, ut ostendat ingratum eorum animum. Induit personam hominis transeuntis per agrum quendam, ibique in puellam expositam incidentis. Cf. Hos. 9, 10. וָאֶעֱבֹר עָלַיִךְ וָאֶרְאֵךְ מִתְבּוֹסֶסֶת בְּדָמַיִךְ *Praeteriique praeter te, et vidi te praebentem te conculcandam in sanguine tuo*, qui videlicet ex partu tibi adhaerebat, vel qui ex umbilico non curato profluebat. וָאֹמַר לָךְ בְּדָמַיִךְ חֲיִי *Et dixi tibi: in sanguine tuo vivito!* Etsi nunc sanguine foeda et prorsus negleeta jaceas omnique ope destituta, ego tamen te vivere volo, tui curam habebo, et te vivam servabo. Repetitio indicat fixum et certum propositum.

7. רְבָבָה כְּצֶמַח הַשָּׂדֶה נְתַתִּיךְ *Myriadem*, i. e. in multa millia, mirum in modum, *instar germinis agri* feraeis, multiplicatam *reddidi te*. Significatur populi incrementum, quo coepit esse spectabilis. Cf. Num. 10, 36. (רִבְבוֹת אַלְפֵי יִשְׂרָאֵל), ut Deut. 33, 17. (וְהֵם רִבְבוֹת אֶפְרַיִם וְהֵם אַלְפֵי מְנַשֶּׁה). Verba וַתִּרְבִּי וַתִּגְדְּלִי plures vertunt: *aucta es et magna es facta*. Melius alii: *crevisti et adolevisti* in justam aetatem (ut גָּדַל Gen. 25, 27. 2 Sam. 12, 3.), ut continuetur sermo de puella, sub cujus persona gens Judaica describitur. וַתָּבֹאִי בַּעֲדִי עֲדָיִים *Venisti in* s. *ad ornamentum ornamentorum*, quod quidam sic intelligunt: ornasti te ornamento vario et pulcherrimo; facta es studiosa mundi muliebris. Sed ad pulchritudinem corporis haec verba esse referenda, arguit et quod proxime additur, et illud, quod mox *nuda* adhuc fuisse dicitur, unde hic nondum de ascititiis sermo esse potest. Sensus ergo hic est, venustatem et pulchritudinem corporis eximiam es nacta. Hieronymus: „*Et pervenisti ad mundum muliebrem*, tempus pubertatis ostendit, quando puellae nubiles appellantur, et possunt maritorum amplexibus copulari." עֲדִי עֲדָיִים est *ornatus summus*, s. maxima pulchritudo, uti שַׂר־שָׂרִים Dan. 8, 25., et נְשִׂיא נְשִׂיאִים Num. 3, 32. *princeps summus*, שִׁיר הַשִּׁירִים Cantic. 1, 1. *canticum praestantissimum*. Quod vocem עֲדָיִים attinet, accentum non apponendum esse syllabae penultimae (עֲדָיִים), ut in libris pluribus est factum, sed ultimae (ut in Bibliis Venetis ex officina Bragadina, 1678. 4.), observatur in notis criticis ad Biblia Halensia, ita postulante analogia (quia non potest syllaba ultima sustinere vocalem longam, nisi tonica

sit, coll. ALTINGII *Fundamm. Punctat. Ling. S.* §. 82. p. 125.), cui Jarchii accedit auctoritas, qui in Commentario hanc vocem similibus illustrat formis, צְבָיִים a צְבִי, דְּדִים a דֹּד, quod facere vix potuisset, nisi legisset in plurali et acutum. Per Jod simplex, quasi esset dualis (quanquam et sic requiretur עֲדָיִים ad formam לְחָיַיִם, Deut. 18, 3.), legitur in duobus codd. Erfurtt. et in pluribus editt. sec. 16. עֲדִים נָכֹנוּ *Ubera firma facta* s. solidata *sunt*, intumuerunt, quod Latini dicunt: *mammae sororiarunt.* HIERONYMUS: „Honeste adolescentularum maturitas indicatur, quando intumescunt ubera, sive eriguntur.“ וּשְׂעָרֵךְ צִמֵּחַ *Et pilus tuus germinavit*, pubes. Macrobius *Saturnall.* 7, 7. *Humor naturalis in corpore, quando aetas transit pueritiam, fit durior, et acuitur in pilos, ideo et tunc pubes.* Tertullianus *de Virginibus velandis: Jam et vox obsolefacta est, et membra completa sunt, et pudor ubique vestitur, et menses tributa dependunt.* Hebraei etiam corpore inspecto de aetate judicabant.“ Hebraei etiam corpore inspecto de aetate judicabant.“ GROTIUS. וְאַתְּ עֵרֹם וְעֶרְיָה *Eras tamen nuda et discooperta*, erat tibi forma et venustas, sed vestitu carebas et omni ornatu muliebri. Sic exprimitur, Grotio observante, miseria gentis in Aegypto. Ceterum עֵרֹם non est adjectivum, quod h. l. femininum, עֵרֻמָּה (Hos. 2, 3.), esse deberet, sed nomen substantivum, ad quod ב subaudiendum, ut בְּעֵירֹם Deut. 28. *in nuditate*, i. c. nuda; ita et alterum nomen accipiendum pro בְּעֶרְיָה, ut Habac. 3, 9.

8. עֵת דֹּדַיִךְ עֵת דֹּדִים *Tempus tuum, tempus amorum*, i. e. *jam matura viro, jam plenis nubilis annis*, ut ait VIRGILIUS *Aeneid.* 7, 53. HIERONYMUS: *Tempus amantium*, sive juxta interpretationem Aquilae secundam *συναλλαγῆς*, *sponsalium* videlicet, et temporis nuptiarum; juxta primam vero ejusdem editionem et Theodotionis *μαστῶν*, quod interpretatur *uberum*, pro quo Symmachus vertit *ἀγαπῆς*, quod *dilectionem* sonat.“ וָאֶפְרֹשׂ כְּנָפִי עָלָיִךְ *Expandi alam* s. *oram* scil. vestis meae (ut Num. 15, 38. Deut. 22, 12., et graecum *πτερύγια* apud Hesychium sunt *τὰ ἄκρα τῶν ἱματίων*, *extrema vestimentorum*) *super te*, te mihi tori sociam junxi. Vestimentis olim pro stragulis usi sunt, unde Graecis sub pallio sive laena alicujus dormivisse dicuntur, qui una cum illo dormiverunt. Sic de Helena, cum Menelao cubitum eunte THEOCRITUS *Idyll.* 18, 19. *Ζανός τοι θυγάτηρ ὑπὸ τὰν μίαν ὤχετο χλαῖναν*, *Jovis tibi filia sub eandem tecum venit laenam.* Et in fragmento Euripidis apud Stobaeum Serm. 72. p. 404. pater filiam suam nupturam ita alloquitur: *Ὅταν ὑπ' ἀνδρὸς χλαῖναν εὐγενοῦς πέσῃς*, *Cum sub egregii viri laena decubueris.* Similiter Rutha, concubitum Boasi petens, quod jure propinquitatis sibi debere existimabat, illum his verbis compellat (Ruth. 3, 9.): וּפָרַשְׂתָּ כְנָפֶיךָ עַל־אֲמָתֶךָ *expandas oram vestimenti* s. *pallii tui super ancillam tuam*, i. e. in tori sociam me

accipias. Plura vide in Jo. Chr. Biel *Commentat.* in h. l. (in *Miscellann. Lipss. Novis*, T. V. p. 209. sqq.), qui §. 5. recte observat, nostra verba non alium sensum habere posse, quam quod Deus populum Israeliticum, tanquam maritus conjugem, aretissime sibi copulaverit, quod tanquam in toro sub una veste stragula amplexibus suis illum dignatus sit, ita ut singularem ejus amorem expertus, et ad intimam consuetudinem ejus perveniens, Dominum penitius cognoscere potuerit. Cf. Lackemacheri *Observatt. philologg.* P. IV. p. 86. sqq. וָאֲכַסֶּה עֶרְוָתֵךְ *Et operui nuditatem tuam*, vestibus te indui. וָאֶשָּׁבַע לָךְ *Quin juravi tibi*, i. e. fidem conjugii dedi, nam sequitur, וָאָבוֹא בִבְרִית אֹתָךְ וַתִּהְיִי־ לִי *inii foedus* nuptiale *tecum*, *ut esses mihi* in uxorem. Hieronymus: „Juxta consuetudinem prophetarum *facta es mihi* ait, pro eo quod est, meo conjuge copulata es.“ Cf. Ruth. 4, 13. *Accepit Boasus Rutham* וַתִּהְיִ־לוֹ־לְאִשָּׁה *et facta est ei uxor.* Vid. et Hos. 3, 3. Significat declarationem Dei, statim atque populum asseruisset et eduxisset ex Aegypto, quod futurus esset ipsorum Deus, si vicissim ipsi sua praecepta observaturi essent, quae mutuae promissiones *pactionis* imagine sistuntur, Exod. 19, 4. 5. et 24, 6. sqq. Deut. 29, 11. 12. cf. 2 Paral. 15, 12.

9. וָאֶרְחָצֵךְ בַּמַּיִם *Et lavi te aquâ.* Novae nuptae solebant lavari et ungi, atque pretiosis vestibus ornatae ad thalamum deduci (vid. Jahn *Bibl. Archäologie* P. I. Vol. II. §. 179. p. 250.); ideo balnei, et unctionis, atque vestium cultiorum meminit, quae quum ad parabolae ornatum pertineant, non sunt singula reipublicae Hebraeorum accommodanda. וָאֶשְׁטֹף דָּמַיִךְ מֵעָלָיִךְ *Et ablui sanguinem tuum abs te.* Sanguis non est intelligendus ille, quo adhuc foedata erat a partu, sed profluvii menstrui, vid. Levit. 15, 19. וָאֲסֻכֵּךְ בַּשָּׁמֶן *Et inunxi te* (rad. סוּךְ) *oleo*, ut mos fieri noviter nuptis, vid. Ruth. 3, 3. Esth. 2, 12. Judith. 10, 3.

10. וָאַלְבִּשֵׁךְ רִקְמָה *Indui te veste acu picta*, ut infra Vs. 13. 18. 27, 24. Ps. 45, 15., quo loco sponsa talibus vestibus induta ad regem ducenda dicitur. רָקַם (coll. harmonico arabico verbo *notavit*, *lineas duxit*, et אַרְקַם *variegatus albo ac nigro*, spec. *serpens*), idem notare ac Latinorum *plumare*, vel *acu pingere*, aut *variare*, observat N. G. Schroeder *de Vestitu Mulier. Hebr.* Cap. 14. p. 221., ubi pluribus egit de talibus vestibus, quae elegantes figuras auro vel intextas vel acu adpictas habebant, deque earum usu ab antiquissimis inde temporibus apud plures populos. Hujusmodi plumata et acu picta vestis Arabibus רִקְמָה dicitur, unde Hispanis et Italis *ricamo*, *ricamato*, *ricamare*. וָאֲנַעֲלֵךְ תָּחַשׁ *Et calceavi te ianthino* calceamento. „Pulchre, quia ad Jerusalem sermo dirigitur, et sub persona feminae omnis ejus ornatus exprimitur, *hyacinthina*, sive *ianthina* calceamenta narrantur, quae virorum personae non conveniunt.“ Hieronymus. Et paucis interjectis addit, *hyacinthinum* vel *ianthinum* utrumque

aerii et *κυανέου* coloris esse. תַּחַשׁ (quod praeter hunc locum solo in Pentateucho legitur, v. c. Exod. 25, 5. 26, 14. 35, 23. Num. 4, 6. 8. 10. 11. 13. 14.) non esse *animalis* nomen, ut plures contenderunt, qui vel *taxum* vel *delphinum* illo nomine significari putarunt, sed *coloris*, et quidem *hysgini*, sive *purpurei*, pluribus ostendit BOCHARTUS *Hieroz.* P. I. L. III. Cap. 30. T. II. p. 387. sqq. edit. Lips., cui jungendus ANTON. BYNAEUS *de Calceis Hebraeor.* L. I. Cap. 3. Cf. libr. nostr. *Bibl. Naturgesch.* P. II. p. 242. Coccineos calceos in summo olim fuisse honore, atque a regibus et imperatoribus gestatos, uterque multis veterum testimoniis probat. וָאֶחְבֹּשֵׁךְ בַּשֵּׁשׁ *Et accinxi te bysso.* Nomine שֵׁשׁ, ex Aegyptiaco *Schens* orto, Hebraei *byssum* nuncupare solent, vid. P. E. JABLONSKII *Opuscula* T. I. p. 290. sq., et de re ipsa vid. not. nostr. ad Gen. 41, 42. et Exod. 25, 4. וָאַכַסֵּךְ מֶשִׁי *Et texi*, indui *te serico.* Nomine מֶשִׁי *sericum* significari (propr. *extractum* s. *extensum* a rad. מָשָׁה, arab. مشى, hinc *tenue*), probare studuit FULLERUS *Miscellann. SS.* L. II. Cap. 11., cujus sententiam impugnavit BRAUNIUS *de Vestitu Sacerdot. Hebraeor.* L. I. Cap. 8., qui denotari illo existimat aut tegumentum aliquod muliebre, variis coloribus distinctum, qualia sunt polymita, aut capitis aliquod ornamentum, qualia sunt crinalia, auro et gemmis pretiosa. Fulleri sententiam docte defendit, et Braunii objectionibus respondit N. G. SCHROEDER *de Vestitu Mulierum Hebraeor.* p. 325. sqq. LXX: *Καὶ περιέβαλόν σε τριχάπτῳ.* HIERONYMUS: „*Et indui te subtilibus.* Pro quo Aquila *florido* [*ἄνθιμον*, in secunda edit.], sive *palpabili* [*ψηλαφητόν*, in prima edit.], Symmachus *indumento* [*ἐπένδυμα*], Theodotio ipsum verbum hebraicum posuit *Messe.* Quumque diligenter inquirerem, quid sibi vellet vocabulum *thricapti*, quod LXX transtulerunt, et a nullo Graecorum nec usum, nec etymologiam possem invenire sermonis; tandem didici, a LXX esse compositum (rebus enim novis nova fingenda sunt nomina), quod tantae subtilitatis fuerit vestimentum, ut pilorum et capillorum tenuitatem habere credatur. Unde et ego volens tenuitatem exprimere vestimenti, pro *thricapto, subtilibus* transtuli, quod tenui stamine atque subtegmine textum erat.“ THEODORETUS *τρίχαπτον* ait esse *πλέγμα ἀπὸ τριχῶν κατεσκευασμένον, ταῖς τῶν γυναικῶν περιτιθέμενον κεφαλαῖς recte e capillis confectum, quod mulierum capitibus circumponebatur. Velum* aliquod, vel *indumentum* quodcunque *e pilis plexum* isto nomine graeco significari, et TIBER. HEMSTERHUIS censet ad *Polluc.* L. X. Cap. 7. p. 1178.

11. וָאֶעְדֵּךְ עֶדִי *Et ornavi te* amplius *ornatu* vario, qui sigillatim describitur verbis seqq. Grotio significari videntur ingentes divitiae populi, maxime sub Davide et Salomone. וָאֶתְּנָה צְמִידִים עַל־יָדַיִךְ *Dedique armillas manibus tuis.* A צָמַד, Arabice צمد *alligavit, constrinxit*, צָמִיד proprie *ligamen* s. *vinculum*

notat manuum, quemadmodum vernacule dicimus *Armbänder*, vincula manuum, pro *armillis*. Quod nomen praeter hunc locum quinquies adhuc, et quidem apud nostrum infra 23, 42., et Gen. 24, 22. 30. 47. atque Num. 31, 50. recurrit. Sed Jes. 3, 19. armillae vocantur שֵׁרוֹת, vid. Schroederi l. c. p. 56. sqq., qua ipsa voce et h. l. Syrus interpres est usus. וְרָבִיד עַל־גְּרוֹנֵךְ *Et torquem* apposui *gutturi*, collo *tuo*. רָבִיד *torquem* significare, res ipsa docet, coll. Gen. 41, 42., ubi Pharao Josepho circumposuisse dicitur רָבַד הַזָּהָב עַל־צַוָּארוֹ. Et hoc nomen proprie videtur *vinculum* notare, coll. arab. רבד *continuit*. „Pro *torque*, quam nos juxta Aquilae secundam editionem et Symmachum interpretati sumus, Septuaginta et Theodotion *κάθεμα* transtulerunt, quod non solum hic, sed et in Isaja scriptum est (3, 18.): *Auferet Dominus gloriam vestimenti earum, et murenulas, et corymbos, et circulos, et κάθεμα*. Puto autem *κάθεμα* ab eis dictum, ex variis gemmis in pectus mulierum monile descendens, qui et ipse ornatus pulcherrimus mulierum est.“ Hieronymus.

12. וְאֶתֵּן נֶזֶם עַל־אַפֵּךְ *Et posui annulum ad nasum tuum*. De נֶזֶם vid. not. ad Gen. 24, 22. „Verbum hebraicum *Nezem*, excepto Symmacho, qui interpretatus est *ἐπιῤῥίνιον*, omnes *inaures* transtulerunt, non quod *inaures* ponantur in naribus, quae ex eo, quod de auribus pendeant, inaures vocantur, sed quod circulus in similitudinem factus inaurium, eodem vocabulo nuncupetur: et usque hodie inter cetera ornamenta mulierum solent aurei circuli in os ex fronte pendere, et imminere naribus.“ Hieronymus. וַעֲגִילִים עַל־אָזְנָיִךְ *Et circulos super*, s. *ad aures tuas*. עָגִיל proprie *circulum* s. *rotundum* quid notat (a verb. Syr. עַגֵּל *volvit*), hinc de *bulla aurea* (Num. 31, 50.) ex aure dependente usurpatur. וַעֲטֶרֶת תִּפְאֶרֶת בְּרֹאשֵׁךְ *Et coronam ornatus* s. *decoris*, i. e. eximiam et pulcherrimam (ut Jes. 62, 3. Jerem. 13, 18.) *capiti tuo* imposui. „*Coronam* vocat diadema feminarum, quo capillorum stringitur et ornatur ambitio.“ Hieronymus.

13. וַתֵּעָדִי זָהָב וָכֶסֶף *Sic ornata fuisti auro et argento*. וּמַלְבּוּשֵׁךְ שֵׁשׁ וּמֶשִׁי וְרִקְמָה *Vestesque tuae* erant *byssus*, *et sericum*, *et acupictum*; vid. ad Vs. 10. Pro שֵׁשׁ, ut illic scribitur, hic addito י est שֵׁשִׁי, paronomasiae, uti videtur, causa cum מֶשִׁי, quod sequitur. סֹלֶת וּדְבַשׁ וְשֶׁמֶן אָכָלְתִּי *Similam et mel, et oleum comedisti*. Hujusmodi placenta ex *simila*, *melle et oleo* parata Graecis vocabatur *πυραμοῦς*, vel *ἰτρία*, de quibus vid. Athenaeum *Deipnos*. L. XIV. וַתִּיפִי בִּמְאֹד מְאֹד *Et pulchra facta es summopere*, ita delicata habita speciosior in dies evasisti. Grotius existimat templi magnificentiam significari. Theodoretus: *Εἶχες τὸν νόμον πληροῦσα τὴν ἀπὸ τῆς εὐνομίας εὐπρέπειαν. Observans legem adepta es decorem ab ipsius legis cultu profectam.* וַתִּצְלְחִי לְמַלּוּכָה *Et prosperata es in regnum*, profecisti, et emersisti ad regiam dignitatem. Alii ad urbem Hiero-

solymitanam, de qua loquitur nomine totius regni (Vs. 2. 3.) haec referunt, hoc sensu: evecta es in regni sedem et caput.

14. וַיֵּצֵא לָךְ שֵׁם בַּגּוֹיִם בְּיָפְיֵךְ *Quare exiit tibi nomen* et fama, i. e. celeberrima facta es *inter gentes pulchritudine tua.* „Meis, inquit, beneficiis, meaque incredibili largitate ad reginae vocabulum pervenisti, ita ut de te omnium gentium sermo loqueretur, et esses non tuis meritis atque virtutibus, sed mea liberalitate perfecta.“ Hieronymus. כִּי כָלִיל הוּא *Quia perfecta erat* scil. יָפְיֵךְ *pulchritudo tua.* Cf. infra 27, 3. 4. 28, 12. Thr. 2, 15. בַּהֲדָרִי *Per ornatum meum*, i. e. a me impertitum (quomodo hoc ipsum בַּהֲדָרִי et Mich. 2, 9. dicitur, atque דָּגָנִי et תִּירוֹשִׁי i. e. frumentum et mustum a me datum Hos. 2, 11. coll. Vs. 10.), q. d. elegantia tua non nativa tibi erat, sed a me gratiose tibi collata. Vocem כָּלִיל Syriacus interpres eo significatu cepit, quem in sua lingua obtinet; vertit enim ita: *propter coronam gloriae meae, quam tibi imposueram.*

15. וַתִּבְטְחִי בְיָפְיֵךְ *Confisa es pulchritudini tuae*, in superbiam elata ob tuam pulchritudinem a me defecisti, et in extremam intemperantiam incidisti. Nam, ut ait Ovidius *Fast.* I, 419.: *Fastus inest pulcris, sequiturque superbia formam.* וַתִּזְנִי *Scortata es*, i. e. a me desciscens deorum fictitiorum cultui te dedisti, id quod frequenter jam inde a Mose *scortationis* nomine exprimitur, vid. Exod. 34, 15. 16. Levit. 17, 7. 20, 5. 6. Num. 15, 39. Deut. 31, 16. Judic. 2, 17. 8, 27. 33. Ps. 73, 27. 2 Reg. 9, 22. Jes. 1, 21. 57, 3. 4. Jerem. 2, 20. 3, 1. 6. 8. 9. 13, 27. infra 23, 3. Hos. 1, 2. Nah. 3, 4. Quae metaphora inde est orta, quod Deus amorem suum erga populum Israeliticum comparat cum amore, quo maritus in conjugem a se amatam fertur. Quemadmodum igitur adulterium s. scortatio summum crimen est, quo fides illa conjugalis violatur, ita populus Israeliticus idololatria sua turpissima fidem Deo datam fefellisse dicitur. Quod additur, עַל־שְׁמֵךְ, alii explicant *propter famam tuam*, s. pulchritudinis tuae fama elata; alii, ut Grotius: quasi tui juris esses, et non in mariti potestate. S. H. Manger in Dissertat. *de diversa regiminis divini forma sub oeconomia veteri, in Sylloge Dissertatt. sub Schultensior. et Schroederi praesid.* Vol. II. p. 1046. vertit: *non obstante nomine tuo*, praecellente nimirum illo, sive, *Israelis*, sive, quod mallet, *Deo ipsi desponsatae*, ex Vs. 8. *fiebas mea:* non obstante insigni adeo nomine et titulo viliter egisti et inhoneste. Eodem significatu particula עַל usurpatur Jes. 53, 9. Job. 16, 17. 34, 6., ad quae loca vid. nott. וַתִּשְׁפְּכִי אֶת־תַּזְנוּתַיִךְ עַל־כָּל־עוֹבֵר *Et effudisti scortationes tuas super omnem transeuntem*, effuse prostituisti te ac pudorem tuum omnibus transeuntibus, i. e. quaecunque idola tibi oblata sunt, coluisti. Quot urbes, tot dii. לוֹ־יִהְיִי *Cui* s. erga quem *erat* scil. חִשְׁקֵךְ *desiderium tuum.* Ferebaris desiderio erga quoscunque. Alii ex antecedente

subaudiunt יָפְיֵךְ (coll. Vs. 25.), illi cedebat pulchritudo tua, quam mihi integram servare oportuisset. Vel: *cui erat* scil. libido tui potiundi.

16. וַתִּקְחִי מִבְּגָדַיִךְ וַתַּעֲשִׂי־לָךְ בָּמוֹת טְלֻאוֹת *Quin sumsisti e palliis tuis, et fecisti tibi sacella variegata.* בָּמוֹת, proprie *altitudines*, sunt et *altaria* et *sacella* in editis locis exstructa, diisque consecrata, ut supra 6, 6. infra 20, 28. 29. 1 Sam. 9, 12. טָלָא proprie est *consuere ex multis et versicoloriis pannis*, quomodo centonem solent (coll. Chaldaeus טְלָא *assuere, resarcire*, unde טְלָאי *frusta panni, quae vestibus assuuntur)*, unde Jos. 9, 5. נְעָלוֹת בָּלוֹת וּמְטֻלָּאוֹת sunt *calceamenta vetustate attrita* et hinc *pittaciis resarta.* Et Genes. 30, 32. 34. 35. *oves* aut *caprae* טְלֻאוֹת sunt *quae maculas habent adspersas*, aut tanquam assutas, ut in centone particulas, et assumenta. Videntur tuguriola portatilia, e pannis multicoloribus consuta, vel e ligno constructa, et aulaeis ornata, indicari, in quibus deorum simulacra circumferri solebant. Cf. Amos. 5, 26. Verba וַתִּזְנִי עֲלֵיהֶם sunt, qui vertant: *fornicata es super iis*, scil. lectulis, quibus discumbebas cum adulteris. Sed vertendum est: *scortata es cum iis*, scil. diis peregrinis; suffixum est ad כָּל־עוֹבֵר Vs. 15. referendum. Particula עַל h. l. indicat scortationis *objectum*, uti loquuntur (alio sensu, ac Jud. 19, 2., ubi cum eadem particula verbum זָנָה jungitur, cf. infra 23, 8. וַיִּשְׁפְּכוּ תַזְנוּתָם עָלֶיהָ *effuderuntque scortationem suam super eam.* לֹא בָאוֹת וְלֹא יִהְיֶה *Non venient*, scil בָּמוֹת כְּמוֹהֶן *excelsa sicut illa*, i. e. similia, ac si dicat: non sunt futura, ut veniant, *nec erit* scil. tale quid; non evenient similia portenta, ut femina transferat in ornatum amatorum suum cultum muliebrem, neque exstabit umquam alius tibi similis populus. Hieronymus בָּאוֹת accipit de *praeteritis: non acciderunt.* Sed de *futuris* ea dictio manifeste dicitur Genes. 41, 29. 35. (שֶׁבַע הַבָּאוֹת de septem annis fructuosis, qui futuri erant), et Jes. 41, 22. הַבָּאוֹת הַשְׁמִיעֻנוּ *ventura nobis indicent.*

17. כְּלֵי תִפְאַרְתֵּךְ *Vasa decoris tui*, i. e. ornamenta muliebria, ut infra Vs. 39. „Dominus Lege praecepit, ut fierent thuribula, phialae, candelabrum, arca Testamenti, cunctaque vel aurea, vel deaurata, et alia ex argento, quae omnia conflavit Jerusalem, et vertit in idola Belis, sive Chamos, et Astaroth, et Melchom.“ Hieronymus. וַתַּעֲשִׂי־לָךְ צַלְמֵי זָכָר *Ut faceres tibi imagines masculi* s. *masculas.* Grotius intelligit Baalimos. Alii eo referunt, quod gentes *Deos* et *Deas* coluerunt. Sed vera ratio, cur *simulacrorum masculinorum* mentionem facit, haud dubie haec est, quod populum Israeliticum imagine feminae libidinosae sistit, quae delectatur virorum adspectu et consuetudine.

18. בִּגְדֵי רִקְמָתֵךְ Vid. Vs. 10. 13. וַתְּכַסִּים *Operuisti illa* scil. simulacra (צַלְמֵי Vs. 11.), i. e. vestivisti, quo ipso signi-

ficatu idem verbum infra 18, 7. 16. (וְעֵירֹם וְכַסֵּה־בֶגֶד), et Jes. 58, 7. (כִּי־תִרְאֶה עָרֹם וְכִסִּיתוֹ) usurpatur. וְשַׁמְנִי וּקְטָרְתִּי נָתַתִּי *Et oleum meum* scil. odoratum et arte praeparatum, de quo Exod. 30, 23—25., quod vetuit Deus profanis usibus adhiberi, unde *suum* vocat (aliud, cujus supra Vs. 13. et infra Vs. 19. mentio facta), *et suffimentum meum, posuisti coram iis*, intulisti in eorum fana. נָתַתִּי pro נָתַתָּ, cum Jod paragogico, ut infra Vs. 36., et cum Pronomine suffixo Vs. 19. Cf. יְלַדְתִּי Vs. 20.

19. וְלַחְמִי *Et panem meum* quod attinet. *Panis* nomine Hebraei omne id quo nutrimur intelligunt. Ita h. l. לֶחֶם pro omnibus cibis atque deliciis capiendum est, quae statim sigillatim enumerantur, *simila, oleum*, et *mel*, quibus femina illa, quae populi Israelitici imaginem exhibet, supra Vs. 13. a Deo nutrita dicitur. Quae quum jam fictitiis istis diis oblata dicuntur, eo pertinet, quod illa ipsa in sacrificiis adhiberi solebant, vel singula, vel in libis coagmentata. De quibus VIRGILIUS *Aeneid.* 7, 109.: *Instituuntque dapes, et adorea liba per herbam Subjiciunt epulis, sic Juppiter ille monebat.* Ad quem locum SERVIUS: *Ador proprie genus farris; liba autem sunt placentae de farre, melle et oleo sacris aptae.* Melle illita fuisse liba, et ex hoc TIBULLI *Eleg.* Libr. I. Eleg. 7. Vs. 53. 54. apparet: *Sio venias hodierne, tibi dum thuris honores, Libaque Mopsopio dulcia melle feras.* OVIDIUS *Fastor.* 3, 761. sqq. de festo in Bacchi honorem celebrato: *Melle pater fruitur; liboque infusa calenti Jure repertori candida mella damus.* Israelitis mellis usus in sacris vetitus erat; Levit. 2, 11. Ante אֲשֶׁר est subaudiendum: quae dederam tibi in cibum. וַתִּתְּהִי־הוּ *Dedisti*, apposuisti *illud*, Vs. 18. Syrissans forma secundae feminini personae (נָתַתִּי cum Jod otiante), cum suffixo, unde Schva sub תִּ in Chirek transit, ut infra Vs. 58. נְשָׂאתִים, *portavisti ea*; Jer. 2, 34. מְצָאתִים *deprehendisti eos*, 15, 10. יְלַדְתָּנִי *peperisti me*, mater mea; Exod. 2, 10. מְשִׁיתִהוּ *extraxisti eum.* Cf. C. B. MICHAELIS *Lumina Syr. pro illustr. ebraismo sacro* §. 29. in *Sylloge Commentatt. Theologg.* a D. J. Pott editt. Vol. I. p. 217. לְרֵיחַ נִיחֹחַ *Ad* excitandum *odorem* illis *suavissimum*, ut supra 6, 13. infra 20, 28. Genes. 8, 21. ad quem loc. cf. not. וַיְהִי *Et* ita *factum est*, q. d. ita fecisti tu, non potes negare, nam testis sum oculatus. Ita Kimchi. Chaldaeus cepit interrogative: הֲלָא הֲוָאת כָּל אִלֵּין *nonne facta sunt omnia ista?* Alii hanc dictionem nectunt Versui proximo, hoc sensu: *et factum est (inquit Dominus Deus) et sumsisti filios tuos* etc. Cf. mox Vs. 23. Eodem modo distinxisse Hieronymum, inde apparet, quod verbis: *et factum est*, quintum Commentariorum librum in Ezechielem inchoavit.

20. וַתִּקְחִי אֶת־בָּנַיִךְ וְאֶת בְּנוֹתַיִךְ *Et sumsisti filios tuos et filias tuas*, imo sumsisti etiam infantes, qui in te nasceban-

tur, quorum matrem appellat Jerusalem ex proposita allegoria conjugii, et se ipsum patrem. אֲשֶׁר יָלַדְתִּי לִי *Quos mihi pepereras*, qui ex lege matrimoniali debebant esse mei. וַתִּזְבְּחִים לָהֶם לְאָכוֹל *Et immolasti eis ad devorandum*, ut in gratiam illorum ignis absumeret eos; igni enim vorandi actus adscribitur, vid. Jes. 5, 24. (כְּאֹכֶל קַשׁ לְשׁוֹן אֵשׁ *sicut stipulam vorat lingua ignis).* Exempla talis nefandae superstitionis vid. 2 Reg. 16, 3. 21, 6. 23, 10. Eadem querimonia infra 23, 37. et apud Jerem. 7, 31. 19, 5. Ps. 106, 37. הַמְעַט מִתַּזְנוּתֵךְ *Num parum* hoc est *de scortationibus tuis?* Parumne tibi videbatur, quod alienorum deorum cultui dedita fueris, nisi etiam jugulares filios meos? Illud scelus satis tibi esse debebat. Numerum singularem, מִתַּזְנוּתֵךְ (cf. infra Vs. 29.), literae in textu positae (quum Jod omissum sit) requirunt. Lectionem ad marginem notatam, cui puncta vocalia in textu posita substernenda sunt, Pluralem, מִתַּזְנוּתַיִךְ, plures codices et manuscripti et typis exarati, a De-Rossio indicati, in textu habent.

21. Idem, quod Vs. 20. dixerat, hic aliis verbis repetit, ut magis haereat animo rei indignitas. וַתִּשְׁחֲטִי אֶת־בָּנַי *Et mactasti filios meos.* LXX: *τὰ τέκνα σου*, quasi בָּנַיִךְ, ut supra Vs. 20. in textu exstat, et hic legissent, quod ipsum h. l. in paucis aliquot codicibus servatum est. וַתִּתְּנִים בְּהַעֲבִיר אוֹתָם לָהֶם *Et tradidisti eos, dum transire eos fecisti* scil. בָּאֵשׁ, *per ignem*, quod exprimitur infra 20, 31. et 2 Reg. 16, 3. Sed sine eo, ut h. l., infra 20, 27. 23, 37. 39. לָהֶם *Iis*, i. e. diis, in gratiam eorum, *consecrans iis*, ut Vulgatus dedit.

22. וְאוֹת כָּל־תּוֹעֲבֹתַיִךְ וְתַזְנוּתַיִךְ *Et cum omnibus flagitiis tuis et scortationibus tuis*, i. e. inter tot tua flagitia, dum omnibus istis abominandis addicta fuisti, לֹא זָכַרְתִּי אֶת־יְמֵי נְעוּרַיִךְ *non es recordata dierum juventutis tuae*, oblita es miseriae tuae pristinae, et divinae in te misericordiae, in Aegypto tibi exhibitae, ut infra 23, 3. 8. 19. Jer. 2, 2. בִּהְיוֹתֵךְ עֵירֹם וְעֶרְיָה *Cum existeres nuda et veste carens*, vid. Vs. 7. מִתְבּוֹסֶסֶת בְּדָמַיִךְ הָיִית Dum *conculcata in sanguine tuo eras?* vid. Vs. 6.

23. Haec verba, וַיְהִי אַחֲרֵי כָל־רָעָתֵךְ *et accidit post* s. *praeter omnem malitiam tuam*, nectenda sunt Versui proximo, et reliqua hujus Versus interclusione distinguenda, in hunc modum: *quin etiam post tua tam multa scelera (hei! hei tibi! dictum Domini, Dei), exstruxisti tibi* cet. Vs. 24.

24. Scelera auxisti sceleribus, et impudens tuum flagitium omnibus testatum fecisti. וַתִּבְנִי־לָךְ גֹּב *Exstruxisti tibi excelsum.* גֹּב, quod propric in genere *convexum quid* videtur significare (usurpatur enim de *gibbo*, *dorso*, ut supra 10, 12., *superciliis* oculorum Levit. 14, 9. *abside* rotae, ut supra 1, 18.), quidam h. l. accipiunt de *fornice*, quo meretrices se prostituere solebant. Malim *collem* s. *locum editum* intelligere, ut conveniat

cum רָמָה in altero hemistichio, ut utroque nomine lupanaria aut delubra indicentur in locis editis exstructa. GROTIUS: „Sicut in collibus erant arae, ita et lupanaria. Propterea utitur vocibus גֵּב et רָמָה, quae et comparationi conveniunt, et rei comparatae.“ HIERONYMUS: „Ubi nos diximus: *et aedificasti tibi lupanar*, pro quo Septuaginta transtulerunt: *et aedificasti tibi habitaculum fornicationis* (*καὶ ᾠκοδόμησας σεαυτῇ οἴκημα πορνικόν*), Symmachus et Theodotio *πορνεῖον* interpretati sunt. Aquila volens exprimere etymologiam sermonis Hebraici *Gob*, posuit *βόθυνον*, quod nos dicere possumus *foveam*, ut significet ganeam et defossum specum atque tenebrosum, in quo prostitutarum libido versatur.“ וַתַּעֲשִׂי־לָךְ רָמָה בְּכָל־רְחוֹב *Et fecisti tibi altum in omni platea.* Significantur fana idolis sacra, quae in locis editis erigi solebant.

25. אֶל־כָּל־רֹאשׁ דָּרֶךְ *Ad omne caput* s. *initium viae*, cunctis in triviis et angiportis, in locis maxime conspicuis, ut Jes. 51, 20. בְּרֹאשׁ כָּל־חוּצוֹת *in capite omnium platearum*, Prov. 1, 21. בְּרֹאשׁ חֹמִיּוֹת *in capite murorum*, et 8, 2. בְּרֹאשׁ מְרֹמִים *in summitate celsorum juxta viam.* וַתְּתַעֲבִי אֶת־יָפְיֵךְ *Abominabilem fecisti pulchritudinem tuam*, fuisti tanquam foetidum et obsoletum scortum, quod quum omnibus sese prostituat, prae fastidio tandem rejicitur, i. e. dignitatem ac majestatem illam regni tui, quae in unius Dei cultu sita erat, prorsus amisisti. וַתְּפַשְּׁקִי אֶת־רַגְלַיִךְ לְכָל־עוֹבֵר *Et distendisti pedes tuos omni praetereunti.* Habitum notat meretricis sese et pudorem suum publice prostituentis. Innuit ingens studium Israelitarum circa idololatriam, q. d. omnium gentium idola, quotquot scilicet illae tibi offerebant, coluisti. Quod ipsum et significatur verbis וַתַּרְבִּי אֶת תַּזְנוּתֵךְ *et multiplicasti scortationes tuas*, i. e. supra modum dedita fuisti cultui deorum peregrinorum. Lectionem marginalem (קְרִי), תַּזְנוּתַיִךְ, *scortationes tuas*, et hic, ut supra Vs. 20. plures codices in textu habent, eandemque Vulgatus et Chaldaeus expressit. LXX vero et Syrus in singulari vertunt, quasi תַּזְנוּתֵךְ legissent, quomodo τὸ כְּתִיב efferendum est.

26. וַתִּזְנִי אֶל־בְּנֵי־מִצְרַיִם שְׁכֵנַיִךְ גְּדֹלֵי בָשָׂר *Scortata es ad Aegyptios, vicinos tuos, magnos carne*, libidinis pruritu delata. *Magni carne* sunt quos Latini *bene vasatos* vocant; de *pudendis* nomen בָּשָׂר et infra 23, 20. Levit. 15, 2. 3. usurpatur. „Significatur idololatria ad exemplar Aegyptiorum, qui magni erant idololatrae.“ GROTIUS. Ita et recte THEODORETUS: *Per translationem magnos carne eos, qui supra modum idolorum cultui addicti erant, nominavit, qui hircos, et boves, et oves, canesque et simias, et crocodilos, et ibes, et accipitres adorabant.* וַתַּרְבִּי אֶת־תַּזְנוּתֵךְ לְהַכְעִיסֵנִי *Et multiplicasti scortationem tuam ad irritandum me*, s. *ad aegre faciendum mihi*, ut supra 8, 17. Pro singulari אֶת־תַּזְנוּתֵךְ legitur pluralis אֶת־

תַּזְנוּתַיִךְ in pluribus codicibus Kennicotti et De-Rossii, quibuscum Chaldaeus consentit. Sed Vulgatus et Syrus singularem exprimunt.

27. נָטִיתִי יָדִי עָלָיִךְ *Extendi manum meam adversus te*, castigantis gestus, vid. infra 25, 7. Jes. 9, 17. וָאֶגְרַע חֻקֵּךְ *Et diminui dimensum tuum*, tibi assignatum in victum et amictum (ut חֹק Prov. 30, 7.) a me, marito (cf. legem Exod. 21, 10.); continuatur enim allegoria *uxoris*. Abstuli aliquid de opulentia, qua abutebaris, ut non aeque laute, ut antea, viveres. וָאֶתֵּנֵךְ בְּנֶפֶשׁ שׂנְאָתַיִךְ בְּנוֹת פְּלִשְׁתִּים *Tradidi te animae*, i. e. libidini (ut Ps. 27, 12.) *earum quae te oderunt*, *filiarum* videlicet *Philisthaeorum*, i. e. incolis urbium Palaestinarum, s. Philisthaeis. Servat decorum allegoriae in eo, quod Philisthaeae incolas facit *filias* (cf. infra Vs. 46.), sicut Hierosolymitanum s. Judaicum populum *puellam* induxerat. Philisthaeis traditi sunt Israelitae saepius puniendi, non tantum sub Judicibus (Jud. 10, 7. 13, 1. 1 Sam. 4, 2.), verum et sub regibus, veluti sub Joramo (2 Chron. 21, 16. 17.), et sub Ahaso (2 Chron. 28, 18. coll. Jes. 9, 11. Joel. 4, 4. Amos. 1, 6.). הַנִּכְלָמוֹת *Quae pudore suffundebantur* (ut infra Vs. 54. 61.), pudentiores te erant. Grotius: „Palaestini, quamvis mali, tua facta imitari non audebant; manebant penes deos suos.“ Cf. Jer. 2, 10. 11. *Videte*, *num factum sit hujusmodi*, *ut mutaverit gens ulla deos (quamvis dii non sint)? Et tamen populus meus gloriam suam cum haud profuturis permutavit.* מִדַּרְכֵּךְ זִמָּה *A via tua*, quae est via *sceleris*, i. e. turpissima, sceleratissima; pro מִדַּרְכֵּךְ אֲשֶׁר דֶּרֶךְ זִמָּה, ut Cant. 1, 15. עֵינַיִךְ יוֹנִים *oculi tui* sunt oculi *columbarum*. Cf. not. ad Ps. 110, 3. 116, 1. Nomen זִמָּה de *incestu* dicitur Lev. 18, 17. 19, 29., et de *adulterio* Job. 31, 11., cf. not. supra ad Vs. 15.

28. וַתִּזְנִי אֶל-בְּנֵי אַשּׁוּר *Tum vero scortata es ad filios Assur* delata, cf. ad Vs. 26. Kimchi: „Non contenta cum flagitiis Aegyptiorum, vicinorum tuorum, etiam fornicata es cum Assyriis, a te longinquis, eorum idola colendo.“ מִבְּלֹתִי שָׂבְעָתֵךְ *Ex defectu satietatis tuae*, quum satietas tibi nulla esset, cf. eandem loquendi formulam Exod. 14, 11. Num. 14, 6. Vulgatus: *eo quod necdum fueris expleta.* Theodoretus: *Unaquaeque natio*, *inquit*, *propriis servivit idolis; tu vero quum omnium adoraveris deos*, *et omnium idolorum*, *quae sunt ubique terrarum*, *cultum amplexa sis*, *nondum tamen*, *ne hodie quidem*, *ulla impietatis satietas cepit.* Assyriorum deos Grotius ab Israelitis tum cultos conjicit, quum Ahasus Tiglathpileserum regem Assyriae in auxilium vocaret, 2 Reg. 16, 7. 2 Chron. 28, 16. „Nam, inquit, plerumque quorum amicitiam ambiebant, eorum cultus imitabantur.“ Verum et earum gentium, quibuscum nullo foederis vinculo conjuncti essent, superstitiones Israelitas imitatos fuisse, credibile est; exempla vidimus apud Nostrum, supra 8, 7—12.

29. וַתַּרְבִּי אֶת־תַּזְנוּתֵךְ אֶל־אֶרֶץ כְּנַעַן כַּשְׂדִּימָה *Multiplicasti scortationem tuam ad terram Cananaeam* (cf. Vs. 26. 28.), execrabilem Cananaeorum cultum imitata (Ps. 106, 38.), usque *ad Chaldaeos* excurrens, et novos inde deos petens; q. d. adjecisti idolis Cananaeorum Chaldaeorum superstitionem. Quod illo tempore factum existimant, quo Merodach-Baladan ad Hiskiam legatos miserat, 2 Reg. 20, 12. et Jes. 39. Sed cf. not. ad Vs. praeced. JARCHI nomen כְּנַעַן h. l. pro appellativo capiendum existimat, quo terra Chaldaeorum nuncupetur, quasi dicat, *negotiatorum*, s. *mercatorum*, qui certe alias *Cananaei* vocantur, vid. Jes. 23, 8. Job. 40, 30. Conf. infra 17, 4. et ad eum loc. not. Ita nomini כַּשְׂדִּימָה additum *He* esse mere paragogicum (ut in מִצְרַיְמָה), et ante illud repetendum אֶרֶץ, ut sit: *multiplicasti scortationes tuas cum terra Canaan*, videlicet *terra Chaldaeorum.* Ita HIERONYMUS: „Ingredientes Chaldaeam, quae est terra Chanaan, imitati sunt eorum errores, quorum imperio subjacebant.“ וְגַם־בְּזֹאת לֹא שָׂבַעַתְּ *Et etiam in hac* scortatione *non es satiata.*

30. מָה אָמְלָה לִבֵּךְ *Quam languidum*, aegrum ex libidine est *cor tuum!* אָמְלָה Participium Paul conjugationis Cal, quod hoc solo loco legitur, usitatior conjugatio Pual (אֻמְלָל), vid. Jes. 16, 8. Jer. 15, 9. Hos. 4, 2. Ps. 6, 3. (al. 2.), ad quem locum vindicavimus *languescendi* significatum. בַּעֲשׂוֹתֵךְ אֶת־כָּל־אֵלֶּה מַעֲשֵׂה אִשָּׁה־זוֹנָה שַׂלָּטֶת *Dum facis omnia illa, opus mulieris meretricis impudentis* scil. facis. שַׂלָּטֶת propr. *dominatrix*, i. e. talis, quae in officio a marito contineri se non patitur, et quasi sui sit juris, libidinem suam omni absterso pudore explet.

31. בְּבְנוֹתַיִךְ גַּבֵּךְ בְּרֹאשׁ כָּל־דֶּרֶךְ *Cum aedificasti excelsum tuum in capite*, initio *omnis viae* cunctis in triviis, ut Vs. 24. et 25. בְּבְנוֹתַיִךְ esse Infinitivum verbi בָּנָה (cf. infra 17, 17. Jos. 22, 16. 19.) cum suffixo plurali, more nominum (ut supra 6, 8. ad בְּהָזָּרוֹתֵיכֶם *in dispergendo vos*, Kimchi notat, additum esse Jod plurale, quod Infinitivi formam et structuram nominum induere solent), pro בְּבִנּוֹתֵךְ *dum exstruxisti*, monet Jarchi. Cf. GESENII *Lehrgeb.* p. 463. Sunt quidem, qui *in filiis*, i. e. *in pagis tuis*, vertant, ut *filiae* urbium majorum passim dicuntur minores urbes et pagi (cf. supra Vs. 27. Num. 21, 25.), sed Jarchii interpretationi favet hemistichiorum parallelismus; nam רֹאשׁ בְּבְנוֹתַיִךְ respondet וְרָמָתֵךְ עָשִׂיתִי, *et excelsa tui fecisti.* De nomine גֵּב vid. not. ad Vs. 24. De verbis proximis, וְרָמָתֵךְ עָשִׂית לֹא־הָיִיתִי כַּזּוֹנָה לְקַלֵּס אֶתְנָן בְּכָל־רְחוֹב vid. ad Vs. 24. *Non fuisti ut meretrix illudendo* s. *spernendo mercedem*, q. d. tu es longe diversa ab aliis scortis, quae spernunt praemia ab amatoribus sibi oblata, ut majora ambiant; suscipis enim quodvis praemium, etiam vilissima mercede contenta, immo ipsa etiam pretium amasiis offers, Vs. 33. 34. In Chaldaica dialecto verbum

קָלַס obtinet *laudandi* significatum, quem Jarchius vult et huic loco accommodandum, ut vertendum sit: *laudando mercedem*, q. d. tu non potes gloriari de mercede ab amatoribus accepta, ut aliae meretrices, quum tu ipsa pretium obtuleris. Sed quum tribus reliquis locis, quibus et verbum nostrum (vid. infra 22, 4. 5.), et nomen קֶלֶס (Jer. 20, 8.) legitur, manifeste *illudendi*, *vilipendendi* notione usurpetur (Jeremiae quidem loco cum חֶרְפָּה ut synonymum est junctum), nec aliter h. l. erit capiendum, praesertim quum ita commodus sensus prodeat. Solent enim, qui magnum mereri volunt, illudere offerenti pretium, quod non satisfacit. Benc igitur sensum expressit HIERONYMUS: *nec facta es quasi meretrix fastidio augens pretium*, et in Commentario ita exposuit: „Nec imitata es callidas meretrices, quae solent difficultate augere libidinis pretium, et ex hoc magis amatores ad insaniam provocare."

32. הָאִשָּׁה הַמְנָאָפֶת *Mulier adultera* subaudi אַתְּ *tu es*, vel comparandi particulam, *adulterae instar es*. תַּחַת אִישָׁהּ תִּקַּח אֶת זָרִים *Pro marito suo* s. *loco mariti sui* (ut תַּחַת supra 4, 8. 2 Sam. 3, 12. Esth. 2, 17.) *cepit alienos*. Vel: quum tamen sis sub potestate mariti, cui soli ex legis praescripto subjecta esse debes, cf. infra 23, 5. Num. 5, 19. 29. Hos. 4, 12. Ita JARCHI: „dum illa est sub marito suo, oculos conjicit in alios."

33. לְכָל־זֹנוֹת יִתְּנוּ נֶדֶה *Omnibus meretricibus dant* scortatores *mercedem meretriciam*. Nomen נֶדֶה etsi hoc solo loco legatur, tamen *donum amasiae datum* significare, nos non dubitare sinit contextus. Etymon offert consonum hebraico arabicum verbum, quod 1) *uvidus*, 2) *liberalis fuit*, denotat, unde נָדִיב *munificus*. Significatione a נֶדֶה non differt plurale נְדָנַיִךְ, quod sequitur, in quo Nun mere *epentheticum* existimo, quale in שִׁבְעָנָה *septem*, pro שִׁבְעָה Job. 42, 13. Nam נָדָן, quod 1 Paral. 21, 27. de *vagina* ensis dicitur, h. l. vix sensum commodum dabit, etsi J. D. MICHAELIS illam significationem ad nostrum locum transferri posse conjecit, ita ut *vagina* turpi ibi sensu ponatur, aliqua inter נֶדֶה et נָדָן paronomasia: *omnibus scortis dant dona, tuque dedisti vaginam tuam omnibus amasiis tuis*. Id quidem in versione teutonica tentavit; sed in *Supplemm.* p. 1602. ipse fatetur, obstare pluralem נְדָנַיִךְ, „nec ullus codex," ait, „singulare, נְדָנֵךְ, quod speraveram, habet; quo victus consensu codicum ad consuetam revertor interpretationem, נָדָן idem quod נֶדֶה, *munus meretricium*, facientem." וַתְּשַׁחֲדִי אוֹתָם לָבוֹא אֵלַיִךְ *Et munerasti eos ut venirent ad te*, quasi in cubile tuum. „Nam neque ab Aegyptiis, neque ab Assyriis, vel Chaldaeis quicquam boni acceperant Israelitae, sed contra magnis mercedibus eorum gratiam redimere coacti sunt." COCCEJUS. Vid. c. c. 2 Reg. 16, 8. Jes. 7, 20. 30, 5. 6. In וַתְּשַׁחֲדִי hoc singulare est, quod quum alias in medio dictionis perpetuum fere sit *Chateph-Pathach*

loco Schevatis mobilis, hic ponatur *Chateph-Camez*, ut Jes. 44, 13. יְתָאֲרֵהוּ, pro quo ibidem scriptum ante fuerat וְיָאֲרֵהוּ *efformabit illud*, et הַרְהָיָה *Harhoja* Nehem. 3, 8., pro quo tamen in aliis codicibus הַרְהָיָה reperitur.

34. וַיְהִי־בָךְ הֵפֶךְ מִן־הַנָּשִׁים *Et factum est in te contrarium*, diversum *a mulieribus* aliis. וְאַחֲרַיִךְ לֹא זוּנָה *Post te non scortatio.* Haec verba plerique post Kimchium ita intelligunt: non admissa est umquam antea, nec committetur *post te*, futuris temporibus, istiusmodi scortatio, qualis a te commissa. Ita jam HIERONYMUS: „Tantaque fuit expositio adulterae ad omnem turpitudinis magnitudinem, ut non solum praesentibus, sed etiam futuris meretricibus praeferatur. Unde et nos juxta Symmachum interpretati sumus: *Et post te non erit fornicatio.* Collatione enim tui omnis deinceps fornicatio levior existimabitur.“ Sed videtur sensus potius hic esse: *ut post te non scortatum iverint*, scil. sponte, nec nisi a te invitati et mercede a te oblata permoti. Similiter STORR in *Observatt.* p. 207. not. hunc locum exponit: „*Etiamsi scorteris, tamen non scortatio fiet*, i. e. scortantur *post te*, h. e. a nemine quaereris, ut etiam mercede conducere debeas amasios.“ וּבְתִתֵּךְ אֶתְנָן וְאֶתְנָן לֹא נִתַּן־לָךְ *Et dum tu pretium das, et pretium non datur tibi*, neque pretium datur tibi, וַתְּהִי לְהֵפֶךְ *et es in inversionem*, i. e. ita aliis mulieribus contraria es, ut antea dictum.

36. יַעַן הֻשְׁפַּךְ נְחֻשְׁתֵּךְ *Propterea quod profusum* a te *est aes tuum*, i. e. pecunia tua amasiis data. Sic et Latini *aes* pro *pecunia* frequentant. HIERONYMUS: „Effudisti aes tuum, quod a me acceperas, et dedisti mercedem amatoribus tuis, quae accipere debueras.“ Alii *aeruginem tuam* vertunt, intelliguntque virus, seu virulentas sordes ex assidua scortatione profluentes, ut aerugo ex aere. Quemadmodum de equabus VIRGILIUS *Georg.* 3. 281. *Lentum destillat ab inguine virus.* Talmudicis נְחֹשֶׁת de *adustione* s. *aerugine ollae aereae a fundo*, hinc pro ipso *fundo rei* alicujus usurpatur; unde Jarchi et alii h. l. *imum ventris*, i. e. pudendum, verenda mulieris, intelligunt, ut sensus sit: prae nimio libidinis aestu profluvium genitura passa es. וַתִּגָּלֶה עֶרְוָתֵךְ *Et revelata est nuditas tua*, i. e. patuere partes tuae pudendae, עַל־מְאַהֲבַיִךְ *coram amatoribus tuis*, ita עַל *objectum* notans aderat supra Vs. 15. 16. Sed in verbis, quae statim sequuntur, וְעַל כָּל־גִּלּוּלֵי תוֹעֲבוֹתַיִךְ, eandem Particulam Jarchi poni putat pro יַעַן *propter*, ut infra 36, 18. עַל־הַדָּם אֲשֶׁר שָׁפְכוּ *propter sanguinem, quem effuderunt*, vid. et Ruth. 1, 19. Thren. 5, 17. 1 Sam. 4, 15. Sed nihil obstat, quo minus עַל eodem quo in verbis antecedentibus sensu capiamus: *et coram omnibus stercoribus abominationum tuarum*, i. e. coram idolis tuis abominandis, in eorum templis et lucis. וְכִדְמֵי בָנַיִךְ *Et secundum sanguines filiorum tuorum*, i. e. prout merita es

propterea quod effudisti sanguinem filiorum tuorum, quos in honorem idolorum immolasti. Particula כ hic valet *pro ratione, ut convenit*, et *propter* reddi potest, ut רַב, ut Num. 14, 19. *Condona peccata populi hujus* כְּגֹדֶל חַסְדֶּךָ *secundum magnitudinem benignitatis tuae*, i. e. prouti convenit magnae tuae benignitati. Et Ps. 7, 18. *Celebrabo Jovam* כְּצִדְקוֹ *ut convenit justitiae ejus*, s. propter justitiam suam. Si cum ב legas (בְּדָמֵי), ut in pluribus codicibus habetur, itidem *propter sanguinem filiorum tuorum* erit vertendum, ut ב manifeste sumitur Gen. 18, 18. *An perdes* בַּחֲמִשָּׁה *propter quinque totam civitatem?* Nam Vs. 24. pro eo ponitur לְמַעַן חֲמִשִּׁים. Vid. et supra 4, 17. Jon. 1, 14. 2 Reg. 14, 6.

37. לָכֵן הִנְנִי מְקַבֵּץ אֶת־כָּל־מְאַהֲבַיִךְ אֲשֶׁר עָרַבְתְּ עֲלֵיהֶם *Ideo ecce! ego congregans* sum *omnes amasios tuos, quibus grata fuisti*, ut Ps. 104, 34. יֶעֱרַב עָלָיו שִׂיחִי *grata sit ei oratio mea.* Alias cum ל construitur, ut Jer. 6, 20. Mal. 3, 4. Jarchi monet vertendum: *quibus mista es*, sensu quidem satis commodo, atque sic de commiscentibus se Israelitis cum feminis exteris nostrum verbum usurpatur Esra 9, 2. Ps. 106, 35., sed forma *Hithpael* (quae et reliquis locis, ubi *miscendi* notio obtinet, exstat, vid. Proverb. 14, 10. 20, 19. 24, 21.) et cum ב constructum. עַל כָּל־אֲשֶׁר שָׂנֵאת *Super*, q. d. additis, una cum *omnibus* illis, *quos odisti.* Ita עַל Gen. 32, 12. אֵם עַל־בָּנִים *mater una cum filiis*, propr. *super filios.* Et Exod. 35, 22. וַיָּבֹאוּ הָאֲנָשִׁים עַל־הַנָּשִׁים *venerunt viri una cum mulieribus.* Ceterum sicut illis, quos *amasse* dicitur paullo antea mulier haec, populum Israeliticum sistens, Grotius monet intelligendos Assyrios et Chaldaeos, ita iis quos *adit*, idem observat intelligendos Idumaeos et Palaestinos. וְקִבַּצְתִּי אֹתָם עָלַיִךְ מִסָּבִיב *Et congregabo illos contra te undiquaque* ut hostes. וְגִלִּיתִי עֶרְוָתֵךְ אֲלֵהֶם *Et nudabo nuditatem tuam*, i. e. pudenda tua (ut supra Vs. 36.) *erga eos*, i. e. coram eis; publicae ignominiae te exponam, in poenam talionis (coll. Vs. 36.), ablato omni ornamento et vestibus, de quibus supra. Eadem sententia Hos. 2, 12. וְעַתָּה אֲגַלֶּה אֶת־נַבְלָתָהּ לְעֵינֵי מְאַהֲבֶיהָ *Et nunc retegam turpitudinem ejus coram amatoribus suis.*

38. וְשָׁפַטְתִּיךְ מִשְׁפְּטֵי נֹאֲפוֹת וְשֹׁפְכֹת דָּם *Sic judicabo te judiciis*, i. e. afficiam te suppliciis *adulterarum et effundentium sanguinem*, „i. e. partim lapidaberis, partim gladio trucidaberis, ut sequitur infra Vs. 40. Lapidatas aliquibus temporibus adulteras, diximus ad Joan. 8, 5. Lapidata est Jerusalem, cum ex balistis Chaldaeorum saxa in eam jacta sunt. Gladii poena propria homicidarum, quales illi in liberos suos fuerant.“ Grotius. Lapidationis poena in adulterium a desponsa admissum, statuitur Deut. 22, 23. 24. Cf. C. B. Michaelis Dissertat. *de judiciis poenisque capitalibus Hebraeorum*, §. 13. in *Sylloge Commentatt.*

Theologicar. Vol. IV. p. 201. וְנָתַתִּיךְ דַּם חֵמָה וְקִנְאָה *Dabo* in *te sanguinem furoris et zeli*, i. e. ut recte Jarchi exponit: *tradam te illis, qui interficiunt perciti ira et zelo et excandescentia*, qui non solent parcere deprehensis. Efficiam, ut interficiare subito et crudeliter, sicut solent interficere iratissimi mariti adulteros suarum uxorum. Grotius: „Tradam te in poenam, qualem zelotypi mariti in adulteram exercent. Vid. supra 14, 19.“

39. וְנָתַתִּי אוֹתָךְ בְּיָדָם וְהָרְסוּ גַּבֵּךְ *Et tradam te in manus eorum, ut diruant locum editum tuum.* De nomine גַּב vid. not. supra ad Vs. 24. Grotius h. l. intelligendum existimat templum, ex quo idolcum fecerunt. Id et vetus Scholiastes graecus, cujus verba Latine affert Pradus: „*Lupanar ejus* templum vocat, quod idolis refertum esset; indignum enim erat, quod ipsius nominarctur locus.“ Verum tam hoc nomine (quod est collective capiendum, cf. supra Vs. 31.) quam eo, quod proxime sequitur, רָמוֹתַיִךְ, *excelsa tua*, vix dubium est significari fana et altaria deastris in excelsis exstructa, quae a Chaldaeis omnia vastantibus diruentur. Sic et Theodoretus: *Τὸ προτεῖόν σου, τουτέστι, τὰ τῶν δαιμόνων τεμένη.* וְהִפְשִׁיטוּ אוֹתָךְ בְּגָדַיִךְ *Exuentque te vestibus tuis.* „Templi ornatum, regni statum, et reliqua, quibus civitas illustrari solebat, vocat *vestimenta*.“ Polychronius apud Pradum. וְלָקְחוּ כְּלֵי תִפְאַרְתֵּךְ *Et rapient*, auferent (ut 1 Reg. 20, 6. infra 23, 26., ubi noster locus repetitur, 29) *vasa decoris tui* (Vs. 17.), quibus Grotius vasa templi intelligit, quae Chaldaei asportarunt, 2 Reg. 25, 13. Sed indicantur omnia omnino dona, quibus Deus rempublicam Israeliticam ornavit. De phrasi וְהִנַּחְתִּיךְ עֵירֹם וְעֶרְיָה vid. supra Vs. 7. et cf. infra 23, 29.

40. וְהֶעֱלוּ עָלַיִךְ קָהָל *Tandem vero ascendere facient super te coetum*, i. e. exercitum ingentem, metaphora a magna aquarum mole omnia inundantium desumta, vid. Jes. 8, 7. infra 26, 3. וְרָגְמוּ אוֹתָךְ בָּאֶבֶן וּבְתָקוּךְ בְּחַרְבוֹתָם *Et lapidabunt te* (infra 23, 47.) tanquam adulteram (cf. not. ad Vs. 38.) *et dissecabunt te* (cf. arab. בתק *secuit*) *gladiis*. Michaelis crudele supplicium *διχοτομίας*, s. corporis in frusta concisionis, Chaldaeis usitatum, cujus tum Dan. 2, 5. 3, 29. (בַּדְמִין תִּתְעַבְּדוּן *frusta fietis*), tum Matth. 24, 51. et Luc. 12, 46. fit mentio, h. l. indicari existimat. Sed alludunt potius haec ad obsidionem urbium et inprimis Hierosolymae. Solebant enim in obsidionibus balistis s. catapultis lapides jactari, arietibus muri perrumpi, obvii prosterni et gladiis lacerari. Chaldaeus בְּאַבְנֵי קָלַע exponit *lapidibus fundae.*

41. וְשָׂרְפוּ בָתַּיִךְ בָּאֵשׁ *Comburent domos tuas igne*, cf. 2 Reg. 25, 9., uti lex fieri praecipit in urbem idololatrarum Deut. 13, 16. 17. וְעָשׂוּ־בָךְ שְׁפָטִים *Exercebunt in te judicia*, variis te suppliciis afficient, ut supra 5, 10. 11, 9. לְעֵינֵי נָשִׁים רַבּוֹת *Ad oculos mulierum multarum*, adspicientibus gentibus multis. Chaldaeus: *ad oculos provinciarum multarum.* Theodoretus:

Non autem mulieres mulieres vocat, sed per translationem urbes ita nuncupat, quandoquidem ipsam quoque urbem mulieris instar in judicium adducit. Est igitur sensus: hostes tui, meique jam in te castiganda ministri, affligent et punient te, audientibus et stupentibus, et quasi coram spectantibus plurimis gentibus et civitatibus. וְהִשְׁבַּתִּיךְ מִזּוֹנָה *Sic cessare faciam te a scorto*, ut non sis amplius scortum, sed scortari desinas. Ita infra 34, 10. וְהִשְׁבַּתִּים מֵרְעוֹת צֹאן *faciam ut non amplius sint pastores.* וְגַם־אֶתְּנָן לֹא־תִתְּנִי־עוֹד *Ut etiam mercedem non des amplius.* THEODORETUS: *Spoliata enim tranquillitate tua, et captiva in servitutem abducta, non habebis amplius in posterum improbae illius largitionis occasiones, sed egestas tibi utilitatem conciliabit.*

42. Phrasis וַהֲנִחֹתִי חֲמָתִי בָךְ supra 5, 13. aderat, ad quem loc. vid. not. Illi quae ibi allata est interpretationi, addenda, et forsan praeferenda, alia, ex qua *quiescere* est *desinere*, aut omnino finem habere, ut sensus phraseos hic sit: acerbissimis suppliciis te afficiendo ita animum explebo, ut irasci desinat. Similis usus verbi הֵנִיחוּ Zach. 6, 8. הֵנִיחוּ אֶת־רוּחִי בְּאֶרֶץ צָפוֹן *quiescere fecerunt spiritum* i. e. furorem *meum in terra boreali*, i. e. tantum stragis in terra illa edidere, ut irae divinae vis omnis in ea deferbuisse videretur. וְסָרָה קִנְאָתִי מִמֵּךְ *Et recedet zelus meus* s. zelotypia mea (ut Jes. 11, 13. וְסָרָה קִנְאַת אֶפְרַיִם) *a te*, i. e. non amplius te pro uxore habebo (cf. Hos. 2, 4. *Contendite* cum ea, *nam illa non* amplius *uxor mea, nec ego maritus ejus*), sed contemnam, ac si esses extranea. וְשָׁקַטְתִּי וְלֹא אֶכְעַס עוֹד *Et quiescam, nec succensebo amplius* tibi, ut uxori. HIERONYMUS: „*Non irascar*, inquit, *amplius*, quam amare desii, quum sit quasi aliena, et quae a me recessit.“ LXX: *Οὐ μὴ μεριμνήσω οὐκέτι.* Quod THEODORETUS ita exponit: *a cura tui solutus et liber ero; non amplius enim me amatores tui ad zelotypiam adducent.*

43. יַעַן אֲשֶׁר לֹא־זָכַרְתְּ אֶת־יְמֵי נְעוּרַיִךְ *Quia non recordata es dierum juventutis tuae*, i. e. primae conditionis tuae et beneficentiae meae, de quibus supra Vs. 4. sqq. וַתִּרְגְּזִי־לִי בְּכָל־אֵלֶּה *Et commota es* s. *commovisti te mihi*, i. e. insolentem te gessisti erga me, *in omnibus illis* impiis factis. רָגַז est *commoveri*, speciatim *indignatione* et *ira*, vid. Gen. 45, 24. Prov. 29, 9., unde h. l. ita se gerere, uti solent ira commoti, i. e. ferociter et insolenter debacchari. Ita 2 Reg. 19, 27. *Novi* אֶת־הִתְרַגִּזְךָ אֵלָי *tuum debacchari adversus me*, et Vs. 28. יַעַן הִתְרַגִּזְךָ אֵלָי *quoniam tu in me debacchatus es.* LXX: *καὶ ἐλύπεις με.* Vulgatus: *et provocasti me.* Syrus et Chaldaeus: *et irritasti me.* Vides hos omnes transitive vertisse: *ad iram me provocasti omnibus istis* tuis sceleribus, sensu profecto perquam apto, modo Hiphil (וַתַּרְגִּזִי). in textu hebraeo exstaret. Sed Cal nusquam transitive usurpatur. וְגַם *Unde etiam*, justam talionem notat, ut

Vs. 52. et supra 9, 10. הֵא *Ecce!* Gen. 47, 23. Coccejo videtur triumphantis animum, gestum, vocem exprimere et repraesentare, *euge!* דַּרְכֵּךְ בְּרֹאשׁ נָתַתִּי *Viam tuam in caput tuum dabo*, puniam te pro ratione scelerum tuorum. „Sprevisti me, ego spernam te; dolorem mihi intulisti, et ego tibi inferam.“ Grotius. Eadem phrasis supra 9, 10. infra 22, 31. 2 Paral. 6, 23. Pro בְּרֹאשׁ habent codices nonnulli בְּרֹאשֵׁךְ, nec non LXX, Vulgatus, Syrus. Verba וְלֹא עָשִׂיתִי אֶת־הַזִּמָּה עַל כָּל־תּוֹעֲבֹתָיִךְ sunt qui vertant: *ut non faceres*, vel interrogative (ut וְלֹא Exod. 8, 22.), *nonne fecisti scelus istud super omnibus tuis flagitiis*, seu, praeter cetera tua flagitia? Sane phrasis עָשָׂה זִמָּה significat *perpetravit scelus*, vid. Jud. 20, 6. Et eodem significatu nomen illud et alias saepissime, et supra Vs. 27. usurpatur. Sed quodnam sit illud scelus, quod Israel praeter cetera sua flagitia perpetrarit, non liquet. Multo concinnior ille est sensus, quem Chaldaeus expressit, atque Jarchi quoque et Kimchi adoptarunt: *non enim fecisti cogitationem super omnibus tuis abominandis*, non iniisti consilium ut resipisceres. Etsi enim זִמָּה plerumque sensu malo dicitur, tantum Job. 17, 11. est vocabulum medium, vid. ad eum loc. not.

44. כָּל־הַמֹּשֵׁל עָלַיִךְ יִמְשֹׁל *Quicunque adagiis utitur* (18, 2.) *de te* jure *adagio uti potest.* Id subjicitur: כְּאִמָּהּ בִּתָּהּ *qualis mater, talis filia*, pessimae matris filia pessima. Chaldaeus: *qualia facta matris, talia filiae.* „Matrem vocat Cananaeos, et alias gentes, quae terram eandem ante tenuerant.“ Grotius. Cf. Vs. 3., unde interpretatio hujus loci petenda est, item ex Vs. seq. In כְּאִמָּהּ additum He, quum Mappik careat, mere esse paragogicum, et perinde esse ac si simpliciter כְּאֵם scriptum esset, monet Jarchi.

45. בַּת־אִמֵּךְ אַתְּ גֹּעֶלֶת אִישָׁהּ וּבָנֶיהָ *Filia matris tuae es*, i. e. similis ei ratione morum, *fastidientis*, rejicientis (cf. de verbo גָּעַל not. ad Job. 21, 10.) *maritum suum*, i. e. Deum, violavit fidem marito datam, scortando cum aliis, *et filios suos*, quos neci dedit in honorem deastrorum. וַאֲחוֹת אֲחוֹתֵךְ אַתְּ *Et soror sororis tuae* utriusque (quae Vs. seq. nominantur), *tu* es, ingenio similis es iis, quos attingis sanguine. אֲשֶׁר גָּעֲלוּ אֲנָשֵׁיהֶן וּבְנֵיהֶן *Quae fastidiverunt*, respuerunt *viros*, maritos *suos*, *et filios suos.* Ad reliqua hujus Vs. verba cf. not. ad Vs. 3.

46. וַאֲחוֹתֵךְ הַגְּדוֹלָה שֹׁמְרוֹן הִיא וּבְנוֹתֶיהָ *Soror autem tua major est Samaria. Sororem majorem* s. seniorem *Samariam* quidam, ut Grotius, dici existimant ideo, quod sanguine propior esset, alii, quod esset metropolis *decem* tribuum, quum *duae* tantum tribus essent in Juda, alii denique, quod Samaria prius descivisset a cultu Dei, quam Hierosolyma. Ita Hieronymus: „*Major* dicitur *Samaria*, quia prior peccavit, et ab Assyriis ducta est in captivitatem, et *minor* ac junior *Sodoma*, quae refertur ad

gentium turbam." THEODORETUS: *Seniorem sororem vocavit Samariam, non secundum tempus, sed secundum impietatis doctrinam (tempore enim Sodoma antiquior est), quia Samariae instituta prius aemulata est* [i. e. superstitiones impias, vid. Vs. 51.]; *deinde paulatim auxit facinora, ita ut etiam Sodomis assimilari potuerit* [depravatis moribus, et summa luxuria atque lascivia, vid. Vs. 49.]. *Juniorem vero sororem appellat Sodomam, ut quae posterius cognationem cum ipsa contraxerit. Impietatis enim communionem cognationem vocavit.* Sed vix dubium, *Samariam* dici *majorem* ob civium et civitatum numerum majorem. *Filiae* Samariae vero sunt urbes minores et villae ejus, ut supra Vs 27. Chaldaeus vocem וּבְנוֹתֶיהָ bis in hoc Versu occurrentem utraque vice וְכַפְרְנָהָא *et villas ejus* vertit. Ita et infra Vs. 48. 49. הַיּוֹשֶׁבֶת עַל־שְׂמֹאוֹלֵךְ *Quae habitat ad sinistram tuam*, i. e. ad aquilonem; cf. *Handb. d. bibl. Alterthumskunde* Vol. I. P. I. p. 139. וַאֲחוֹתֵךְ — וּבְנוֹתֶיהָ *Et soror tua, minor te* natu, *quae habitat ad dextram tuam*, i. e. austrum, est *Sodoma et filiae ejus*, oppida ditionis ejus. Significantur Ammonitae et Moabitae, ex incestuoso Lothi, incolae Sodomae, cum filiabus concubitu oriundi.

47. וְלֹא בְדַרְכֵיהֶן הָלַכְתְּ וְכִתּוֹעֲבוֹתֵיהֶן עָשִׂית *Nec* tamen *in viis* tantummodo *illarum ivisti et earum abominanda es imitata,* sed eas etiam sceleribus superasti, ut statim in fine versiculi addit, וַתַּשְׁחִתִי מֵהֶן *magis perdite vixisti quam illae.* Jarchi particulam לֹא h. l. *utinam* vertendum censet (pro לוּא 1 Sam. 14, 30., arabice et syriace *lau*), ut 1 Sam. 20, 14. וְלֹא אִם־אוֹדֶנִּי חָי *utinam tantisper, donec vixero!* et 2 Reg. 5, 17. וְלֹא יִתַּן־נָא לְעַבְדְּךָ *utinam detur servo tuo.* Ita sensus foret: *utinam in viis earum ambulavisses*, nec te magis, quam istae, abominabilem fecisses! Nec aliter h. l. Chaldaeus videtur accepisse, cujus haec est interpretatio: *si enim in viis eorum ambulasses, et juxta abominationes earum fecisses, tolerabile esset peccatum tuum.* Sed לֹא pro לוּ illis locis poni, perquam incertum, quum *negandi* significatus particulae לֹא proprius iis retineri possit. Unus De-Rossii codex a prima manu וְלֹא כִתּוֹעֲבוֹתֵיהֶן exhibet. „Sed in communi lectione subintelligi commode potest praecedens particula negativa, quam contextus requirit, et ab interpretibus in eorum versionibus exprimitur." DE-ROSSI. כִּמְעַט קָט *Quasi parum* illud esset, quod earum mores imitareris, *fastidium*, s. *fastidio* scil. לָךְ *tibi*, vel, si קָט pro tertia Praeteriti *Cal* capias, *taeduit te*, scil. sceleribus pares habuisse, exempla malitiae exsuperare etiam studuisti. A. SCHULTENS in *Animadverss. philologg.* ad h. l. nostrum קָט pro particula capi posse observat, quae congruat cum arabico قَطّ *duntaxat*, ut vertendum sit: *parum id duntaxat.* Ipse tamen non diffitetur, *taedendi* notionem facile admitti posse, si vertas: *parum id erat, pertaesum est;* vel, quum כִּמְעַט saepe ad tempus referatur, hoc pacto: *brevi pertaesum est.*

48. חַי־אֲנִי — וּבְנוֹתֶיהָ *Sic vivam, inquit Dominus Deus, ut non fecit tua soror Sodoma, una cum suis filiabus, qualia tu, una cum tuis filiabus fecisti.*

49. הִנֵּה־זֶה הָיָה עֲוֹן סְדֹם אֲחוֹתֵךְ *En! haec est impietas Sodomae, sororis tuae.* *Sodomae* nomine Grotius h. l. Ammonitas et Moabitas comprehendi putat, quod horum proprium vitium esset *superbia,* vid. Jes. 16, 6. Jerem. 48, 26. 49, 4. „Si enim, (inquit) de veteribus Sodomitis egisset, adjecisset nefarias libidines.“ Sed non fuit necesse illas nominatim producere, quippe quae luxuria et mollitie, quarum proxime fit mentio, comprehenduntur. Fons autem istorum scelerum erat גְּאוֹן *superbia*, animus elatus et insolens, leges omnes divinas humanasque contemnens. שִׂבְעַת־לֶחֶם *Saturitas panis*, i. e. victus copia, et rerum omnium deliciosarum abundantia, hancque sequutus luxus et intemperies. וְשַׁלְוַת הַשְׁקֵט הָיָה לָהּ וְלִבְנוֹתֶיהָ *Et tranquillitas otii* s. *quietis* (nomen formae חַרְבָּה 2 Sam. 1, 4. Nehem. 4, 4.) *fuit ei ejusque filiabus*, i. e. summa tranquillitas: significat, eos in prosperitate et felicitate omnium rerum securos et otiosos fuisse. וְיַד־עָנִי וְאֶבְיוֹן לֹא הֶחֱזִיקָה *Et manum miseri et egeni non apprehendit*, s. *confirmavit*, non subvenit inopiae pauperum; cf. Levit. 25, 35.

50. וַתִּגְבַּהְנָה *Unde elatae sunt factae*, ita idem verbum infra 28, 2. 5. 17. Jes. 3, 16. Jerem. 13, 15. Intumuerunt rebus secundis. וָאָסִיר אֶתְהֶן *Et removi eas* a conspectu meo, pluviam igneam iis immittendo, Gen. 19, 24. 25. Chaldaeus: *et transmigrare feci eos.* כַּאֲשֶׁר רָאִיתִי *Cum vidi* flagitia eorum, excidio digna; alludit ad Gen. 18, 21. Vulgatus: *sicut vidisti*, quasi כַּאֲשֶׁר רָאִית legisset, quod ipsum in codice Kennicotti 226. reperitur. Duo alii Kennicottiani כַּאֲשֶׁר עָשִׂיתִי *sicut feci.*

51. וְשֹׁמְרוֹן כַּחֲצִי חַטֹּאתַיִךְ לֹא חָטְאָה *Samaria vero*, i. e. decem tribus, *ne dimidium quidem* (cf. similem exaggerationem 2 Paral. 9, 6.) *peccavit* comparatione Hierosolymae, quod quanam ratione intelligi debeat, explanat THEODORETUS: *Hanc comparationem facit non secundum solam peccati, sed secundum curationis qualitatem. Nam tametsi peccasset, et infinita facinora ausa esset Samaria, tamen procul aberat a Dei templo, et vel aliquam certe habebat veniam, cum et sub alius regis imperio degeret, et in sacro Dei templo legitima perficere nequiret. Tu vero et legem habens, et sacerdotes, et prophetas, et sacrum Dei templum legitimumque cultum, illarum impietatem consectata es.* Adde, quod Samaria idola quidem coluit, sed in fano profano; Hierosolyma vero ipsum templum Jovae dicatum, sanctissimum, sordibus idolorum contaminavit. וַתַּרְבִּי אֶת־תּוֹעֲבוֹתַיִךְ מֵהֶנָּה *Sed multiplicasti abominationes tuas prae illis*, i. e. Samaria et filiis, i. e. urbibus suis, Vs. 46. Vulgatus: *sed vicisti eas sceleribus tuis.* Pro מֵהֶנָּה eorum codicum, quibus Hubigantius usus est, unus, a Kennicotto numero 356 signatus, exhibet

מִמֶּנָּה *prae illa*, quocum consentit alius quidam De-Rossii codex. „Scriptio melior, inquit Hubigantius, quia supra nominata est Samaria una, non ceterae urbes.“ וַתְּצַדְּקִי אֶת־אֲחוֹתַיִךְ בְּכָל־ תּוֹעֲבוֹתַיִךְ אֲשֶׁר עָשִׂית *Justificasti sorores tuas flagitiis a te perpetratis*, i. e. comparatione tui fecisti eas probas videri. Pro אֶת־אֲחוֹתַיִךְ plures codices exhibent אֲחוֹתֵךְ *sororem tuam.*

52. גַּם־אַתְּ שְׂאִי כְלִמָּתֵךְ Ergo *etiam tu* (vid. Vs. 43.) *sustine confusionem tuam*, volo feras poenam cum ignominia conjunctam. אֲשֶׁר פִּלַּלְתְּ לַאֲחוֹתֵךְ *Quam adjudicasti sorori tuae*, dicendo, Sodomam et decem tribus juste punitas esse. Verbum פִּלֵּל, quod alias (ut Gen. 48, 11. Ps. 106, 30.) *judicare* significat, h. l. *condemnare*, alios juste mulctatos judicare, notare apparet. LXX: Ἐν ᾗ ἔφθειρας τὰς ἀδελφάς σου ἐν ταῖς ἁμαρτίαις σου. Quasi חִבַּלְתְּ legissent. Vulgatus: *quae vicisti sorores tuas peccatis tuis.* Chaldaeus: *quae deprecata es sorores tuas peccatis tuis.* Qui omnes legerunt in plurali לַאֲחוֹתַיִךְ, quod in uno codice Kennicottiano et in alio quodam Rossiano reperitur. בְּחַטֹּאתַיִךְ אֲשֶׁר הִתְעַבְתְּ מֵהֵן הִצְדַּקְנָה מִמֵּךְ *Peccatis tuis, quibus te, magis quam illae, abominabilem reddidisti, justiores sunt prae te*, id effecisti, ut illae te justiores appareant. Cf. Vs. 51. בְּצַדְּקֹתֵךְ אֲחָיוֹתַיִךְ *Pro eo quod justificasti sorores tuas.* Infinitivus Piel cum *He* paragogico in *Thau* ob suffixum mutato, ut וּבְקָרְבָתָם *et in appropinquando eos.* Exod. 40, 32. Pro בְּצַדְּקֹתֵךְ habet בְּצַדֵּקֵךְ forma Infinit. regulari codex unus De-Rossii a prima manu. Pro אֲחָיוֹתַיִךְ exhibent אֲחוֹתַיִךְ cum suffixo regulari plurali duo codices Kennicotti, alius quidam De-Rossii a prima manu, et alius ex emendatione. Alius אֲחוֹתֵךְ, et alius אֲחוֹתֵךְ a prima manu.

53. וְשַׁבְתִּי אֶת־שְׁבוּתָהֶן אֶת־שְׁבוּת סְדֹם וּבְנוֹתֶיהָ *Et reducam captivitatem earum, Sodomae* videlicet *et filiarum ejus.* Phrasis שׁוּב שְׁבוּת saepius in V. T. legitur de *reductione captivorum in terram patriam*, vid. infra 29, 14. Jer. 30, 3. 48, 47. Amos. 9, 14. Joel. 4, 1. Sed h. l. difficultatem creat, quod *Sodomitae*, igne coelesti consumti, *reducendi* dicuntur. Hinc quidam per Sodomam intelligunt duas tribus cum dimidia, trans Jordanem in Gilead et Basan habitantes, tum ob parem soli felicitatem, tum etiam ob morum et vitiorum similitudinem illo nomine nuncupatas. Alii totam pentapolin cum pagis suis, et praeterea vicinos *Ammonitas* et *Moabitas*, origine Sodomitas, intelligunt. Ita Grotius: „Redibitis quidem aliquando, sed et vobiscum redibunt Ammonitae et Moabitae, et quidem ex decem tribubus, quotquot se correxerint. Vid. Jerem. 48, 47. et 49, 30.“ Alii intelligunt *gentes Sodomitarum similes*, coll. Deut. 30, 32. Jes. 1, 10. Jerem. 23, 14. Apoc. 11, 8., posita una exterorum civitate impiissima pro omnibus, et facto ita transitu a Sodoma illa ad aliam. Sed quum *Samaria* et *Hierosolyma* proprie sint intelligendae, idem et de Sodoma statuendum videtur. Planus tamen

tibi fiet hic locus, si memineris, שְׁבוּת non solum *captivitatem* notare, sed de omni *miseria* et *damno* usurpari, ut Job. 42, 10. שָׁב אֶת־שְׁבוּת אִיּוֹב *reduxit captivitatem Jobi*, restituit eum in integrum, ad quem loc. vid. not. Deut. 30, 3. וְשָׁב יְהוָה אֱלֹהֶיךָ אֶת־שְׁבוּתְךָ *reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam*, jacturas, damna, reparabit, resarciet. Jam quoniam Ezechiel de Samariae et Hierosolymae captivis loquitur, etiam de Sodoma, quam cum illis conjungit (cf. Vs. 46.), ea phrasi utitur, quamvis Sodomitae non fuerint captivi. Quod autem h. l. Deus dicit se restiturum Sodomam in pristinum statum (cf. Vs. 55.), explicandum est ex opinione illa, omnibus fere antiquitatis populis communi, de rerum omnium ἀποκαταστάσει, revolventibus sese et redituris aetatibus. Qua de re Servius ad Virgilii *Eclog.* 4. (quae et ipsa tota ad istam sententiam est intelligenda) ad Vs. 4.: *Dixit etiam finitis omnibus seculis rursus eadem renovari; quam rem etiam philosophi hac disputatione colligunt, completo magno anno omnia sidera in suos ortus redire, et referri rursus eodem modo. Quod si est idem siderum motus, necesse est, ut omnia, quae fuerunt, habeant iterationem; universa enim ex astrorum motu pendere manifestum est. Hoc sequutus Virgilius, dixit aurea secula reverti, et iterari omnia, quae fuerunt.* Alter erit Tiphys [Vs. 34.]. *Videtur hic locus dictus κατ' ἀποκατάστασιν, id est, per omnium rerum volubilitatem ex siderum ratione venientem, ut diximus supra.* Inde enata opinio de mille annorum regno, in quo Judaei Hieronymi aetate, ut ipse in Commentario ad Vs. 55. refert, somniarunt, „Sodomam esse restituendam in antiquum statum, ita ut sit quasi paradisus Dei, et quasi terra Aegypti, et Samariam pristinam recipere felicitatem, ut de Assyriis revertantur in terram Judaeam. Jerusalem quoque tunc esse fabricandam, et omnes filias ejus, urbes videlicet, et castella, quae sub ipsius sint potestate, florituras ut prius floruerunt, et ipsam Jerusalem auro et argento, et pretiosis lapidibus exstruendam, de qua et Jesajas vaticinetur (1, 26.): *Constituam judices tuos sicut prius, et consiliarios tuos sicut a principio, et post haec vocaberis civitas justitiae, mater civitatum, fidelis Sion.*“ Persarum quoque veterum erat opinio, absoluta 12000 annorum periodo rerum omnium reditum fore, hominum etiam, qui singuli quae vel recte vel prave ab ipsis olim facta fuerunt, tunc sint visuri. Vid. J. F. Kleuker *Anhang zum Zendavesta*, Vol. I. P. I. p. 282. De veterum Aegyptiorum ἀποκαταστάσει vid. Marsham *Can. Chron.* p. 9. Rationes vero astronomicas, quibus omnia ista opinio nititur, omnium diligentissime excussit Dupuis in *Dissertation sur les grands Cycles et sur les catastrophes, qui les terminoient*, in opere quod inscripsit *Origine de tous les Cultes*, T. V. p. 453. seqq. Ceterum nostri versiculi sensum bene expressit Hieronymus: „Quoniam comparatione scelerum ejus [Hierosolymae] justificata

est Sodoma et Samaria, quarum altera a dextris, altera a sinistris est; primum restituitur captivitas Sodomae, secundo captivitas Samariae, et *novissima* restituetur *Jerusalem*, quae majore fuerat iniquitate depressa, et peccatrices sorores comparatione sui justas esse monstraverat." Cf. Rom. 11, 25. בְּתוֹכְהֶן pro בְּתוֹכָתָן *in medio illarum*, *inter illas*, cum *He epenthetico*, ut לָכֶהָנָה pro לָכֶן 1 Reg. 7, 37. Vel potius est integrum pronomen, unde ortum suffixum alias contractum.

54. Equidem, inquit Jova, hanc sententiam in te pronuntiavi, לְמַעַן הִשָּׂאֵי כְלִמָּתֵךְ *ut portares ignominiam tuam*, וְנִכְלַמְתְּ, atque ita *pudore* vel ignominia *suffundereris*, ut infra Vs. 61. Jerem. 22, 22. 31, 19. מִכֹּל אֲשֶׁר עָשִׂית *Ob omnia* illa flagitia, *quae fecisti.* בְּנַחֲמֵךְ אֹתָן *Dum* s. *eo quod solatio eis eras*, ut quasi laetarentur, quod te invenirent semet ipsis pejorem. Cf. 14, 23. Alii in futuro: *dum consolatura sis eas*, sc. ignominia, qua afficieris. Ita HIERONYMUS: „Ut Jerusalem, sororibus ante conversis et restitutis in pristinum statum, portet ignominiam suam, et confundatur, et erubescat super his, quae peccaverat, et in omnibus consoletur sorores suas, dum graviora sustinet." Et JARCHI: „Quando super te veniet malum, illae (sorores tuae) solatium capient, dicendo: non punitae nos solae sumus." Nimirum juxta illud: *Solamen miseris socios habuisse malorum.*

55. אֲחוֹתַיִךְ סְדֹם וּבְנוֹתֶיהָ תָּשֹׁבְנָה לְקַדְמָתָן *Attamen sorores tuae, Sodoma et filiae ejus, redibunt ad priora sua*, ad pristinum statum suum; vid. Vs. 53.

56. וְלוֹא הָיְתָה סְדֹם אֲחוֹתֵךְ לְשִׁמוּעָה בְּפִיךְ בְּיוֹם גְּאוֹנֵךְ *Nec fuit Sodoma, soror tua, in auditum,* i. e. in sermonem (quod is auribus percipitur, ut Jes. 28, 9. 53, 1.) *in ore tuo, in die superbiarum tuarum,* quod quidam ita intelligunt: non cogitabas aut loquebare de exemplo poenarum ipsius; non es recordata peccata et poenas Sodomae, ut de metu supplicii a scelcribus revocares. Sic et HIERONYMUS: „in diebus superbiae tuae, quando peccabas, non es recordata Sodomae sororis tuae." Sed dictione hebraica, *rem aliquam in ore alicujus sermonem esse*, id potius significari videtur, *rei alicujus nomen ore usurpare,* aut illius mentionem facere, ut hic sit sensus: tempore, quo degebas in summo otio ac tranquillitate, ob quae superbiebas admodum, non dignabaris vel ore usurpare nomen Sodomae, quod tu temet ipsam justiorem haberes. In hunc sensum GROTIUS: „Adeo despectui habuisti Ammonitas et Moabitas, de suis locis expulsos, ut ne dignos quidem arbitrareris, quos nominares."

57. בְּטֶרֶם תִּגָּלֶה רָעָתֵךְ *Antequam revelaretur malitia tua*, i. e. antequam malitiae tuae poena appareret. Eadem phrasis, sensu tamen paulo diverso infra 21, 29. Prov. 26, 26. כְּעֵת תֶּחֱרַפְתְּ בְּנוֹת־אֲרָם *Sicut* patefacta est *tempore opprobrii filiarum Syriae*, i. e. quo te affecerunt Syri, active accipiendum, ut infra

36, 15. Ps. 39, 9. Alludit ad irruptiones Syrorum, Ahaso regnante, de quibus 2 Reg. 15, 37. coll. Jes. 11, 11. 2 Reg. 16, 6. coll. 2 Paral. 28, 5. Sunt, qui particula כְּמוֹ h. l. *tempus* notari putent, ut Latino *quum*, sicut Gen. 19, 15. וּכְמוֹ הַשַּׁחַר עָלָה *et quum aurora adscenderet.* Ita hic Versus πρότασιν, proximus ἀπόδοσιν efficiet, hoc modo: quum autem tempus esset, quo te Syri ac Philisthaei et reliqui vicini opprobrio affecerunt, scelerum tuorum flagitiorumque poenas luisti. Vel potest hoc Versu solo sententia absolvi: antequam revelaretur malitia tua, quum scilicet tempus esset, quo te Syri etc. opprobrio affecerunt. Grotius, עַת pro עַתָּה *nunc* accepto, sensum facit hunc: quod nunc ita fiet [ut videlicet tua poena omnibus patefiat], ut sicut tu sprevisti Ammonitas et Moabitas, ita te despectui sint habituri tam Syri, quam Philisthini, qui sunt plane ἀλλόφυλοι. Syrus: *quale erat probrum filiorum Edom.* Legit אֱדֹם, quod ipsum hodienum in pluribus codicibus a Kennicotto et De-Rossio enumeratis reperitur וְכָל־סְבִיבוֹתֶיהָ בְּנוֹת פְּלִשְׁתִּים *Omniumque quae circa eam*, Hierosolymam, *fuerunt*, *filiarum Philisthaeorum* (vid. Vs. 27.). De impressionibus a Philisthaeis regnante Ahaso in tractum meridionalem Judaeae factis vid. 2 Paral. 28, 18. הַשָּׂאטוֹת *Spernentium*, a שָׂאַט verbo irregulari, origine Chaldaico, nam שָׂט Chaldaeis usurpatur pro Hebraeo בָּזָה *sprevit*, *contemsit*, Ps. 15, 4. et Gen. 25, 34., in utroque Targum, Onkelosi et Jonathanis. Habet א epentheticum, ut distinguatur a שׂוּט *discurrere*, *percurrere*, Num. 11, 8. Job. 1, 7., quasi א sit loco mediae quiescentis ו, more Aramaeorum, apud quos media radicalis Vav in Participio Benoni Cal in א mutatur, sic et in Hebraeo רַאמוֹת *excelsae*, pro רָמוֹת, Prov. 24, 7., nec non in Praeterito, ut וְקָאַם *et exsurget*, Hos. 10, 14., וְרָאַמָּה *et exaltabitur*, Zach. 14, 10. Alii nostram vocem a שׂוֹט *flagellum, scutica*, interpretantur *flagellantium;* alii: *quae discurrunt,* i. e. grassantur, depopulantur. Sed de *contemtu,* cum *fastu* et *insolentia* conjuncto, nomen שָׂאַט manifeste dicitur infra apud Nostrum 36, 5., cf. 25, 6. 15. 28, 24. 25.

58. אֶת־זִמָּתֵךְ וְאֶת־תּוֹעֲבוֹתַיִךְ Grotio est ἓν διὰ δυοῖν, *scelus tuum et ignominiam*, pro, portatis *ignominiam*, *quae est sceleris poena.* Sed תּוֹעֵבוֹת non tam *ignominiam,* quam potius *abominanda*, *flagitia* notare constat. *Portare peccata* s. *scelera sua* est luere poenas suis peccatis promeritas, vid. Levit. 24, 15. Num. 14, 34., infra 18, 20. In נְשָׂאתִים, quod alii *portasti ea*, alii per futurum *portabis ea* vertunt, redundat pronomen. Illud autem non esse primam personam, sed secundam feminini, scil. נְשָׂאתִי cum Jod otiante, forma Syrissante, ut supra Vs. 19. וַתִּתְּנִי *et dedisti illud,* arguit contextus.

59. וְעָשִׂיתִי אוֹתָךְ כַּאֲשֶׁר עָשִׂית *Utique faciam tecum* (cf. אֶעֱשֶׂה אוֹתָם 7, 27.) justa talione, *secundum id quod tu fecisti.* עָשִׂית prima persona, deficiente Jod, ut בָּנִית *aedificavi*, 2 Reg. 8, 48.,

יָדַעְתָּ *novi*, Ps. 140, 13. Job. 42, 2. Hillerus *de Keri et Kethib* p. 386. pro secunda persona habet, et locum hoc modo vertit: *et comparasti te secundum id, quod patrasti*, i. e. facinoribus tuis ipsa tibi calamitatem creasti. Sententia parum concinna. Magis sunt probandi, qui hunc Vs. sic interpretantur, ut sequenti Versui jungatur: *ego quidem agerem tecum, sicut tu fecisti* etc. *Sed recordabor* etc. Verba וְאַתְּפָרַע מִנַּיִךְ וְעָשִׂיתִי אוֹתָךְ Chaldaeus *et vindictam a te sumam* reddidit. אֲשֶׁר־בָּזִית אָלָה *Quae contemsisti*, susque deque habuisti *jusjurandum* (eadem phrasis infra 17, 16. 18. 19.), quo te devovisti paciscens cum Deo, vid. Deut. 29, 11. 12. אָלָה propr. est *jusjurandum* addita imprecatione mali, quod in perjurum cadat, quale Deut. 27, 15. sqq. לְהָפֵר בְּרִית *Irritum faciendo foedus*, quod tecum pepigi, supra Vs. 8.

60. וְזָכַרְתִּי אֲנִי אֶת־בְּרִיתִי אוֹתָךְ *Attamen recordabor foederis mei tecum* iniri, certis documentis ostensurus, me ejus non oblitum esse, uti promissum Levit. 26, 42. בִּימֵי נְעוּרַיִךְ *In diebus juventutis tuae*, i. e. foederis cum Abrahamo iniri, Gen. 15, 17. 17, 7. sqq., et sub Mose instaurati, Exod. 19, 5. 24, 6. sqq. Chaldaeus: *in diebus antiquitatis.* וַהֲקִימוֹתִי לָךְ בְּרִית עוֹלָם *Erigamque tecum foedus aeternum*, numquam abolendum; innuit restitutionem reipublicae Israeliticae ejusque amplificationem aliarum gentium, Jovae cultui sese addicentium, accessu (Vs. 61.), sub magno aliquo rege e gente Davidica oriundo, futuram, quam et noster disertius infra 37, 26., et alii vates, ut Jes. 50, 3. et Jer. 31, 31. 32, 40., eodem *foederis aeternum staturi* nomine praenuntiant. Quod autem populi Israelitici cum Deo necessitudo *foedus* nuncupatur, ratio haec est, quod quemadmodum duae diversae partes conveniunt, et inter se certis conditionibus et pactis foedus ineunt, quibus utraque sese alteri obligat; ita Deus Israelitis promisit, se velle esse eorum Deum, ipsisque propitium, et illi vicissim Deo, quod eum solum pro suo Deo velint agnoscere et colere atque ab eo solo omnia bona petere et exspectare velint. Quod foedus quum superioribus temporibus ab Israelitis saepius fuisset violatum; Deus eo crimine offensus sese a populo foedifrago avertit, cumque barbarorum libidini ac potestati permisit. Nec tamen, qua est mansuetudine et clementia summa, in perpetuum illum repudiare voluit; sed cum populo serio resipiscente (Vs. 61.) novo seculo veterem pactionem ita sese renovaturum promittit, ut et firmioribus quam antea, et nullo unquam tempore rumpendis amicitiae et conjunctionis vinculis illum sibi sit adstricturus.

61. וְזָכַרְתְּ *Cum tu recordata fueris*, Vs. 63. 20, 43. אֶת־דְּרָכַיִךְ *Viarum tuarum*, ante actae impiae vitae, Vs. 47. LXX: *Τὴν ὁδόν σου*, i. e. אֶת־דַּרְכֵּךְ. Ceteri omnes exprimunt pluralem. וְנִכְלַמְתְּ *Et pudefies*, poenitura, pudebit te tui tuorumque morum antiquorum, vid. Vs. 54. De quali moerore ac pudore 2 Cor. 7, 9. 10. בְּקַחְתֵּךְ אֶת־אֲחוֹתַיִךְ וגו׳ *Cum accipias sorores tuas te majores ad minores te*, in pristinum regnum restituta gremio tuo excipies

nationes gentium plurimarum, quae quum Jovae cultui sese sint addicturae, venient in communionem foederis, a Jova tecum initi. Jarchius hoc de subigendis nationibus finitimis intelligit. Nec multo aliter GROTIUS: „Faciam, ut tibi parcant, sicut filiae matri. Nam et Ammonitides et Moabitides multa Judaei sua armis fecerunt, ut alibi observavimus ex Josepho *Antiqq.* 12, 8. et ex 1 Macc. 5. Et Samaria ipsis donata est, Jeseph. 13, 5." Nil sane talibus interpretationibus cogitari potest jejunius, atque indignius vatum sacrorum granditate. Aevo isto tranquillo ac fortunato, quod vatis nostri animo obversatur, nationes exterae ad templum Jovanum sponte undique confluent, atque ita populo Israelitico sese adjungent. Vid. Jes. 2, 1—4. Jer. 3, 17. Ceterum per *sorores majores* (הַגְּדֹלוֹת מִמֵּךְ) et *minores* (הַקְּטַנּוֹת מִמֵּךְ) non *Samaria* solum et *Sodoma* (vid. Vs. 46.), verum omnes omnino gentes tam majores quam minores, ad communionem ejusdem gratiae adducendas, esse intelligendas, numerus arguit pluralis. Ad rem cf. Jes. 54, 1. sqq. Particula אֶל h. l., ut alias עַל, *una cum*, *praeter*, ut infra 48, 20., valet. Quod autem nationes illas populi Israelitici *filias* reddendas ait (וְנָתַתִּי אֶתְהֶן לָךְ לִבְנוֹת), Hierosolymam innuit futuram esse metropolin et novi regni caput, nam בָּנוֹת eodem, quo supra Vs. 27. et 46. aderat, significatu est capiendum, de ceteris, praeter metropolin, urbibus. וְלֹא מִבְּרִיתֵךְ *Non vero ex foedere tuo*, i. e., ut recte Grotius, non quod tu ex tua parte pacto steteris. Ita Chaldaeus: *et tu non fecisti legem.* JARCHI: „Non propterea, quod tu servasti foedus, quod ego tecum pepigeram, sed propter benignitatem et misericordiam meam, qua ego servo foedus meum."

62. וַהֲקִימֹתִי אֲנִי אֶת־בְּרִיתִי אִתָּךְ *Erigamque ego foedus meum tecum* sc. denuo, ideo novabo foedus, quia foederi non stetisti. וְיָדַעַתְּ כִּי־אֲנִי יְהוָה *Et scies*, experieris, *quod ego sim Jova*, cf. Jes. 49, 23., ubi similibus plane promissionibus additur: *Ut scies, me Jovam esse, quem sperantes non frustrentur*, et 60, 16. *Sciesque, me Jovam esse, servatorem vindicemque tuum, Jacobaeorum numen.*

63. לְמַעַן תִּזְכְּרִי וְבוֹשְׁתְּ *Ita ut recorderis* sc. דַּרְכֵּךְ *viae tuae*, ut Jarchi subaudit, *et pudefias* (Vs. 61.), videns tam multa beneficia conferri in te, quae ingrata fueras, et iram potius quam benignitatem Dei provocaveras. וְלֹא יִהְיֶה־לָּךְ עוֹד פְּתִחוֹן פֶּה *Nec sit tibi amplius apertio oris* (ut infra 19, 21.), ut ultra non habeas, quo vel juste de me conqueri, vel te excusare possis. מִפְּנֵי כְלִמָּתֵךְ *Prae ignominia tua*, ut agnoscas perpetuo, quanta peccaveris, et te eorum pudeat. בְּכַפְּרִי־לָךְ לְכֹל־אֲשֶׁר עָשִׂית *Cum expiavero* et ignovero *tibi omne*, s. *juxta omne, quod fecisti*, cum novum foedus ineundo ostendam me illa tam gravia et magna condonare. JARCHI: „Cum condonavero tibi ea, quae perpetrasti, tunc erubesces, et cognosces, quod non propter merita tua ego tibi benefecerim."

XII.

CAP. 17.

Argumentum.

Parabola vitis ab aquila plantatae seduloque cultae, mox vero, quod spem falleret, exstirpatae (Vs. 1—10.), qua regis Judaeorum, a Babylonio, quocum foedus saneiverat, deseiseentis describitur perfidia, morte ignominiosa ipsi luenda (Vs. 11—21.). Subjieitur tamen promissio de magno regc, ex ipsa hac domo regia jam prope exstincta, aliquando oriundo, amplissime et gloriosissime regnaturo (Vs. 22—24.). Hoc vatieinium post expugnatam Hierosolymam a Chaldaeis, id est, anno captivitatis Jeehoniae *undecimo*, editum esse patet e Versu 12. sqq.

2. חוד חִידָה *Aenigmatice loquere aenigma*, quae ipsa phrasis praeter hunc locum ter legitur, et solo quidem C. 14. libri Judicum Vs. 12. 13. 16., ubi de aenigmate, quod Simson proposuit, dicitur. חִידָה, quod proprie quemvis *sermonem obscurum* et *involutum* signifieat (vid. not. ad Ps. 49, 5.), h. l. de *parabola*, quae hoc Capite continetur, usurpatur, eademque addito nomine מָשָׁל, *comparatio*, *oratio figurata* (ut supra 21, 5.) indieatur. Particula אֶל h. l. designat *objectum*, uti loquuntur, ad quod referenda sit quae sequitur parabola, adeoque valet *de*, ut infra 19, 1. 4. saepius. *Domo Israelis* (בֵּית יִשְׂרָאֵל) autem speciatim *domus regia* intelligenda, ad quod potissimum tota parabola spectat.

3. הַנֶּשֶׁר הַגָּדוֹל *Aquila magna*, de qua hoc Versu et proximis usque ad Vs. 6. signifieari regem Babyloniae, Nebucadnezarem, discrte dicitur infra Vs. 12. Qua eadem imagine idem ille rex Jer. 48, 40. 49, 22. proponitur. Ratio similitudinis est in promtu, quod videlicet aquila rex avium habetur, quum reliquis volucribus robore et pernieitate antecellat, aeri sit visu, animo intrepido, et toto habitu corporis regiam quandam prae se ferat majestatem; unde apud plures populos regiae dignitatis symbolum erat. Neque vero est absimile, priscos Assyriae reges aquilam auream pro regali signo habuisse, atque eo alludi, quoties aquilarum nomine illi designantur. Xenophon *Cyropaed.*

L. VII. C. 1. de Cyro: Ἦν δ' αὐτῷ τὸ σημεῖον ἀετὸς χρυσοῦς ἐπὶ δόρατος μακροῦ ἀνατεταμένος, καὶ νῦν δὲ ἔτι τοῦτο τὸ σημεῖον τῷ Περσῶν βασιλεῖ διαμένει. *Erat autem signum aquila aurea longo in conto extensa. Et hodieque signum hoc Persarum rex adhuc retinet.* גְּדוֹל הַכְּנָפַיִם *Magna alis*, i. e. magnos habens exercitus, qui saepius *alarum* imagine sistuntur, vid. Jes. 8, 8. Jer. 48, 40., et cf. not. supra ad 12, 14. Magnas vero alas habet aquila, easque inter volandum quam latissime extendit, quibus et rapidissime fertur summoque cum impetu. אֶרֶךְ הָאֵבָר *Longa pennis* alarum. אֶרֶךְ alias cum אַפַּיִם vel רוּחַ conjungitur, et de *longanimo* usurpatur, vid. Exod. 34, 6. Cohel. 7, 8., hic vero cum אֵבֶר, quod aliqui significatione Chaldaici אִבְרָא, *membrum* accipiunt (ut inter veteres interpretes Vulgatus et Chaldaeus, quorum hic אֲרִיךְ אִבְרִין *longa membris*, ille *longo membrorum ductu* reddidit), quod alarum mentio proxime praecesserit. Sed non solum masculinum אֵבֶר duobus reliquis, quibus in V. T. occurrit, locis (Jes. 40, 31. Ps. 55, 7.), verum et femininum אֶבְרָה (Deut. 32, 11. Ps. 68, 14. 91, 4. Job. 39, 16.) manifeste de *pennis* avium, non de *membris*, usurpatur. Inter כָּנָף, אֵבֶר et נוֹצָה haec differentia est, quod primum *alas*, secundum *pennas majores*, remiges avium *(die Schwingen)*, quas expandunt, et in quibus earundem *robur* consistit (unde forsan nomen sortitae sunt), et נוֹצָה *plumam (das Gefieder)* significat. Ceterum pennarum longitudine alii, ut Grotius, innui existimant, Nebucadnezarem late imperasse, alii, illum celerrime a Babylone in Occidentem volasse, ut ostendat propheta, quantum praestiterit Aegyptio (de quo Vs. 7.) Babylonius. מְלֵאָה הַנּוֹצָה *Plena plumis*, ad defensionem ab injuriis supervenientibus, ut *glabrae* Mich. 1, 16., opponatur. In ingressu veris enim aves rapaces plumarum defluvio sunt obnoxiae, vid. Bochartum l. c. p. 744. Aquila autem plena plumis vegetior est et robustior, quam defluvium earum passa. *Plumis* quidam intelligunt immensas opes; sed videtur potius ingens copiarum vis innui. אֲשֶׁר־לוֹ הָרִקְמָה *Cui erat acupictura* (cf. not. ad 16, 10.). Kimchi: „Cujus pennae sunt diversorum colorum, ad instar pennarum pavonis.“ Qua pennarum varietate aliqui dignitatem et majestatem regni designari existimant. Rectius alii exercitus Babylonii ex variis lingua et habitu populis collectos indicari censent. Bochartus l. c. p. 749. describi putat aquilam ἀστερίαν, s. stellarem, auri fulgore et maculis adspersis insignem, quae ipsa aquilarum maxima est; cf. not. nostr. ibid. בָּא אֶל־הַלְּבָנוֹן *Venit ad Libanum.* Eo h. l. aliqui intelligunt templum, ex cedris Libani exstructum, 2 Paral. 2, 8. 15. Ita Hieronymus: „Iste (Nabuchodonosor) multis imperans nationibus et innumerabili vallatus exercitu, venit super domum Dei, haud dubium quin Templum significet, sive, ut nunc Scriptura dicit, ad Libanum, de quo loquitur Zacharias (11, 1. 2.): *Aperi, Libane, portas tuas, et comedat ignis cedros tuas,*

Ulula abies, quia cecidit cedrus, quoniam magnifici vastati sunt. Et crebro Templum, quod erat inclytum atque sublime, in Scripturis Sanctis Libanus appellatur." Alii, ut Grotius, et *templum* et *Hierosolymam*, s. *Zionem* intelligunt, quod ferme tota aeque ex cedris Libani constaret; unde, quia *cedris*, a quibus sumere meditabatur parabolam, abundabat Libanus, pro *Hierosolymis* vel *Zione* Libanum dixerit. Sed videtur potius utraque sententia ita conjungenda, ut tota *terra Judaea* intelligatur, cujus insigne decus erat Libanus, ejusque terminus, per quem a Babylonia in Judaeam venitur. Persistit propheta in metaphora aquilae, quae in montibus versari solet. וַיִּקַּח אֶת־צַמֶּרֶת הָאֶרֶז *Sumsitque verticem cedri.* Nomen צַמֶּרֶת, apud Nostrum tantummodo, et quidem quater, praeter hunc locum (infra Vs. 22. et 31, 3. 10. 14.) obvium, Jarchi idem notare ait, quod italicum et gallicum *cima*, *cime*, i. e. vertex arboris, qui *turio* Columellae, Lib. 20, 49. Turiones autem vocantur teneritates summitatum arborum. Nec sane צַמֶּרֶת differre videtur a רֹאשׁ יְנִיקוֹתָיו Vs. sq. Volunt vel a צֶמֶר, *lana*, dictum esse, q. d. *languinosum*, vel a זָמַר (ז et צ permutatis), *amputavit*, quod summi rami ad insitionem amputari soleant. Sed videtur potius ad צמר arab. *gracilis fuit* referendum. Cedrorum majorum summitates constant ramis gracilibus comatis; vid. *Handb. d. bibl. Alterthumsk.* Vol. IV. P. I. p. 240. Ceterum non dubium est, hac similitudine regem Jechoniam, quem rex Babylonius cum universa stirpe regia et proceribus populi abduxit, intelligi, vid. 2 Reg. 24, 14. sqq.

4. Declaratur uberius, quod Versu praecedente dictum: אֶת רֹאשׁ יְנִיקוֹתָיו קָטַף *caput*, inquam, s. *summitatem tenerorum ramorum* s. surculorum *ejus decerpsit*, quod JARCHI exponit: magnitudinem et regnum Jojakimi depressit. Rectius Kimchi regem ipsum captivum abductum significari observat, qui tenero surculo, sive ramo, assimilatur ob juvenilem aetatem, adolescens enim octodecim annorum fuit, quando (solus) regnare cepit, 2 Reg. 24, 8. Nomen יְנִיקוֹת, quod hic solum legitur, significatione non differt a יוֹנְקוֹת *rami teneri* (quasi *sugentes*, unde יוֹנֵק *sugens* infans), infra Vs. 22., Job. 8, 16. 14, 7. LXX: *Τὸ ἄκρα τῆς ἁπαλότητος ἀπέκνισε.* Vulgatus: *summitatem frondium ejus avulsit.* Syrus: *truncavit caput germinis ejus.* Chaldaeus: *caput ramorum ejus abstulit.* וַיְבִיאֵהוּ אֶל־אֶרֶץ כְּנַעַן *Duxitque eum in terram mercaturae.* Nomen כְּנַעַן h. l. non est proprium terrae Cananaeae, sed appellativum, *mercaturam* significans, quod incolae illius terrae, utpote maris accolae, mercaturae erant deditissimi. Ita Prov. 31, 24. *Sindonem facit ac vendit, et cingulum* venale dat לַכְּנַעֲנִי *mercatori.* Et Jes. 23, 8. *Quis istud decrevit in Tyrum, quae reginam sese gerebat,* אֲשֶׁר סֹחֲרֶיהָ שָׂרִים *cujus negotiatores principes,* כְּנַעֲנֶיהָ *mercatores nobilissimi terrae?* Cf. Hos. 12, 8. Job. 40, 30. et ad eum loc.

not. Vates ipse scse declarat, dum addit: בְּעִיר רֹכְלִים *in urbe institorum* s. *negotiatorum* (ut infra 27, 13. 1 Reg. 10, 15.). Nuncupat ita urbem Babylonem, ob ejus frequentiam, opulentiam et luxum, ad quam ab extremis Indis mercatores confluebant. Hinc de eadem Apocal. 18, 10. sqq. *Eheu urbs illa magna Babylon, urbs illa potens, cujus supplicium una venit hora. Eam terrarum mercatores deflebunt ac lugebunt, quod eorum mercem nemo jam emet, mercem auri et argenti, et gemmarum et margaritarum, et byssi, et purpurae*, reliqua. Et Vs. 15. *Mercatores ob ea locupletati procul adstabunt, plorantes ac lugentes.* שָׂמוֹ *Posuit*, plantavit *illud*, quomodo de positione sementis id ipsum verbum Jes. 28, 25. usurpatur.

5. וַיִּקַּח מִזֶּרַע הָאָרֶץ *Deinde sumsit de semine terrae*, malleolum, vel viviradicem, quem Columella *(de Arborib.* 3, 4.) nominat *malleolorum virgam.* „*Semen*," inquit Hillerus *Hierophyt.* 1. p. 273., „nos *malleolum* interpretamur, quod ut semine stirpes aliae, ita malleolo et viviradice propagantur vites. Semen quippe vitis, vel vinacei, tardissime in vitem adolescunt." Intelligit Zedekiam, regiae stirpis virum, eundemque ex gente Judaeorum, quem Nabuchodonosor in Jechoniae locum suffecit. Cf. infra Vs. 13. et 2 Reg. 24, 17. וַיִּתְּנֵהוּ בְּשָׂדֶה־זָרַע *Et posuit illud*, scil. quod de semine terrae sumserat, *in agro sementis*, i. e. sementi excipiendae apto, feraci et fertili, ut 2 Sam. 1, 21. שְׂדֵי תְרוּמוֹת sunt *agri feraces.* קָח *Accepit*, inquam, et tulit. Aphaeresis primae radicalis pro לָקַח, ut Hos. 15, 3. קָחֶם, *accepit eos*, pro לָקָחֶם. Nostrum autem קָח accepit Camez, ut distinguatur ab Imperativo. עַל־מַיִם רַבִּים *Ad aquas magnas* ponendum, i. e. in solo multis aquis irriguo et optimo, ubi in terris istis calidioribus omnia felicissime provenuiunt, cf. Num. 24, 6. Jer. 17, 8. Ps. 1, 3. „Mirum videri possit, vitem dici plantatam ad aquas, si quis reputet, Italiam, calidissimam regionem, vinetorum in Massico, agri Falerni monte, consitorum ubertatem, aquarum rivis haud debere, et Wirtembergiam, Neccarici vini fecundissimam matrem, vinum in aridis montibus, et anno etiam sitiente, gignere nobilissimum: nisi vinum Caecubum, cui ante Neronis tempora generositas erat celeberrima, natum constaret ad palustria sinus Amyclani populeta [vid. Plinii *Hist. Nat.* 14, 8. 1.]; et Cornelius Celsus, rerum naturae peritissimus, existimaret, voto vineis eligendum esse solum, quod e fontibus in vicinum radicibus humorem subministret. Hinc colligere est, vites si odorem aquae senserint, id est, si modice a fontium aut rivorum vicinia radices irrigentur, celerius atque felicius provenire." Hillerus l. c. p. 295. Jarchi: „Radices egit juxta aquas multas, ac si diceret: concessit ei magnitudinem et potestatem super illos, qui ei vicini erant." Nomen צַפְצָפָה *ἅπαξ λεγόμενον* sunt qui ad radicem צָפָה, *speculari*, referant, et verba שָׂמוֹ צַפְצָפָה ver-

tant: *et speculationem posuit illud* (scil. quod de semine terrae sumsit), i. e. ut perpetua et curata speculatione illud observaret. Vel: *ut conspici possit*, ita Zedekiam posuit Babylonius, ut adspici possit, i. e. a Judaeis quidem suspiceretur, ab ipso autem penderet, ut sequitur. Quem sensum et HIERONYMUS sua interpretatione exprimere voluit, quam in Commentario ita declarat: „Et tamen *in superficie posuit illum*, nec potestatem ejus alta imperii radice firmavit, sed posuit eum. ut respiceretur, et sub potestate esset Babylonia.“ Ita et LXX: ἐπιβλεπόμενον ἔταξεν αὐτό. Et Syrus: *et posuit illud in prospectum.* Alii: *cum circumspectione*, ut significetur, Zedekiam a Babylonio circumspectissime et accuratis conditionibus, praestito fidelitatis jurejurando, et tributo imposito, regem constitutum fuisse. Sed Hebraei nomen צַפְצָפָה unanimes *salicem* interpretantur, quo significatu idem illud in codice Talmudico *Succah* C. 3. §. 3. (p. 194. edit. Daehsii, et cf. not. p. 198.) usurpatur. Arabibus quoque צַפְצָאף et צַפְצָפָה *salicis* est species. Cf. *Handb. der bibl. Alterthumsk.* Vol. IV. P. I. *(Bibl. Naturgesch.)* p. 265. Hinc sensus erit, subaudita כ, similitudinis nota: *instar salicis posuit illud*, quare cito germinavit floruitque, ut sequitur Vs. sq.

6. וַיְהִי לְגֶפֶן *Evasit in vitem.* Quum germinasset semen, atque crevisset, evasit non jam in proceram cedrum, ut olim fuerat, sed *in vitem* tantummodo, סְרַחַת, *late* quidem *sese diffundentem* (propr. *fluentem*, coll. arab. סרח), sed, quod non haberet, quibus sese altius erigeret, sustentacula, humi serpentem, uti vates statim ipse sese explicat, dum addit, שְׁפַלַּת קוֹמָה *humilem quoad proceritatem*, s. *statura* (opposit. גְּבַהּ קוֹמָה infra 31, 3.), „ut videretur quidem habere regnum, sed ipsum regnum ejus humile atque infirmum [cf. Vs. 14.] Babylonii principis regeretur arbitrio,“ ut ait HIERONYMUS. לְפָנוֹת דָּלִיּוֹתֶיהָ אֵלָיו *Ita ut respicerent rami ejus ad eam*, „subaudiatur aquilam: ut praecesset quidem populis Judaeorum, sed respiceret ad Babylonii jubentis imperium.“ HIERONYMUS. Ita et GROTIUS: „Sensus est: erat Zedekias rex satis opulentus et felix, sed obligatus suspicere regem Babylonium et venerari, ut partim subditus, aut ut cliens.“ J. D. MICHAELIS in versione teutonica et in *Supplemm.* p. 1808. suffixum in אֵלָיו refert ad *vitem*, hoc sensu: cujus rami ad vineam ipsam declinabantur, ejusque radices obumbrabant. Sed receptam interpretationem commendat Vs. 7., ubi vitis palmites alteri aquilae obvertisse dicitur, id quod phrasi hoc Versu usurpatae omnino ἀνάλογον est. וְשָׁרְשָׁיו תַּחְתֶּיהָ יִהְיוּ *Et radices ejus sub illa erant*, q. d. tametsi non altas, ut olim, cum cedrus erat, at pro mensura vitis firmas egerat radices regnum istud. Sin vero suffixum in תַּחְתֶּיהָ ad נֶשֶׁר, *aquilam*, referas, is erit loci sensus: firmitas tota regni Zedekiae a Babylonio pendebat, meritoque jubebatur ad illum respicere, quasi ad dominum servus.

Sed melius Kimchi suffixum illud refert ad גֶּפֶן (quod hoc Capite ut nomen generis communis tractatur, nam quamvis saepius feminei generis sit, tamen et masculine usurpatur Hos. 10, 1. 2 Reg. 4, 39.), ut significetur, vitis illius radices in eo loco, quo plantata erat, mansisse, neque se latius extendisse. וַתְּהִי לְגֶפֶן *Et* sic *evasit in vitem* scil. satis speciosam, ad justam magnitudinem pervenit, ut 1 Reg. 2, 2. *Tu te fortem praebeas*, וְהָיִיתָ לְאִישׁ *et in virum evadas*, i. e. ita te praesta, ut vir vere putandus sis. וַתַּעַשׂ בַּדִּים *Et fecit*, protulit *ramos*. בַּדִּים Kimchi notare ait *ramos* robustiores et densiores, ex quibus prodeunt פְּאֹרוֹת, *rami minores*. J. D. Michaelis quoque in *Supplemm.* p. 151. *ramos majores vitis*, in *quos statim a stemmate expanditur*, a *separando ac dividendo* (quae est radicis בָּדַד in lingua arabica significatio) dictos autumat. De *vite* nomen et infra 19, 14. dicitur. וַתְּשַׁלַּח פֹּארֹת *Et emisit decoras*, i. e. frondosas *propagines*. פֹּארֹת forma syrissans pro פְּאֹרֹת (conf. C. B. Michaelis *Lumina Syriaca* §. 9. in *Sylloge Commentatt. Theologicar.* Vol. I. p. 182.) *rami*, ut infra 31, 5. 6. 8. 12. 13., sicut Jes. 10, 33. פְּאֵרָה, idem significans, pro פְּאֹרָה. A פְּאֵר, *caput ornare cidari*, *diademate*, rami arborum sunt פֹּארֹת dicti, a coronae similitudine, sicut et nostris hortulanis vertices arborum, et sylvarum cultoribus nova ramorum propago *corona (Krone der Bäume)* dicitur. Nec significatione differt, quod in aliis libris per metathesin scriptum est פֹּרָאֹת.

7. נֶשֶׁר־אֶחָד *Aquila quaedam* alia, innuit regem Aegypti (Vs. 15.), quem Grotius *Hophram*, s. *Vaphrem* esse observat, cujus meminit Jeremias 44, 30., quocum Zedekias foedus percussit violato jurejurando, et pactis, quae cum Nebucadnezare ipse pepigerat. גְּדוֹל Etiam *magna* quidem, minor tamen, quam aquila Babylonica, unde nec verbis tam magnificis describitur, quam illa Vs. 3. וְרַב נוֹצָה *Et copiosa*, non tamen *plena* (ut Vs. 3.), *plumis*. In verbis כְּפִנָּה שִׂרְשֶׁיהָ עָלָיו explicandis difficultatem creat vox כְּפִנָּה, quod hoc solo loco exstat. Chaldaeis et Syris כְּבַן significat *esurire*, unde nomen כָּבָן significatione *famis* bis occurrit apud Jobum 5, 22. et 30, 3. Hinc Jarchi nostra verba ita exponit: *esuriverunt radices ejus versus eam*, aquilam, anhelarunt ad eam, et expetiverunt ab illa curari et et irrigari. Ita Lutherus: *Der Weinstock hatte Verlangen an seinen Wurzeln zu diesem Adler.* Ita עָלָיו erit pro אֵלָיו, ut saepissime alias, v. c. 2 Sam. 15, 4. 2 Reg. 25, 20. Jes. 17. 7. Alii, Chaldaeo interprete auctore (qui vertit: כַּבַּת שׁוֹרָשָׁהָא עֲלוֹהִי *incurvavit radices suas super eam*), sumunt כְּפִנָּה pro כְּפָפָה, a כָּפַף *incurvavit*, i. e. inflexit, obvertit radices suas ad aquilam illam alteram, qua incurvandi et inflectendi voce tacite innui existimant obliquitatem animi et perfidiam Zedekiae, qui fidem regi Babylonio datam fregit, et cum Aegyptio foedus iniit. J. D.

MICHAELIS in *Supplemm.* p. 1330. sqq. coll. arab. כָּפַן *nevit*, verbo nostro *complicandi*, *implicandi* sibi invicem notionem tribuit, verbaque כִּפְנָה שָׂרָשֶׁיהָ vertit: *implicabat radices*, i. e. perplexas et implexas sibi invicem alte agebat radices. Vocem עָלָיו autem *folia sua* (ab עָלָה) interpretatur, jungitque verbis, quae proxime sequuntur: וְדָלִיּוֹתָיו שִׁלְּחָה־לּוֹ, hoc sensu: *folia sua et palmites suos extendebat ad illam*, aquilam alteram. Quae in versione teutonica sic dedit: *Der Weinstock trieb tiefe in einander geschlungene Wurzeln, und streckte seine Blätter und Zweige an dem Geländer, daran er gepflanzt war, zu diesem Adler aus.* Nos quidem acquiescimus in ea, quam primo loco attulimus, interpretatione, utpote usui verbi כָּפַן accommodata. וְדָלִיּוֹתָיו שִׁלְּחָה־לּוֹ לְהַשְׁקוֹת אוֹתָהּ *Et propagines suas emisit ad eam*, aquilam, *ad irrigandum eam*, i. e. ut ab illa scil. rege Aegyptio auxilium et tutelam acciperet. HIERONYMUS: „*Cepit*, inquit, *mittere propagines suas ad eam* (aquilam alteram), id est, ad regem Aegyptiorum, legatos dirigere, et ab eo contra regem, cui subditus erat, auxilium postulare. Hoc est enim, quod Scriptura nunc dicit: *ut irrigaret eam de areolis germinis sui.*“ Videtur vates alludere ad modum, quo irrigari solebant agri Aegyptiorum, aqua nempe e Nilo exundante, immissa in agros per fossas; cf. Jer. 2, 18. מִעֲרֻגוֹת מַטָּעָהּ *Ex areolis loci plantationis ejus*, scil. laete germinantem (Vs. 6.). Suffixum nominis posterioris ad גֶּפֶן referimus; alii ad *Aegyptum*, cujus rex, ut aquila, in masculino genere proponitur. Sunt, qui vertant: *prae areolis plantationis suae*, h. e. ut Aegyptius potius rigaret et sustentaret rempublicam Judaeorum, quam areolae, a Nebucadnezare (Vs. 5.) ei factae. מֵעֲרֻגוֹת J. H. MICHAELIS in Nott. Bibliis Halensibus subjectis vertere mallet: *magis quam scaturigines* (vel: *ex rivulis*) loci, in quo plantata erat, collata significatione radicis Aethiopicae: *scaturiit fons.* Verum etsi ea notio et huic loco, et infra Vs. 10. sit apta, minime tamen congruit locis duobus reliquis, quibus nomen nostrum occurrit, Cantic. 5, 13. 6, 2., ubi עֲרֻגַת הַבֹּשֶׂם vix aliud quicquam nisi *areolam balsami* notare potest, quomodo et ibidem Aquila interpretatus est, nomine πρασιαί usus. Nomen videntur areolae sortitae ab *ascendendo*, quae est verbi arabici et aethiopici maxime usitata significatio, quod solent illae ascendere, vel editiores reliquo solo esse. J. D. MICHAELIS in *Supplemm.* p. 1969. a significatione verbi arabici ערג *per scalam ascendit*, unde מערג *scala*, nomine hebraico indicari posse conjicit *fulcimenta lignea* (*juga* Plinius vocat), quibus sustentata vitis, *Geländer*, ut in versione teutonica expressit, vid. supra. Nos quidem acquiescimus interpretationi receptae, quae ipsa est vetustissima.

8. אֶל־שָׂדֶה טוֹב אֶל־מַיִם רַבִּים הִיא שְׁתוּלָה Quum tamen *super* (אֶל pro עַל) *agro bono* in Judaea, solo patrio, *juxta*

aquas multas (cf. not. ad Vs. 5.) *plantata esset*, לַעֲשׂוֹת עָנָף *Ut ederet* s. editura *ramos*, palmites, de quibus et Ps. 80, 11. dicitur. Videtur generis nomen esse; de ramis arborum usurpatur Levit. 23, 40. Malach. 4, 1. וְלָשֵׂאת פְּרִי *Et latura fructum*, i. e Zedekiae, pluribus a rege Babylonio beneficiis adjuto, copia fuit ampliandi et ditandi regnum suum. לִהְיוֹת לְגֶפֶן אַדֶּרֶת *Ut esset in vitem magnificentiae*, i. e. vitis eximia, quae in altitudinem elata et in ramos amplissime diducta aliis praestat, opposita לְגֶפֶן שִׁפְלַת קוֹמָה *viti humilis staturae*, Vs. 6. „Repetitur, quod supra Vs. 5. dictum, ut ex beneficiorum magnitudine gravior adpareat culpa animi ingrati.“ Grotius. Neque enim Zedekias ad Pharaonem defecit ex inopia, sed ex mera superbia, licet satis benigne haberetur a Nebucadnezare.

9. Ante תִּצְלָח subaudiendum est ה interrogativum, *an prospere cedet ei?* cedetne pro votis consilium? Fierine potest, ut Deus res prosperas daret et ingrato et perfido? Nam Zedekias praeter fidem Babylonio etiam beneficiis erat obligatus, omnia sua illi debens. Veteres vel interrogative vertunt, vel negationem praeponunt. LXX: *εἰ κατευθυνεῖ*. Vulgatus: *ergone prosperabitur?* Syrus: *non prosperabitur*. Chaldaeus retinuit verbum hebraicum, interrogative haud dubie capiendum. הֲלֹא אֶת־שָׁרְשֶׁיהָ יְנַתֵּק *Nonne radices ejus evellet?* scil. aquila prior, Babylonica, i. e. regnum et rempublicam evertet, ut nullus amplius rex sit. וְאֶת־פִּרְיָהּ יְקוֹסֵס וְיָבֵשׁ *Et fructum ejus succidet, ita ut arescat.* Verbum קָסַס hoc solo loco extans significatione videtur cum קָצַץ Deut. 25, 12. Jud. 1, 6. 7. convenire. Plura exempla literarum ץ et ס inter se permutatarum, vid. in A. Schultensii *Clavi Dialector.* p. 262. Fructibus ab aquila priore succisis Hebraei innui monent liberos Zedekiae, quos cum aliis in conspectu patris rex Babylonius mactari jussit, 2 Reg. 25, 6. בְּכָל־טַרְפֵּי צִמְחָהּ תִּיבָשׁ *Quoad omnia folia germinis ejus arefiet.* Nomen טָרֶף (טָרָף Gen. 8, 11. est adjectivum, *recens* significans, coll. arab. طَارِفٌ) *folium* denotare, non sinit dubitare aramaeum טַרְפָּא, quod Kimchi ad h. l. observat a Chaldaeo interprete Genes. 3, 7. 8, 11. pro hebraico עָלֶה positum. *Foliis* Kimchi et Grotius indicari existimant principes et populares, quos Nebucadnezar occidit. וְלֹא־בִזְרֹעַ גְּדוֹלָה וּבְעַם רָב *Nec brachio magno et populo multo.* Theodoretus, Jarchi et Kimchi haec referunt ad aquilam secundam, id est, ad regem Aegyptium, qui non potuerit viribus suis atque copiis vineam protegere, quo minus a prima aquila evellatur. Verum orationis series postulat, ut ad aquilam primam haec referantur, ut Kimchi fecit, qui haec bene ita explicat: „Exiguo populo exstirpabit eam. Nam Nebucadnezar, etiamsi venerit ipse, et totus exercitus ejus contra Hierosolymam, non tamen ipse mansit ibi per omnes dies obsidionis, qui longius protrahebantur, ab anno nono Zedekiae

usque ad undecimum; sed interea abiit versus Riblam in terra Chamath, relicta parte exercitus sub duce Nebusaradan. Qui relictus exercitus urbem expugnavit captumque Zedekiam sumserunt et deduxerunt ad regem Babelis Riblam.“ Similiter HIERONYMUS: „*Et non*, inquit, *in brachio grandi*, *neque in populo multo*. Fugiens enim Sedecias, et regis Aegypti auxilio destitutus, a quibus Nabuchodonosor in desertis Hierichuntis comprehensus est, et cuncti ejus socii huc illucque dispersi sunt, ut in volumine Regum (2 Reg. 25.) et Jeremiae (39.) scriptum est.“ לְמַשְּׂאוֹת אוֹתָהּ מְשָׁרְשֶׁיהָ *Ad tollendum*, evellendam, *eam e radicibus suis*, radicitus. Nomen מַשְּׂאוֹת Kimchi observat obtinere h. l. vim Infinitivi, quasi dicat לְהַשִּׂיא אוֹתָהּ וְלַעֲקוֹר אוֹתָהּ, sicut Num. 10, 2. וְלִמַּסַּע אֶת־הַמַּחֲנוֹת pro לְהַסִּיעַ *ad proficisci faciendum castra*.

10. וְהִנֵּה שְׁתוּלָה הֲתִצְלָח *Et en! plantata est, num succedet?* Esto, bene plantata erat, num laete crescet? כְּגַעַת בָּהּ *Cum attigerit eam*, ut 2 Sam. 14, 10. *Non addet amplius* לָגַעַת בָּךְ *attingere te*. Cf. Ps. 103, 16. כִּי רוּחַ עָבְרָה־בּוֹ *cum ventus transierit super eum* (florem). רוּחַ הַקָּדִים *Ventus orientalis*, germinibus et plantis noxius, vid. Gen. 41, 6. Jes. 27, 8. (et ad ea loca not.), infra 19, 12. KIMCHI: „Cum illo comparat regem Babelis, nam haec sita est ad orientem aquilonarem respectu Judaeae.“ תִּיבַשׁ יָבֵשׁ *Arescet arescendo*, i. e. penitus exarescet; Infinitivus verbo suo finito subjunctus ad intendendam significationem. Kimchi ejusdem constructionis exemplum adducit Jos. 24, 10. וַיְבָרֶךְ בָּרוֹךְ אֶתְכֶם *Vobis fausta omnia precatus est*. עַל־עֲרֻגֹת צַמְּחָהּ *Super areolis germinationis suae*, i. e. secundum Kimchi, in ipso loco, quo exspectabat, ut eam irrigaret rex Aegypti. Alii: *cum areolis*, i. e. ipsa regione Judaea, ubi plantata erat. GROTIUS: „Apud Jerichuntem capietur.“ Vid. 2 Reg. 25, 5. Jerem. 52, 8.

12. Sequitur apologi ἐπιμύθιον. לְבֵית הַמֶּרִי Appellatio gentis Judaicae (cf. Vs. 2.) Nostro peculiaris, vid. supra 2, 5—8. 12, 2. מֶלֶךְ־בָּבֶל Nebucadnezar, Vs. 3. אֶת־מַלְכָּהּ Jechoniam, vid. itidem supra Vs. 3.

13. מִזֶּרַע הַמְּלוּכָה *De semine regni*, de stirpe regia, intellige Zedekiam, vid. Vs. 5. Jer. 37, 1. וַיָּבֵא אִתּוֹ בְּאָלָה *Adduxitque*, adegit *eum in jusjurandum*, vid. 2 Paral. 36, 13. Phrasis בּוֹא בְּאָלָה pro *jurejurando sese obstringere*, est Nehem. 10, 30. וְאֶת־אֵילֵי הָאָרֶץ quidam vertunt *robustos* i. e. potentes *terrae*; malim *primores* (coll. arab. אַוَّل *primus*), i. e. principes, coll. Exod. 15, 11. Vid. 2 Reg. 24, 14. 15. לָקַח *Sumsit*, et secum abduxit, tanquam obsides foederis, utque ita vires regni debilitaret, prout sequitur.

14. לִהְיוֹת מַמְלָכָה שְׁפָלָה *Ut esset regnum humile*, ut regni Judaici vires deprimerentur. לְבִלְתִּי הִתְנַשֵּׂא *Ne sese efferret* (cf. infra 29, 15.), ut illo velut freno Judaea retineretur in obsequio.

לַעֲמֹד *Ut* ita *staret* s. *consisteret illud*, scil. foedus, Vs. 13. Alii referunt ad מַמְלָכָה *regnum.* LXX: *καὶ ἱστάνειν αὐτήν.* Vulgatus: *et servet illud.* Syrus: *et praestent* (foedus initum) *cum eo.* Chaldaeus: *ad serviendum ei.* Sane verbum עָמַד nonnumquam eo sensu usurpatur, sed non sine addito לִפְנֵי, vid. infra 44, 11. 1 Reg. 10, 8. Dan. 1, 4. 11.

15. וַיִּמְרֹד־בּוֹ לִשְׁלֹחַ מַלְאָכָיו מִצְרַיִם *Verum rebellavit contra eum mittendo nuntios suos in Aegyptum,* 2 Reg. 24, 20. 2 Chron 36, 13. לָתֶת־לוֹ סוּסִים *Ut ipsi equos daret.* Equis enim maxime valebat Aegyptus, vid. Deut. 17, 16. et ad eum loc. not. הַיִצְלָח וְיִמָּלֵט הָעֹשֶׂה אֵלֶּה *Num prospero successu utetur et liberabitur* a pernicie, a vindicta Babylonii, *qui facit haec?* וְהֵפֵר בְּרִית וְנִמְלָט *Et qui irritum fecit foedus num evadet?* An impune feret rupta foedera?

16. De formula jurandi חַי־אֲנִי אִם לֹא וגו׳ vid. not. supra ad 14, 16. בְּמְקוֹם הַמֶּלֶךְ הַמַּמְלִיךְ אֹתוֹ *In loco regis* illius, *qui ipsum regem constituit*, i. e. in urbe regia Babel, ut statim diserte dicitur, vid. 2 Reg. 24, 17. אֲשֶׁר בָּזָה אֶת־אָלָתוֹ *Cujus sprevit jusjurandum,* Vs. 18. 19. וַאֲשֶׁר הֵפֵר אֶת־בְּרִיתוֹ *Et cujus irritum fecit*, rupit *foedus.* אִתּוֹ בְּתוֹךְ בָּבֶל יָמוּת *Apud eundem in Babylonia morietur.* Cf. Jerem. 20, 6.

17. בְּמִלְחָמָה — וְלֹא *Et non per exercitum magnum et coetum multum efficiet cum eo* quidquam *Pharao in bello*, quicquid conetur Pharao, licet ingentes copias adducat, nihil juvabit Zedekiam. Nam Aegyptius, audito Babylonii adventu, recessit, vid. Jerem. 37, 7. sqq. אוֹתוֹ *Cum eo* (ut supra 2, 1. 3, 22.) scil. Zedekia, nihil efficiet (יַעֲשֶׂה) Aegyptius contra Nebucadnezarem. Alii illud אוֹתוֹ vertunt *ipsum illud*, quod intendit Pharao et speravit Zedekias, liberationem a Babylonio, Vs. 15. Hieronymus: „Hoc dupliciter intelligitur, sive rex Aegyptius contra Nabuchodonosor, regem Babylonis veniens, non poterit praeliari, neque cum parvo exercitu tantae resistere multitudini: sive ipse Sedekias expugnabitur a Pharaone, a quo speravit auxilium, quod non Pharao eum expugnaverit, vel hoc alicubi Scriptura testatur, sed quod expugnatio Nabuchodonosor per occasionem sit facta regis Aegyptii, nec iste visus sit expugnare Jerusalem, qui obsidebat, sed ille, in quo Sedekias frustra speraverat.“ בְּשָׁפְכָ֫ה סֹלְלָה *Quum* hostis Babylonius *aggeret vallum* contra Hierosolymam; vid. de hac dictione, nec non de proxima, וּבְבִנוֹת דָּיֵק, not. ad 4, 2. לְהַכְרִית נְפָשׁוֹת רַבּוֹת Eo cum eventu, ut *exscindat,* perimat, *animas multas*, quamplurimos, fame, pestilentia et telis in oppugnatione, gladiis vero post expugnationem.

18. וְהִנֵּה נָתַן יָדוֹ *Et ecce!* licet *dedit manum suam* Nebucadnezari, in foederis confirmationem, ut moris erat, vid. 2 Reg. 10, 15. 1 Macc. 6, 58. Gal. 2, 9., cf. etiam Jer. 50, 15. לֹא יִמָּלֵט

Ideo *non eripietur*, e manu vindicis, cf. Jer. 32, 4. וְצִדְקִיָּהוּ מֶלֶךְ יְהוּדָה לֹא יִמָּלֵט מִיַּד הַכַּשְׂדִּים; eadem fere ibid. 38, 18. 23.

19. אָלָתִי *Jusjurandum meum;* id *suum* vocat Deus, quia in nomine suo juratum erat, cf. 2 Paral. 36, 13, וּנְתַתִּיו בְּרֹאשׁוֹ *Dedero*, inquam, *in caput ejus*, cf. Cap. 9, 10. 11, 21. „Non enim hostem decepit, sed amicum, qui foederc Domini fuerat copulatus.“ HIERONYMUS

20. De verbis וּפָרַשְׂתִּי עָלָיו רִשְׁתִּי וְנִתְפַּשׂ בְּמִצוּדָתִי vid. supra ad 12, 13. Vulgatus: *et comprehendetur in sagena mea.* Syrus: *et capietur in eo*, scil. *reti meo*, quod praecesserat. וְנִשְׁפַּטְתִּי אִתּוֹ Jarchi bene explicavit אֶתְרַכַּח אִתּוֹ *disceptabo cum eo* (Jes. 1, 18.). Nam verbum שָׁפַט in forma Niphal proprie valet *judicari* (ut Ps. 9, 20.), sed per metonymiam antecedentis vel consequentis et *disceptare*, ut infra 20, 35. 36. 38, 22. 1 Sam. 12, 7. Jes. 66, 15. „Nimirum, qui in foro comparet, cum adversario suo disceptat, et alter alterum impugnat, vel, qui cum altero disceptat, litem ei infert, eumque in judicium vocat.“ STORR in *Observatt.* p. 228. not. Ante מַעַלוֹ subaudiendum est עַל, sive ב, *propter praevaricationem suam*, cf. supra 15, 8. infra 18, 24.

21. וְאֵת *Quod attinet ad*, *respectu habito ad*, ut saepe, veluti 2 Sam. 12, 7. 2 Reg. 6, 5. מִבְרָחָיו *Profugi ejus*, i. e. comites fugae. Sed praeferre mallem quod Chaldaeus legit, מְבֻחָרָיו *electi ejus* (Dan. 11, 15), quod ipsum in pluribus codicibus exstat, ut intelligendi sint *fortes* s. *proceres*, quod melius congruit proximo אֲגַפָּיו *agminibus*, s. turmis ejus, quod supra 12, 14. adcrat, ad quem loc. vid. not. לְכָל־רוּחַ יְפֻרְשׂוּ *Ad omnem ventum*, i. e. ad omnes coeli plagas *expandentur*, dispergentur, ut Piel Zach. 2, 10. כְּאַרְבַּע רוּחוֹת הַשָּׁמַיִם פֵּרַשְׂתִּי אֶתְכֶם *Quasi in quatuor coeli plagas dispersi vos.* In fine Versus דִּבַּרְתִּי omittitur in codice olim Reuchlini, antiquissimo, et in duobus codd. De-Rossii.

22. Ne praenuntiatio destruendi regni Davidici esset absque consolatione, subjungitur temporum feliciorum promissio; sive, ut utamur verbis Origenis in Homilia 12. ex interpretatione Hieronymi: „Post maledictiones repromissio beatitudinis et dulcissimae pollicitationis in fine sermonis profertur, quia jam qui suppliciis indigebant, fuerant pro peccatis suis tormenta perpessi.“ Verba *tempore praeterito* expressa hoc Versu et duobus, qui sequuntur, de futuro esse intelligenda, res ipsa docet. וְלָקַחְתִּי אֲנִי מִצַּמֶּרֶת הָאֶרֶז הָרָמָה *Et sumsi ego de vertice cedri altae.* De צַמֶּרֶת vid. not. ad Vs. 3. Chaldaeus: *et adducam* quempiam *e regno domus David, instar cedri excelsae.* Cf. supra Vs. 3. Emphasin habet אֲנִי *ego*, quo Deus sese opponit Nebucadnezari; hic sumsit quidem de cacumine cedri altae surculum, cumque plantavit, sed ego, inquit Deus, idem faciam, at meliori consilio et successu. „Nabuchodonosor propterea sumit de medulla cedri sublimis, de

vertice ramorum ejus, ut sit regnum ejus humile et non elevetur. Dominus autem Deus, Pater omnipotens, qui loquutus est ad Ezechielem, tollit de stirpe regia et de genere David, et plantat super montem excelsum et eminentem, qui loquitur in Psalmo (2, 6.): *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.* Defecerat enim princeps de Juda, et dux de Israel, donec veniret, cui repositum est (Genes. 49, 10.), et ipse erit exspectatio gentium. Ipse erupit in germen, et fecit fructum, et cedros omnes sua sublimitate superavit (Vs. 23.), ita ut habitent sub ea omnes volucres coeli, et cuncta volatilia illius protegantur umbraculo." HIERONYMUS. וְנָתַתִּי *Et ponam* LXX et Syrus non expresserunt, et Hubigantio suspectum videtur. Sed genuinum recte judicat Dathius, quod hemistichiorum parallelismus docet, duobus verbis in posteriori membro respondere duo alia in priori. Expresserunt hebraeum verbum Vulgatus: *et ponam*, et Chaldaeus: *et suscitabo eum*, sc. e domo regia Davidica oriundum. מֵרֹאשׁ יֹנְקוֹתָיו רַךְ אֶקְטֹף *De capite* s. *summitate ramorum ejus tenerum* scil. ramum *decerpam.* Chaldaeus: *de filiis filiorum ejus infantem* (scil. suscitabo), *et magnificabo.* וְשָׁתַלְתִּי אֲנִי עַל הַר־גָּבֹהַּ וְתָלוּל *Et plantabo ego super monte alto et elato.* Chaldaeus: *et statuam eum verbo meo in monte alto et excelso. Ramo tenero*, quem de cedri excelsae cacumine, i. e. de regia domo Davidica (cf. supra Vs. 3. 4.), desumtum, Deus sit plantaturus in monte excelso, Kimchi, et post eum Grotius, innui volunt Zerubabelem, Jechoniae regis abnepotem (1 Chron. 3, 18. 19.), sub cujus auspiciis exsules in patriam redierunt. Ei tamen minime competunt magna et augusta, quae de illo e semine regio oriundo hic praedicantur. Magnum illum regem (הַמָּשִׁיחַ, *Χριστὸν*, *Unctum*, *κατ' ἐξοχήν* dictum), de quo prophetae omnes denuntiarunt, fore aliquando, ut ex genere Davidis natus, regnum aeternum et gloriosissimum constitueret, ac gentes universas ad cultum Dei congregaret, et hoc loco describi, agnoverunt ex Judaeis ipsis antiquissimi et doctissimi. Chaldaeum certe, etsi in sua hujus loci interpretatione nomen *Messiae* non diserte exprimeret, tamen de nemine alio cogitasse, satis arguit explicatio hemistichii posterioris Versus 23., quam vid. infra. Jarchi ad verba וְלָקַחְתִּי אֲנִי notat concise quidem, sed definite: אה מלך המשיח *regem Messiam*, ne memorata quidem alia sententia. Et Abarbenel hanc promissionem ad Zerubabelem referre, coactum esse ait, quum is non fuerit rex Hierosolymis, sed explicandam illam esse de futuro rege Messia, qui et Versu proximo dicatur frondes laturum et fructum, futurus instar cedri magnificae, utpote regnaturus in summa excellentia. „Cui quia adhaerebunt gentes (Genes. 49, 10.), ideo dicitur Vs. 23. *omnes volucres in umbra ramorum ejus habitaturas.*" Ceterum *tener* (רַךְ) surculus dicitur ob stirpem Davidis, ex qua oriebatur, valde attritam et humiliatam. Cf. Jes. 11, 1. Ab insitione arborum

similitudinem desumtam esse, recte Jarchi observat. „Non solet, inquit, insitio fieri, nisi de tenero ramo, qui anno praecedente productus fuit, quem vernacule *greffe* vocant.“ *Monte alto et elato*, הַר־גָּבֹהַּ וְתָלוּל, intelligit terram Israeliticam, praesertim vero Hierosolymam (cf. infra 40, 2.) et montem Sion, sedem regni et sacrorum. תָּלוּל, hoc solo loco obvium, significatione non diversum est a Chaldaico תִּלְיָל *aggestus*, *elevatus*, ejusdem cum תֵּל *collis* (supra 3, 15.) originis.

23. בְּהַר מְרוֹם יִשְׂרָאֵל *In monte celsitudinis*, in monte celsissimo terrae *Israelis* (Chaldaeus: *in monte sancto Israelis*), i. e. Sione, de quo eadem formula infra 20, 40. 34, 14. usurpatur; eum *altissimum* terrae illius montem appellat ob dignitatem, quod quum arce emineret regia, alios montes sibi velut subditos aut apparitores nanciscitur. אֶשְׁתֵּלֵנּוּ *Plantabo eum.* LXX: *καὶ καταφυτεύσω*, praemissa copula, quae in hebraico abest, nec a reliquis veteribus exprimitur. וְנָשָׂא עָנָף וְעָשָׂה פֶּרִי וְהָיָה לְאֶרֶז אַדִּיר *Et extollet ramum fructusque faciet, evadetque in cedrum praestantissimum.* Rex potentissimus et gloriosissimus evadet. Nam *cedrus*, utpote arbor procera et excelsa, imago est *regum*, cf. supra Vs. 3. infra 31, 3 — 5. Jes. 2, 13. Chaldaeus: *et congregabit exercitum, et faciet auxilia, et erit in regem fortem.* וְשָׁכְנוּ תַחְתָּיו כֹּל צִפּוֹר כָּל־כָּנָף *Et habitabunt sub ea*, i. e. sub potestate et protectione regis illius, *volucres omnis alae*, quocunque modo alatae, omnis generis aves (ut Gen. 7, 14. et infra 39, 4. 17.); omnes gentes accedent ad eum, tanquam unicum suum perfugium, sub cujus protectione pace et securitate fruentur. Quae sententia eadem imagine infra 31, 6. Dan. 4, 9. exprimitur. Hoc sane minime quadrat in Serubabelem, qui neque rex magnus fuit, neque, si esset, tantus esse potuit, ut omnes gentes ad se colligeret, quum ne Israelitas quidem omnes collegerit. תִּשְׁכֹּנָה Jarchi notat scriptum esse compendiose pro תִּשְׁכֹּנְנָה, ut Jes. 60, 4. תֵּאָמַנָּה *nutrientur*, pro תֵּאָמַנְנָה. Chaldaeus: *et innitentur super eum omnes justi, et omnes mansueti in umbra regni ejus habitabunt.*

24. וְיָדְעוּ כָל־עֲצֵי הַשָּׂדֶה *Ut cognoscant*, experiantur (ut infra 21, 10. 29, 6.) *omnes arbores agri*, i. e. ceteri reges cum populis; opponuntur enim arbores agrestes cedro illi eximiae, de qua Vs. 23. כִּי אֲנִי הִשְׁפַּלְתִּי עֵץ גָּבֹהַּ הִגְבַּהְתִּי עֵץ שָׁפָל *Quod ego humilem reddam arborem altam, exaltem arborem humilem. Arbore alta*, quam *humilem redditurus est Deus*, Kimchi regem Babelis innui existimat; verum rectius ante illum jam observaverat Jarchius, עֵץ collective sumendum esse, intelligique omnes omnino reges populosque, qui prius Israelitis potentiores eis dominabantur. Similem Judaeorum sui temporis sententiam enarrat Hieronymus, qui hoc oraculum ab illis referri ait ad populum Israel, qui primo adventu humiliatus sit et arefactus, et secundo

restituatur in pristinum statum (cf. not. supra ad 16, 53.). Alii *arbore celsa* et *arbore viridi* (עֵץ לָח hemistichio altero) intelligunt regnum Zedekiae, quod, quum haec praedicebantur, superbia exultabat; *arbore* autem *humili* atque *arbore sicca* (עֵץ יָבֵשׁ) Jechoniam, qui ea tempestate captivus detinebatur in Babylone, sed postea ab Evilmerodacho protractus est e carcere, et super reliquos reges captivos evectus, Jerem. 52, 31. 32. Cujus etiam nepos, Serubabel, e captivitate rediens ducatum gessit populi Judaeorum, ex ejusque posteris natus est Christus. Verum videtur hoc Versu simul generalis sententia contineri, quod et Dathium judicasse video, qui in nota ad h. l. monet: „Haec ego in genere de omnibus regnis dicta puto, tanquam conclusione, non de regno Babylonico et Judaico in specie, quod Grotius vult. Haberent enim illa nomina עֵץ גָּבֹהַּ et עֵץ שָׁפָל articulum praefixum.“ יָבֵשׁ — הוֹבַשְׁתִּי Et quod *arefaciam arborem viridem*, succulentam, sed *frondere*, germinare faciam, *arborem siccam*. Sensum optime expressit Theodoretus: *Cognoscent, inquit, omnes homines, facile mihi esse, et ea, quae alta sunt, humilia reddere, et quae sunt humilia, extollere, humidaque exsiccare, et sicca florentia demonstrare. Quando enim viderint, post urbis solitudinem germen ex ea productum, secundum Jesajae prophetiam* (11, 1. *Egredietur virga e radice Isai, et flos e radice ejus adscendet*), *et hunc totius orbis terrae regem declaratum, cognoscent omnes, me esse Dominum haec praedicentem, et verbum opere comprobantem.* שָׁפָל cum *Zere* in libris aliquot scriptum esse, Kimchi observat, sed addit, in libris correctis esse שָׁפָל.

XIII.

CAP. 18.

Argumentum.

Testatur Deus, nequaquam puniri filios pro delictis parentum, sed unicuique reddi pro meritis vitam vel exitium, additque cohortationem ad seriam poenitentiam et morum emendationem.

2. LXX huic Versui praemittunt *Υἱὲ ἀνθρώπου*, i. e. בֶּן־אָדָם (ut supra 17, 2.). Sed monet Hieronymus: „Hoc quod Septuaginta dixerunt, *fili hominis*, in Hebraico non habetur.“ מַה־לָּכֶם וגו׳ Eadem fere phrasis supra 12, 22. אַתֶּם מֹשְׁלִים אֶת־הַמָּשָׁל הַזֶּה *Quod vos hoc adagio utimini?* Vid. supra 17, 2. et ibi not. עַל־אַדְמַת יִשְׂרָאֵל *De* s. *super* terra Israelis, i. e. de ejus desolatione et hujus causis. אָבוֹת יֹאכְלוּ בֹסֶר וְשִׁנֵּי הַבָּנִים תִּקְהֶינָה *Patres comederunt omphacem et dentes filiorum hebetantur.* Sensum recte expressit Chaldaeus: *patres peccaverunt, et filii sunt percussi.* Frequens illis temporibus adagium, ut apparet ex Jerem. 31, 29., simile illi Horatiano (*Carm.* 3, 6, 1.): *Delicta majorum immeritus lues, Romane.* Volebant credi innocentes, quum minime tales essent. Jarchi: „Judaei tunc temporis dicebant: solet Deus, si parentes peccarunt, a filiis poenas sumere (quam multis enim annis peccarunt reges Israelitarum, antequam illi in exsilium abducti sunt). Quare neque nos de poena peccatorum nostrorum sumus solliciti, quoniam filii sive posteri nostri demum poenam luent peccatorum a nobis commissorum.“ Kimchi observat, hujus dicterii occasionem fuisse prophetarum frequentem comminationem, Judam delendam esse ob peccata Manasses, sicut Israel ob peccata Jeroboami sublatus erat. Ob id Deum insimularunt injustitiae, non advertentes, Deum illos minime puniturum fuisse, si patres suos in sceleribus non fuissent imitati. Cf. not. ad Vs. 19. Unde asserit Deus, unumquemque poenam peccatorum suorum luiturum.

3. De formula חַי־אֲנִי vid. supra 14, 16. 17, 16. Quod illud adagium negat amplius esse usurpandum, vel innuit, paulo post futurum esse, ut ab ipso edocti sua delicta et divinam justi-

tiam in puniendo agnoscant; vel, brevi ipsos supplicio interituros esse, cf. Jarchii not. ad Versum superiorem.

4. כָּל־הַנְּפָשׁוֹת לִי הֵנָּה *Omnes animae*, i. e. homines (usitata synecdoche partis, cf. supra 17, 17.) *mihi*, meae *sunt*, eadem phrasis infra 29, 3. Ps. 50, 10. Exod. 13, 2. Tuetur Deus causam suam, et ab impiorum criminatione suam justitiam vindicat, dicens se esse communem omnium parentem, atque adeo ex aequo omnibus prospicere, omnium cura tangi, se quoque esse supremum judicem, quem dedeceat, iniquam ferre sententiam. Ac si dicat, quod olim Abraham, Gen. 18, 25. *Absit*, *ut committas*, *ut perdas bonos cum malis*. *Absit*, *ut qui totum orbem terrarum aequitate moderatur*, *is aequitate non utatur*. כְּנֶפֶשׁ הָאָב וּכְנֶפֶשׁ הַבֵּן לִי־הֵנָּה *Sicut anima patris*, *ita et anima filii mea est*, cur igitur patiar, ut filius, qui non peccavit, poenas luat? nonne et ille meus est? utrique ut pro merito rependam par est. In phrasi hebraica כ est reduplicatum, ut supra 14, 10. Jos. 14, 11. Jes. 24, 2. הַנֶּפֶשׁ הַחֹטֵאת הִיא תָמוּת *Anima*, *quae peccat*, *ipsa*, sive patris sit, sive filii, *morietur*, quisque suorum delictorum poenas ipse luet, id enim hoc Capite *mori* denotat. Bene J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 1492. „מות *mori* Ezechieli saepe pro omni supplicio graviori ponitur, ut Cap. 3, 18. etc. Non enim de morte, quam recentiores habent, *spirituali*, cogitasse arbitror, sed per aliquem Aramaeismum omnia graviora supplicia *mortis* nomine complecti. Coacvus Ezechielis, Jeremias, semel eodem modo ponere videtur 31, 30. אִישׁ בַּעֲוֹנוֹ יָמוּת *quisque ob culpam suam morietur*, et utroque antiquior Hoseas 13, 1. *Ephraimus* וַיֶּאְשַׁם בַּבַּעַל וַיָּמֹת *reus factus est Baalis cultu*, *et mortuus est*, statim pergens, *et nunc addunt peccare*. Hic nec de vera morte, nec de ea, quam aeternam, nec de spirituali quam dicunt, quisquam cogitaverit.“

5. Explicatur hinc usque ad Vs. 18., quod dictum Vs. 4., non plecti nisi peccatorem ipsum. וְעָשָׂה מִשְׁפָּט וּצְדָקָה *Et fecerit judicium et justitiam*, i. e. quod est rectum et justum sequatur, quomodo eadem phrasis capienda infra Vs. 19. 21. 33, 14. 19. Gen. 18, 19. (quo loco non est diversa ab eo quod proxime praecessit, *viam a Deo praescriptam servare*) 2 Sam. 8, 15. Prov. 1, 3. 2, 9. 21, 3.

6. Continuatur *πρότασις* usque ad hemistichium posterius Versus 9. אֶל־הֶהָרִים לֹא אָכַל Si *super montibus*, in quibus passim altaria idolis erecta erant (vid. supra 6, 13. infra 22, 9.), *non comedat* scil. idolothyta, nam post sacrificia epulari mos erat, et quidem iisdem in locis, ubi sacrificatum fuerat. Vid. Exod. 32, 6. Jud. 9, 27. 1 Cor. 8, 4. 10. 10, 7. Recte Chaldaeus: *in montibus non servierit idolis*. וְעֵינָיו לֹא נָשָׂא *Et oculos suos non tollat* cum fiducia et adorandi causa, is enim gestus est precantium et auxilium exspectantium, vid. Ps. 121, 1. אֶל־גִּלּוּלֵי

בֵּית יִשְׂרָאֵל *Ad idola domus Israelis*, i. e. (ut Jarchi explicat), „ad ceterum cultum idololatricum, videlicet Baalis, qui fuit Samariae, et vitulorum, qui erant in Bethel et in Dan.“ לֹא יִטְמָא *Non polluat*, vitiet, ut Gen. 34, 5. וְאֶל־אֵשֶׁת נִדָּה לֹא יִקְרָב *Et ad mulierem menstruatum non appropinquet.* Concubitus cum tali muliere lege vetitus Levit. 18, 19. 20, 18. „Per singulos menses gravia atque torpentia mulierum corpora immundi sanguinis effusione relevantur; quo tempore si vir cum muliere coierit, dicuntur concepti foetus vitium seminis trahere, ita ut leprosi, et elephantiaci ex hac conceptione nascantur, et foeda in utroque sexu corpora parvitate vel enormitate membrorum sanies corrupta degeneret. Praecipitur ergo viris, ut non solum ab alienis abstineant uxoribus, sed in suis quoque certa concubitus norint tempora.“ Hieronymus.

7. וְאִישׁ לֹא יוֹנֶה *Et virum* ullum *non opprimat* aut vexet, ex lege Levit. 25, 14. 17. חֲבָלָתוֹ חוֹב יָשִׁיב *Pignus ejus*, pignus scil. *debiti* (cf. similem constructionem supra 16, 27. et ibid. not. p. 417.), ejus caussa acceptum, *restituat.* Hoc intelligendum est secundum legem de pignore necessario, quo debitor sine gravi incommodo carere non possit, Exod. 22, 25. Deut. 24, 6. 10. sqq., et pendet hoc ex praecedenti: *neminem vexabit.* Nam pauperi pignus necessarium non restituere, est pauperis vexatio. „Octavum est: *Pignus debitori reddiderit.* Non omni debitori, alioquin multis occasio recipiendorum pignorum, fiet divitiarum materia: sed ei debitori, de quo in lege scribitur, quod pauper sit, et proprium opposuerit vestimentum, et ante solis occasum operimentum recipere debeat, ne cruciatus frigore clamet ad Dominum, qui ultor est ejus injuriae.“ Hieronymus.

8. בַּנֶּשֶׁךְ לֹא־יִתֵּן *In foenus non det*, Deut. 23, 20. 21. coll. Exod. 22, 24. וְתַרְבִּית לֹא יִקָּח *Et usuram*, excessum lucri, *non capiat*, Levit. 25, 36. „Sequitur: *Et amplius non acceperit.* Putant quidam, usuram tantum esse in pecunia. Quod praevidens Scriptura divina, omnis rei aufert superabundantiam, ut plus non recipias, quam dedisti. Solent in agris frumenti et milii, vini et olei, ceterarumque specierum usurae exigi, sive, ut appellat sermo divinus, *abundantiae;* verbi gratia, ut hyemis tempore demus decem modios, et in messe recipiamus quindecim, h. e. amplius partem mediam.“ Hieronymus. מִשְׁפַּט אֱמֶת יַעֲשֶׂה *Judicium veritatis faciet*, i. e. verum, sincerum, non corruptum, ut Zach. 7, 9. בֵּין אִישׁ לְאִישׁ *Inter duos*, sive judex constitutus, sive lectus arbiter.

9. בְּחֻקֹּתַי — אֱמֶת Si *in statutis meis ambulet, et custodiat facere veritatem*, i. e. a sincera in Deum et homines pietate non recedat. Pro לַעֲשׂוֹת אֱמֶת LXX habent *τοῦ ποιῆσαι αὐτά.* „Legerunt אותם per litterarum metathesin, et sic etiam legitur in hodierno codice infra Vs. 19., unde id huc translatum videtur.“

Cappellus *Not. Crit.* ad h. l. צַדִּיק הוּא *Justus*, inquam, *ille est.* Hic demum est apodosis, cujus protasis incepit Vs. 5. חָיֹה יִחְיֶה Ideoque omnino *vivet*, scil. bene ac feliciter, florebit ac vigebit, ut supra 3, 21.

10. וְהוֹלִיד בֶּן־פָּרִיץ Quod si vero is *genuerit filium praefractoris*, i. e. violentum, ut supra 7, 22., vel *effrenem*, qui nullis vinculis et repagulis contineri potest, sed omnes leges divinas humanasque perrumpit. וְעָשָׂה אָח מֵאַחַד מֵאֵלֶּה *Et quodsi fecerit simile quid ex illis.* אָח h. l. quibusdam *unum* significat, quasi pro אֶחָד positum sit per apocopen. Alii, Chaldaeo auctore, praefixum לְ subaudiendum putant, ut vertendum sit: *qui fecerit fratri* unum ex istis. Sed videtur in genere *consortem*, *consociatum*, *conjunctum* significare, q. d. si fecerit socium quid ex facinoribus illis. Similiter femininum supra 1, 23. אִשָּׁה אֶל־אֲחוֹתָהּ *una ad alteram.* מֵאַחַד מֵאֵלֶּה *De ullo istorum* (ut Levit. 4, 2. מֵאַחַת מֵהֵנָּה), nempe peccatorum, quae ante recensita sunt Vs. 6. 7. 8. LXX: *Καὶ ποιοῦντα ἁμαρτήματα.* Vulgatus et Syrus: *et fecerit unum ex istis.* Qui nomen אָח non expresserunt. Sed expressit Chaldaeus: *et fecerit fratri suo unum ex his.* „At enim vero tunc," monet Dathius, „scriptum esse deberet לאחיו. Duplex vero ellipsis, praefixi et affixi, durior mihi videtur. In altero codice Regiomontano אח omissum fuit, sed in margine additum. Mihi quoque videtur omittendum atque errore scribae ob sequentem vocem similem proclivi insertum." Cappellus l. c. pro אָח censet אֶת legendum, ut sensus sit hic: si gignat filium praedonem, effundentem sanguinem, etiamsi unum de illis modo memoratis praeceptis fecerit, verum omnia non fecerit etc., *morte morietur* (Vs. 13.), nempe juxta illud: *qui in uno peccaverit, omnium reus est*, et juxta id quod dicit Vs. 22., *omnes ipsius justitiae non commemorabuntur.* Sed nihil esse mutandum, vidimus. Pro מֵאַחַד in codd. pluribus Kennicottianis et De-Rossii, nec non in libris impressis legitur femininum מֵאַחַת.

11. וְהוּא אֶת־כָּל־אֵלֶּה לֹא עָשָׂה *Et* si *ipse non fecerit omnia illa* scil. bona, quae et ipsa enumerata sunt Vs. 5. 8. 9. et quae fecit pater ipsius. כִּי גַם אֶל־הֶהָרִים אָכַל *Si etiam in montibus comederit.* Chaldaeus: *sed in montibus serviverit idolis*, ut supra Vs. 6., ubi not. vid, et infra Vs. 15.

12. עָנִי וְאֶבְיוֹן הוֹנָה *Pauperem et egenum oppresserit*; contrarium vid. Vs. 7. גְּזֵלוֹת גָּזָל *Rapinam rapuerit*, Vs 7. חָבָל לֹא יָשִׁיב *Pignus non reddiderit* (*dominis suis*, ut Syrus addidit). תּוֹעֵבָה *Abominando* innui videtur congressus cum muliere vetito tempore, cf. supra Vs. 6.

13. וְחָי *Numquid* ille *vivet?* ut infra Vs. 24. Ita ו saepius interrogationi inservit, ut supra 17, 15., nec non 1 Sam. 20, 12. וְהִנֵּה *An ecce?* Et וְאַתָּה *An tu*, Jud. 11, 23. Jes. 37, 11. Jerem. 49, 12. לֹא יִחְיֶה *Non vivet* ob patris merita aut justitiam, coll.

Vs. 17. אֵת כָּל־הַתּוֹעֵבוֹת הָאֵלֶּה עָשָׂה Qui, vel quia *omnia illa flagitia fecit*, subaudito אֲשֶׁר, ut supra 7, 13. et alias saepe. דָּמָיו בּוֹ יִהְיֶה *Sanguis ejus in eo erit*, i. e. sua culpa peribit, ut Levit. 20, 9. ad quem loc. vid. not.

14. וַיִּרְאֶ֔ה *Et* si *viderit*. Jarchi bene ita explicat: „Si animadvertat, non bonum esse, ista facere, i. q. gallice *apperçoit*.“ Pro וַיַּרְא Masora וַיִּרְאֶה legendum praecipit, quod in textu habent plurimi codices, nec non aliquot editiones veteres, quos De-Rossi enumerat, qui tamen lectionem Masorethicam improbat, quum LXX et Vulgatus וַיִּרְא (ita enim literas in textu exstantes enunciandas existimat) expresserint. Nam illi *καὶ φοβηθῇ* verterunt, hic: *et timuerit*. Syrus plane non expressit. „Masora mutat in וַיִּרְאֶה,“ notat hic Hubigantius, „melius sic mutasset prius וירא, quod recte Graeci interpretes converterunt *καὶ ἴδῃ*. Sed culpa haec forsan fuerit, non Masorae, sed ejus descriptorum, qui affixerint posteriori וירא emendationem, quae pertinebat ad prius.“ Videlicet וַיַּרְא, quod in hemistichio priori exstat, possit pro forma apocopata futuri Hiphil *(et ostendit)* haberi, quomodo tamen semel tantummodo in V. T., 2 Reg. 11, 4. est capiendum. Locis reliquis omnibus est forma apocopata futuri Kal, *vidit*, pro וַיִּרְא sive וַיַּרְא, quum Resch mobile, in fine vocis positum, ut literae gutturales, pro praecedente Zere aut Segol saepe Pathach assumat, ut סָגַר pro סְגַר, וַיָּסַר pro וַיָּסֶר. Quare prorsus supervacanea est crisis Hubigantiana.

17. מֵעֲנִי הֵשִׁיב יָדוֹ *Ab inope*, misero, *retraxerit manum suam*, nempe ne eum laedat, opprimat, cf. supra Vs. 8. LXX: *Καὶ ἀπὸ ἀδικίας ἀπέστρεψε τὴν χεῖρά σου.* Vulgatus: *a pauperis injuria averterit manum suam.* Quos Cappellus מֵעָוֹנוֹ legisse putat. Dathius sola levi punctorum vocalium mutatione מֵעֲנִי legendum censet, quod passive accipit de miseria, qua alter afficitur: respondent enim haec verba Versui 8., ubi est מֵעָוֶל.

18. אֲבִיו כִּי־עָשַׁק עֹשֶׁק *Pater ejus quia oppressit oppressione* alios. וַאֲשֶׁר לֹא־טוֹב עָשָׂה בְּתוֹךְ עַמָּיו *Et* quia, *quod non bonum* est, *fecit inter populares suos*, quomodo עַמִּים Levit. 17, 9. legitur. וְהִנֵּה־מֵת בַּעֲוֹנוֹ Ideo *ecce* ille *moritur in delicto suo*, suâ culpâ.

19. וַאֲמַרְתֶּם מַדּוּעַ לֹא־נָשָׂא הַבֵּן בַּעֲוֹן הָאָב וגו׳ *Et dicitis*, quodsi vero dixeritis (Syrus: *quodsi dicant): quare non ferret filius culpam patris?* respondeo etc. Nota verbum נָשָׂא cum ב constructum, ut mox Vs. 20., quum alias simpliciter cum nomine עָוֹן per Accusativum construatur: *ferre culpam.* Sed h. l. videtur ita capiendum: *ferre cum culpa patris*, i. e. partem culpae patris ferre. Chaldaeus: *quare non vapulat filius pro peccatis patris?* Oppositum potius objecerant: quare filiorum dentes obstupuerunt ob parentum intemperantiam? Verum non repetuntur nunc Judaeorum verba querula, sed per prolepsin solvitur quaestio,

ut recte notavit Hieronymus, quam poterat auditor opponere, ac si dicat: quod si rogetis: cur non sustinet hic filius poenam delictorum patris grassatoris? Respondet Deus: וְהַבֵּן מִשְׁפָּט — חָיֹה יִחְיֶה *Et*, i. e. quia *filius jus et justitiam fecit, omnia mea statuta servavi, et fecit ea, ideo vivendo vivet*, Vs. 9. Quoniam non eandem viam, quam pater, insectatus est, sed mea praecepta patris institutis anteposuit. Justumque est, ut quomodo peccator in suo scelere moritur, sic justus suis vivat virtutibus. Vix autem dubium, quin vates respiciat effatum illud Jovanum Exod. 20, 5. (repetitum ibid. 34, 6. et Jer. 32, 18.) de poenis a filiis sumendis, quorum patres peccarunt, quod quum adversari videri possit divinae justitiae, Noster verum illius sensum explicat. Hieronymus, praefatus, se ex verbis Exodi alioqui scandalum esse passum, quod injustitia videretur Dei, alium peccare, et alium luere peccata, nostrum locum cum isto effato recte hunc in modum conciliat: „Sed ex eo, quod sequitur [in Exodi loco]: *his, qui me oderunt*, comminationis, sive praecepti scandalum solvitur. Non enim ideo puniuntur in tertia et quarta generatione, quia deliquerunt patres eorum, quum patres potius, qui fuerunt peccatores, puniri debuerint, sed quia patrum exstiterunt aemulatores, et oderunt Deum, hereditario malo, et impietate in ramos quoque de radice crescente.“ Coacta quam Grotius dedit hujus loci interpretatio: *Attamen dicitis: Cur?* i. e. cur hoc ita generaliter affirmas? *Nonne portat filius iniquitatem patris sui?* i. e. nonne ob parentum delicta nos vapulamus? Respondet huic objectioni Deus.

20. Redit ad thesin supra Vs 4. positam, eamque nunc confirmat. הַנֶּפֶשׁ הַחֹטֵאת הִיא תָמוּת *Anima quae peccat, ea morietur.* בֵּן לֹא יִשָּׂא בַּעֲוֹן הָאָב *Filius non feret cum culpa patris*, vid. ad Vs. 19. הַנֶּפֶשׁ Chaldaeus recte אֱנָשׁ *homo* reddidit. צְדָקַת הַצַּדִּיק עָלָיו תִּהְיֶה *Justitia*, i. e. merces justitiae, *justi erit*, manebit *super ipso*, nec auferetur ab eo propter patrem aut filium peccatorem, nec contra, ut sequitur.

21. וְהָרָשָׁע — לֹא־יָמוּת *Et impius, si converterit se ab omnibus suis peccatis, quae fecit, et servaverit omnia mea statuta, feceritque jus et justitiam, vivendo vivet, nec morietur.* „Intantum, ait, peccata patrum ad filios non redundant, nec justum filium sceleratus praegravat pater; neque alii pro aliorum scelcribus puniuntur, ut ipse unus atque idem, qui prius impius fuerit atque peccator, si postea egerit poenitentiam, et ad meliora conversus, pristina peccata deleverit, non judicetur vetustate peccati, sed in meum suscipiatur gregem, innovatione virtutis.“ Hieronymus. Verba אֲשֶׁר עָשָׂה quidam ad sequentia referunt, hoc sensu: *ita ut faciat et observet* etc.; sed nulla causa est, cur אֲשֶׁר non capiamus pro *relativo pronomine*, ut sit: *quae* scil. peccata *fecit.* Pro לֹא יָמוּת habent וְלֹא יָמוּת prae-

missa copula codices aliquot et versiones veteres omnes, praeter Chaldaeum, qui tamen cum ceteris interpretibus consentit in cod. 737. De-Rossiano.

22. כָּל־פִּשְׁעָיו אֲשֶׁר עָשָׂה לֹא יִזָּכְרוּ לוֹ *Omnia delicta quae fecit non in recordationem venient ei,* illorum poenas non luet.

23. הֶחָפֹץ אֶחְפֹּץ מוֹת רָשָׁע *Num* enim *delectando delector morte impii?* Vs. 32. Cf. 33, 11. Pro מוֹת codices aliquot Kennicotti et De-Rossii habent בְּמוֹת, uti Hubigantius legendum praecepit. „Lege בְּמוֹת," inquit, „*in mori (impium)*, ut postea legitur בְּשׁוּבוֹ, *in reverti ipsum.* Ita scriptum legitur loco parallelo infra 33, 11., ita etiam ultimo Versu hujus ipsius Capitis." מִדַּרְכּוֹ *A via sua*, si consonans respicis, quod LXX, Syrus et Chaldaeus exprimunt; sed Keri מִדְּרָכָיו *a viis suis*, quod in textu sistunt plurimi codices utriusque collationis, a De-Rossio enumerati, et Vulgatus quoque expressit.

24. וּבְשׁוּב צַדִּיק מִצִּדְקָתוֹ *Contra cum aversus fuerit probus*, vere talis *a sua probitate*, non externa tantum specie probus, vel sua aliorumque opinione talis intelligendus est, vi oppositionis ad improbum vere talem, Vs. 23., ut de vere probo sermo est Vs. 5. 9. 10. וְחָי — וְעָשָׂה *Et fecerit iniquitatem, secundum omnia abominanda, quae fecit impius, fecerit* et ipse, *numquid* ille *vivet?* ן ante חָי interrogat, ut Vs. 13. Verba וַיַּעֲשֶׂה וְחָי *si fecerit, numquid* ille *vivet?* omittunt LXX et Syrus, quae quidem Lud. Cappello supervacanea videbantur et impedire sententiam; „quam tamen," inquit Hubigantius, „non impedient, si antea pro ככל legitur וככל, *et secundum omnia*, יעשה, *fecerit*, et si וחי enuntietur per interrogationem, *an vivet?* Nam ו interrogat aliquando, si non est collocatum initio sententiae." כָּל־צִדְקֹתָיו אֲשֶׁר עָשָׂה לֹא תִזָּכַרְנָה *Omnia recta ejus quae fecit non commemorabuntur*, non in memoriam venient mihi, ei non recolentur. וְיָמוּת — בְּמַעֲלוֹ *In praevaricatione sua qua praevaricatus est, et in peccato suo, quod peccavit, in iis morietur.* „Sicut justum antea peccatorem non praegravant antiqua delicta; sic peccatorem, qui prius justus fuerit, non juvant veteres justitiae. Unusquisque enim in quo invenietur, in eo judicabitur." Hieronymus.

25. וַאֲמַרְתֶּם לֹא יִתָּכֵן דֶּרֶךְ אֲדֹנָי *Et dicitis,* nihilominus dicitis: *non recta est via Jovae.* Verbum תָּכַן significat *ad trutinam* vel *pondus disposuit, libravit.* Quando igitur insimulant, *viam Domini non esse aeque libratam*, hoc volunt, Deum plus punire, quam admissa mereantur, et aequabilitatem non servari inter poenam et peccatum; aut Deum unum plus punire, quam alium, aut uni admissa remittere, alteri imputare. Jarchi יִתָּכֵן pro יִתָּקֵן, *recta est*, positum observat. LXX: *Οὐ κατευθυνεῖ* (Alex. *κατορθοῖ*) *ἡ ὁδὸς Κυρίου.* Vulgatus: *non est aequa via Domini.* Syrus: *non sunt bonae viae Domini.*

26. בְּשׁוּב־צַדִּיק — וּמֵת עֲלֵיהֶם *Cum convertit se justus a justitia sua, et facit iniquitatem, et propter illa* malefacta *moritur.* בַּעֲוֹלוֹ אֲשֶׁר־עָשָׂה יָמוּת *Per impietatem quam fecit moritur.* LXX: καὶ ἀποθανῇ ἐν τῷ παραπτώματι ᾧ ἐποίησεν, ἐν αὐτῷ ἀποθανεῖται. Non expresserunt עֲלֵיהֶם, sed וּמֵת בַּעֲוֹלוֹ conjunxerunt, et in fine Versus videntur בּוֹ יָמוּת legisse, coll. supra Vs. 24.

28. וַיִּרְאֶה *Vidit* enim, intelligit, quo in statu periculosissimo versetur.

29. וְאָמְרוּ בֵית יִשְׂרָאֵל *Et* tamen *dicitis* vos, *domus Israel.* הֲלֹא כָל־אֶחָד מִדַּרְכֵיכֶם לֹא יִתָּכֵן pro הֲלֹא דַרְכֵיכֶם לֹא יִתָּכֵן *Nonne quaeque ex viis vestris non est recta?* Eandem constructionem vid. Jud. 5, 29. Jcs. 19, 4. Hos. 6, 5.

30. In verbis אִישׁ כִּדְרָכָיו אֶשְׁפֹּט אֶתְכֶם ordo praeposterus est pro: *judicabo vos, unumquemque secundum vias suas*, praesentes, non praeteritas. שׁוּבוּ *Convertimini* ergo. Chaldaeus: *convertimini ad cultum meum.* וְהָשִׁיבוּ *Et convertite* scil. פְּנֵיכֶם (ut supra 14, 6.), sive אֶת־לְבַבְכֶם *cor vestrum.* Cf. infra Vs. 32. Alii praecedentis שׁוּבוּ *convertimini*, et hujus וְהָשִׁיבוּ sensum faciunt hunc: *convertimini*, resipiscite, ipsi, *et reducite* scil. quisque alterum, q. d. cohortamini vos mutuo ad resipiscentiam. In verbis וְלֹא־יִהְיֶה לָכֶם לְמִכְשׁוֹל עָוֹן nomen לְמִכְשׁוֹל quidam existimant in statu regiminis positum (ut supra 14, 3. infra 44, 12.), hoc sensu: *ne sit vobis* impoenitentia vestra *in offendiculum iniquitatis*, i. e. cavete, ne impoenitentia vestra ita porro impingatis, ut prorsus pereatis propter scelera vestra. Sed accentus distinctivus Tiphcha in לְמִכְשׁוֹל non admittit statum regiminis cum sequenti עָוֹן. Retinenda igitur vulgo recepta interpretatio, quae ipsa etiam est simplicior: *ne sit vobis in ruinam impietas.*

31. הַשְׁלִיכוּ — פִּשְׁעֵיכֶם בָּם *Projicite a vobis omnia peccata vestra, per quae peccastis.* De לֵב חָדָשׁ וְרוּחַ חֲדָשָׁה vid. supra 11, 19. et Ps. 51, 12., et ad ea loca notata. Chaldaeus: *cor timens* scil. Deum *et spiritum timoris.*

32. כִּי לֹא אֶחְפַּץ בְּמוֹת הַמֵּת *Nam non delector morte mortui.* הַמֵּת *Mortuum* vocat a fine, ut ait Kimchi, i. e. qui, nisi resipiscat, moriturus est, sicuti Deut. 17, 6. יוּמַת הַמֵּת, quod Onkelos recte vertit דְּחַיָּב־קְטוֹל *qui dignus est morte.* Verba וְהָשִׁיבוּ וְחְיוּ *Convertimini* igitur *et vivite*, i. e. ut vivatis, non exprimunt LXX, in cod. Romano; sed Theodoretus: ἐπιστρέψασθε οὖν, καὶ ζήσεσθε.

XIV.

CAP. 19.

Argumentum.

Deplorat regum de stirpe Josiae miseram sortem, atque domus regiae universae excidium, duplici usus parabola, primo leonum, qui ob ferocitatem capti et catenis vineti, atque caveis inclusi asportantur (Vs. 1—9.), tum imagine vitis pulcherrimae et in solo optimo laete virentis, sed a Deo indignante evulsae et in terram incultam et sitientem transplantatae ibique exarescentis (Vs. 10—14.).

1. וְאַתָּה שָׂא קִינָה *Tu vero tolle lamentum.* קִינָה videtur J. D. MICHAELI in *Supplemm.* p. 2184. proprie idem esse, quod Syriacum קִינָא, *canticum*, coll. arab. קَيْنَة, *cantrix, fidicina*, ut primo *cantici carminisque* generatim nomen fuerit, sed quod usus Hebraeorum solis reliquit canticis lugubribus, vid. supra 2, 10. infra 26, 17. 27, 2. 28, 12. 32, 2. Unde verbum nominativum קוֹנֵן, *lamentatus est.* אֶל *Super, de*, ut supra 17, 2., ad quem loc. cf. not., et infra Vs. 4. נְשִׂיאֵי יִשְׂרָאֵל *Principes Israelis* vocat tres de Josiae stirpe reges, Joachasum (Vs. 3.), Jechoniam (Vs. 5.), et Zedekiam (12. 14.). Pro מֶלֶךְ solet Noster נָשִׂיא usurpare; vid. not. supra ad 12, 10. Regnum *Judae*, quod everso decem tribuum regno solum supererat, appellat antiquo nomine, atque ante tempora Reboami communi universis tribubus, videlicet *Israelis*. Cf. supra 17, 2. Pro אֶל־נְשִׂיאֵי יִשְׂרָאֵל LXX habent *ἐπὶ τὸν ἄρχοντα τοῦ Ἰσραήλ*, quasi legissent in singulari, אֶל־נְשִׂיא יִשְׂרָאֵל, probante Hubigantio, quod numerum singularem postulet affixum singulare, quod additum est nomini אִמֵּךְ, *mater tua*, Vs. 2. Sed bene se habet lectio recepta. Nam deplorat haec naenia non unius regis, sed plurium regum miseram sortem. Suffixum vero in אִמֵּךְ ad Jojachinum regem est referendum, ad quem solum, utpote una cum vate in exsilio commorantem, ejus oratio dirigi potuit. Particulam אֶל Vulgatus recte *super*, atque Syrus et Chaldaeus עַל reddiderunt. HIERONYMUS, postquam monuisset, se plures hujus loci explanationes legisse, sed tantis obscuritatibus impeditas, ut non tam aperuerint, quam involverint lectionem, atque ex illis unam al-

teramve commemorasset, „Nos autem," pergit, „istiusmodi explanationes lectoris arbitrio relinquentes, dicemus, captivitate vicina Prophetam non tam futura vaticinari, quam narrare praeterita. Post sextum enim Sedeciae annum (siquidem statim in consequentibus [Cap. 20, 1.] legimus: *Et factum est in anno septimo, in quinto mense, decima mensis*) assumitur planctus super principes, omnes videlicet, qui de Josiae stirpe generati sunt."

2. מָה *Quam!* Interjectio plangentis et lamentantis, Kimchio observante, ut supra 16, 30. Aliis *exprobrantis* et *expostulantis*, ut 12, 22., q. d. *quid* mater tua, leaena, fecit? — cubuit — educavit. אִמֶּךָ *Matre* intelligunt quidam familiam regiam Davidis degenerem; nonnulli, uti Hieronymus et Theodoretus, Hierosolymam, quod illinc reges proficiscerentur. Rectius interpretes Hebraei, Chaldaeo praeeunte, *gentem Judaicam*, coll. 2 Reg. 23, 30., ubi עַם־הָאָרֶץ, i. e. *populus universus*, Joachasum, de quo hic sermo, regem constituisse dicitur. לְבִיא dictum volunt pro לְבִיאָה, et hoc pro לְבִיאָה coll. arab. לְבוָה (ut a נְבִיא femininum est נְבִיאָה), terminatione feminini Aramaeis usitata, ut infra 27, 31. קָרְחָא *calvities* pro קָרְחָה, et 31, 5. גְּבְהָא *excelsa fuit*, pro גָּבְהָה. Bochartus *Hieroz.* P. I. L. III. C. 1. Tom. II. p. 11. edit. Lips., nomen nostrum hebraicum לְבִיא efferendum putat, cui Masorethae ea puncta vocalia subdiderunt, quae nomini feminino conveniunt, quod ignorarent ipsum לְבִיא *leaenam* significare, non obstante terminatione, quae propric Masculinorum est, quum alia multa occurrunt animalium nomina, ut רַמָּה, *equa*, עֵז, *capra*, רָחֵל, *ovis*, etc. quae genere feminina sunt, quamvis masculina terminatione. Chaldaeus: *coetus Israel, qui factus similis leaenae.* בֵּין אֲרָיוָת *Inter leones*, i. e. inter reges et populos vicinos, potentes et crudeles. רְבָצָה *Recubuit*, secura, et viribus suis nixa, atque imperterrita sedem suam inter alios populos obtinuit. Kimchi: „Quamdiu fecerunt quae Deo placerent, cubabant leonis instar sine timore." Alluditur ad loca Genes. 49, 9. Numer. 23, 24. 24, 9. Chaldaeus: *inter reges crevit.* בְּתוֹךְ כְּפִירִים *In medio leonum.* Sensu convenit cum בֵּין אֲרָיוָת in hemistichio priori. Proprie כְּפִיר significat *leonem juvenem*, sed adolescentem, qui a lacte depulsus praedari incipit et sibimet victum quaerere sine matris opera, uti apparet e nominum גּוּר et כְּפִיר usu Vs. sq. רִבְּתָה גּוּרֶיהָ *Educavit catulos suos*, i. e. principes juvenes, filios Josiae, regni successores. Chaldaeus: *inter principes nutrivit filios suos.*

3. וַתַּעַל quidam male *surrexit* vertunt, quum potius *evexit* reddendum sit, est enim tertia feminini futuri *Hiphil*, ut 1 Sam. 1, 24. coll. 2 masc. Jon. 2, 7. אֶחָד מִגּוּרֶיהָ *Unum de catulis suis*, significat Joachasum, Josiae filium, vid. 2 Reg. 23, 30. sqq. 2 Paral. 36, 1. כְּפִיר הָיָה *Leo evasit.* Chaldaeus: מַלְכָּא הֲוָה *rex*

fuit. Joachasi malos mores (de quibus 2 Reg. 23, 32.) designat eo quod addit, וַיִּלְמַד לִטְרָף־טֶרֶף אָדָם אָכָל, *et didicit praedari, homines* etiam *devoravit*, i. e. expilationibus, latrociniis et caedibus injustis in cives saeviit. HIERONYMUS: „Postquam Jerusalem eduxit de stirpe regia Joachaz, filium Josiae, et constituit in regem, tam crudelis in brevi exstitit tempore, ut tropologice cepisse praedas, et homines devorasse memoretur“

4. וַיִּשְׁמְעוּ אֵלָיו גּוֹיִם *Audivere de* (אֶל ut supra Vs. 1. et eodem sensu cum verbo שָׁמַע 1 Sam. 31, 11.) *eo gentes*, tanquam de feroci atque ad bella proclivi. Aliis est constructio, quam vocant *praegnantem*, vel sic explicanda: *quum* autem id *audirent in eum* intentae *gentes*. Attentam enim auscultationem haec constructio in genere infert, vid. e. c. Exod. 6, 9. 12. 1 Reg. 12, 16. sive ut sequatur obsequium, ut Genes. 34, 24. Exod. 7, 13. 22. Jud. 2, 17., vel auxilium, ut Genes. 16, 11. 21, 17., sive etiam ut noceas alteri, ut hoc loco, *ad capiendum eum.* Vel: *audientes* concurrerunt *ad* s. in *eum*, ut alludatur ad morem hominum, qui, quum audiunt, leonem, sive truculentam aliquam bestiam in agro grassari, facta manu conveniunt, ut illam occidant aut capiant. בְּשַׁחְתָּם נִתְפָּשׂ *In fovea eorum captus est*, nempe duce Pharaone Necchone, a quo Joachasus Riblam vocatus in terra Hamath, quae Graecis Epiphania, captivus in Aegyptum deductus est, ubi supremum diem obiit, vid. 2 Reg. 23, 33. 34. De modo capiendi leones foveis, vid. Bochartum l. c Cap. 4. T II. p. 68. sqq. edit. Lips., et libr. nostr. *Bibl. Naturgesch.* P. II. p. 129. sq. וַיְבִיא�ֻהוּ בַחֹחִים אֶל־אֶרֶץ מִצְרָיִם *Et duxerunt eum, uncinis* per nares transfixis (vid. Bochart. p. 73.), *ad terram Aegypti.*

5. וַתֵּרֶא *Quum autem videret* scil. leaena, i. e. gens Judaea. כִּי נוֹחֲלָה *Quod sperasset* s. *exspectasset* scil. diu, sed frustra, sive, *quum spe aluisset sese*, a rad. יָחַל, unde Genes. 8, 12. וַיְיָחֶל *Et exspectabat.* Jarchi refert ad radicem חָלָה, *aeger, infirmus fuit*, mixta forma, *ex Niphal*, si literam servilem, et ex *Hophal*, si vocales spectes (coll. הוּעֲלָתָה Nah. 2. 8.), pro נָחֲלָה, ut vertendum sit: *quod infirmatus esset* leo juvenis, i. e. rex in Aegyptum deductus, et ad impotentiam redactus. Eodem sensu nostram dictionem cepit Syrus interpres, ita tamen, ut eam ad *matrem* referret: *quum vidisset mater sua infirmam se redditam.* Sed formas mixtas sine idonea ratione statuunt Grammatici; vid. GESENII *Lehrgeb.* p. 461. sqq. אָבְדָה תִקְוָתָהּ Et quod *periisset spes ipsius* (ut infra 37, 11.), de filii reditu, quum non redderetur suis precibus ab Aegyptio Joachasus. וַתִּקַּח אֶחָד מִגּוּרֶיהָ *Cepit unum* alium *de catulis suis*, non *Jojakimum*, ut Grotius aliique volunt, sed *Jojachinum*, is enim a matre s. populo, inconsulto Babylonio, at ille (Jojakim) non a matre, sed ab Aegyptio (2 Reg. 23, 34.) rex constitutus est; cf. et not. infra ad Vs. 9. „Intercedit regnum *Jojakimi.* Id videtur comprehendi eo

colo, quo dicitur, *quod periisset exspectatio sua.* Nam Ieaena, h. e. populus, poterat exspectare sub Jojakimo regni instaurationem et confirmationem, quia sub eo Nebucadnezar repulit Aegyptium, et ipsi ademit omnia, quae habebat a Rhinocoruris usque ad Euphratem, 2 Reg. 24, 7. Nam videbantur sub Babyloniae rege vires aliquando recuperare posse, quippe quum is longius abesset. Verum quum ille mortuus esset, et idoneum successorem non haberet, suffectus est in ejus locum puer Jojachin.“ Coccejus. כְּפִיר שָׂמַתְהִוּ *Leonem juvenem*, i. e. regem, *constituit eum.* Pro אֶחָד habent LXX ἄλλον, i. e. אַחֵר, quod Hubigantius in textu reponendum censet. Sed interpretes ceteri omnes אֶחָד expresserunt. Chaldaeus hemistichii posterioris sensum sic expressit: *et educavit unum de filiis suis, regem constituit eum.*

6. וַיִּתְהַלֵּךְ בְּתוֹךְ־אֲרָיוֹת *Et ambulavit in medio leonum*, inter leones, i. e. pro rege se gessit, et cum vicinis regibus, Aegyptio puta, et Babylonio, pacis foedera contraxit. Quod additur, *illum didicisse praedam rapere, et vorare homines*, significare patet ejus impietatem et crudelitatem, de qua 2 Reg. 24, 9.

7. וַיֵּדַע אַלְמְנוֹתָיו *Et cognovit* i. e. stupravit *viduas ejus*, i. e. *uniuscujusque eorum* (suffixum est distributive, s. collective sumendum), scil. hominum (אָדָם Vs. 6.) quos devoraverat s. occiderat, rem habuit cum viduis, quarum maritos occiderat, ut illas pro voto opprimeret. Verbum יָדַע de *coitu* dici, notum, vid. Genes. 4, 1.; dicitur autem non tantum de venere licita, verum etiam de illicita, e. g. de stupro, quod intentabant Sodomitae hospitibus Lothi, Genes. 19, 5., Gibeonitae, Levitae, Jud. 19, 22. ejusque pellici, Vs. 25. Mixtus est sermo, quia nunc sine figura de *viduis* et *urbibus* (quas nec ingredi nec vastari solent leones) loquitur, mox vero ad metaphoram redit. Alii verborum *cognovit viduas eorum* sensum hunc esse volunt, impium regem vidisse miseras viduas eorum, quos per vim et fraudem necari fecerat, earumque audiisse querelas et lamentationes. Sunt, qui אַלְמְנוֹתָיו pro אַרְמְנוֹתָיו *palatia eorum* (ל et ר inter se permutatis, ut in eadem voce Jes. 13. 22.) capiant, et verbo יָדַע significationem *sibi vindicandi, sibi adscribendi* tribuant (quam et Genes. 39, 6. eidem verbo, sed sine idonea ratione, accommodant), ut hic prodeat sensus: vindicavit sibi palatia eorum, quos contra fas damnaverat. LXX: καὶ ἐνέμετο ἐν τῷ θράσει αὐτοῦ, quasi יָרַע a רָעָה legissent, et וַיֵּרַע ab אָלַם deduxissent, quod Chaldaeis significat *fortis, robustus fuit.* Vulgatus: *didicit viduas facere*, scilicet interfectis maritis. Syrus: *et incessit cum fortitudine*, quasi וַיֵּלֶךְ legisset. Chaldaeus: וְאַצְדִּי בִּרְנְיָתֵיהּ *et diruit palatia ejus;* et hic, ut LXX, legit וַיֵּרַע, sed retulit ad רָעַע, quod Chaldaice *fregit, contrivit* significat, et, ad aedificia translatum, *diruit*, quomodo in paraphrasi Chaldaica Ps. 62, 4. et infra 40, 1. usurpatur. Quod sensum sane

perquam aptum h. l. efficit, unde et וַיֵּרַע Bochartus in *Hieroz.* P. I. L. III. Cap. IV. T. II. p 67. ed. Lips., Hubigantius, Dathius, alii praeferunt. Codicum tamen a Kennicotto et De-Rossio inspectorum nullus וַיֵּרַע (cum *Resch*) exhibet. וַהֲשֵׁם aliis est pro תֵּאָשֵׁם sive הֶאָשֵׁם, ut Hos. 14, 1. תֶּאְשַׁם שֹׁמְרוֹן, *devastata est Samaria*, a rad. אָשַׁם (cf. וְיֵאָשְׁמוּ supra 6, 6.), aliis rectius a רָשַׁם, ejusdem cum שָׁמַם significationis. וּמְלֹאָהּ *Et plenitudo ejus*, cf. supra 12, 19. תֵּשֵׁם אַרְצָהּ מִמְּלֹאָהּ, et infra 12, 30. וְהָשַׁמְתִּי אֶרֶץ וּמְלֹאָהּ. *Plenitudo terrae* sunt homines, qui prae metu crudelis domini fugiebant. מִקּוֹל שַׁאֲגָתוֹ *Propter vocem rugitus ejus* (cf. Zachar. 11, 3. Job. 4, 10.), antecedens pro consequente, rugitu enim edito in homines et greges insilit leo, eosque immanem in modum contritos et discerptos vorat. Hinc ubi leo rugit, omnia animalia fugiunt, et terra desolatur. Cf. Amos. 3, 8. Jojachinus autem, etiamsi brevi tempore regnaret, tamen crudelius in subditos saevisse credibile est, quum, ut adolescentes solent, temerarius esset, et ad stabiliendum regnum suum populum vexare exactionibus inciperet, ita ut multi sedes suas relinquerent.

8. וַיִּתְּנוּ עָלָיו גּוֹיִם סָבִיב מִמְּדִינוֹת *Ideo posuerunt contra eum* scil. rete suum, רִשְׁתָּם, ut sequitur, *gentes* finitimae *undiquaque ex provinciis*. Alii: *ediderunt contra eum vocem suam*, coll. Jer. 4, 16. וַיִּתְּנוּ עַל־עָרֵי יְהוּדָה קוֹלָם sublato clamore in eum irruerunt. Alii: *posuerunt* scil. consilium, s. insidias. Vel accipe verbum impersonaliter (ut Hos. 12, 9. לֹא יִמְצְאוּ *non invenitur* culpa), hoc modo: *et positae fuerunt contra eum gentes*, sive, *posuerunt* Chaldaei *gentes vicinas contra eum circumquaque*, scil Syros, Moabitas, Ammonitas, qui suis auxiliis et opibus juvabant Chaldaeos, ut fecerant contra Jojachini patrem, Jojakimum, 2 Reg. 24, 2. De modo leones capiendi retibus vid. Bochart. l. c. p. 69. seq. וַיִּפָּרְשׂוּ עָלָיו רִשְׁתָּם וּבְשַׁחְתָּם נֶחְפָּשׂ *Et expanderunt contra eum rete suum, et in fovea eorum captus est.* Vid. supra Vs. 4.

9. וַיִּתְּנֻהוּ בְסוּגַר בַּחַחִים *Posueruntque eum* instar ferae *in claustro* s. cavea *cum uncinis*, cf. Vs. 4. וַיְבִיאֻהוּ אֶל־מֶלֶךְ בָּבֶל *Et duxerunt eum ad regem Babyloniae.* Pro מֶלֶךְ בָּבֶל in aliquot codicibus legi אֶרֶץ בָּבֶל, notatur ad marginem cod. Ross. 782. בַּמְּצֻדוֹת *In munimenta*, i. e. in arces altissimas et munitissimas, cf. Jes. 33, 16. 1 Sam. 23, 14. Innuit Babelem munitissimam; eo autem non venit Jojakimus, qui, etsi a Chaldaeis captivus abductus, tamen in via vel morbo, vel alio casu mortuus, extra Hierosolymorum moenia projectus est, vid. Jer. 22, 19. 34, 30.; sed Jojachinus, captivus ibi detentus usque ad regnum Evilmerodachi, vid. 2 Reg. 25, 27. לְמַעַן לֹא־יִשָּׁמַע קוֹלוֹ עוֹד *Ne audiretur rugitus ejus amplius*, i. e ne cui ultra terrori esset, nec edicta ejus terribilia inter Israelitas amplius audirentur. אֶל־הָרֵי יִשְׂרָאֵל *Ad* i. e. *super* (ut saepe pro עַל) *montibus Israelis.* Ita solet

noster terram Israeliticam nuncupare, vid. supra 6, 2. (et ibi not.) et infra 34, 13. 14.

10. Altera comparatio s. allegoria, ad eandem gentem Judaeam pertinens. „Diversis sermonibus una res dicitur. Et quomodo in superioribus legimus Jerusalem pulchrae mulieri comparatam, et rursum leaenae, quae in cubili suo leones nutrierit, sic nunc viti vel vineae pulcherrimae comparatur, quae super aquas plantata sit multas, et idcirco humore nutriti palmites intantum increverint, ut unus palmes, quem Scriptura *virgam solidissimam*, sive *fortissimam*, nuncupat, profecerit in sceptra dominantium." Hieronymus. אִמְּךָ vid. supra Vs. 2. et ibi not. בַּדָּמְךָ Conf. supra 17, 6. Ps. 80, 9. sqq. בְּדָמֶךָ Kimchi pro בְּדָמוּתְךָ, *in similitudine tua*, dictum putat, ut Ps. 49, 15. צוּרָם pro צוּרָתָם, *forma eorum*, et Prov. 7, 8. פִּנָּה pro פִּנָּתָהּ *angulus ejus*, positum volunt. Vel, ut דַּם sit a דָּמָה, *similis fuit*, sicuti קָו et צַו a קָוָה et צָוָה. Hoc sensu post Chaldaeum nostra verba Jarchi ita explicat: *tu similis es illi*, cujus mater fuit sicut vitis plantata ad aquas. Aliis a דּוּם *siluit*, *quievit*, בְּדָמֶךָ est *in quiete tua*, i. e. pristina tranquillitate tua, quum quiete in patria viveretis. Quum דָּם, *sanguis*, Genes. 49, 11. Deut. 32, 14. de *succo uvarum* dicatur, sunt, qui nostram dictionem interpretentur: *in virore tuo* et *succulentia tua nativa*. LXX: ἡ μήτηρ σου ὡς ἄμπελος καὶ ὡς ἄνθος ἐν ῥοᾷ. Pro בְּדָמְךָ expresserunt בְּרִמּוֹן *in malo granato*, cujus lectionis Doederlein ad Grotii Annotatt. commodum sensum sese ostendisse putat, dum observat, vites saepe ad arbores plantatas fuisse, et ab iis fultas. Quae tamen observatio ad h. l. non quadrat, quum ex interpretatione τῶν LXX duplex sit imago, una vitis, altera malogranati. Attamen ר illud, quod LXX legisse credibile est, exhibet etiam posterior codex Regiomontanus, atque unus De-Rossii codex; in quibus exstat בְּרָמְךָ, *in excelso tuo*, i. e. in statu tuo felici et fortunato. פֹּרִיָּה וְעֶנְפָּה הָיְתָה מִמַּיִם רַבִּים *Fructifera* (ut Jes. 32, 12. Ps. 128, 3. ad formam בּוֹכִיָּה Thren. 1, 16.) *et frondosa facta est ab aquis multis*, ad quas plantata erat; crevit populus et auctae opes.

11. וַיִּהְיוּ־לָהּ מַטּוֹת עֹז *Erantque ei virgae roboris*, i. e. rami robusti, fortes; significantur principes e familia regia orti. אֶל־שִׁבְטֵי מֹשְׁלִים *Ad sceptra dominantium*, i. e. homines qui sceptra tenerent. Reges ex iis sumti sunt, ut palmites a vite. וַתִּגְבַּהּ קוֹמָתוֹ *Alta erat*, s. extulit se *statura ejus* scil. virgae, s. scipionis, i. e. regis aut principis cujusque. Suffixum masculinum ad קוֹמָתוֹ referendum potius ad מַטֶּה, utpote regiae familiae symbolum, quam ad גֶּפֶן, quod ut plurimum est femininum, et h. l. gentem universam Israeliticam designat. Sensus est: regnum Judaeae eminebat supra alia, regum suorum majestate, et principum amplitudine, populariumque frequentia. Praestantia

itaque antiqua regni hoc Versu, et praecedente adumbratur, inclinatio autem et ruina Versibus, qui proxime sequuntur. עַל־ בֵּין עֲבֹתִים *In medio densorum ramorum*, stirps ipsa suas frondes adolevit, ita ut exaequaret arbores. Alii: *supra*, s. ultra ramum, qui est *inter ramos densos*. Kimchi: „Est ramus ille, qui est medius in arbore, idem et altior reliquis, efficitque cacumen arboris. Significatque, vitem hanc altitudine superasse reliquarum arborum cacumina." וַיֵּרָא *Ita ut appareret*, conspicua esset virga illa, i. e. domus regia.

12. וַתֻּתַּשׁ בְּחֵמָה *Sed evulsa est* (*Hophal*, quod hoc solo loco legitur) *in ira*, scil. vitis, i. e. gens deportata est, atque e sedibus suis ejecta, decem tribus paullatim per Assyrium, Judaei per Nebucadnezarem. Cf. comminationes hae ipsa imagine arboris evellendae conceptas Deut. 29, 17. 1 Reg. 14, 15. Jer. 12, 17. לָאָרֶץ הָשְׁלָכָה *In terram projecta est*, tanquam inutilis, nec digna amplius ulla vinitoris cura. Chaldaeus: *in terram aliam translata est.* וְרוּחַ הַקָּדִים הוֹבִישׁ פִּרְיָהּ *Et ventus orientalis exsiccavit fructum ejus.* Significatur rex et exercitus Chaldaeorum, quibus tota respublica una cum domo regia subversa et deleta. Chaldaeus: *et rex fortis, quasi eurus, occidit populum ejus.* הִתְפָּרְקוּ וְיָבֵשׁוּ מַטֵּה עֻזָּהּ אֵשׁ אֲכָלָתְהוּ *Divulsae sunt et exaruerunt* unaquaque *virga roboris ejus, ignis comedit unumquemque* eorum, ira divina reges ad exitium usque persecuta est; cf. supra 15, 5. 7. Chaldaeus: *et migrarunt dominatores fortitudinis ejus, et populi, qui sunt fortes, sicut ignis consumserunt eos.*

13. וְעַתָּה שְׁתוּלָה בַּמִּדְבָּר *Nunc* igitur *transplantata est*, scil. quod de illa reliquum erat, *in solitudinem;* reliquiae populi a patria abductae sunt in terras exteras, quas *solitudinis*, atque *terrae aridae* et *siticulosae* imagine sistit.

14. וַתֵּצֵא אֵשׁ מִמַּטֵּה בָדֶיהָ *Exivitque ignis e virga ramorum ejus.* Truncо ramoso unde exiit ignis, Zedekiam indicat, qui eladem illam veluti ignem perfidia sua in populum induxit. פִּרְיָהּ אָכָלָה Qui *fructum ejus consumsit.* Chaldaeus: וְקָטִילוּ עַמָּהּ *populum ejus occiderunt.* וְלֹא־הָיָה בָהּ מַטֵּה עֹז *Ut non sit* amplius *in ea virga roboris*, ut nulli ultra ex illa domo sint reges, sed abolita sit regia potestas. Chaldaeus: *nec sint in ea dominatores fortes.* שֵׁבֶט לִמְשׁוֹל Seu *sceptrum ad dominandum.* Vulgatus: *sceptrum dominantium.* Chaldaeus: (nec) *reges potentes ad subjicienda regna.* קִינָה הִיא וְתִהְיֶה לְקִינָה *Planctus est, et erit in planctum*, i. e. haec prophetia continet planctum, eritque planctus, quum, destructa urbe, implebitur vaticinium. Vere itaque eveniet, ut hic praedicitur.

XV.

CAP. 20.

Argumentum.

Consultus vates a senioribus populi negat se responsurum ad eorum voluntatem (Vs. 2. 3.), et exprobrat illis Dei nomine universa peccata, tum a parentibus in Aegypto (4—9.), in deserto (10—27.), et in terra Israelitica (28.), tum ab ipsis contra Dei praeceptum admissa, additis poenarum comminationibus (29. 30.). Denique praenuntiat, Jovam omnes quidem Israelitas, quotquot in terris exteris exsules dispersi fuerint, ex iis ducturum, et rempublicam Israeliticam restauraturum, sed talem, cujus cives tantummodo futuri sint pii sui cultores; hos enim solos, delectu prius facto, in terram patriam reversuros, ceteris exclusis et delectis (31—44.).

1. בַּשָּׁנָה הַשְּׁבִיעִית *Anno septimo* a deportatione regis Jojachin s. Jechoniae, et quarto ante urbis excidium. Cf. 1, 2. 8, 1. בַּחֲמִשִּׁי pro בַּחֹדֶשׁ הַחֲמִשִּׁי, ut 1, 1. cf. infra 24, 1. LXX in cod. Romano: *τῇ πεντεκαιδεκάτῃ τοῦ μηνός*. Sed codex Alexandrinus, Arabs, Syrohexaplaris et Theodoretus habent recte: *ἐν τῷ πέμπτῳ μηνὶ, δεκάτῃ τοῦ μηνός*. De זִקְנֵי יִשְׂרָאֵל vid. not. ad 14, 1., item de dictionis לִדְרֹשׁ אֶת־יְהוָה sensu.

3. דַּבֵּר אֶת־זִקְנֵי יִשְׂרָאֵל *Alloquere seniores Israelis.* אֶל־זִקְנֵי *loquere ad seniores* Israelis habent codices aliquot Kennicotti et complures De-Rossii. חַי אֲנִי אִם־אִדָּרֵשׁ לָכֶם *Vivo ego si consular vobis*, i. e. consultus vobis respondebo. Cf. not. supra ad 14, 3. Vulgatus: *non respondebo vobis.* „Sanctis et congrua interrogantibus, datur promissio, adhuc loquente te dicam: *ecce adsum.* Peccatoribus autem, quales fuerunt seniores Israel, et quorum scelera in consequentibus propheta describit, non datur responsio, sed increpatio pro peccatis, et addidit jusjurandum: *vivo ego*, ut firmior sit sententia denegantis.“ Hieronymus.

4. הֲ ante תִּשְׁפּוֹט quotquot vidi interpretes capiunt significatione *num?* unde alii vertunt: *num litigabis cum eis?* alii: *num patrocineris eis?* q. d. istosne defendes? eorumque causas

agas coram me? Quae tamen significatio verbo שָׁפַט pro arbitrio tribuitur. Sed valet הֲ illud h. l. idem quod הֲלֹא *nonne?* ut Job. 20, 4. Jerem. 31, 20., ad quae loca vid. not., habetque vim exhortandi. Verbum שָׁפַט autem h. l. est *actionem contra aliquem instituere* quasi coram judice, ut infra 22, 2., ubi eadem formula. Verba duo priora הֲתִשְׁפּוֹט אֹתָם desunt in codice Biblioth. academ. Jenensis (Kennicotto numero 182. signato), et in alio quodam Rossiano seculi 13., a prima manu. Hubigantius pro הֲתִשְׁפֹּט legendum putat Hithpael הֲתִשַּׁפֵּט *fac te judicem*, „nam Ezechiel," inquit, „hoc Capite personam gerit judicis, dum senibus Israel exprobrat scelera, et ipsorum, et parentum." Sed oblitus erat Criticus, formam Hithpael verbi שָׁפַט (quae tamen in codice hebraeo non occurrit) esse הִשְׁתַּפֵּט, nam metathesis fit literae ת, quando prima radicalis est זכשׁ, unde הִשְׁתַּבֵּחַ *laudavit se*, אֶשְׁתַּמֵּר *cavebo mihi*, מִשְׁתַּבֵּר *mercedem reportans sibi.* Hemistichium alterum continet prioris ἐπεξήγησιν: אֶת־תּוֹעֲבוֹת אֲבוֹתָם הוֹדִיעֵם *Abominanda patrum suorum cognoscere fac eos*, indica iis. „Hac videlicet causa, ut ostendantur similia parentibus agere, et haereditario malo longissimum funem trahere peccatorum, ut quorum imitantur vitia, eorum supplicia pertimescant." Hieronymus.

5. בְּיוֹם בָּחֳרִי בְיִשְׂרָאֵל *Die, quo elegi Israelem*, i. e. ineepi cum eis agere tanquam cum populo mihi peculiari, omissis Aegyptiis et aliis gentibus. Cf. Deut. 7, 6. *Estis enim sacer Jovae Deo vestro populus, qui vos elegit, ut sitis ei peculiaris populus, prae omnibus ceteris orbis terrarum populis.* Quod repetitur Deut. 14, 2. וָאֶשָּׂא יָדִי לְזֶרַע בֵּית יַעֲקֹב *Tum sustuli manum meam semini domus Jacobi.* Phrasi *sustuli manum meam* quidam notare volunt: ostendi potentiam et opem meam. Ita Hieronymus: „*Elevatio manus* sive *extensio*, habitum percutientis ostendit; ut percuteret pro eis Aegyptios et populum Israel de Aegypto liberaret. „Sed *jusjurandum* phrasi illa significari, quia jurantes manum in coelum levabant, veluti monstrantes eum, quem in testem vocabant, manifestum ex Deut. 32, 40., ubi Jova ipse, ut hic, loquens inducitur: כִּי־אֶשָּׂא אֶל־שָׁמַיִם יָדִי *nam levavi in coelum manum meam*, i. e. juravi, *et dixi:* ut *vivo*, scil. tam vere fiet quod juro. Et Dan. 12, 7. וַיָּרֶם יְמִינוֹ וּשְׂמֹאלוֹ אֶל־הַשָּׁמַיִם וַיִּשָּׁבַע *sustulit dextram suam et sinistram ad coelos et juravit.* Nec non Apoc. 10, 5. Ἦρε τὴν χεῖρα αὐτοῦ τὴν δεξιὰν εἰς τὸν οὐρανὸν, καὶ ὤμωσεν. Eadem, quae hic et infra Vs. 6. 15. legitur, phrasis eodem sensu exstat Exod. 6, 8. Num. 14, 30. Recte Chaldaeus: *et juravi eis verbo meo, semini domus Jacob.* וְאוֹדַע לָהֶם *Et innotui eis* misso ad illos Mose, et sic re ipsa me veracem probavi. Cf. Exod. 6, 3. 7. Chaldaeus: *et apparui ad servandum eos.*

6. אֲשֶׁר־תַּרְתִּי לָהֶם *Quam exploraveram*, s. provideram *eis*, tanquam explorator, prospiciens eis de sede commodissima, ubi

ejectis hostibus commode quiescerent. LXX: ἣν ἡτοίμασα αὐτοῖς. Vulgatus: *quam provideram eis.* זָבַת חָלָב וּדְבָשׁ Cf. Exd. 3, 8. et ad cum loc. not., et Jer. 11, 5. Verba צְבִי הִיא לְכָל־הָאֲרָצוֹת *decus est omnibus terris* pertinent ad commendandam praestantiam hujus terrae. „Inclytam esse terram Judaeae, et cunctis terris fertiliorem, dubitare non poterit, qui a Rhinocorura usque ad Taurum montem et Euphratem fluvium cunctam consideraverit terram, et urbium potentiam amoenitatemque regionum.“ HIERONYMUS.

7. אִישׁ שִׁקּוּצֵי עֵינָיו הַשְׁלִיכוּ *Vir*, i. e. quisque *abominationes oculorum suorum abjicite*, i. e. deastrorum simulacra, quae quum abominanda et exeerauda essent, ab istis cum jucunditate suspiciebantur. וּבְגִלּוּלֵי מִצְרַיִם אַל־תִּטַּמָּאוּ *Et idolis Aegyptiorum ne contaminate vos;* nam אֲנִי יְהוָה אֱלֹהֵיכֶם *ego Jova* sum *Deus vester.*

8. וַיַּמְרוּ־בִי וְלֹא אָבוּ לִשְׁמֹעַ אֵלַי *Sed rebellarunt contra me noluerunt que audire ad me.* Chaldaeus: *at refractarii erant verbo meo, et noluerunt obedire prophetis meis.* וָאֹמַר לִשְׁפֹּךְ חֲמָתִי עֲלֵיהֶם *Et dixi*, constitui apud me, *effundere iram meam super eos.* לְכַלּוֹת אַפִּי בָהֶם *Ad consumendam iram meam in iis*, vid. supra 6, 12. 7, 8.

9. וָאֶעֱשׂ *Veruntamen feci*, scil. aliter, quam apud me decreveram, nempe omne hoc, quod sequitur Vs. 10. sqq. Cf. Vs. 44. לְמַעַן שְׁמִי — בְּתוֹכָם *Propter nomen meum, ne profanaretur ad oculos gentium, quorum in medio*, inter quas scil. habitarunt. „Feci quod promiseram benevolus patribus, non quod iratus erga filios statueram, ne haberetur ludibrio Deus Hebraeorum, ut qui non potuisset in libertatem eos vindicare, proptereaque causatus fuerit ipsorum peccatis exacerbatum mutasse mentem, populumque suum delevisse. Quod facere cogitabam propter justitiam, non feci propter clementiae magnitudinem, ne pollueretur nomen meum, et viderer non potuisse complere, quod Israeli promiseram. Peperci igitur nomini meo, ne haberent occasionem blasphemandi nationes, inter quas notus factus sum eis in terra Aegypti. Hucusque quid eis promiserit in terra Aegypti constitutis et quomodo statim offenderint, et quid contra eos Dominus cogitaverit, et tamen non fecerit, Propheta describit. Quae sequuntur egressis de Aegypto loquutus est.“ HIERONYMUS. In verbis אֲשֶׁר נוֹדַעְתִּי אֲלֵיהֶם לְעֵינֵיהֶם sunt qui אֲשֶׁר אֲלֵיהֶם referunt ad הַגּוֹיִם, ut sensus sit: *quibus* gentibus *quoque notus factus sum, educturum me illos in oculis earum.* Sed נוֹדַעְתִּי אֲלֵיהֶם ad Israelitas pertinet, et jungendum est אֲשֶׁר לְעֵינֵיהֶם, quod ad *gentes* referendum, ut hic prodeat sensus: *quorum* sc. populorum, *in oculis innotuerunt eis*, cf. Vs. 14. 22. Vulgatus: *apparui eis.* Chaldaeus: *apparui ut liberarem eos.*

11. Liberatos ab acerba servitute in deserto probis et utilibus legibus instruxit, quibus observandis felicem et tranquillam

vitam eis conciliaret. חֻקּוֹת et מִשְׁפָּטִים sensu non differunt, ut quidam putant, qui nomine priori *decalogum*, altera, quae de Dei cultu constituunt, ac reliqua praeter decalogum imperata, intelligenda volunt. Sed utroque nomine significantur omnia omnino praecepta a Deo Israelitis praescripta, et saepius ea nomina conjunguntur, vid. Exod. 15, 25. 26. Mal. 3, 22., infra Vs. 25. אֲשֶׁר יַעֲשֶׂה אוֹתָם הָאָדָם וָחַי בָּהֶם *Quae si fecerit homo vivet per ea.* Eo respicit quod Moses, quum praecepta divina populo nota fecisset, disertis verbis testatus est Deut. 30, 16. 19. sqq. se proposuisse ante eorum oculos mortem et vitam, mortem quidem transgressoribus legum, vitam autem cultoribus. Verba וָחַי בָּהֶם Chaldaeus reddidit: וְיֵחֵי בְּהוֹן בְּחַיֵּי עָלְמָא *vivet eis vitâ aeternâ.*

12. וְגַם אֶת־שַׁבְּתוֹתַי נָתַתִּי לָהֶם *Et etiam sabbata mea dedi eis.* Sabbata *sua* vocat Deus, quasi suas ferias, quod diem septimum, quo ipse olim quievcrat a mundi opificio, suis voluit secum esse communem. *Plurali* utitur, quia singulis hebdomadis sabbata recurrunt. Alii sabbatum constituunt *triplex:* 1) *dierum*, quod proprie dicebatur sabbatum; 2) *mensium*, quod erat mensis septimus, magna sui parte festus; 3) *annorum*, annus septimus et jubilaeus. נָתַתִּי לָהֶם לִהְיוֹת לְאוֹת בֵּינִי וּבֵינֵיהֶם *Dedi iis ut sint in signum inter me et inter eos.* Repetit verba Dei apud Mosen, Exod. 31, 13. Theodoretus: *Sabbatorum enim lege eis praescripsi, non quasi ipsis vitam praestare possit* (unde nec addidit אֲשֶׁר יַעֲשֶׂה אוֹתָם וגו׳, ut Vs. 11.), *sed ut haec vitae instituendae ratio peculiaris a gentium eos distingueret institutis, meaque beneficia illis in memoriam revocaret.*

13. וַיַּמְרוּ־בִי בֵּית יִשְׂרָאֵל *Sed rebellarunt contra me domus Israelis.* LXX: καὶ εἶπα πρὸς τὸν οἶκον Ἰσραήλ. Quasi legissent בְּחֻקּוֹתַי לֹא־הָלָכוּ וְאֶמַּה אֶל־בֵּית יִשְׂרָאֵל. *In statutis meis non ambularunt.* LXX: Ἐν τοῖς προστάγμασί μου πορεύεσθε, καὶ οὐκ ἐπορεύθησαν. Sed in Theodoreto post πορεύεσθε sequitur verborum hebraicorum, prouti in codicibus nostris leguntur, interpretatio: καὶ παρεπίκραναν με ὁ οἶκος τοῦ Ἰσραὴλ ἐν τῷ ἐρήμῳ, ἐν τοῖς προστάγμασί μου οὐκ ἐπορεύθησαν. Quae ipsa verba graeca et in codice Alexandrino leguntur, sed post interpretationem verborum וָחַי בָּהֶם. De שַׁבְּתוֹתַי vid. ad Vs. 12.

14. וָאֶעֱשֶׂה *Sed* aliter *feci.* Cf. Vs. 9. אֲשֶׁר הוֹצֵאתִים לְעֵינֵיהֶם *Quorum ad oculos*, quorum in conspectu, *eduxi eos* ex Aegypto.

15. וְגַם־אֲנִי נָשָׂאתִי יָדִי לָהֶם בַּמִּדְבָּר *Et* quamvis *etiam ego sustuli manum meam iis in deserto*, jurando confirmavi, Vs. 5. 6. 23. Ἀπόδοσις sequitur Vs. 17. אֲשֶׁר־נָתַתִּי — לְבִלְתִּי *Ad non pervenire facere eos*, me non introducturum esse eos, *ad terram, quam dedi* „adde לָהֶם *eis*, quod pronomen exhibent omnes Veteres [et codices aliquot Kennicotti et De-Rossii], praeter unum

Chaldaeum. Errorem fecit Librario alterum לָהֶם, quod erat in linea superiore. Pertinet *eis* ad filios eorum, qui in deserto perierunt.“ Hubigantius. Ad reliqua Versus verba cf. Vs. 6.

16. יַעַן בְּמִשְׁפָּטַי מָאָסוּ *Propterea quod jura*, i. c. praecepta *mea respuerunt.* Verb. מָאַס construitur et cum Accusativo nominis, rem, quam quis aversatur, designantis, et per nomini tali praemissum, ut hic et Jes. 7, 15., proprie: *fastidio affici in re aliqua*, s. *per rem aliquam.* Ad חִלְּלוּ *profanarunt* in codicibus nonnullis מְאֹד *valde* additum, quod et Syrus expressit. Pro הָלַךְ habent דָּלַךְ in Praeterito tres De-Rossii codices et unus a prima manu, ut veteres plerique.

17. וַתָּחָס עֵינִי עֲלֵיהֶם מִשַּׁחֲתָם *Tamen pepercit oculus meus*, quasi indoluit *super iis* (cf. 16, 5.) *ut non perderem eos.* וְלֹא־ עָשִׂיתִי אוֹתָם כָּלָה בַּמִּדְבָּר *Nec feci eos consummationem in deserto*, non delevi eos prorsus, sed eorum filios in terram promissam introducendos conservavi. Eandem phrasin vid. Jer. 30, 11.

18. בְּחֻקֵּי — אַל־ תִּשְׁמֹרוּ *In statutis patrum vestrorum ne incedite, et jura eorum non servetis*, qualia sibi observanda finxerunt, nec quae ego praecepi. אַל־ תִּטַּמְּאוּ *Ne contaminetis vos.*

21. וַיַּמְרוּ־ בִי הַבָּנִים *Sed refractarii erant mihi filii.* Hoc Grotius ad tempora Judicum referri vult; at vates ipse in fine Versus ad tempus commorationis in deserto refert. Ceterum cf. Vs. 13.

22. וָאָשִׁיבֹתִי אֶת־ יָדִי *Retraxi tamen manum meam*, jam extentam ad eos plectendos; continui me, ne eos perderem. Cf. Thren. 2, 8. Ad reliqua verba cf. Vs. 14.

23. גַּם־ אֲנִי נָשָׂאתִי אֶת־ יָדִי לָהֶם בַּמִּדְבָּר *Attamen ego etiam sustuli manum meam iis in deserto*, juravi, vid. Vs. 15. לְהָפִיץ בַּגּוֹיִם — *Dissipare*, i. e. me dissipaturum esse eos *inter gentes, et dispersurum per terras.* „Ubi in veteri Testamento contra filios eorum, qui in solitudine corruerunt, Dominus levaverit manum suam, volens eos dispergere in nationes, Scriptura non dicit: sed ex eo, quod hic refert, factum esse credendum est.“ Hieronymus. Sed videntur vatis menti obversatae esse dirae quae in eos, qui praecepta divina negligunt, leguntur Levit. 26, 27. sqq., et cf. ibid. Vs. 33.

25. חֻקִּים לֹא־ טוֹבִים וּמִשְׁפָּטִים לֹא יִחְיוּ בָהֶם *Statutis non bonis*, et *institutis quibus non vivent*, sunt qui, Kimchio auctore, intelligant tributa, quae gentes victores imponebant, et quae Judaei quotannis pendere cogebantur, aliaque onera et leges, sub quibus serviebant barbaris gentibus. Nolebant parere legibus ad salutem datis, igitur cogebantur ferre leges duras tyrannorum. Alii *statutis non bonis et institutis mortiferis* designari existimant ritus moresque superstitiosos et impios, quos sequuti, divino permissu, pessum se dederc. Ut hoc dicat: quia noluerunt legibus

meis parere, abjeci eos, permisique, ut legibus iniquissimis inservirent, quarum observatio eis exitium afferret. Dicit Deum h. l. *effecisse*, quod tantummodo *permisit*, ut Jes. 63, 17. Israelitas non *indurasse*, aut *in terrorem adduxisse*, sed *suae contumaciae reliquisse*, *errare sivisse* perhibetur. Cf. Jes. 6, 10. et ibi not. Eadem ratio est locorum Exod. 4, 21. 7, 3. 10, 1. 20. 27. 11, 10. Jos. 11, 20., in quibus hostium Israelitarum pertinaciam, ab ipsis ortam, Deus non *effecisse*, sed *permisisse* dicitur. Ita et Storrius in *Observatt. ad Analog. et Syntax. Hebr.* p. 25. seqq., nostrum locum (Vss. 24. 25. 26.) explicat: „Quia Israelitae, spretis statutis meis, idola majorum suorum sectati sunt, propterea *etiam ego dedi iis statuta pessima et leges perniciosas*, i. e. teneri cos passus sum cultu pariter durissimo atque exitiali, eosque sacrificiis suis idololatricis, quae etiam filiis eos orbarunt, *contaminavi*, i. e. contaminari passus sum (אֲטַמֵּא אוֹתָם Vs. 26.), ut ea ratione pro sua a me defectione (Vs. 24.) per eas ipsas, quibus meas posthabuerunt, leges persolverent poenas, et orbi liberis atque vastati mearum atque peregrinarum legum discrimen usu tandem discerent. Cf. Rom. 1, 24. 27. sqq.“ Eodem modo jam Chaldaeus hunc locum interpretatus est: *ego quoque, quia praevaricati sunt in verbum meum, et noluerunt obedire prophetis meis, projeci eos, et tradidi eos in manum inimicorum suorum, et post concupiscentiam suam insipientem iverunt, et fecerunt decreta non recta.* Sic et Hieronymus: „Dedit eis Deus dispersis in gentibus praecepta non bona, hoc est, dimisit eos cogitationibus et desideriis suis, ut facerent, quae non conveniunt.“ Sed quo minus haec interpretatio admitti possit, illud impedit, quod phrasis נָתַתִּי לָהֶם חֻקִּים hoc loco eodem procul sensu capienda est, qualem ex omnium interpretum consensu supra Vs. 11. 12. obtinet, ubi non *permissive*, sed *active* sumitur, et positivam legis et Sabbati promulgationem denotat. Spencerus *de Legibus Hebr. rituall.* L. I. Cap. 4. et 14. p. 24. et 204. sqq. ed. Tubing. *statutis non bonis* intelligit multiplices illas atque molestas et observatu difficiles cultus Levitici ceremonias et ritus, Hebraeis in idololatriae ab Aegyptis haustae remedium praescriptos. Alias, sed minus probandas explicationes recensuit et refutavit Salom. Deyling in *Observatt. S. S.* P. II. p. 300. sqq. Atque is quidem p. 311. §. 16. recte vidit, per חֻקִּים et מִשְׁפָּטִים hoc Versu justa Dei *decreta* et *judicia* de Israelitis puniendis et exscindendis ob idolorum cultum et alia scelera ab iis commissa significare. Quae Dei decreta Israelitis sane fuerunt לֹא טוֹבִים *non bona, quibus nequaquam viverent.* „Ab hoc Versu,“ inquit, „vehemens incipit comminatio, qua Deus populum Israeliticum in desertis exscindere, et in diversas orbis partes dispergere et deportare, aliisque malis vexare et punire minatur, usque ad Versum 26. Singularem vero nexum, ac tantam cohaerentiam Versus 24. et 25. inter se habent, ut alter alterum egregie illustret. Nam uti in toto hoc Capite

primo peccata atque rebellio populi, et deinde in proximis verbis peccatorum poenae Deique vindicta commemorantur; ita idem ordo in utroquo hoc Versu observatur.“ Nec refragatur usus nominum מִשְׁפָּטִים et חֻקִּים, quorum illud de poenis ac judiciis gravissimis, quibus Deus in peccatores animadvertit, saepius dicitur, veluti Jes. 5, 16. 26, 9. Zephan. 3, 5. infra 39, 21., hoc vero, חֻקִּים, Zachar. 1, 6. divina decreta de impiis puniendis denotat. Recte igitur Ephrem Syrus *statutis* et *decretis non bonis* intelligendas putat calamitates, quas vates supra 14, 21. Hierosolymis immittendas minatur, scilicet bellum, exsilium, pestem, et malas bestias.

26. וַאֲטַמֵּא אוֹתָם *Pollui* et contaminari *eos permisi*, vid. not. ad Vs. 25. Alii: *impuros eos declaravi*, ut tales tractavi, coll. Levit. 13, 3., ubi de leproso: וְרָאָהוּ הַכֹּהֵן וְטִמֵּא אֹתוֹ *et cum viderit eum sacerdos, immundum pronuntiabit.* Hieronymus: „*et polluit eos in muneribus suis:* sicut sacerdos leprosos de populo separans, et eos pollutos esse demonstrans, dum idolis offerunt, quae Deo offerre debercnt.“ בְּמַתְּנוֹתָם *Donis eorum*, i. e. oblationibus deastrorum simulacris oblatis, de quibus idem nomen et infra Vs. 39. dicitur, et h. l. ipse declarat, dum addit: בְּהַעֲבִיר כָּל־פֶּטֶר רָחַם *trajiciendo* scil. בָּאֵשׁ *per ignem* (quod diserte exprimitur infra Vs. 31.) *omne quod aperit vulvam*, i. e. omne primogenitum (cf. Exod. 13, 2.). Primogenitos omnes Deus sibi offerri jussit, ut victimas, hominum tamen filios primogenitos redimi jussit, Exod. 13, 12. 13., quem locum noster manifeste respicit, usurpantur enim a nostro eadem plane, quae illic leguntur verba, וְהַעֲבַרְתָּ כָל־פֶּטֶר־רֶחֶם לַיהוָה *trades omnem apertionem uteri*, i. e. foetum, quo exeunte uter primum aperitur (cf. not. ad Exod. 13, 2.) *Jovae.* הַעֲבִיר propr. *transire facere*, quia quae Deo offerebantur, a manu offerentis transibant, quasi in Dei manum. Impii vero isti, in quos propheta invehitur, primogenitos suos, Jovae sacros, simulacris immolabant. Bene Grotius: „Ego primogenitos redimi volueram; illi sibi imposuerunt, ut Molocho eos ad mortem offerrent.“ Quod diserte vetitum Levit. 18, 21. וּמִזַּרְעֲךָ לֹא־תִתֵּן לְהַעֲבִיר לַמֹּלֶךְ *prolem tuam ne dato trajiciendam Molocho,* scil. per ignem, coll. Deut. 18, 10. *Non reperiatur inter vos* מַעֲבִיר בְּנוֹ־וּבִתּוֹ בָּאֵשׁ *qui suum filium filiamve per ignem trajiciat* (cf. 2 Reg. 16, 3.), pro quo Deut. 12, 31. dicitur: *filios suos filiasque cremant igne diis suis.* Ceterum בָּאֵשׁ post verbum הַעֲבִיר subaudiendum quoque supra 16, 21. et infra 23, 37. 39. לְמַעַן אֲשַׁמֵּם *Ut devastarem*, destruerem, *eos*, ut Jarchi post Chaldaeum interpretatur, collato eodem verbo supra 14, 8. 30, 12. 14. 1 Sam. 5, 6. Alii: *ut eos in stuporem agerem*, ad silentium redigerem, quo significatu verbum שָׁמַם supra 3, 15. infra 26, 16. 32, 10. nec non Esr. 9, 3. 4. usurpatur. לְמַעַן אֲשֶׁר יֵדְעוּ אֲשֶׁר אֲנִי יְהוָה *Ut cognoscerent quod ego Jova*, ut poenis immissis sentirent me esse Jovam, cujus minae non sunt inanes.

27. לָכֵן *Propterea*, cum propter peccata vestra, tum propter beneficia mea. Pergit namque ad exprobranda peccata, quae in terra Canaan commiserant. דַּבֵּר *Loquere.* Chaldaeus: אִתְנַבִּי *vaticinare.* עוֹד *Praeterea*, *amplius*, ut supra 8, 15., non satis esse putantes, in deserto me irritasse. זֹאת *Per hoc*, sive *hac re*, femininum pro neutro, et subaudito ב, quod habes 16, 29. Genes. 42, 15. Mal. 3, 10. Cf. infra 23, 38. Alii: *praeterea hoc* scil. factum est: גִּדְּפוּ אוֹתִי אֲבוֹתֵיכֶם *probris me affecerunt patres vestri.* Cui interpretationi refragatur accentus *Jethib*, nihil distinguens, qui voci זֹאת appositus.

28. לָהֶם — וַאֲבִיאֵם *Et quum introduxissem eos in terram, quam elevavi manum meam*, i. e. juravi *dare eam iis.* De כָּל־גִּבְעָה רָמָה וְכָל־עֵץ עָבוֹת Cf. ad phrasin supra 19, 11. et Ps. 118, 27., et ad rem loca ad phrasin praecedentem notata. וַיִּתְּנוּ־שָׁם כַּעַס קָרְבָּנָם *Et dabant ibi irritationem* s. aegritudinem *oblationis suae*, i. e. oblationem, qua, utpote simulacris facta, me irritarunt, et mihi aegre fecerunt. De רֵיחַ נִיחוֹחֵיהֶם cf. not. ad 16, 19. וַיְסִיכוּ שָׁם אֶת־נִסְכֵּיהֶם Liba simulacris fundebant (exemplum vid. Jerem. 44, 17.), quae Jovae fundenda erant, Levit. 23, 18.

29. וָאֹמַר אֲלֵהֶם מָה הַבָּמָה אֲשֶׁר־אַתֶּם הַבָּאִים שָׁם *Dixique ad eos* per prophetas: *quid est excelsum illud, quo vos abitis?* Cur hic potius itis, quam ad templum meum, quid in eis videtis eximii? Quare exstruxistis altaria in locis editis collibusque, quibus simulacris sacrificia facitis, quum ego vobis locum constituerim, quo mihi sacrificaretis? Haec, inquit, etsi per prophetas saepe cos monui, וַיִּקָּרֵא שְׁמָהּ בָּמָה עַד הַיּוֹם הַזֶּה nihilominus *tamen nomen ejus*, mihi maxime invisum et odiosum, *vocatur usque hodie?* i. e. manet et mos, et ipsum vocabulum a profanis gentibus desumtum. Vid. supra 16, 16. et cf. Ps. 78, 58. וַיַּכְעִיסוּהוּ בְּבָמוֹתָם *irritarunt eum excelsis suis.* Kimchi Suffixum in שְׁמָהּ refert ad *altare Jovae*, quasi dicat Deus: etiam altare meum nomine isto indecenti (בָּמָה) appellarunt, ob frequentem usum aedificandi altaria excelsa in lucis in honorem deastrorum. Exemplum affert 1 Reg. 3, 4. *Abiit Salomon Gabeonem, ut immolaret ibi, nam illic erat* הַבָּמָה הַגְּדוֹלָה *excelsum maximum*, i. e. sacrosanctum fanum s. tabernaculum, altareque sanctissimum, a Mose olim in deserto exstructa, quae Schilunte excisa Gibeonem allata fuerant, 2 Paral. 1, 3. Jarchi nomen בָּמָה *excelsum*, a vate h. l. ita usurpari censet, quasi pronomen interrogativum sit, מָה cum praefixo ב, *pro quo? quanti?* scil. aestimandum est (coll. Jes. 2, 22. כִּי־בַמָּה נֶחְשָׁב הוּא *nam quanti reputandus est* [homo]?), ut hoc dixerit Deus ad majores Israelitarum: quid est locus ille, quem frequentare amatis, illud excelsum, quod est nihili plane aestimandum, et res omnium vilissima? quare (addit vates) et nomine isto minus honesto ad hunc usque diem nuncupatur.

Similiter MICHAELIS in *Supplemm.* p. 190. nomen בָּמָה a vate irridendi animo usurpatum putat, quasi esset בָּא מָה *venit, nescio ad quid.*

30. Quum hactenus de patribus jussisset prophetam dicere, jubet nunc eum sese convertere ad *seniores*, qui eum consultum venerant (Vs. 1.), imo ad domum Israel, et eorum impudentiam accusare. הַבְּדֶרֶךְ אֲבוֹתֵיכֶם אַתֶּם נִטְמָאִים *Num in via patrum vestrorum polluetis vos?* (coll. Vs. 4. 18. 27.). וְאַחֲרֵי שִׁקּוּצֵיהֶם אַתֶּם זֹנִים *Et post abominanda eorum, vos scortamini?* i. e. idola eorum colitis. שִׁקּוּצִים enim, *abominationes*, saepe de idolis dici constat, e. c. Hos. 9, 10. Jerem. 4, 1., זָנָה vero de eorum cultu dicitur, ut Levit. 17, 7. supra 16, 17. Cohaeret vero hic Versus eum sequente hoc modo: *an quum vos eo quo patres vestri modo polluatis — ego nihilominus consulor a vobis?* Interrogatio affirmat, cum indignatione et detestatione, ut Jes. 58, 5., q. d. num et vos eo perversitatis processistis, ut peccatis majorum vestrorum indignissimis modis vos polluceritis, pollutique ita audeatis ad prophetam meum accedere, me per illum interrogaturi? „Patrum vestrorum imitamini vitia, et per easdem inceditis vias, ut delicta similia similem mereantur et poenam, et in tantum scelus processistis, ut filios vestros per ignem Daemonibus consecretis, nec semel hoc fecisse sufficiat, sed usque in praesentiarum agatis eadem. Non quod hoc seniores in captivitate faciant, sed quod illi, qui Hierosolymis morabantur, et quibus captivitas imminebat, hoc facere non cessarent. Et quum tantis flagitiis obligati sitis, responsionem, inquit, meam quaeritis? Vivo ego, dicit Dominus Deus, et juro per memetipsum, quia non respondebo vobis.“ HIERONYMUS.

31. וּבְשָׂאֵת מַתְּנֹתֵיכֶם *Et quando tollitis*, offertis, *dona vestra*, Vs. 26. בְּהַעֲבִיר בְּנֵיכֶם בָּאֵשׁ *Cum traducitis filios vestros per ignem.* Ad בְּנֵיכֶם additum habent וּבְנֹתֵיכֶם *et filias vestras* codices duo et editiones aliquot veteres, et pro לָכֹל exhibent בְּכָל codices duo Kennicottiani. וַאֲנִי אִדָּרֵשׁ לָכֶם *Ego tamen quaeror*, i. e. consilium dabo et respondebo *vobis?* חַי אֲנִי *Vivo ego*, ita vivo, אִם־אִדָּרֵשׁ לָכֶם *non respondebo vobis.*

32. וְהָעֹלָה עַל־רוּחֲכֶם הָיוֹ לֹא תִהְיֶה *Et quod ascendit in animum vestrum* (eadem phrasis Jerem. 51, 50.), quod cogitatis et animo concipitis, *essendo non erit*, nequaquam futurum est. נִהְיֶה כַּגּוֹיִם *Erimus* s. *simus sicut gentes* reliquae, מִשְׁפְּחוֹת הָאֲרָצוֹת כְּשָׁרֵת עֵץ וָאָבֶן *sicut gentes* reliquae *terrarum*, *ministrando*, i. e. religioso cultu prosequendo, *lignum et lapidem*, i. e. lignea et lapidea simulacra, ut Deut. 4, 28. 28, 36. 64. Verb. שָׁרֵת, proprie: *ministrare* alicui, hoc solo loco eo quo עָבַד significatu, de cultu religioso simulacrorum usurpatur. Quod vero Israelitae, qui hic loquentes inducuntur, dicunt hoc est: vivamus ritu gentium, ut bene sit nobis; sive, Grotio explicante,

similitudine cultus commendati tranquillius et amicius cum ipsis vivamus; nec exagitabimur tanquam miseri et exteri, sed quasi in familiam eorum recipiemur, et pro indigenis inter ipsos habebimur. Sed JARCHI: „Subtrahamus nos Dei jugo, quoniam ipse nos a se dimisit," sicut dominus servum, aut maritus uxorem; proinde Deus nihil juris amplius in nos habet. Quocum HIERONYMUS consentit, Versus hujus sensum ita exponens: „Ne putetis cogitationes vestras, quibus contra me blasphematis, posse compleri; dicitis enim: nolumus esse sub Domino, nec populus illius appellari; sed sicut cunctae in toto orbe sunt nationes, et unaquaeque gens suo vivit arbitrio, ut colat ligna et lapides, et idolis serviat, etiam nos una gens erimus e pluribus."

33. חַי אֲנִי — אִם־לֹא בְּיָד חֲזָקָה וּבִזְרוֹעַ נְטוּיָה *Vivens ego*, i. e. ne vivam ego, *dictum Domini*, Jovae, *nisi manu forti*, *et brachio extento* i. e. potentissime, *et in furore effuso regnabo super vos*, i. e. tamen non permittam, ut deficiatis a me, sed vindex ero mei juris et imperii, et invitos vos cogam ad me redire. „Ad haec (scil. quae improbi Israelitae Versu 32. cogitasse narrantur) respondet: non vos relinquam, inquit, neque contemnam, ut fugaces servos Domini negligentes solent contemnere, sed a meum retraham imperium, et brachio extento ac percutiente, ac furore effuso in pristinam vos redigam servitutem, et regnabo super vos, ut velitis nolitis me habeatis regem, et sentiatis regem iratum, cujus clementiam neglexistis." HIERONYMUS.

34. וְהוֹצֵאתִי אֶתְכֶם — וּבְחֵמָה שְׁפוּכָה *Et educam vos e gentibus*, *et colligam vos e terris*, *per quas dispersi estis*, *manu forti*, *et brachio extento et irâ effusâ*. Confirmat praecedentem sententiam, simulque designat modum dominationis. Nam quum Judaei dispersi essent in exilio et gentibus permixti, erant quasi abdicati et exhereditati a Deo; unde putabant vicissim, se esse liberos nec jam amplius spectare ad Dei imperium. Illa igitur conditio videri poterat quaedam exemtio vel immunitas. Nunc significat Deus cum volet jus suum recuperare, sibi in promtu esse rationem, qua ipsos iterum colligat et ita subigat, ne ejus imperium effugiant. Quasi dicat: quamvis eos iterum colligam, tamen jus meum asseram, et poenam de iis nihilominus exigam.

35. וְהֵבֵאתִי אֶתְכֶם — אֶל־פְּנִים *Et ducam vos ad desertum gentium*, *et disceptabo vobiscum ibi facie ad faciem*, praesens cum praesentibus. Quemadmodum, inquit Deus, olim majores vestros ex Aegypto eductos, priusquam in terram promissam introducerem, in deserto Arabiae detinui, quo impii et rebelles adversus me perirent; sic vos, postquam in Babylone et inter plures gentes dispersi debitas delictorum poenas solveritis, priusquam in patrium solum et in novam rempublicam remigrare faciam, severo judicio instituto, pios ab impiis segregabo. מִדְבַּר הָעַמִּים *Desertum populorum*, quod opponitur *deserto Aegypti*

(Vs. 36.), vastas illas solitudines videtur appellare, quae Babylonia Judaeam proficiscentibus sunt peragrandae. Ibi Israelitas undecunque collectos congregabit, ut deligat sincere pios, qui soli sint digni futuri, ut novae reipublicae cives fiant, ceteris exclusis. וְנִשְׁפַּטְתִּי אִתְּכֶם *Disceptabo vobiscum*, cf. not. supra ad 17, 20. Chaldaeus: וְאֶתְפְּרַע מִנְּכוֹן *et vindictam sumam a vobis.* Eodem modo eandem dictionem Vs. sq. reddit. פָּנִים אֶל־פָּנִים *Facie ad faciem*, i. c. ut inter se confligunt adversarii, et quasi conscrtis manibus pugnant.

36. אִתְּכֶם — כַּאֲשֶׁר *Quemadmodum disceptavi cum patribus vestris in deserto terrae Aegypti, ita disceptabo vobiscum* iterum. Sicut judicio contendi cum patribus vestris, et immorigeros ab ingressu in terram promissam prohibui (vid. Num. 14, 22. 23.), ita et vobiscum judicium instituam. מִדְבַּר אֶרֶץ מִצְרַיִם *Desertum terrae Aegypti* vocat desertum Arabicum, Aegypti contiguum.

37. וְהַעֲבַרְתִּי אֶתְכֶם תַּחַת הַשָּׁבֶט *Tum transire faciam vos sub virga* scil. pastorali, de qua nomen שֵׁבֶט et Levit. 27, 22. atque Mich. 7, 14. asurpatur, more pastoris numerantis pecora. Velitis nolitis, inquit Deus, mei semper eritis, et vos recensebo, atque sub mea ditione asseram, et qui se emancipatos putant cogam ad reddendam rationem. וְהֵבֵאתִי אֶתְכֶם בְּמָסֹרֶת הַבְּרִית *Et adducam vos in vinculum foederis*, subjiciam vos legibus meis, quibus nunc soluti videmini, cogam vos stare pactis. מָסֹרֶת, *Vinculum*, a radice אָסַר, contracte pro מַאְסֹרֶת, ut מַכֹּלֶת *cibus* 1 Reg. 5, 25. ab אָכַל, formae מַחְגֹּרֶת. Alii cum Jarchio referunt ad radicem מָסַר *tradidit* (Num. 31, 5. 16.), ut sit: *in traditionem foederis*, i. e. in foedus, quod tradidi et exhibui vobis. Verba בְּמָסֹרֶת הַבְּרִית LXX reddunt ἐν ἀριθμῷ. „Putavit Cappellus, eos pro מָסֹרֶת legisse מִסְפָּר. Sed equidem potius crederem, Graecos illos sic legisse, uti hodie in codice Hebraeo habetur, eosque recte et eleganter illud vertisse ἐν ἀρθμῷ, vel ἐν ἀρθμῷ διαθήκης (nam in quibusdam codicibus additur vox διαθήκης). Optume vocabulum ἀρθμός exprimit illud Hebraeum; denotat enim *foedus*, *vinculum*, *foederis et amicitiae.* Hesychius: Ἀρθμός, εἰρήνη, συνθήκη, φιλία. Apud Aeschylum junguntur ἀρθμός et φιλότης in *Prometheo vincto*, Vs. 191. Quod igitur bene admodum verterant Graeci, corrupit scriba imperitus, qui forsan ignorans vocem ἀρθμῷ, pro ea reposuit ἀριθμῷ.“ Lambert. Bos in *Animadverss. Critt.* suae τῶν LXX editioni praemissis.

38. וּבֹרוֹתִי מִכֶּם הַמֹּרְדִים וְהַפּוֹשְׁעִים בִּי *Expurgabo*, segregabo, eligam, *e vobis rebelles et contumaces, in me.* מֵאֶרֶץ מְגוּרֵיהֶם אוֹצִיא אוֹתָם *E terra commorationis ipsorum educam eos. Terrâ commorationis suae* h. l. non intelligenda est Judaea, ut Grotius existimat, quod sic appellctur, quia ad tempus illam ha-

bitarent, quamque in perpetuum sibi mansuram gloriarentur (et eodem nomine terra Canaan respectu ad majores Israelitarum nuncupatur Genes. 17, 8. 28, 4. 36, 7. Exod. 6, 4.); sed terra, in qua exsules commorabantur. Opponitur enim *terrae Israelis*, אַדְמַת יִשְׂרָאֵל, in quam לֹא יָבוֹא *non sit venturus* scil. quisquam illorum rebellium. JARCHI: „E terra exsilii sui eos educam, et in deserto interficiam.“ Ut olim in deserto Arabiae immorigeri perirent, neque omnibus, qui educti sunt de Aegypto, fas fuit, in terram intrare promissam. Exsules impios non redituros in patriam, minatur et Jer. 22, 27. 44, 14. Pro לֹא יָבוֹא habent לֹא יָבֹאוּ codices plures. Pluralem veteres omnes exprimunt. „Sic postulat contextus, conjiciuntque scribae ad marginem codicum.“ DE-ROSSI. Sed verbum singulare est distributive capiendum, ut vertimus.

39. אִישׁ גִּלּוּלָיו לְכוּ עִבְדוּ *Via*, i. e. quisque, singuli, *idola sua ite!* agedum, *colite!* Est ironia quae hoc vult: agatis quod vultis, et vestram sequamini cupiditatem. וְאַחַר אִם־אֵינְכֶם שֹׁמְעִים אֵלָי *Et posthac, si mihi obedire renuitis.* Alii אִם eum praecedenti אַחַר connectunt hoc modo: *posteaquam*, s. quandoquidem renuitis mihi obedire. Ite, inquit, simulaeris vestris servite, ut coepistis, et sentietis tandem, quam cladem vobis vestra impietate conciliaritis. וְאֶת־שֵׁם קָדְשִׁי לֹא תְחַלְּלוּ־עוֹד בְּמַתְּנוֹתֵיכֶם וּבְגִלּוּלֵיכֶם *Et nomen sanctitatis meae*, nomen meum sanctum, *ne profanetis posthac donis vestris et idolis vestris.* Malo, ut manifesti sitis idololatrae, quam ista simulatione vestra mihi injuriam inuratis, dona mihi offerendo, et simul idola colendo; nolo, ut me colatis una cum simulacris.

40. כִּי *Nam* certe, q. d. vos abite, ego nihilominus habeo Israelem, qui mihi serviet. Intelligit illos, qui exeidio impiorum superstites fuerint (Vs. 38.). בְּהַר מְרוֹם יִשְׂרָאֵל Vid. not. ad 17, 23. כֻּלָּה בָאָרֶץ *Omnis ille* Israel *in terra*, quotquot terrae erunt incolae, omnes et singuli integrum mihi cultum exhibebunt; omnes reipublicae instauratae cives pii mei cultores erunt. וְשָׁם אֶרְצֵם *Et ibi acceptos habeo eos*, favore ac benevolentia prosequar. Cf. infra 43, 27. אֶדְרוֹשׁ אֶת־תְּרוּמוֹתֵיכֶם *Requiram oblationes vestras.* Mutatio personae: oblationes vestrae tam gratae mihi erunt, ut videar requirere eas. Cf. Mal. 3, 4. *Tum grata erit Domino oblatio Judae et Hierosolymae sicut temporibus antiquis.* Est autem תְּרוּמָה proprie *elevanda oblatio*, quam quis Deo dicat, in templo elevandam, quod dum offertur a sacerdote, elevatur coram Deo, cf. Exod. 25, 2. 29, 28. Levit. 7, 14. 32. וְאֶת־רֵאשִׁית *Et primitias*, de quibus vid. Exod. 23, 19. Levit. 2, 14. Num. 15, 20. Deut. 26, 2. מַשְׂאוֹתֵיכֶם *Oblationum* s. munerum *vestrorum*, 2 Paral. 24, 6. 9. בְּכָל־קָדְשֵׁיכֶם *Cum omnibus sacris vestris*, i. e. rebus, quas mihi consecraveritis, cf. Exod. 28, 38. Levit. 22, 16. Alii קָדָשִׁים h. l. de feriis sacris usurpa-

tum volunt, hoc sensu: in universis festis et solennitatibus vestris primitias, et decimas, donaria et tributa a vobis oblata suscipiam. Sed nusquam alias nomen illud de *festis* dicitur.

41. בְּרֵיחַ נִיחֹחַ אֶרְצֶה אֶתְכֶם *Cum odore recreationis*, i. e. recreante, refocillante, *acceptos vos habebo*, eritis mihi carissimi, placebitis mihi in modum odoris suavis. Loquutio depromta ab oblatione victimarum nec non variarum suffitionum, quarum ustio aut assatio suavem odorem pariebat. Quia vero omnis bonus odor recreat, et ille odor ac fumus ascendebat in coelum, veluti ad Deum, ideo dicebantur illa offerri in *odorem quietis* aut *refocillationis* Domino, vid. Genes. 8, 21. Exod. 29, 18. Levit. 1, 9. 13. וְנִקְדַּשְׁתִּי בָכֶם *Et sanctificabor inter vos*, sanctus, potens, mirabilis praedicabor, quum vos eduxero e terris, in quibus exsules versati estis, non secus atque olim, cum patres vestros ex Aegypto eduxi. Grotius: „Tunc fiet, ut populi omnes meas vires, quas in vobis reducendis ostenderim, agnoscant.“ בָּכֶם dupliciter accipi potest, passive, ut dicunt, et active, in vobis liberandis, extollendis; vel, in vestra sanctitate, pietate et religione. Idem repetit infra 28, 25. Sententia hausta ex Levit. 22, 32. 33.

43. וּזְכַרְתֶּם־שָּׁם אֶת־דַּרְכֵיכֶם *Tum recordabimini ibi viarum vestrarum*, i. e. tantis provocati beneficiis pudebit vos admissorum criminum et praeteritae ingratitudinis. Eadem, quae hic leguntur, infra 36, 31. repetuntur. וְנִקֹטֹתֶם בְּפְנֵיכֶם Vid. not. ad 6, 9.

44. כִּי אֲנִי יְהוָה *Quod ego Jova*, memor promissionum, quas feci Abrahamo, Isaaco, Jacobo. בַּעֲשׂוֹתִי אִתְּכֶם *Quando* ita benigne *vobiscum agam*. Hoc sensu bono verbum עָשָׂה absolute et supra Vs. 9. usurpatur. לְמַעַן שְׁמִי *Propter nomen meum*, solo nominis mei respectu, ut promissis starem; non propter facta vestra, qua alia omnia promerita erant.

XVI.

CAP. 21.

Argumentum.

Vates divino jussu Hierosolymitanae urbis excidium praedicit, primo quidem ignis cuncta consumentis parabola usus (Vs. 1—4.), cujus mentem ipse exponit (5 — 10.), deinde imagine gladii acuti, magnam stragem edituri in terra Israelitica (11 — 22.). Tum, qui ensem illum sit gestaturus, rex Babylonius, ipse in scenam producitur, in bivio oracula consulens, utra via ipsi sit ingredienda (23 — 26.). Responso accepto, cum exercitu Hierosolymam expugnatam proficiscitur, quam undique aggressus mox capit, ut scelerum meritas poenas luat et populus (27 — 29.), et rex impius, qui regno exuctur (30 — 32.). Ammonitis, de reipublicae Judaicae excidio exsultantibus, denuntiatur, eandem, quae Judaeis immineat, gravissimam calamitatem, et ipsis decretam, et certo paratam esse (33 — 37.).

Nactum est nostrum oraculum interpretem praestantissimum C. F. Schnurrer, qui in peculiari Dissertatione, Tubing. 1788. edita, et repetita in suis *Dissertatt. junctim editt.* p. 433. sq. illud pertractavit. Observationibus, quas ex sui ingenii atque doctrinae penu hausit, ad vatis mentem intelligendam utilissimis, interseruit excerpta ex R. Tanchumi, Judaei Hierosolymitani, in Prophetas Commentario arabico, adhuc inedito, descripta e codice olim Pocockiano, nunc Bodleiano. Praeterea praemisit specimen versionis cujusdam arabicae itidem ineditae, ab auctore ignoto profectae, quem tamen Judaeum fuisse, Saadiae aetate haud multum inferiorem, ipsi credibile est. Versioni arabicae, quae in Bibliis Polyglottis legitur, illa hoc certe praestat, quod ex ipso textu hebraico, non ex versione Graeca est confecta. Attamen Schnurrerus ipse fatetur interpretem illum haud omnino talem se comprobasse, qui suscepto operi rite ac probabiliter perficiendo ex omni parte sufficeret.

1. Quinque priores hujus Capitis Versus junguntur in pluribus libris Capiti praecedenti. Male. Nam quae inde a Versu sexto sequuntur, explicationem continent eorum, quae praecesserunt. Et Hieronymus septimum Commentariorum in hunc prophetam librum incipit hoc Versu.

2. בֶּן־אָדָם *Fili hominis!* homo! Vid. ad 2, 1. שִׂים פָּנֶיךָ *Pone faciem tuam*, i. e. converte tc. Nam prophetae, ut observat Grotius, de quibus vaticinaturi erant, ad eos se vertebant. Conf. de hac phrasi supra ad 6, 2. 13, 17. Recurrit infra Vs. 7. et 25, 2. 29, 2. 35, 3. 38, 2. Chaldaeus: קַבֵּל נְבוּאָה *Suscipe prophetiam.* דֶּרֶךְ תֵּימָנָה *Via austri*, s. *austrum versus* (quomodo דֶּרֶךְ et infra 40, 6. 10. 19. 20. 22. sumitur), i. e. ex boreali Syria apud Chaboram fluvium, ubi jam exul degis, convertas vultum Hierosolymam (cf. Vs. 7.) versus, quae prophetae tum ad austrum erat. Babylonia ad septentrionem terrae Israeliticae describitur, vid. not. ad 1, 1. 4. וְהַטֵּף *Et stillare fac* scil. מִלָּתֶךָ *sermonem tuum*, seu מִלֶּיךָ, *verba tua* (coll. Job. 29, 22.). „Verbum hoc, in quo metaphora non absimilis est ab ea, qua *oratio fluere* dicitur, de propheticis declamationibus dici consuevit, veluti Amos. 7, 16. Mich. 2, 6.“ Schnurrer. Pro אֶל־אַדְמַת דָּרוֹם infra Vs. 7., ubi hic Versus verbis clarioribus expressus, ponitur אֶל־מִקְדָּשִׁים *ad sanctuaria.* יַעַר הַשָּׂדֶה נֶגֶב, pro quo mox Vs. 3. simpliciter יַעַר הַנֶּגֶב *sylva australis* dicit (ut הַשָּׂדֶה pleonastice positum supra 17, 24. in כָּל־עֲצֵי הַשָּׂדֶה), infra Vs. 7. אַדְמַת יִשְׂרָאֵל, *terram Israel* exponit, quam *saltum* vocat, quod, Hieronymo observante, bestiarum ac ferocium hominum habitatio est. Alii alias ejus appellationis comminiscuntur rationes. Sunt, qui terram Judaicam ita nuncupatam putent, quod montuosa et passim nemorosa esset, vel, quod ex agro optimo, cultissimo atque uberrimo ager sylvescens et horrescens, seu opaca sylva futura erat, ex imminenti desolatione, quam Deus illaturus erat. Veram comparationis *terrae* cum *sylva* rationem non dubito in eo positam esse, quod sicut sylva arboribus, ita terra hominibus eam colentibus est repleta, vid. infra Vs. 3., ubi homines *arboribus* comparantur, et cf. Jes. 29, 17. 32, 15. 18.

3. מַצִּית־בְּךָ אֵשׁ *Incendens* ero (cf. חֲצִית אֵשׁ Jer. 11, 16.) *in te*, Hierosolyma, aliisque oppidis et villis, *ignem*, i. e. omnibus excisionem, inflammationem, depopulationem, vastitatem inferam. Ignis hic non incendium tantum significat, sed omne, quod absumit, ut supra 19, 12. כָּל־עֵץ־לַח וְכָל עֵץ יָבֵשׁ *Omnem arborem viridem et omnem arborem aridam.* Quod infra Vs. 8. 9. צַדִּיק וְרָשָׁע exponitur. Alii comprehendi putant principes et subditos, senes et juvenes, divites et pauperes, coll. supra 17, 24. לֹא־תִכְבֶּה *Non exstinguetur*, non cessabunt immissa mala, nisi peractis, quae decrevi. שַׁלְהֶבֶת Infinitivus nominascens conjugationis *Schaphel* verbi לָהַב, *arsit* (praeter hunc locum bis, Job. 15, 30. Cantic. 8, 5. obvius), Aramaeis frequentior. Duo nomina לַהַבת שַׁלְהֶבֶת per appositionem juncta in statu absoluto intendunt sensum, *flamma, flamma*, i. e. flamma ardentissima. וְנִצְרְבוּ־בָהּ כָּל־פָּנִים *Et adurentur ea omnes facies*, „non significat *omnium* hominum *facies*, ut 7, 18., nam de ho-

minibus, illisque non adurendis sed consumendis sermo est, sed פָּנִים *faciem* denotat, sed *latus*, ut sensus sit: quaquaversum, ex omni parte, omnia conflagrabunt.“ Schnurrerus. מִנֶּגֶב צָפוֹנָה *Ab austro* Judaeae *usque ad septentrionem* ejusdem, ab uno fine ad alterum, ut infra Vs. 9. Alii: ab Hierosolyma usque ad Chaldaeam. Sed ad solos Judaeos spectare totum hoc oraculum, manifestum est.

4. וְרָאוּ כָל־בָּשָׂר *Ut videant*, cognoscant, *omnis caro*, omnes mortales, quibus haec innotescent. כִּי אֲנִי יְהוָה בִּעַרְתִּיהָ *Quod ego*, *Jova accenderim eam* flammam. לֹא תִכָּבֶה *Non* enim *exstinguetur*, Vs. 3. Jer. 7, 20.

5. אֲהָהּ LXX *Μηδαμῶς*. Vulgatus: *A! a! a!* Chaldaeus: קַבֵּל בָּעוּתִי *suscipe deprecationem meam.* הֵמָּה *Illi*, quippe contumaces et refractarii, 2, 7. 3, 7. אֹמְרִים לִי *Dicunt*, vel *dicturi sunt mihi*, si haec eis eo modo enunciavero. Conf. Jer. 17, 15. הֲלֹא מְמַשֵּׁל מְשָׁלִים הוּא *Nonne parabolizator parabolarum ille* (cf. supra 17, 2.)? Nonne iste homo semper est perplexiloquus? q. d. delirus nil nisi parabolas, quae nec intelliguntur, nec cohaerent inter se, habet in ore.

7. Explicatius nunc et disertius declarat, quod antea parabolice dixerat, ne excusationem auditoribus relinqueret ullam. שִׂים פָּנֶיךָ אֶל־יְרוּשָׁלַם Vid. Vs. 2. „מִקְדָּשִׁים Non *loca sancta* universe innuit, sed templum maxime Hierosolymitanum cum sacris omnibus ad illud pertinentibus, ut est apud Jerem. 51, 51. כִּי בָאוּ זָרִים עַל־מִקְדְּשֵׁי בֵּית־יְהוָה *Quia barbari occuparunt templum Jovae sacrum.*“ Schnurrerus.

8. Nomini יְהוָה multi libri manu scripti et nonnulli typis exarati praeponunt אֲדֹנָי. Consentiunt LXX, cod. Alex., SH., Vulgatus et Syrus. הִנֵּנִי אֵלַיִךְ *En me ad te*, i. e. contra te insurgam, cf. Jer. 50, 31. 51, 21. Chaldaeus: *ecce ego mitto furorem meum contra te.* וְהוֹצֵאתִי חַרְבִּי מִתַּעְרָהּ *Et educam gladium meum e vagina sua*, i. e. mittam contra te Chaldaeum a me armatum, quo velut gladio usurus sum ad exsequenda supplicia a me decreta. Idem repetitur Vs. 9. 10. וְהִכְרַתִּי מִמֵּךְ *ut exscindam*, auferam *ex te* et terra tua, cf. 14, 13. 17. צַדִּיק וְרָשָׁע *justum et improbum* sine discrimine. Nam et pii poenis et incommodis saepe involvuntur cum impiis. Conf. Job. 9, 22. Alii *justos* h. l. vocari putant per catachresin eos, qui tales videbantur, quum revera sontes essent, et supplicium mererentur. Similiter R. Tanchum צַדִּיק observat non intelligendum de eo, qui vere sit talis, sed de eo, qui sibi suisque asseclis talis videtur, quemadmodum *falsi prophetae* et *prophetae Baalis* dicuntur *prophetae* juxta ipsorum opinionem, et Chananja Jerem. 28, 10. *propheta* dicitur. Sed recte monet Schnurrerus, non esse tam anxie verbis inhaerendum, ut quae nonnisi publicam omnibusque communem cladem indigitent. Cf. supra 9, 4—6.

Non placet Grotii interpretatio Chaldaeo interpreti consona; auferam ex te bonos, eos in exsilium mittendo, malos male perdendo.

9. יַעַן אֲשֶׁר־הַכְרֵתִי — צָפוֹן *Propterea quod exscindam ex te insontes et malos, ideo exibit ensis meus ex vagina sua contra omnes mortales ab austro usque ad aquilonem.* Sunt qui hujus Versus sensum hunc existiment: quia excidi justos et impios in mea gente, quanto magis puniam alias gentes ab Hierosolyma usque ad Chaldaeam, quae Israelitarum ruinae insultarunt eamque promoverunt. Cf. Jer. 25, 28. 29. Verum, ut monuimus supra ad Vs. 3., ad solos Judaeos totum hoc vaticinium spectat, quare מִנֶּגֶב צָפוֹן terrae Judaicae fines tantum indicare censendum est.

10. לֹא תָשׁוּב עוֹד *Non revertetur amplius* in vaginam suam, donec funditus consumserit, Vs. 4. Sic comparat postremam hanc cladem cum superioribus, in quibus, castigato aliquantisper populo, tanquam recondebat gladium in vaginam suam.

11. Quoniam exempla et facta magis movent, quam verba, jubetur vates dolorem, quem conceperat ex clade Hierosolymae imminente, significare gemitibus et suspiriis, ut suorum animos ad rem sedulo reputandam eo magis excitaret. הֵאָנַח *Ingemisce!* Verbum Tanchum observat proprie significare *turgescere* et *spiritum demittere*, et arabice eodem fere sensu usurpari verbum harmonicum, dicique quum quis emittit spiritum e pectore, postquam extendit illud, ut in moerore et indignatione. בְּשִׁבְרוֹן מָתְנַיִם *Cum confractione lumborum*, ut solent acerbe lugentes et gementes ruere fere in genua, ac si lumbi confracti et officio suo inidonei essent. Cf. Deut. 33, 11. מְחַץ מָתְנַיִם קָמָיו *Percute lumbos insurgentium contra eum.* Ps. 69, 24. וּמָתְנֵיהֶם תָּמִיד הַמְעַד *et lumbos eorum fac continuo vacillare.* Alii suspiria indicari putant parturientibus propria, quasi dicat: ingemisce, ejulare, quasi parturiens solet prae dolore vehementi, coll. Jes. 21, 3. *Propterea repleti sunt lumbi mei dolore, tormina corripuerunt me instar torminum parturientis.* Nahum. 2, 11. *Titubatio genuum* וְחֻלְחָלָה בְּכָל־מָתְנַיִם *et dolor in omnibus lumbis.* Male Grotius: „Altum ingeme, ut qui pleuritide laborant.“ Nec magis probandum est, quod alii *infractionem lumborum* oppositam putent phrasi *accingere lumbos*, quae significat: se praeparare ad laborem aliquem, vires suas confirmare, quasi nostra verba hoc velint: *abrupto* ex gravitate luctus *cingulo*, vestibus laxis, solutis et laceris, tanquam tui negligentissimus et ad omnes actiones imparatissimus. Rectius Schnurrerus nostra verba ait ex eo declaranda esse, quod qui attoniti sunt atque ex timore imminentis calamitatis stupefacti, Hebraeis dicuntur *lumborum doloribus correpti* esse, veluti Jes. 21, 3. Nah. 2, 11., contrarium vero חֵזֶק מָתְנַיִם Nah. 2, 2. est, animum recipere ac

confirmare; itaque בְּשִׁבְרוֹן מָתְנַיִם esse: cum summo animi angore. וּבְמָרִירוּת *Et cum amaritudine*, amarissimo fletu et ejulatu, cf. infra 27, 31. Jes. 22, 4. 33, 7. Jerem. 6, 26. Duo codices Kennicotti habent וּבְמָרִירוּת לֵב *in amaritudine cordis.*

12. עַל־מָה אֲהָה נְאָנָח *Propter quid tu gemens* es? אֶל־שְׁמוּעָה כִּי־בָאָה *Ob famam, quia advenit.* אֶל *Propter, ob*, pro עַל ut supra 6, 9. עַל־שְׁמוּעָה exhibent novem codd. Kennicotti et interpretes veteres omnes עַל exprimunt. שְׁמוּעָה *Famam*, nuncium futuri mali, ut supra 7, 26. כִּי בָאָה scil. רָעָה, coll. supra 7, 5. וְנָמַס כָּל־לֵב *Ut liquescat omne cor*, animi timore ac perturbatione plane fracti et enervati erunt, cf. Jes. 19, 1. Nah. 2, 11. וְרָפוּ כָּל־יָדַיִם *Remissae*, enervatae erunt *omnium manus*, ut nihil confiecre queant, cf. supra 7, 17. Jes. 35, 3. וְכָהֲתָה כָּל־רוּחַ *Et caligabit omnis spiritus*, i. e. pavore aretabitur et contrahetur omnis animus, ut deficiat; sic de animo verbum כָּהָה dicitur et Jes. 61, 3., quod alias vel de oculis caligantibus, ut Gen. 27, 1. Dent. 34, 7. Job. 17, 7., vel de fronte in rugas contracta, ut 1 Sam. 3, 13. usurpatur. Alii comparant arabicum كهي *imbecillis, pusillanimis fuit.* De phrasi וְכָל־בִּרְכַּיִם תֵּלַכְנָה מָיִם vid. not. supra ad 7, 17. Schnurrero haec formula, quam *ire per aquam* vertit, videtur nonnisi *vacillandi*, *labandi* sensum habere, quod qui per aquam vadit, maxime fluentem, firmum gressum vix habet, sed labantibus genubus incedit, ut igitur כָּל־בִּרְכַּיִם תֵּלַכְנָה מָיִם insolentius dictum sit pro כָּל־בִּרְכַּיִם תִּכָּשַׁלְנָה Ps. 109, 24. Jes. 35, 3.

13. Sunt, qui novam hic, et ab iis, quae antecedunt, distinctam orationem incipere existiment. Sed vix dubium, quae sequuntur cum superioribus unum continuum oraculum efficere. Disertius jam exponuntur, quae Vs. 7—9. summatim dicta erant. Versus 11. et 12. praefationis instar sunt ad eam, quae inde a Vs. 14. sequitur, vaticinationem singula speciatim indicantem.

14. חֶרֶב חֶרֶב *Ensis*, *ensis*. Repetito חֶרֶב Chaldaeus, et, eo auctore, Jarchi, significari putant ensem duplicem, unum regis Babylonii, prius grassaturum, alterum, Ammonitarum, quem gestaturus sit Ismael, Nathaniae filius, qui Gedaliam interfecit, vid. Jerem. 41, 2 3. Sed repetitio nominis חֶרֶב mere emphatica est, ut Deut. 16, 20. צֶדֶק צֶדֶק תִּרְדֹּף *justitiam, justitiam persequitor*; cf. Levit. 13, 45. Ps. 22, 2. הוּחַדָּה וְגַם־מְרוּטָה *Exacutus est, et etiam politus*, tersus (ut infra Vs. 33. 29, 18.); ut coruscus omnes ex adverso spectantes fulgore suo praestringat. Solet enim splendor ensis politi terrere hostes. R. Tanchum מרוטה positum vult pro מוּרָטָה, Praeterito Pyhal (cujus Participium praeteritum occurrit 1 Reg. 7, 43.), ut Vs. seq., ut conveniret cum antecedenti הוּחַדָּה. Sed recte monet Schnurrerus, מְרוּטָה bene defendi posse, si subaudias pronomen הִיא, vicem verbi substantivi hic sustinens.

15. לְמַעַן טְבֹחַ טִבְחַ הוּחַדָּה *Ut mactet mactationem exacutus est.* Verbo טִבְחַ adjungit suum nomen verbale, ad rem vehementius exprimendam. Cf. Gen. 27, 33. Jes. 24, 16. לָמַעַן הָיְתָה־לָּהּ בָּרָק מוּרָטָה *Ut sit ei acies micans polita.* הָיְתָה (pro הָיוֹת) Infinitivus terminationis Chaldaicae, ut וּרְאֹה *et videre*, Ps. 142, 5. עַנֵּה *affligere*, Exod. 22, 22. In מוּרָטָה Participio Pyhal, pro מְמוֹרָטָה, literae ט inscriptum Dagesch forte est euphonicum. Verba אוֹ נָשׂוּשׂ שֵׁבֶט בְּנִי מְאָסַת כָּל־עֵץ difficilioris sunt interpretationis. Difficultatem illud potissimum creat, quod nomini masculino שֵׁבֶט et hic et infra Vs. 18. jungitur adjectivum femininum, מְאָסַת. Unde quidam sese ita expediunt, ut vocem מְאָסַת, quam, ut reliqua duo feminina in hoc Versu, הוּחַדָּה et מוּרָטָה, ad חֶרֶב referunt, a dictione שֵׁבֶט בְּנִי divellant, orationem vero hoc modo imperfectam ita suppleant: עַל שֵׁבֶט בְּנִי יְצָאָה חֶרֶב מְאָסַת כָּל־עֵץ hoc sensu: *quomodo laetabimur?* quandoquidem gladius iste exacutus paratus est, ut prodeat *contra virgam* s. tribum *filii mei*, eamque excidat, *et aspernetur omnes* alias *arbores*, i. e. pareat aliis gentibus. Q. d. nequaquam nobis gaudendum est, quasi gladius iste exacutus et politus hostibus sit destinatus, quum potius in tribum filii mei sit saeviturus, aliis vero pariturus. Ita Kimchi, quem plures ex Hebraeis et nostratibus sequuntur. In qua tamen interpretatione plura textui inferuntur pro lubitu. Schnurrerus vocem נָשׂוּשׂ pro nomine habet, ad verbum נָשַׁשׂ referendo, a quo Arabes nomen נְשָׂשָׂה *virga* habent, quam ipsam significationem nostro נָשׂוּשׂ tribuendam censet. Locum ita interpretatur: *O baculum! sceptrum filii mei* (populi Judaici, coll. Exod. 4, 22. Hos. 11, 1.)! *Spernit enim* (*gladius* ille) *qualecunque lignum*, i. e. neque enim lignum tam durum, cui findendo non par sit ille gladius. „*Sceptrum* pro imperio dictum est, *Gladius* vim denotat ac potentiam Babylonio a Jova traditam ad alias gentes exagitandas subigendasque. Hoc itaque vult propheta: rempublicam Judaicam certissimo venturam esse in arbitrium potestatemque Babylonii, tanta cum vi reliquas gentes petituri, ut omnis propulsandi hostis conatus plane vanus futurus sit atque irritus.“ Sed נָשׂוּשׂ Hebraeis *virgam* notasse, sola arabici נְשָׂשָׂה comparatione mihi non persuadetur. Tutius certe videtur, illam vocem ad idem verbum referre, unde אָשִׂישׂ *gaudebo*, Jes. 61, 10., יָשִׂישׂ *gaudebit*, Deut. 27, 63. Ps. 19, 6. Job. 39, 24. Jes. 63, 5., תָּשִׂישׂ *gaudet*, Ps. 35, 9. Verum ut מְאָסַת a שֵׁבֶט בְּנִי divellamus, vix admittit Vs. 18., ubi שֵׁבֶט מְאָסַת ita plane conjungitur, ut alias nominibus sua Adjectiva jungi solent. Nec repugnat linguae usui, Substantivo masculino Adjectivum sive Participium femininum addi, ubi vel subaudiendum est aliud Substantivum femininum ejusdem sive similis significationis, vel non tam formae Substantivi, quam sensus ratio habetur. Ita Judic. 18, 7. nomini masculino עָם subjicitur femininum יוֹשֶׁבֶת *habitatrix* per ellipsin vocis בְּתוּלָה *virgo*, aut similis (cf. Jer. 18, 13.

31, 21.), ut sensus sit: *populus*, qui erat *societas habitans* secure, rel. Plura hujusmodi vid. in Buxtorfii *Thesaur. Gramm.* L. II. Cap. 2. p. 338—340. et Storrii *Observatt.* §. 55. 56. p. 366. 367. Ita possit h. l. gladius ille politus, de quo in priori Versus nostri hemistichio, vocari a Deo שֵׁבֶט בְּנִי *virga*, *qua caedendus sit filius suus*, i. e. populus Israeliticus, cui femininum נֹאֶסֶת adjungatur, quod id ad subaudiendum חֶרֶב sit referendum, quasi dicatur: שֵׁבֶט בְּנִי אֲשֶׁר חֶרֶב נֹאֶסֶת וגו׳. Quomodo nostrum locum accepit Jarchi, cujus haec est interpretatio: „Virga, qua ego filium meum castigandi causa percutio i. e. ensis ille politus durior est virgis omnibus aliis, spernitque percussionem omnium aliarum virgarum et lignorum, pro nihilo habendorum, si cum illa compares.“ Huc referenda explicatio a J. G. Tympio in Nott. ad *Noldianas Concordantias Particular.* a se editas p. 3. in medium prolata, quae talis est: „*Vel gauderemus* (opponitur acerbissimo luctui, Vs. 11. praeccpto)? Aut, si mavis, *nam gauderemus, virga filii mei* (pro eo castigando parata) *spernet omnem arborem*, nemini parcet, sed omnem arborem, i. e. Judaeae incolas (juxta Vs. 2. coll. Vs. 7. et 8.), imo principes quosque (Vs. 17.) percutiet.“ Aliam minus probandam explicationem vid. in Glassii *Philol. S.* p. 985. ed. Dath. Sunt, qui עֵץ pro *castigatione* accipiant, hoc sensu: lactandi jam nulla est causa, quum tribus filii mei omne lignum et castigationem respuat, et jam nihil supersit, nisi ut gladio exscindatur. Nos olim, cum primum edidimus hunc librum, שֵׁבֶט ut quamplurimis aliis V. T. locis, ita et hoc loco *tribum* vertendum esse, *tribu* autem *filii sui* intelligere Deum existimavimus *populum Israeliticum* (coll. Exod. 4, 21. Jerem. 10, 16. 51, 19.), s. regnum Judaicum, editi hujus vaticinii tempore in patria terra adhuc superstitem, i. c. tribus Juda et Benjamin, quae כָּל־עֵץ *omne lignum*, i. c. omnia fictitiorum deorum simulacra e ligno confecta (ut Jerem. 2, 27. Hos. 4, 12. Hab. 2, 19.) *spernere* dicantur, quod plures illius regni principes, ut Abia, Asa, Josaphas, Hiskias, Josias, cultum simulaerorum abrogarunt, unde duae illae tribus a communi decem reliquarum tribuum clade sese eximendas sperabant. Hinc solo subaudito post נָשִׁישׁ verbo אָמַר, frequentissime omisso (vid. Storrii *Observatt.* p. 407.), locum ita reddendum arbitrati sumus: *sed nos laetabimur*, s. laetari possumus, quippe quibus ensis ille exaeutus parcet, inquit *tribus populi mei reprobans omne lignum*, i. e. omnia deorum simulacra, ad quae designanda h. l. nomine עֵץ uti voluit, quod proxime antea nomen שֵׁבֶט, *virgam* propric denotans, usurpasset. In eo, quod nomini שֵׁבֶט, populum Judaicum h. l. significanti, Participium femininum נֹאֶסֶת jungitur, nihil est a more scriptorum hebraeorum abhorrens, quippe qui nomina masculina, populos et regiones designantia, ut feminina solent tractare. Sic Judic. 18, 7. יוֹשֶׁבֶת, *habitans*, subjungitur masculino הָהֵמָּה. Et ad Jerem. 4, 30. וְאַתְּ שָׁדוּד מַה־תַּעֲשִׂי *Tu*

autem, vastata, quid facies? ubi Pronomen femininum, Participium masculinum est, scribit Kimchi in Commentario, hunc esse sacrorum scriptorum morem, de populo Israelitico in utroque genere loqui. Et ob alias causas generis enallage locum habere potest, veluti infra Vs. 21., ubi masculino פָּנִים additum femininum מַעֲדוֹת. Nunc tamen hanc interpretationem nec satis facilem nec concinnam judicamus. Nititur vero ea Chaldaei interpretis auctoritate, qui et hic, et infra Vs. 18. שֵׁבֶט מַאֲסָת de *tribu Juda* et *Benjamin* intelligit. Illius interpretatio est haec: *pro eo quod laetatae sunt tribus domus Juda et Benjamin ob tribus Israel, quando migrarunt, eo quod servissent idolis.*

16. וַיִּתֵּן אֹתָהּ לְמֹרְטָה *Deditque illum* gladium *ad expoliendum.* לְתִפֹּשׂ בַּכָּף *Ad apprehendendum* eum *manu*, ut paratus sit ad feriendum. הִיא־הוּחַדָּה חָרֵב *Ipse* vel *idem, inquam, exacutus est.* „Meliori," inquit Hubigantius, „ordine legas: הִיא חָרֵב הוּחַדָּה, ne nomen a suo pronomine separetur, et ne participium ante suum nomen collocetur, quae duae res peccant in hebraicae linguae indolem." Verum haud raro in V. T. libris poeticis Adjectivum, cujus vicem h. l. gerit Participium, suo nomini est praemissum, veluti בִּירַקְרַק חָרוּץ *subflavo auro*, Ps. 68, 14., עַב טִיט *densum lutum*, Hab. 2, 6. רַבִּים עַמִּים *multi populi*, Ps. 89, 51., כְּסִיל אָדָם *stultus homo*, Proverb. 15, 20. „חָרֵב hic redundat quidem; sed non est, cur ex auctoritate unius alicujus codicis Kennicotti vocem omittentis, glossema esse suspiceris, in contextum ex margine demum illatum." Schnurrerus.

17. כִּי־הִיא הָיְתָה בְעַמִּי *Nam ille* gladius *est* paratus *in populum meum*, recte Syrus: *contra populum meum*, uti et בְּכָל־נְשִׂיאֵי יִשְׂרָאֵל reddidit *contra omnes proceres Israelis.* מְגוּרֵי אֶל־חָרֶב הָיוּ אֶת־עַמִּי *Traditi gladio erunt cum populo meo.* Vocem מְגוּרֵי suut qui *formidines, pavores* significare putent, ut Jerem. 6, 25. Thren. 2, 22., a verbo גּוּר, quod praeter alia *timere* denotat, vid. Num. 22, 3. Deut. 32, 27. Ps. 22, 24. Job. 19, 20. Tunc אֶל intercedens inter nomen מְגוּרֵי, formam constructam habens, atque inter חָרֶב, redundabit, ut Judic. 5, 10. וְהֹלְכֵי עַל־דֶּרֶךְ *proficiscentes per viam*, et Jes. 8, 6. וּמְשׂוֹשׂ אֶת־רְצִין *et gaudium cum Rezino*, cujus Syntaxeos rationem non uno modo reddunt, vid. Buxtorfii *Thesaur. Grammat.* L. II. Cap. 3. p. 351. edit. sextae. Vel particula אֶל usurpari possit pro עַל *propter, ob*, ut supra Vs. 12., אֶת vero *cum, apud* valere volunt (ut Exod. 27, 21. Levit. 16, 15. מֵאֵת בְּנֵי יִשְׂרָאֵל *cum Israelitis*), ut sensus hic sit: metus gladii occupat populum meum, priusquam inter eum grassetur, coll. supra 11, 8. *Gladium metuitis, et gladium vobis inducam.* Magis tamen placet R. Jonae, a Kimchio et Tanchumo sententia commemorata, literam נ in מְגוּרֵי esse radicalem, ut vox illa sit Participium passivum conjugationis *Cal* verbi מָגַר *detrusit, praecipitavit, dejecit, exscidit*, quod exstat Ps. 89, 45.,

Chaldaeis tamen magis est usitatum, vid. not. ad eum loc. et cf. Esra 6, 12. Particulam אֶל Jonas positam ait pro ב instrumenti, quemadmodum Jerem. 33, 4. הַנִּתָּצִים אֶל־הַסּוֹלְלוֹת וְאֶל־הַחֶרֶב dictum est pro הַנִּתָּצִים בְּסוֹלְלוֹת וּבְחֶרֶב *destructi per aggeres oppugnantium gladiumque;* particulam אֵת vero redundare, ut 1 Sam. 17, 34. in וְאֶת־הַדּוֹב, aliisque locis similibus, *Mim*, tandem, notam pluralis, in fine voeis מְגוּרֵי abesse, ut in forma regiminis, etsi non sit in regimine, ut igitur verba nostra idem plane sonent atque si scriptum esset נוֹפְלִים בְּחֶרֶב הָיוּ עַמִּי *gladio cadunt mei.* Nominativo, quando is subjectum definitum designat, haud raro particulam אֵת praemitti, v. c. infra 35, 10. (cf. N. G. Schroederi *Institt. L. H.* Syntax. Nomin. Reg. 31. et Storrii *Observatt.* p. 263. not.), Schnurrerus quoque observat, qui et ipse R. Jonae sententiae aceedere non dubitat. Ceterum de vocis מְגוּרֵי in forma regiminis h. l. extra regimen positae usu cf. Storrii l. l. p. 104. 105. Equidem מְגוּרֵי אֶל־חֶרֶב mallem cum Castello in *Lex. Heptagl.* sub v. מגר vertere: *detrusi ad gladium.* הָיוּ vero ad נְשִׂיאֵי יִשְׂרָאֵל referendum, et particula אֵת h. l. *una cum* (ut Gen. 15, 18. Jos. 10, 14) vertenda videtur, hoc sensu: una cum reliquo populo meo principes gladio tradentur. Jarchi, Chaldaeo auctore, מְגוּרֵי reddit *congregatos,* quasi גּוּר cum אָגַר *collegit* (unde אוֹגֵר *colligens* Prov. 10, 5), significatione conveniat (coll. מַמְגֵּרוֹת *granaria*, Joel. 1, 17. atque מְגוּרָה *granarium*, *horreum*, Hagg. 2, 20., quae duo nomina a radice גּוּר, significatione *colligendi*, *congregandi*) hoc sensu: congregatio populorum, venientium ad gladium, erit circa populum meum. לָכֵן סְפֹק אֶל־יָרֵךְ *Ideo plaude super* (אֶל pro עַל) *femur*, percute femur, luctus signum, ut Jerem. 31, 19. Quemadmodum apud Homerum *Iliad.* 12, 162. Asius: — — *ὤμοξέν τε καὶ ὦ πεπλήγετο μηρώ, tum vero ingemuitque et sua percussit femora.* Quod etiam dicitur de Patroclo *Iliad.* 15, 397., ac de Ulysse *Odyss.* 13, 198. Sic apud Plutarchum *Vit. Fabii*, T. I. *Opp.* p. 181. A. edit. Wechel., Fabius, quum videret suos obseptos fugere, *μηρόν τε πληξάμενος καὶ στενάξας μέγα, percusso femore ingens edidit suspirium.*

18. כִּי בָחֹן וּמָה אִם־גַּם־שֵׁבֶט מֹאֶסֶת לֹא יִהְיֶה Hic locus non minus exercuit interpretes, quam superior ille Vs. 15. Jarchi בָּחַן accipit de malis et calamitatibus, quibus populus tentatus fuerit, de quibus verbum בָּחַן Jerem. 9, 6. Zach. 13, 9. usurpatur, locumque sic interpretatur (Pereute femur, Vs. 17.): *quia probatio* multa fuit calamitatibus pluribus, quibus populus jam est afflictus. *Et quid? si etiam virga spernens?* i. e. gladius (vid. not. ad Vs. 16.); quid filio meo eveniet, si etiam gladius ille ei immittetur? *Non erit*, i. e. sane non amplius existere poterit, sed prorsus exstirpabitur. Kimchi: „In *probationem,* subaudi: *erit iste gladius*, i. e. Deus mittet gladium istum ad probandum suum populum, an malis istis resipiscat; immittet gladium populo

suo, ut hac ratione cum probet. *Et quid* accidet, *si etiam tribum* Israel *spernat* gladius? i. e. non feriat? *non erit* ulla tunc probatio. Quid si, inquit, Dominus nolet percutere populum suum gladio, ut nec alias gentes? hoc pacto nulla re probaret populum suum, nec invitaret ad resipiscentiam. Omnino autem accidet, ut percutiatur populus iste, ut hoc pacto probetur, an velit resipiscere, simulque invitetur ad resipiscentiam.“ Neutra tamen interpretatio sua sese facilitate commendat, aut sensum fundit satis congruum. Schnurrerus rectissime observat, בֹּחַן esse verbum passivum (Pyhal), neutraliter positum, et vertendum: *probatio facta est*, ut Jes. 23, 1. שֻׁדַּד *vastatum est*, s. facta est vastatio, Jerem. 18, 12. נוֹאָשׁ *desperatum est.* Reliqua verba sic vertit: *quid enim, si vel sceptrum haud sperneret* gladius? i. e. egregium vero gladium, si sceptro, facili opera diffindendo, parem se haud praeberet. Verbum יִהְיֶה ad nomen חֶרֶב referre eo minus dubitat, quo plura et certiora verbi masculini cum nomine feminino constructi exempla in hebraicis exstant. Cf. Schroederi *Institt. L. H.* Syntax. Reg. 56. Nos quidem Schnurrero adstipulamur in eo, quod בֹּחַן neutraliter dictum censet, ceterum vero et hunc locum ita explicandum arbitramur: *nam probatio est facta*, plus semel tentavi, num a prophetis admoniti ad meliorem frugem sint redituri, sed non resipuerunt. *Quid* igitur fiet? *si etiam virga spernens* scil. omne lignum, i. e. nemini parcens, populo meo immittitur? Sequitur responsio: *non* amplius *permanebit*, sed easdem, quas reliquae tribus, poenas subibit, in terras exteras captiva deportabitur. Qui ad מִאֵסָה subaudiunt e Vs. 16. עֵץ, sensu *castigationis*, nostrum locum ita capiunt: *quia probatio* haec est, i. e. probandi causa strictus hic gladius, num emendentur Israelitae. *Quid vero* fiet, si etiam *tribus* scil. בְּנִי *filii mei* (Vs. 16.), i. e. Juda, ut ceterae tribus, *aversetur omne lignum*, castigationem? *Non erit*, non permanebit ultra, sed exscindetur.

19. וְהַךְ כַּף אֶל־כַּף *Complode manus*, signum animi vehementius commoti (cf. not. supra ad 6, 11.), vel ira, ut infra Vs. 22. 22, 13. et Num. 24, 10., vel gaudio ex aliorum calamitate, ut infra 25, 6. Job. 27, 23. (quomodo et h. l. quidam capiunt, ut sistatur Deus quasi cum voluptate impellens hostes contra Israelitas), vel laetitia, ut 2 Reg. 11, 12. Ps. 47, 2. 98, 8. Jes. 15, 12. Nah. 3, 19. וְתִכָּפֶל חֶרֶב שְׁלִישִׁתָּה *Et duplicetur* sive *iteretur gladius tertius*, i. e. repetatur a te gladii tertii comminatio, seu, tertia vice exclames iterate haec: *gladius! gladius in te immittetur*, ut statim sequitur, nam repetitur חֶרֶב additis aliquot verbis, ut supra Vs. 14. Primi gladii comminatio repetita legitur Vs. 8. 9. Literam ת in שְׁלִישִׁתָּה Kimchi paragogicam esse monet, ut idem sit quod שְׁלִישִׁית *tertio*. Referunt hoc quidam ad tres illas deportationes Jojakimi, Jojachini et Zedekiae; alii,

ut Grotius, ad triplicem illam calamitatem, quae tempore Zedekiae immissa est: prima erat capti Zedekiae, secunda captae urbis, tertia omnium reliquiarum deportatarum, quae cum Gedalia fuerant. Schnurrerus, qui ante vocem שְׁלִישִׁתָה subaudiendum putat verbum תִּהְיֶה, ut ad proximam certe sententiam supplendum illud est, verbis nostris non aliud quidquam inesse arbitratur, nisi hoc: fore, ut duplicata vi, imo triplicata, i. e. summa, maxima, saeviat gladius. חֶרֶב חֲלָלִים *Gladius* erit *confossorum*, i. e. quo multi confodientur. הִיא חֶרֶב חָלָל הַגָּדוֹל *Ille* simul erit *gladius confossorum magnorum* (nam collective sumenda esse duo nomina, docet res ipsa), quo non tantum plebs, verum etiam rex ipse, principes et proceres regni occumbent. Alii: *profani* (ut infra Vs. 30.) *magni*, i. e. tradendus profanis hominibus (cf. supra 7, 21. 24.), vel profano magno, quo rex Chaldaeus significetur. Non tamen verisimile unum idemque חָלָל eodem loco diverso significatu repeti. Quod sequitur, הַחֹדֶרֶת לָהֶם, plerique a חֶדֶר, quod *cubiculum*, *penetrale domus* significat, vertunt: *penetrans etiam in penetrale usque*, q. d. qui caedet sive interficiet eos etiam delitescentes in penetralibus domorum suarum. Kimchi in Lexico exponit הָאוֹרֶבֶת בְּחֶדֶר *qui insidiatur in penetrali.* Alii: *qui delituit eis*, i. e. fuit hactenus eis incognitus. Ludov. de Dieu collato Aethiopico חדר *manere*, *habitare* (ut Matth. 10, 11. μείνατε ἐκεῖ, Aethiopicus interpres חדרו הי vertit, unde מחדר *mansio*, *tabernaculum*, Marc. 9, 5., et Hebraeorum חֶדֶר *conclave*, *cubiculum*, ea domus pars, ubi quis praecipue habitat, manet et cubat) haec verba sic reddit: *qui manet ipsos*, i. e. qui quasi in conclavi repositus, reservatur ipsis. Quod videtur optime concinere. Alii, Chaldaeum sequuti, הַחֹדֶרֶת idem h. l. esse volunt, quod הַחֹרֶדֶת, i. e. *perterrens*, qui terrori sit eis, per metathesin frequentem in hac lingua (ut כֶּבֶשׂ et כֶּשֶׂב, לָעַג et עָלַג, מְתַלְּעוֹת et מַלְתָּעוֹת significatione non differunt), cujus plura exempla attulit Buxtorfius in *Anticrit.* p. 745., qui et ipse hanc interpretationem defendit: „Quandoque, inquit, in singulari hac scriptione est emphasis et geminus sensus, ut dum Propheta hic dicere voluit חֹרֶדֶת, *terrefaciens*, sed scripsit חֹדֶרֶת, *in penetralia intrans*, indicavit, gladium illum hostilem, ipsos etiam in intimis penetralibus perterrefacturum et persequuturum, nec uspiam illos tutos ab ejus metu futuros.“ Lectionem הַחֹרֶדֶת, quam veteres expresserunt, Schnurrerus improbat, propterea quod verbi חָרַד prima conjugatio non alio quam passivo sensu solet usurpari; editum autem חֹדֶרֶת, denominativum a חָדַר, etiam elegantius est, significantiusque. Ceterum notabile esse monet, loco לָהֶם complures libros, et Kennicottianos, et De-Rossianos, exhibere lectionem לָכֶם, quam parum abest quin genuinam pronuntiemus, quod paullo durior esse videtur, ac facillime transire poterat in לָהֶם, quum contra lectionis לָהֶם in לָכֶם transformandae causa cogitari possit nulla.

20. לְמַעַן לְמוֹג לֵב *Ut liquescat,* dissolvat se, *cor,* pavore, vid. Exod. 15, 15. Ps. 46, 7. (ubi not. cf.), 75, 4. Oppositum הַיַּעֲמֹד לִבֵּךְ infra 22, 14. Redundat vel לְמַעַן vel לְ, sufficiebat enim dicere לָמוֹג, aut מוֹג לְמַעַן. וְהַרְבֵּה הַמִּכְשֹׁלִים *Et multiplicando*, i. c. ut multiplicentur *offendicula* (cf. Jerem. 46, 16. הִרְבָּה כּוֹשֵׁל *multiplicavit* Jova *impingentes*), in quae impingentes cadant et intereant, cf. Jerem. 6, 21. עַל כָּל־שַׁעֲרֵיהֶם *Contra omnes portas*, i. e. *urbes eorum*, ut Exod. 20, 10. Deut. 12, 14. נָתַתִּי *Dedi* decreto meo, vel potius *dabo*, *reddam*, praeteritum propheticum, cf. not. supra ad 7, 12. Dictionis אִבְחַת־חֶרֶב interpretationem difficilem reddit illorum nominum prius, quod hoc solo loco legitur, nec suppetias idoneas ferentibus ceteris dialectis. Sunt, qui, ח pro ע positum putantes, referant ad בָּעַת *terruit*, quasi א sit constitutivum nominis, et אִבְעַת s. אִבְחַת *terrorem* significet, quorum sententiam et videtur Hieronymus sequutus, dum *conturbationem* reddidit. Verum ת in אִבְחַת formae constructae est, quum ת in אִבְעַת radicale sit. Praeterea א esse radicale, arguit Chirek, ei subditum, quod תְּ א praeformativo numquam solet subdi. Quod ipsum obstat Schnurreri sententiae, collato arabico בוח, quod de eo usurpatur, quod apertum est ac in omnium conspectu positum, verba אִבְחַת־חֶרֶב proprie *apertionem gladii*, i. e. gladium apertum notare conjicientis, ex eo loquendi modo, quo Vates noster supra 20, 28. dixit בַּעַס קָרְבָּנִם *munera quae aegre faciunt*, ut significetur gladius, qui non ex insidiis incautos tantum opprimat, sed palam et aperte manifestis caedibus quasi indulgeat. Nos collatis verbis אבה et ובח, quae *corripere*, *objurgare*, deinde *comminari* denotant, *comminationem gladii*, i. e. gladium ad portas minantem, qui omnem effugiendi viam praecludit, intelligimus. אָח עֲשׂוּיָה לְבָרָק *Ah!* s. *heu! factus ad fulgur*, ita politus et tersus, ut fulguris habeat speciem, cf. supra Vs. 15. et Deuter. 32, 41. *Si acuero* בָּרָק־חַרְבִּי *fulgur gladii mei*, gladium meum et coruscantem. Nah. 3, 3. לַהַב חֶרֶב *flamma gladii.* אָח verbis עֲשׂוּיָה לְבָרָק praemissum sunt qui *fratris* notione sumant, hac sententia: *frater*, i. e. consors, similis (cf. not. supra ad 18, 10.) gladius *factus est fulguri*, frater fulminis factus est (*das den Blitz zum Bruder hat*, ut J. D. Michaelis vertit). Sed nos adstipulamur Schnurrero, monenti, quum hic locus aperte respiciat ad Vs. 15., ut nonnisi repeti videantur quae ibi dicta sunt, praestare אָח h. l. eo usu accipere, quem habet 6, 11., ubi dolentis vox est. In duobus extremis Versus nostri verbis, מְעֻטָּה לְמַטְבֵּחַ, exponendis interpretes torsit eorum vocabulorum prius. Qui ad verbum עָטָה *texit*, *operuit* referunt, vertunt vel: *amictus* scil. in vagina, ecu amictu, q. d. tectus hucusque, qui nunc strictus est ad mactandum; vel: *involutus* et reconditus est, ne acies retundatur ad jugulandum. Alii, Kimchi auctore, *acuminatus*, exacutus est instar עֵט *styli*, Jerem. 8, 8. 17, 1. Alii collato arabico עטו *dedit*, *tradidit*, in-

terpretantur: *traditus est ad mactandum.* Ex alio ejusdem verbi arabici usu, quo *inservire, operam praestare* denotat, Schnurrerus mallet reddere: *inservire factus est*, i. e. aptatus, paratus ad mactandum, ut igitur מְעֻטָּה idem fere sit quod הוּחַדָּה, Vs. 15., nisi quod illud latius pateat, hoc adstrictius sit. Nos quidem non dubitamus, cum Doederlinio et Dathio, nostrum מְעֻטָּה ad מָעַט, arabice *glaber fuit*, referre. Cui sententiae non obstat, quod Schnurrerus opposuit, verbum arabicum nonnisi de tali laevitate dici, quae sit demtis pilis. Nam et verbum מָרַט, a quo supra Vss. 14. 15. 16. מְרוּטָה, מֹרָטָה, מָרָטָה de gladio terso dicta, deducuntur, proprie *depilare* notat, vid. Jes. 50, 6., infra 29, 18. Eadem metaphora est in arabico אצלע, quod proprie itidem *glabrum* et *depile* significans de gladio politissimo dicitur. Concinit, sensum si spectes, Chaldaei interpretatio: *exacutus est ad occidendum.*

21. הֻתְאַחֲדִי *Uni*, adjunge *te*, scil. gladius gladio. Apostrophe enim est ad gladium triplicem (vid. supra ad Vs. 19.), qui unitis viribus grassari debeat in eos, quibus est destinatus. C. B. Michaelis in Dissertat. *de locorum differentia* etc. §. 24. (in *Sylloge Commentatt. Theologg.* P. V. p. 125.) vertit: *in unum colligitor*, quia copiae Nebucadnezaris in unum cogendae erant agmen. Gladius enim, ut idem Vir Doctissimus apposite observat, Chaldaeos et Babylonios notat, quorum bellica expeditio contra Judaeam et Hierosolymam eo describitur ordine, quo gerenda erat, cum respectu ad situm, quo Chaldaei Judaeis boreales, Judaei vero Chaldaeis australes erant, coll. Vs. 2. Alii aliter. Jarchi: *verte te in unam partem*, coll. arab. אֶסְתַּאֲחַד, quod de eo dicitur, qui secessit ac seorsim est. Sed Schnurrerus mallet vertere: *operam da*, ex illo usu verbi ejusdem illius arabici verbi, quo valet *animum addixit advertitque*, *et operam dedit*, consentiente fere Tanchumo, qui sensum verborum הֻתְאַחֲדִי הָשִׂימִי perhibet esse, *attende, considera et prudenter age.* Nobis tamen adhortatio ad gladium, ut prudenter agat, minus idonea videtur. Alii: *exacuere*, *acue te*, quasi sit a חָדַד, inserto א epenthetico. Ita Hieronymus. הֻימִינִי *Ad dextram verte te* (quomodo idem verbum Gen. 13, 19. 2 Sam. 14, 19. usurpatur), quia copiae regis Babylonii profecturae erant in Judaeam, Syriae ac potioribus imperii Babylonici provinciis australem. *Dextera* plaga, יָמִין, Hebraeis est *meridies*, vid. Ps. 89, 13. et ibi not. הָשִׂימִי *Dispone te*, oppone te hostibus. Michaelis l. c. vertit: *adpone*, quia Hierosolymam oppugnaturae et expugnaturae erant copiae Chaldaicae. Sane verbum שׂוּם de oppugnatione urbis dicitur 1 Reg. 20, 12. שִׂימוּ וַיָּשִׂימוּ עַל־הָעִיר *ponite* scil. הַמַּחֲנֶה *castra*, admovete castra, *et admoverunt castra contra urbem.* Plene exstat locutio Jos. 8, 13. Cf. Jes. 22, 7. Ps. 3, 7., ad quem loc. vid. not. הַשְׂמִילִי *Ad sinistram te verte* (ut Gen. 13, 9. 1 Paral. 12, 2.),

hostibus te oppone, sive illi ad dextram, sive ad sinistram occurrant. Michaelis: *sinistram repete*, quia capta Hierosolyma copiae Chaldaicae in borealem Syriam et Babyloniam regressurae erant. Nos tamen haec verba de copiis domum redeuntibus intelligenda esse dubitamus, quum statim subjungatur: אָנָּה פָּנֶיךָ מְעֻדוֹת *quo* s. *quorsum* (sine interrogatione, ut Jos. 2, 5. Nehem. 2, 16.), quocunque *facies tua constituta*, i. e. destinata, disposita fuerit, i. e. quocunque stringeris, perge occide. In omnes partes exeree ultionem a Deo imperatam. Hieronymus: „Quocunque, ait, faciei tuae placuerit, audacter ingredere, me habens ducem, me adjutorem.“ Coccejus אָנָּה interrogative sumens (ut Gen. 16, 8. Zachar. 2, 6. 5, 10.) sic vertit: *quo facies tua directa est?* quo destinas ire, o gladie? quo contendis ire? ut verba sint vel inhibentis s. revocantis gladium ab aliis ad Judaeos, vel significantis admirabilem ejus transitum. Sed prior sensus melius congruit. מְעֻדוֹת Participium Hophal verbi יָעַד arab. وَعَدَ *constituit*, ut Jer. 24, 1. *Duo canistra ficuum* מוּעָדִים *constituta erant ante templum.* Non audiendus Schmidius, cui מְעֻדוֹת est Participium Pyhal verbi מָעַד *nutavit* (unde Proverb. 25, 19. מוּעֶדֶת רֶגֶל *pes nutans)*, formae לֻקַּח 2 Reg. 2, 10., et נֻחָמָה Jes. 54, 11., ut vertendum sit: *quo* vertes *facies tuas nutantes?* Nomen masculinum פָּנִים tractatur h. l. ut femininum, quum ei femininum מְעֻדוֹת jungatur, ideo haud dubie, quod vatis menti nomen חֶרֶבוֹת *gladii* obversabatur.

22. Ἐπινίκιον, quo Deus declarat, se aliquando triumphaturum, et satisfacturum excandescentiae suae. וְגַם־אֲנִי *Et ego etiam*, ut vates supra Vs. 19. אַכֶּה כַפִּי אֶל־כַּפִּי *manus complodam*, favebo interfectoribus; cf. not. ad loc. cit. Hieronymus: „*Ego plaudam manu ad manum*, ut saevientem te contra adversarios meos quasi fautor tuus et exhortator instigem.“ וַהֲנִיחֹתִי חֲמָתִי *Et quiescere*, durare, non subito evanescere *faciam iram meam*, cf. supra 5, 3. 16, 42. infra 24, 13.

23. „Quum, inquit, dixisset mihi sermo divinus: *Propheta, fili hominis, et loquere ad gladium, et dic: Gladius, gladius*, et caetera, quae prophetia gladii continentur (Vs. 14. sqq.), secundo factus est ad me sermo Domini, dicens: Vis, fili hominis, scire, quis iste sit gladius et apertius personam discere gladii saevientis? Auscultа, quae dico: pone duas vias, etc.“ Hieronymus.

24. שִׂים־לְךָ *Pone*, propone *tibi*, mente conceipe duas vias, quibus proficisci possit rex Babylonius cum copiis. Alii: pinge tibi in tabula quadam, ut supra 4, 1. 2. לָבוֹא חֶרֶב מֶלֶךְ בָּבֶל *Ad veniendum gladium regis Babelis*, i. e. unde veniet, s. venire possit exercitus Babylonius. Chaldaeus: *in quibus* (viis) *venient occidentes gladio regis Babylonis.* מֵאֶרֶץ אֶחָד Vel: *e terra una*, ut hebraicum אֶרֶץ sit generis communis; vel: *e terra unius*,

regis Babylonii, יֵצְאוּ שְׁנֵיהֶם *exibunt ambae illae* viae. יָד h. l. alii *signum*, *monumentum*, ut 1 Sam. 15, 12. notare existimant, ut ostendat Babylonio, utram viam ingredi debeat; alii rectius *spatium*, *locum*, ut Deut. 23, 13. 1 Sam. 15, 12. Jes. 56, 5. 57, 8. Jer. 6, 3., ubi consistat Nebucadnezar, atque dubitans, quo potissimum sit iturus, sacra faciat cum exercitu. בָּרֵא *Crea*, vel, *exscinde* (coll. infra 23, 47.), i. e. decerne, constitue, elige, quo significatu idem verbum בָּרָא eadem in conjugatione Piel usurpatur Jos. 17, 15. 18. Nisi potius haec notio mutuo sit sumta a בָּרַר vel בָּרָה, unde 1 Sam. 17, 8. בְּרוּ־לָכֶם אִישׁ *eligite vobis virum.* בְּרֹאשׁ־דֶּרֶךְ עִיר *In principio viae urbis*, i. e. in bivio (ut infra 42, 12.), in principio viarum (ut Vs. 26. בְּרֹאשׁ שְׁנֵי הַדְּרָכִים), quae ad utramque urbem, Hierosolymam et metropolim Ammonitarum (Vs. 25.) ducunt. *Compitum* Persis quoque *seri reh*, i. e. caput viae dicitur, plane uti Hebraeis רֹאשׁ דֶּרֶךְ. Hieronymus nostrum Versum hoc modo enarrat: „Pone duas vias, ut per illas gladius veniat regis Babylonis, qui egredietur quidem uno itinere Chaldaeorum, sed quum venerit per desertum et solitudinem ad bivium terrae Arabiae, quae appellatur filiorum Ammon, quarum una via Jerusalem ducit ad dexteram partem, sinistra vero ad Rabbath filiorum Ammon, quae est civitas metropolis, et hodie Philadelphia nominatur, memor, inquit, internecionis, quae accidit regi Assyrio, quando centum octoginta quinque millia una nocte sunt caesa (Jes. 37, 30.); formidabit ad partem dexteram declinare, et ire contra munitissimam Jerusalem, sed stabit in ipso compito."

25. דֶּרֶךְ תָּשִׂים לָבוֹא חֶרֶב Vid. supra ad Vs. 24. Schnurrer דֶּרֶךְ metonymice positum observat pro loco, quo via eundum ducit. Particula אֶת ante רַבַּת et יְהוּדָה pro אֶל, ut 1 Sam. 30, 20. *Accessit David* אֶת־הָעָם *ad populum*, et 2 Sam. 15, 23. *Et omnis populus transibat juxta viam* אֶת־הַמִּדְבָּר *ad desertum.* רַבַּת־עַמּוֹן Metropolis Ammonitarum, Deut. 3, 11. ad quem loc. vid. not., 2 Sam. 11, 1. 12, 26. וְאֶת־יְהוּדָה בִּירוּשָׁלַם *Et ad Judam*, i. e. populum Judae, s. Judaeos, qui habitant *Hierosolymis*, יְהוּדָה שְׁיוֹשֵׁב בִּירוּשָׁלַם שֶׁהִיא עִיר בְּצוּרָה וַחֲזָקָה, *Judaei, qui sedent Hierosolymis, quae est urbs munita et fortis*, ut Kimchi explicat. Cf. Jes. 25, 2. 27, 10. Schnurrerus בִּירוּשָׁלַם vertit *una cum Hierosolymis*, ut idem fere sit quod וִירוּשָׁלַם.

26. Praeteritum עָמַד pro *praeterito prophetico*, quod futuro acquipollet, capiendum est, ut mox שָׁאַל et הָיָה Vs. 27. 28. Stabit, inquit, rex Babylonius dubius, utram viam sit ingressurus. Consilium Nebucadnezaris fuit, Aegyptum expugnare. In via erant inprimis duae illae urbes, Hierosolyma et Rabbath Ammon, quarum alteram necesse erat redigere in potestatem, ne posset circumveniri. Eodem consilio etiam Tyrum oppugnavit et cepit, uti et Gazam. אֶל־אֵם הַדֶּרֶךְ *Ad matrem viae*, i. e. ad

bivium, ut mox explicatius dicitur. לְקֶסֶם־קֶסֶם *Ad utendum divinatione*, utram urbem, vel gentem, Judaeorum, aut Ammonitarum, prius infestet. De קֶסֶם vid. not. ad Deut. 18, 10. Varii, quibus usurus erat, divinandi modi, singuli indicantur. Primus est: קִלְקַל בַּחִצִּים, quae verba alii aliter explicant. Sunt, qui, Tanchumo referente, verbum קִלְקַל significatu *levitatis* sumant, ut hoc dicatur, regem Babylonium sagittarum ad omen captandum delectarum levitatem explorasse, seu elegisse eam, quae levior esset, et jacta longius per aërem ferretur. Alii regem existimant duas aut tres sagittas jecisse, experturum, num caderent in sinistram, Rabbatham versus, an in dextram, versus Hierosolymam. Alii verbo קִלְקַל notionem *poliendi*, *tergendi*, ut Cohel. 10, 10., tribuunt, hoc sensu: sagittas, s. ferrum sagittarum polivit, ut splenderent instar speculi, in quo splendore cernerent divinatores, quo eundum esset. Quae tamen omnia sunt incerta. Recte Tanchum monuit, hebraicum קִלְקַל convenire cum arabico قَلْقَلَ *commovit, concussit* (cf. Jerem. 4, 24. *Omnes colles* הִתְקַלְקְלוּ *concussi sunt)*, et verba nostra ita explicavit: *commovit*, agitavit, *sagittas*, *divinandi causa*, ut confuse miscerí possint sortes. Rem exposuit HIERONYMUS his verbis: „Ritu gentis suae oraculum consulet, ut mittat sagittas suas in pharetram et commisceat eas inscriptas, sive signatas nominibus singulorum, ut videat, cujus sagitta exeat, et quam prius civitatem debeat oppugnare. Hanc autem Graeci *βελομαντίαν* sive *ῥαβδομαντίαν* nominant.“ Eum ritum, cujus et in Corano Sur. 3, 39. et 5, 4. mentio fit (vid. C. B. MICHAELIS Dissert. *de Ritualibus SS. ex Alcorano illustratis*, §. 16. in *Sylloge Commentatt. Theologg.* Vol. II. p. 113.), pluribus descripsit ex Arabum monumentis ED. POCOCKIUS in *Specim. Hist. Arab.* p. 329. seq. Cum esset alicui vel suscipiendum iter, vel ducenda uxor, vel aliud magni momenti negotium peragendum, sagittas, quas tres in vasculo inclusas habebant, solebant consulere. Earum primae inscriptum erat: אֲמָרַנִי רַבִּי *jussit me Dominus meus*, secundae, נהאני רבי *prohibuit me Dominus meus*, tertia erat עֻפָּל h. e. nulla nota insignis. Harum unam manu extrahenti, si occurreret illa, quae juberet, alacri animo, tanquam monente Deo, pergere, sin illa, quae vetaret, desistere, quodsi *ἀγράμματος* illa, reponere, donec prodiret, quae vel jussu praeiret, vel interdicto occurreret. שָׁאַל בַּתְּרָפִים *Interrogavit*, consuluit, *Theraphos*, simulacra magica, quae et in domibus, ut lares sive penates habebant, quorum et Genes. 31, 19. Jud. 17, 5. 1 Sam. 19, 13. Zachar. 10, 2. fit mentio. De indole et usu eorum certi quidquam definiri vix poterit; plures conjecturas attulimus in Not. ad Geneseos locum indicatum. Verbum שָׁאַל, ubi de *consultatione oraculi* dicitur, nomini jungitur cum ב, quasi dicas *interrogare per Deum*, i. e. ex eo scisciteri, vid. Judic. 18, 5. 1 Sam. 22, 13. 23, 4. 2 Sam. 16, 23. Hos. 4, 12., et h. l. רָאָה

בַּכָּבֵד *Inspiciet jecur* pecudis immolatae, nam et haec divinationis species ex victimarum extis, praesertim ex *hepate* et *corde* (*Caput jecoris ex omni parte diligentissime considerant,* inquit Cicero *de Divin.* 2, 13.), valde familiaris fuit; Romani *extispicium* nominabant, vid. Ciceronem *de Divin.* 1, 16. 2, 12. Conf. CILANO *Römische Alterthümer*, Vol. II. p. 164. sq., et Perizon. ad AELIANI *Var. Hist.* 2, 31.

27. בִּימִינוֹ *In dextra* autem *ejus*, qua ex vasculo depromet sagittam, הָיְתָה הַקֶּסֶם יְרוּשָׁלַ͏ִם *erit divinatio*, *Hierosolyma*, „i. e. dextram in vasculum immissam ad sagittam inde depromendam quum reduxerit, eam tenebit sagittam, quae nomen *Jerusalem* sibi habet inscriptam. Neque enim הַקֶּסֶם dici potest in regimine positum [ut vertatur *divinatio Hierosolymae*], ob ה nomini praefixum, sed הַקֶּסֶם יְרוּשָׁלַ͏ִם ita accipiendum, ut sit: responsum, quod continetur voce: *Jerusalem.*" SCHNURRER. Chaldaeus: *in dextera ejus divinatio cecidit, ut iret Hierosolymam.* לָשׂוּם כָּרִים *Ad ponendum*, i. e. ut ponat, s. admovendos esse *arietes*, de quibus vid. not. supra ad 4, 2. לִפְתֹּחַ פֶּה בְּרֶצַח *Ad aperiendum os cum caede*, i. e. ut hortetur, excitet suos ad caedendum hostes, Judaeos, vel, ut milites cum clamore occidant Judaeos. Ita haec verba vulgo explicant. Habet tamen haec phrasis, *os cum caede aperire*, aliquid duri et incommodi. Nos quidem non dubitamus, בְּרֶצַח h. l. pro בְּצֶרַח *cum clamore* capiendum esse, levi literarum metathesi, cujus plura exempla supra in not. ad Vs. 19. vidimus. Sane hoc optime respondet תְּרוּעָה בַּהַרְעִישׁ in altero hemistichio. Eadem *clamoris* significatio ipsi nomini רֶצַח vindicari potest collato arabico رشح *fregit*, ut רֶצַח proprie notet *sonum fractum*, quemadmodum תְּרוּעָה a themate רוּעַ, quod aeque ac cognatum רִיעַ, *frangere*, *frangendo rumpere* denotat, dicitur de *sono*, quando *non procedit aequali tenore*, sed *fractus est*, et *identidem abruptus*. Utroque vocabulo denotabitur clamor ille militaris, qui in proelio, aut violenta urbium expugnatione edi solebat, de quo תְּרוּעָה speciatim usurpatur Jer. 49, 2. Amos. 1, 14. 2, 2. Sunt, qui putent, פֶּה h. l. esse *aciem gladii*, פָּתַח autem, ut alias, denotare *stringere gladium*, ut phrasis integra sonet: *stringendo aciem gladii ad caedem.* Cui interpretationi obstat primo, quod, si illum sensum vates exprimere voluisset, scribendum fuisset לְרֶצַח, ut infra Vs. 33.: gladius פְּתוּחָה לָטֶבַח *evaginatus est ad mactationem;* tum, nomen פֶּה, quando pro *acie gladii* accipitur, semper sibi חֶרֶב junctum habere, ut Genes. 36, 26. Exod. 17, 13. Deut. 13, 16.; denique, Hebraeos non usurpare phrasin פָּתַח פֶּה, *stringere gladium*, ut Ps. 37, 14. Mich. 5, 5. et infra Vs. 33. SCHNURRER verba nostra ita vertit: *ad aperiendum aditum contundendo*, ut de moenibus perrumpendis accipienda sint, et בְּרֶצַח explicandum sit ex arab. رشح et رضح *contundendo fregit.* Sed quamvis פִּי־קֶרֶת Prov.

8, 3. *aditum*, portam, *urbis* significet, nusquam tamen פֶּה solum de *aditu* ad locum aliquem usurpatur. Phrasis פָּתַח פֶּה ubique denotat *aperire os*, vid. c. c. Ps. 38, 14. 39, 10. Prov. 24, 7. 30, 8. 9. De phrasi שָׂכַךְ סֹלְלָה et בָּנוֹת דָּיֵק vid. not. ad 4, 2.

28. וְהָיָה לָהֶם כְּקֶסֶם־שָׁוְא *Eritque* hoc *eis*, scil. Judaeis *quasi divinare vanum* (ut infra Vs. 34.), sicut vana quaedam divinatio; contemnent Chaldaeorum auguria tanquam vana. שְׁבֵעֵי שְׁבֻעוֹת לָהֶם Quasi (repetito כ ex antecedente vel כִּי *quod*) *jurantes sacramenta* fuissent Chaldaei *eis*; sive, quod *sacramenta sacramentorum eis* (Judaeis) essent. Sed praestat, שְׁבֵעֵי pro adjectivo, formâ Participii Passivi capere (nam pro Participio ipso nequit haberi ideo, quod verbum non reperitur in *Cal; jurantes* alias vocantur נִשְׁבָּעִים, vid. Jes. 48, 1. Zephan. 1, 5. Malach. 4, 5. al.), proprie: *obstricti jurejurando*, ut Jud. 8, 11. חַשְׁכוּנֵי בָּאֳהָלִים *habitantes in tentoriis*, Cant. 3, 8. אֲחֻזֵי חֶרֶב *tenentes gladium*, propr. *tenere facti gladium*, et infra apud Nostrum סְרוּחִים *luxuriantes*, propr. *per luxuriam protensi* (cf. C. B. Michaelis *Lumina Syriaca pro illustrando Ebraismo Sacro*, §. 25. in *Sylloge Commentatt. Theologg.* Vol. I. p. 209.). Nomen שְׁבוּעָה de *jurejurando* usurpatur Neh. 6, 18. Deut. 7, 8. Exod. 22, 11. Num. 5, 21. al. et pluralis שְׁבֻעוֹת eodem significatu Hab. 3, 9. וְהוּא מַזְכִּיר עָוֹן *Et ille* (rex Babylonius) *recordari facit iniquitatis*, fidei a Judaeis violatae, לְהִתָּפֵשׂ *ut capiantur*, rex cum subditis foedifragis. Sensus est: Judaei, per falsos prophetas seducti, contemnent conatum Babyloniorum, et auguria ista vana esse dicent, quod Chaldaei eis sacramento essent adstricti, quibus tamen ipsi fidem non servaverant. Quapropter Nebucadnezar in memoriam revocans violatam fidem, exstimulatus est in perniciem eorum. עָוֹן vocat perfidiam Zedekiae, qui fidem datam Nebucadnezari, nomine Dei interposito, violarat, quod perjurium causa fuit expugnationis urbis Jerusalem. Cf. supra 17, 8. 9. 18. 19. Sunt, qui verba hujus Versus priora, וְהָיָה לָהֶם כְּקֶסֶם־שָׁוְא, hoc sensu capiant: irridebunt hanc prophetiam tuam tanquam vanam, inanem ac stultam divinationem; propterea quod ipsi cum Chaldaeis foedus jurejurando sanxissent (שְׁבֵעֵי שְׁבֻעוֹת לָהֶם); hoc ipsum vero, quod contemnunt et ludificantur te et prophetas meos, efficit, ut tota illorum impietas coram me et coram hostibus in rationem veniat, et perniciei causa eis fiat. Ratione prorsus diversa hunc Versum explicat Cocceius, qui duplex illud לָהֶם non ad Judaeos, verum ad Babylonios refert, ut haec prodeat sententia: „*Et fuit eis*, Nebucadnezari et Babyloniis, *tanquam auspicium vanum*; non credidit rex, sed pro vano et illusorio responso habuit, tum, quod urbs munita esset (Vs. 25.), tum quod ibi esset templum Dei, sub cujus praesidio urbs illa semper fuisset tuta, ita ut multi reges et populi, manum ei inferentes, fuerint pudefacti, ut inter ceteros Sanherib. Ibi haruspices *ju-*

rasse et *dejerasse*, se nihil per dolum respondere et fallaciam. *Tum vero ille* (h. e. aliquis) *commemorabat peccatum*, Judaeos a Deo suo defecisse, et in legem ejus peccasse, ideoque Regem vocari a Deo per illa signa, ut a rebelli populo, tanquam venumdato in manum ejus, exigat poenas.“ Cum Coccejo fere convenit Schnurrer, qui hujus Versus sensum perhibet esse hunc, rem Babyloniis plane inopinatam atque incredibilem visam esse, quod et munitissima esset Judaeorum urbs, et Numinis, cujus innumera exstarent facta mirabilia, praesidio gauderet; jurasse alios, fraudem subesse omini, aliis certam ejusdem fidem asseverantibus; tandem fluctuantium animos ita composuisse Regem, ut diceret, eam nunc esse Judaeorum pravitatem, atque in patrium Numen impietatem, ut non sit, cur de urbe eorum expugnanda quisquam desperaret. Nobis tamen et simplicissima, et verbis et contextui maxime consentanea videtur ea, quam primo loco posuimus, interpretatio.

29. Jam ad Judaeos convertitur oratio: יַעַן הַזְכַּרְכֶם עֲוֹנְכֶם *eo quod recordari facitis*, quod efficitis, ut in memoria sit *iniquitas vestra*, quod tanta apud vos invaluit morum perversitas, ut publice nota, atque inter barbaras gentes pervulgata sit, ut statim additur: בְּהִגָּלוֹת פִּשְׁעֵיכֶם *dum revelantur*, deteguntur et publice innotescunt *scelera vestra*, ut Hos. 7, 1. Possunt haec parenthetice legi usque ad Athnachum. לְהֵרָאוֹת חַטֹּאותֵיכֶם בְּכֹל עֲלִילוֹתֵיכֶם *Ita ut appareant*, conspicua sint, *omnia peccata in omnibus facinoribus vestris.* יַעַן הִזָּכְרֶכֶם *Pro eo quod memorabimini*, scil. לְפָנַי (ut Num. 10, 9., sed sensu bono), s. אֵלַי, *coram me*, i. e. quod vestri recordor, quales sitis, scil. iniquitatibus pleni. Cf. Ps. 109, 14. יִזָּכֵר עֲוֹן אֲבֹתָיו אֶל־יְהוָה *commemoretur peccatum patrum suorum coram Domino, et peccatum matris suae non deleatur.* בַּכַּף תִּתָּפְשׂוּ *Manu ista*, q. d. manu ista nota, regis Babylonii, *capiemini*, in hostium vestrorum venietis potestatem. Chaldaeus: *in manum regis Babylonis trademini.*

30. Ab universo populo ad regem Zedekiam, transit oratio. חָלָל *Profane*, ut חֻלָּה *profanata* Levit. 21, 7. 14. Ita LXX (βέβηλε), Vulgatus et Syrus. Alii: *interfecte* (ut supra Vs. 19.), i. e. digne interfectione; ita Chaldaeus: חַיָּב קְטָלָא *reus mortis.* Quidam: *qui confossus est*, i. e. oculis privatus, filiis in conspectu suo prius mactatis. Verum bene monet Schnurrer, aptiorem esse h. l. *profani* significationem altera illa vulgatiore, *perfossi*, quoniam postea demum de poena infligenda sermo sequitur. נָשִׂיא יִשְׂרָאֵל *O princeps Israelis*, conf. not. ad 12, 10. „Sedeciam alloquitur, cum quo submissus agit Jeremias. Noster liberius, quia non erat sub imperio Sedekiae.“ Grotius. אֲשֶׁר־בָּא יוֹמוֹ *Cujus venit dies* scil. poenae et vindictae a te sumendae, quo sensu *dies alicujus* dicitur infra Vs. 34. 1 Sam. 26, 10.

Ps. 37, 13. Job. 18, 20. בְּעֵת עָוֹן קֵץ *Tempore iniquitatis finis*, i. e. quae finem, exitium (ut supra 7, 2.) adducit; tempore, quo iniquitas tua erit causa finis, interitus regni tui et vitae. Alii haec verba ordine inverso posita putant, qui proprie talis esse deberet: אֲשֶׁר־בָּא יוֹם קִצּוֹ בְּעֵת עָוֹן *cujus ultimus dies* (propr. *cujus dies finis*) *advenit in tempore opportuno ad poenam*, ut עָוֹן h. l. ut alias saepe sit *peccati poena*. Ita Chaldaeus, et eum secutus GROTIUS, qui verba nostra sic exponit: quasi dicat Deus: jam dudum occasionem exspecto, ut te puniam per eos, quibus tu occasionem mei nominis contemnendi dedisti. Schnurrero עָוֹן קֵץ est pravitas summa, extrema, fini proxima; fere ut Coccejo pravitas ἀμετανόητος post multas admonitiones et castigationes et longam tolerantiam est pravitas finis. Sed explicationi a nobis adscitae favet, quod infra 35, 5. phrasis בְּעֵת עָוֹן קֵץ cum phrasi בְּעֵת אֵיד, tanquam synonyma, componitur. Sunt, qui totum hunc Versum ad subjectum referant, cujus praedicatum sit in Versu sequenti, hoc modo: *Tu autem, profane, impie princeps* etc., *amove cidarim* Vs. 31. Vel: *ad te vero quod attinet, profane, impie rex.*

31. הָסֵר *Remove* a capite tuo, o Rex! quem propheta Dei verbis compellat. Alii ob ultimum versiculi membrum: *remove*, o propheta, i. e. *vaticinare, removendum fare.* Voces *reales*, uti loquuntur, pro verbalibus, i. e. pro rei indicatione. Cf. not. supra ad 14. 18. p. 356. et GLASSII *Philog. S.* p. 216. sqq. ed. Dath. Aliis, veluti Schnurrero, post Kimchium הָסֵר est Infinitivus, ad quem subaudiendum verbum finitum, ut infra 23, 30. עָשׂוֹת *Faciendo* scil. faciam; Levit. 6, 7. הַקְרֵב *offerendo* scil. offerent; Jes. 57, 15. הַסְתֵּר *occultando* scil. occultavi. הַמִּצְנֶפֶת *Cidarim*, qua nonnulli dignitatem sacerdotalem et pontificalem indicari putant; erat enim *cidaris* Pontificis Maximi insigne, vid. Exod. 28, 4. 37. 39. 29, 6 Levit. 8, 9. al. Sane in illa reipublicae eversione una cum regia dignitate et pontificalem abolitam legimus 2 Reg. 25, 18. Ita et HIERONYMUS: „Venit, inquit, tibi dies, quae longo tempore praefinita est in te, et propter te sacerdotium et regnum interiit populi Judaeorum. *Cidaris* enim insigne Pontificis est; corona, h. e. diadema, regis indicium.“ Sed quum ad solum regem sermo sit directus, ad eundem et nomen hoc referendum videtur, ut *cidarim* s. *diadema regium* (quod Jes. 62, 3. צְנִיף מְלוּכָה *cidaris regni* vocatur), et *coronam regiam*, עֲטָרָה (vid. 2 Sam. 12, 30. Cantic. 3, 11.), de capite tolli jubeat, quod regno et dignitate regia privandus sit rex. וְהָרֵם *Et tolle*, aufer, vel, *auferendo auferam* (vid. quae proxime antea ad הָסֵר notata sunt), ut infra 45, 9. Levit. 6, 3. זֹאת לֹא־זֹאת ad nomen femininum, quod proxime praecessit, עֲטָרָה referendum, hoc sensu: *haec* cidaris et corona *non erit haec* s. ea, quae nunc est, non ultra sic erit, sed intercidet. Alii, inter

quos Schnurrerus, illud זֹאת non ad הָעֲטָרָה restringendum, sed neutraliter accipiendum putant, sic: quae nunc est rerum conditio, eadem amplius locum non habebit. Similiter LXX: *Αὐτῆ οὐ τοιαύτη ἔσται.* „In eo loco, ubi nos interpretati sumus: *nonne haec est?* pulchre transtulit Symmachus: *neque hoc, neque illud.* Quia enim dixerat: *aufer cidarim, tolle coronam*, subjunxit: *neque hoc, neque illud*, i. e. regnum cessabit, et sacerdotium.“ Hieronymus. הַשְׁפָּלָה הַגְבֵהַּ וְהַגְבֹהָה הַשְׁפִּיל *Quod humile* est *et extollam, et elatum deprimam.* הַשְׁפָּלָה non est, ut Coccejus voluit, tertia feminina Praeteriti, retracto accentu, eum ה, quod verbis praefixum sit relativum, ut vertendum sit: *quod humiliatum fuerat*, sed est nomen masculinum שֵׁפֶל (ut 2 Sam. 7, 22.) cum ה paragogico, intensionis causa addito, ut in נַחְלָה Ps. 124, 4. aliisque, recte monente, post Kimchium, Tanchumo. Pro ה *intensivo* nostrum habet et N. G. Schroeder in *Institt. ad fundamm. L. H.* Sect. 9. *de Particula* §. 165, 7., ubi plura exempla allata reperies. הַגְבֵהַּ *Extollendo* scil. extollam. *Humili*, quod Deus ait a se extollendum, quidam, ut Kimchi, Jechoniam intelligunt; *elato* vero (הַגְבֹהָה), quod sit *humiliandum*, Zedekiam, cf. supra not. ad 17, 24. Sed rectius alii, et inter hos Schnurrerus, his verbis generalem sententiam expressam autumant hanc: penes Deum rerum omnium summum arbitrium, ab ipso solo stupendas conversiones proficisci. Quae ipsa sententia et 1 Sam. 2, 5. sqq. Jes. 2, 12. 10, 33. Ps. 138, 8. et alias legitur. Vulgatus: (Nonne haec est) *quae humilem sublevavit, et sublimem humiliavit?* Chaldaeus: *Gedalia, filius Achicami, cujus non erat* (corona, s. dignitas regia), *tollet eam, et a Zedekia, cujus erat* (corona) *auferetur.* Vid. 2 Reg. 25, 21. 22.

32. Nomen עָוָה sunt, qui significatu non diversum putent ab עָוֹן (coll. וְעָוִינוּ *peccavimus*, Dan. 9, 5.), ut Alexandrinus Graecus interpres (vid. infra), quem secutus Schnurrerus, sensum ait hunc esse: nefas esto, interdictum sit, ea corona uti! Quam sententiam nos tamen dubitamus a scriptore hebraeo expressam esse his verbis: *iniquitatem ponam*, reddam, *eam* scil. coronam, nam ad eam (הָעֲטָרָה) referendum esse suffixum in אֲשִׂימֶנָּה, dubio caret. Chaldaeus עָוָה pro *peccati poena* cepit, ut עָוֹן saepe usurpatur; et sententia quidem, quam ille interpres expressit, satis congrua est, sed verbis hebraicis vix accommodari potest. Nihil tamen difficultatis erit, si עָוָה referas ad formam *Piel* verbi עִוָּה *pervertit, subvertit,* quod de *terrae subversione*, Jes. 24, 1. dicitur. Hinc vertendum erit: *subversionem*, s. subversam *reddam eam*, i. e. detraham et ad terram dejiciam. Quod vero nomen עָוָה triplicatur, eo quidam continuitatem et exaggerationem existimant indicari, quod corona domus Davidicae non uno tempore afflicta et corrupta sit, donec tota auferretur. Alii, quibus et nos adstipulamur, *triplicem cladem et subversionem coronae* innui

existimant. Ita ABARBENEL: „Respicit ad *tres istos reges*, quos removit Nebucadnezar ab imperio Judae, Jojakimum, Jojachinum, et Zedekiam.“ גַּם־זֹאת לֹא תִהְיֶה *Etiam haec* Zedekiae corona, ut Jojakimi et Jechoniae, *nihil factum erit*, ad nihilum redigetur; לֹא substantive sumitur, ut Job. 6, 21. Ps. 73, 25., et verbum substantivum ad praedicatum conformatur, ut infra 35, 15. שְׁמָמָה תִּהְיֶה הַר־שֵׂעִיר *vastitas erit mons Seir*, pro יִהְיֶה. Schnurrerus observat, nostram formulam et hoc modo posse intelligi: *tale quid adhuc factum non est*, quod ipsi convenientius videtur verbo praeterito h. l. usurpato. Verum praeterita futuris mixta in vaticinationibus de futuro tempore esse intelligenda, notum. Verba עַד־בֹּא אֲשֶׁר־לוֹ הַמִּשְׁפָּט וּנְתַתִּיו hebraei aliqui interpretes jungunt verbis quae proxime praecesserunt, גַּם־זֹאת לֹא תִהְיֶה, hoc sensu sumtis: *tale quid non accidit*, ut haec prodeat sententia: haec dignitas regia non fuit usque adeo imminuta, donec venit is, cui competebat justo Dei decreto, judicium exercere in Israelitas, et eos affligere, i. e. donec venit Nebucadnezar (coll. 2 Reg. 25, 6. Jerem. 39, 5. 52, 9., ubi Nebucadnezar de Zedekiae supplicio egisse dicitur hac formula: וַיְדַבֵּר אִתּוֹ מִשְׁפָּט). Et SCHNURRERUS sensum arbitratur hunc esse: nunquam id antea factum est, donec adesset, cujus esset illud perficere, me jus atque potestatem illi largiente. Cf. quae mox e Viri S. V. Dissertat. afferemus. Ista tamen sententia nescio quid jejuni et languidi habet. Quod ipsum valet de Grotii sententia, *venturo illo*, *ad quem jure pertineat et cui tradenda sit tiara*, Zorobabelem intelligendum esse. Verum quemadmodum locis aliis compluribus et vatum reliquorum, et nostri vatis (c. c. supra 17, 22. 23.), comminationi destruendi regni Judaici subjungitur spes felicioris aevi, quo illud splendore longe majore sit restaurandum, rege aliquo potentissimo, sapientissimo, justissimo; ita et hoc loco dubitari vix potest hoc vatem innuere, abolendum quidem esse regnum Judaicum, nec tamen perpetuo, sed dum veniat ille, cui Deus summam potestatem sit concessurus, quo *Messiam* esse intelligendum, et ex ipsis Hebraeis saniores agnoscunt interpretes ad h. l., ut Abarbenel et Abendana. מִשְׁפָּט *Jus*, *judicium*, h. l. summam indicat omnia gubernandi et in omnia judicium justum exercendi potestatem. Similiter de Messia Jes. 16, 5. *Stabilietur pietate thronus*, *in quo in Davidis tabernaculo fideliter sedebit*, *qui judicet*, *jusque vestiget*, *et justitiam properet.* Et Jerem. 23, 5. *Futurum est*, *inquit Jova*, *ut ego suscitem Davidi justam stirpem*, *qui rex regnet*, *et sapiat*, *et jus aequumque faciat in terris.* E nostro loco haud dubie hausit Onkelos suam dictionis עַד כִּי־יָבֹא שִׁילֹה Genes. 49, 10. interpretationem: עַד־דְּיֵיתֵי מְשִׁיחָא דִּדְלֵיהּ הִיא מַלְכוּתָא *dum veniat Messias*, *cui est regnum.* וּנְתַתִּיו pro וַאֲשֶׁר נָתַתִּי לוֹ *et cui dabo*, scil. מִשְׁפָּט, ut Jos. 15, 19. נְתַתָּנִי *dedisti mihi.* Possit tamen suffixum in וּנְתַתִּיו et ad מִשְׁפָּט referri. „Memorabile est, esse codices, qui habeant אֲשֶׁר־

לֹא הַמִּשְׁפָּט. Kennicottus duos commemorat, qui certo, duos, qui forsan hanc lectionem profiteantur, et De-Rossi ex sui codicis 782, qui Kennicotto est 409, margine notam refert, in aliis libris legi לוֹ הַמִּשְׁפָּט. Hac autem lectione posita equidem nullus dubitaverim, Nebucadnezarem esse, qui his verbis designetur, hoc sensu: tale quid antea factum non est, donec veniret, qui jus perdendae reipublicae Judaicae non haberet, nisi a me acceptum. Verum et ipsa vulgaris lectio לוֹ הַמִּשְׁפָּט a tali sensu non videtur aliena esse. Babylonius enim, diversa ratione, et *jus non habere* dici poterat, quod sui juris esset respublica Judaica, et contra *jus habere*, quod traditum ac concessum ipsi esset a summo rerum arbitro. Certo lectio לֹא aliam enascendi occasionem habere non potuit, quam quod essent, qui locum ad Nebucadnezarem spectare cernerent, sed offensi acerbiore formula, quae barbaro regi jus in populum Judaicum tribueret, lectionem לֹא mitigandum esse putarent sermonemque emolliendumque, cujus rei alia exempla non desunt in libris hebraicis" SCHNURRER.

33. „Gladium regis Babylonis stetisse in capite duarum viarum, in compito dexterae et sinistrae, quarum altera ducebat Jerusalem, altera ad Rabbath filiorum Ammon, et exiisse sortem, ut pergeret prius contra Jerusalem, supra (Vs. 24. 25.) legimus. Qua expugnata et capta regnum quoque et sacerdotium ejus in aeternum periisse praenuntiat. Residuum erat filiis Ammon, et ipse divisionis ordo poscebat, quid de sinistra via factum esset. Unde imperatur Prophetae, ut loquatur ad filios Ammon." HIERONYMUS. Cur vero Ammonitis cladem comminari jubeatur propheta, Schnurrerus cum aliis interpretibus recte comminiscitur causam hanc, quod praevideret Deus, fore, ut Ammonitae, quod et ab Edomitis praecipue, aliisque vicinis gentibus factum est, de excidio urbis reique publicae Judaicae superbius exultent glorienturque, profugosque Judaeos multis variisque molestiis afficiant, quod alia oratione, 25, 1—7. copiosius exponit propheta. Nec eventu suo destitutum fuisse oraculum, ex FL. JOSEPHI *Archaeologia* demonstrabile est, qui Lib. X. Cap. 9. §. 7. edit. Haverc. refert, quinto post Hierosolymorum vastationem anno exercitum deduxisse Nebucadnezarem in Coele-Syriam, eaque occupata et Ammonitis et Moabitis bellum intulisse, deinde redactis in suam potestatem istis gentibus in Aegyptum profectum esse. אֶל־בְּנֵי וְאֶל־בְּנֵי עַמּוֹן pro עַל־בְּנֵי עַמּוֹן *super, de Ammonitis*, ut statim וְעַל־חֶרְפָּתָם pro חֶרְפָּתָם; vid. et supra 19, 1. 13, 16. חֶרְפָּתָם h. l. est active capiendum, de opprobrio, quo affecerunt Ammonitae Israelitas, quum affligerentur, ut Zephan. 2, 8. חֶרְפַּת מוֹאָב וְגִדּוּפֵי בְנֵי עַמּוֹן est *ignominia, quam Moabitae Judaeis intulerunt et convicia Ammonitarum.* Ad rem conf. infra 25, 3. 6. פְּתוּחָה *Apertus, strictus est*, ut Ps. 37, 14. חֶרֶב פָּתְחוּ רְשָׁעִים *gladium strinxerunt impii.* De מָרוּטָה vid. supra ad Vss. 14. 15.

לְהָכִיל *Ad comedendum* vel *consumendum*, s. *ut comedere faciant eam*, Infinitivus Hiphil verbi אָכַל, eliso א, pro לְהַאֲכִיל, contracto ֵ et ָ in Camez et excluso Aleph, quod debuisset quiescere, ita תֹּמְרוּ *dicetis*, pro תֹּאמְרוּ 2 Sam. 19, 14.; וְתִקָּח *et capies*, pro וְתִקַּח 2 Sam. 20, 9.; לֹא־יֶהֱל *non tentorium figet*, pro לֹא־יֶאֱהַל Jes. 13, 20. Alii referunt ad verbum כוּל *ferre*, *continere*, vertuntque: *ad sustinendum*, i. e. ut sufficiat, par sit multis interficiendis. Nova ratione hanc vocem SCHNURRERUS explicat, parum concinne dici gladium arbitratus ad id politum, ut consumat. „Poliendo gladio enim," inquit, „non id agitur efficiturque, ut acie sua nocentior, sed ut specie sit spectabilior, et supra quoque Vs. 15. diserte gladius dicitur eo fine politus fuisse, ut suo fulgore coruscaret. Itaque malim הָכִיל ad verbum כוּל referre, ut *ad continendum* sit, quantum continere potest, i. e. quantum fieri potuit, quantum satis est, quo fere sensu vocem לְהָכִיל Ezechiel quoque usurpat 23, 32. מְרֻבָּה לְהָכִיל *amplus est*, *quantum fieri potest*. Adverbii igitur vim quasi sustinet לְהָכִיל, et לְמַעַן בָּרָק proxime cohaeret cum voce מְרוֹטָה, hoc modo: politus est quam diligentissime, ut refulgeat." Nos tamen locum 23, 32. ad vindicandum usum adverbialem dictionis לְהָכִיל valere dubitamus, vid. not. infra ad eum loc. Neque vero videmus, cur gladius non dici possit poliri utraque de causa, tam ut acies ejus magis exacueretur, et ita aptior fieret ad multos conficiendos, quam ut fulgore suo terreat, ut supra Vs. 15. dicitur. De verbis לְמַעַן בָּרָק vid. ad Vs. 15.

34. בְּהָזוֹת לָךְ שָׁוְא *Dum vident tibi* mendaces prophetae *vanitatem* (ut supra 13, 6. 7., infra 22, 28.), dum vanas tibi prophetias afferunt, fausta ac fortunata omnia promittunt, et vos securiores facti otio et deliciis diffluitis. בְּקָסֳמ־לָךְ כָּזָב *Dum divinant tibi mendacium.* לָתֵת אֹתָךְ sunt qui vertant: *ut te tradam*, vel, *ut te tradat* scil. hostis. Alii: eo cum eventu certissimo, *ut ita tradant te*, nam ל saepe non finem intentum, sed *causam eventus* denotat, vid. e. c. Exod. 5, 21. 17, 3. Jer. 7, 6. 8. 19. Recte vero Schnurrerus notat, לָתֵת pendere a Versu qui proxime antecedit, quo gladius jam strictus dicitur paratusque ad irruendum; et sensum verborum לָתֵת אוֹתָךְ אֶל־צַוְּארֵי חַלְלֵי רְשָׁעִים hunc esse: ut vos quoque addat gladius ad colla eorum, qui occisi sunt de improbis, i. e. ut idem vobis eveniat, quod illis improbis (Judaeis, Vs. 19. 29.), qui jam caesi sunt prostratique. *Colla occisorum* poetice dicuntur pro occisis, ad innuendum, truncos illos relictos esse, quorum a collis capita fuissent avulsa. אֲשֶׁר־בָּא יוֹמָם בְּעֵת עֲוֹן קֵץ *Quorum venit dies tempore iniquitatis finis*, vid. not. ad Vs. 30.

35. הָשֵׁב אֶל־תַּעְרָהּ *Reduc ad vaginam suam* scil. gladium, reconde modo gladium tuum, o Ammonita! Imperativus cum Patach (ut Jes. 42, 22.) pro חָשֵׁב 2 Sam. 15, 25. Noli resistere

Chaldaeis, quia frustra erit, et nihil proficiet. Schnurrero הָשֵׁב Infinitivus est pro Futuro positus (ut Vs. 31. et aliis locis permultis), et quidem pro prima illius persona, הָשֵׁב אָשִׁיב, ut dicat Deus, se effecturum, ut gladius in vaginam reponatur; quod eo respiciat, quod Babylonius post expugnatam urbem terramque Judaicam cum exercitu domum sese recepturus esset, illaesis tantisper intactisque Ammonitarum finibus, qui tamen et ipsi non adeo longo tempore post expugnatam Hierosolymam eundem illum hostilem exercitum sint experturi. בְּמָקוֹם אֲשֶׁר־נִבְרֵאת *In loco* (status constructus ob sequens pronomen relativum, ut Levit. 4, 24. 33.) *quo creata es.* Generis permutatio, haud infrequens vatibus hebraeis, vel ad populum, vel ad regionem aut coetum Ammonitarum. Ita Hos. 2, 21. suffixum femininum in וְאֵרַשְׂתִּיךְ *desponsabo te* (mihi) ad populum Israeliticum pertinet, de quo antea in numero plurali propheta loquutus erat. Cf. ibid. 5, 9. אֶפְרַיִם לְשַׁמָּה תִּהְיֶה *Ephraim in desolationem erit.* בְּאֶרֶץ מְכֻרוֹתַיִךְ *In terra effossionum*, originum, *tuarum*, i. e. in patria tua et natali solo, vid. not. supra ad 16, 3. LXX: Ἐν τῇ γῇ τῇ ἰδίᾳ σου. Vulgatus: *in terra nativitatis tuae.* Chaldaeus: *in terra habitationis vestrae.* אֶשְׁפֹּט אֹתָךְ *Judicabo te*, poenas a te exigam, ut supra 11, 10. Jarchi quatuor hosce Versus postremos inde a 34. contra regem Babylonium directos existimat, ut sensus hic sit: „tu divinationibus tuis falsis ac mendacibus effectum opinaris, quod gladius tuus immissus sit collis confossorum illorum improborum; neque tamen ita est, nam venit dies eorum per decretum a me factum, illo tempore, quo completum fuit tempus finis eorum. Reducam vero gladium hunc, Babylonium, quo usus sum ad puniendos Judaeos atque Ammonitas in vaginam suam, i. e. terram suam, et ibi in eum animadvertam.“ Verum divinatio Nebucadnezaris, de qua supra Vs. 26., mendax non dici potuit, utpote quae exitum habuit, et verax omnino fuit; nam secundum divinorum suorum praedictionem rex urbem obsedit et expugnavit. Ita a Vs. 35. oraculum contra Babylonios incipere arbitratus Hieronymus hunc locum ita enarrat: „Expleto opere tuo, quod egisti contra filios Ammon, revertere ad vaginam tuam, id est, in Babylonem, ad locum, in quo factus es atque creatus, ut in terra nativitatis tuae judicem te, et effundam super te indignationem meam, et Medorum atque Persarum virtute capiaris.“ Nobis tamen magis congruere videtur, ut inde a Vs. 33. usque ad finem Capitis una adversus Ammonitas decurrat vaticinatio.

36. וְשָׁפַכְתִּי עָלַיִךְ זַעְמִי *Et effundam super te iram meam;* cf. Ps. 69, 25. בְּאֵשׁ עֶבְרָתִי אָפִיחַ עָלַיִךְ *In igne furoris mei* (ut infra 21, 31.) *sufflabo contra te*, uti sufflare solent in ignem ad suscitandum eum. Cf. Jes. 54, 16. חָרָשׁ נֹפֵחַ בָּאֵשׁ פָּחָם *opifex exsufflans ignem prunae.* וּנְתַתִּיךְ בְּיַד אֲנָשִׁים בֹּעֲרִים *Et dabo te in manum hominum ardentium* ira et furore, quomodo בַּעַר

Jes. 30, 27. usurpatur. Alii interpretantur *insanientes*, a בְּעִיר *jumentum*, quasi *pecuinos* dicas, ut Ps. 94, 8. *Intelligite*, בְּעָרִים בַּעַם *bruti*, insipientes, *in populo*, וּכְסִילִים *et stulti quando intelligetis?* Ita Vulgatus: *in manus insipientium.* Praestat tamen priori significatu accipere, quum similitudo ignis proxime praecesserit. LXX: εἰς χεῖρας ἀνδρῶν βαρβάρων. Syrus: *in manum virorum ferocium.* Chaldaei significantur, in Ammonitas poenam exercituri. Qui vero haec inde a Vs. 35. in Chaldaeos directa putant, hic Medos et Persas intelligunt, coll. Jes. 13, 17. 21, 2. חָרָשֵׁי מַשְׁחִית *Artificum perditionis*, peritorum perdendi.

37. לָאֵשׁ תִּהְיֶה לְאָכְלָה *Igni igitur pabulum eris* (ut supra 15, 4.) furore barbarorum istorum, sicuti flamma, consumeris. Vel significatur metropoleos aliarumque urbium incensio et vastatio. דָּמֵךְ יִהְיֶה בְּתוֹךְ הָאָרֶץ *Sanguis tuus erit in medio terrae*, ubique per terram fusus apparebit, nemine vindicante. Kimchi pro contrario confert Job. 16, 18. לֹא תִזָּכְרִי *Non mentio fiet de te*, oblivioni traderis, quod ipsum iisdem verbis noster Ammonitis minatur infra 25, 10. Significat, Ammonitas bellis aliisque cladibus ad eam paucitatem redactum iri, ut cessent proprio nomine appellari, ac discerni ab aliis nationibus. כִּי אֲנִי יְהוָה דִּבַּרְתִּי „*Quia ego Dominus loquutus sum*, cujus dixisse, fecisse est.“ Hieronymus.

XVII.

CAP. 22.

Argumentum.

Civium Hierosolymitanorum multa et maxima scelera recenset, eorumque poenas minatur (Vs. 1—16.); tum pravitatem Israelitarum increpat, quos comparat scoriis in fornace ignis ardore excoquendis (17—22.); denique sigillatim sacerdotum, principum, prophetarum, et plebejorum redarguit crimina et flagitia, gravi addita vindictae divinae comminatione (23—31.).

2. הֲתִשְׁפֹּט vertunt cum interrogatione: *judicabisne?* quod ita intelligunt: auderesne carpere et condemnare homicidam istam civitatem? Ex te non auderes, nisi mittereris a me et a me adjuvareris. Nos vero illud ה verbo תִּשְׁפֹּט praefixum h. l. *nonne* valere putamus, ut supra 20, 4., ad quem locum vid. not. אֶת־ עִיר הַדָּמִים *Urbem sanguinum.* Hierosolymam intelligit, cujus cives prophetas et alios homines innocentes et probos trucidare solebant. Eodem nomine urbs infra 24, 6. 9. appellatur. Chaldaeus: *urbem, quae effundit sanguinem innocentem in medio sui,* quasi בְּתוֹכָהּ, ut Vs. sq., additum legisset. וְהוֹדַעְתָּהּ „Literae ultimae, ה, impositum est *Mappik*, q. d. וְהוֹדַעְתָּהּ אוֹתָהּ i. e. *et notas facias ei.*“ JARCHI.

3. עִיר שֹׁפֶכֶת דָּם בְּתוֹכָהּ לָבוֹא עִתָּהּ *Urbs* tu es *effundens sanguinem in medio sui, ut* (ל *eventuale*, ut supra 21, 34.) *veniat tempus* vindictae et desolationis *ejus*, ut Jes. 13, 22. KIMCHI: „Effusio sanguinis in causa est, ut veniat ei tempus desolationis suae.“ Chaldaeus: *venit tempus interitus ejus.* וְעִשְׂתָהּ Jarchi notat pro וַאֲשֶׁר עִשְׂתָהּ dictum esse. עָלֶיהָ quidam vertunt *pro se*, ut 1 Reg. 2, 18.: *loquar* עָלֶיךָ *pro te ad regem;* et 2 Reg. 10, 3. *Pugnate* עַל־בֵּית אֲדֹנֵיכֶם *pro domo domini vestri.* Mallem: *contra se*, i. e. maximo suo malo.

4. בְּדָמֵךְ *Per sanguinem tuum*, a te effusum, ut sequitur. Chaldaeus: בְּחוֹבַת דָּם זַכַּאי *peccato sanguinis innocentis.* אֲשַׁמְתְּ *Rea es facta*, ut 25, 12. Jer. 2, 3. וַתַּקְרִיבִי יָמַיִךְ *Et appropinquare fecisti dies tuos*, ultioni tuae destinatos. Cf. supra 9, 1. קָרְבוּ פְּקֻדּוֹת הָעִיר, et 12, 23. קָרְבוּ הַיָּמִים, nec non Ps. 37, 13. רָאָה כִי יָבֹא יוֹמוֹ, *vidit advenire diem interitus ejus.*

וַתָּבוֹא עַד־שְׁנוֹתָיִךְ *Venisti ad annos tuos*, quibus scil. in terras exteras deporteris, ut Hebraei supplent. Alii urbem cum homine senescente comparari existimant, qui terminum annorum vitae sibi destinatum attigerit. Verbum masculinum וַתָּבוֹא ad עִיר, nomen femininum, refertur, quum וַתָּבוֹאִי esse deberet; sed intelligitur per urbem עַם *populus* ejus. Sic metonymia discrepantiam generis tollit. LXX: *καὶ ἤγαγες καιρὸν ἐτῶν σου.* Vulgatus: *et adduxisti tempus annorum tuorum.* Syrus: *et venit tempus annorum tuorum.* Chaldaeus: *et venit tempus mali tui.* Qui cuncti עַת־שְׁנוֹתָיִךְ legerunt, quod ipsum in duobus codicibus Kennicotti reperitur, sed cum Keri עַד ad marginem, uti codices Orientales seu recensionis Babylonicae habent. עֵת־שְׁנוֹתָיִךְ probat Hubigantius, qui et pro וַתָּבוֹא in Hiphil, וַתָּבִיא, ut LXX et Vulgatus, legendum censet. „Ac defective," inquit De-Rossi, „ותבא, quod ad utramque conjugationem trahi potest, Kal et Hiphil, legunt manuscripti codices quamplures, Kennicottiani et mei, binae editiones Soncinenses ac Brixiensis." עַל־כֵּן לְחֶרְפָּה־לָךְ לִתְהִלָּה לְכָל־הָאֲרָצוֹת — *Propterea dabo te opprobrium gentibus, et ludibrium omnibus terris*, omnium terrarum ludibrio te exponam. Pro לַגּוֹיִם legitur בַּגּוֹיִם *inter gentes* (ut supra 5, 14., ubi eadem, quae h. l., phrasis) in codicibus utriusque collationis et editionibus quamplurimis. Sed veteres omnes לַגּוֹיִם exprimunt.

5. Verba: הַקְּרֹבוֹת וְהָרְחֹקוֹת מִמֵּךְ *propinquae et quae remotae sunt a te*, LXX jungunt Versui, qui proxime praecessit, *ταῖς ἐγγιζούσαις πρός σε, καὶ ταῖς μακρὰν ἀπεχούσαις ἀπὸ σοῦ*, scil. opprobrium te dabo. וְתִקְלֹסוּ־בָךְ *Illudent tibi.* LXX: *καὶ ἐμπαίξονται ἐν σοί*, quasi verbo hebraico copula praefixa esset. Vulgatus: *triumphabunt de te.* Subjungitur ipsa convicii formula: טְמֵאַת הַשֵּׁם *o polluta nomine!* quod Jarchi ita explicuit: „Haec est ista, inquiunt illi, quae nomen suum polluit, quum olim vocarentur *populus sanctus* (Deuter. 7, 6. 14, 2. 21.), *filii ejus*, *qui ipsos formavit* (cf. Jes. 43, 1.); sed illi sibi ipsis fuerunt causa, ut vocarentur *populus pollutus labiis* (Jes. 6, 6.)." Kimchi טְמֵאַת negat esse formam nominis status constructi, quae טְמֵאַת esse deberet, ut יִרְאַת יְהוָה Prov. 1, 7. et שִׂפְתַת קוֹמָה, supra 17, 6. Quodsi igitur pro statu absoluto habendum esset, duo haec nomina טְמֵאַת הַשֵּׁם disjungenda forent, hoc sensu: *immunda! famosa!* ut שֵׁם de *fama*, sensu malo, quemadmodum infra 23, 10., intelligendum sit. In statu absoluto nomen טְמֵאַת accepit quoque Hieronymus, sententia vero diversa: *sordida, nobilis;* „nobilis," ait in Commentario, „in malo, quae quondam in bono cunctas urbes nobilitata superabas." Sed nominis adjectivi טָמֵא femininum in statu absoluto est טְמֵאָה, vid. Levit. 11, 6. 15. 33., 27, 27., non טְמֵאַת; Zere invariatum manet, ut in זֵעָה *sudor*, תֵּבָה *arca*, אֲבֵדָה *perditio*, אֲפֵלָה *caligo*, גֵּזֵלָה *rapina*, et aliis nominibus haud paucis. רַבַּת הַמְּהוּמָה *Magna*,

plena (ut Jerem. 51, 13. רַבַּת אוֹצָרֹת *plena thesauris*, et Thren. 1, 1. רַבָּתִי עָם *plena populo*) *conturbatione*, tumultu, quod nihil ordine et decenter in ea ageretur, sed omnia conturbate, per rixas, per factiones, per seditiones, per vim. LXX: *καὶ πολλὴ ἐν ταῖς ἀνομίαις*. Syrus: *et multa in iniquitatibus suis*. Alii מְהוּמָה capiunt de tumultu bellico, veluti cum hostes irruunt, ut supra 7, 7. Deut. 28, 20. Jes. 22, 5., hoc sensu: quae multa mala perpessa es. Quae sententia tamen orationis seriei non satis est accommodata.

6. Theodoretus: *A principibus exorsus est accusationem, utpote quum subditi sequantur principes.* נְשִׂיאֵי יִשְׂרָאֵל אִישׁ לִזְרוֹעוֹ הָיוּ בָךְ *Principes Israelis* quod attinet, *unusquisque* non secundum jus et aequitatem, sed *secundum brachium suum*, i. e. secundum vires et potentiam suam *in te* sunt. Principes non ex justitia, sed ex potentia rempublicam gubernant. Vel: in constituendis principibus solius potentiae ratio habetur: princeps constituitur non is, qui justitiam amat et exercet, sed quo quisque potentior est, ut eo major sanguinis copia effundi possit. Jarchi verba nostra hoc illustrat adagio: *quicunque fortior est, praevalet.* Kimchi comparat Job. 22, 8. וְאִישׁ זְרוֹעַ לוֹ הָאָרֶץ *viri potentis est terra.* Nos vero non dubitamus, esse haec verba iis, quae proxime sequuntur, לְמַעַן שְׁפָךְ־דָּם, *propter fundere sanguinem*, jungenda hoc sensu: quisque pro vi sua hoc studet, ut sanguinem effundat.

7. „Enumerantur omnia ista scelera, de quibus vitandis admonentur Israelitae illa in Parascha, quae verbis קְדֹשִׁים תִּהְיוּ incipit, i. e. Lev. cap. 19. 20.“ Jarchi. אָב וָאֵם הֵקַלּוּ בָךְ *Patrem et matrem vilipendunt in te.* בַּגֵּר עָשׁוּ בָעֹשֶׁק *Cum peregrino agunt per oppressionem*, violentiam et fraudem, ut infra Vs. 12. 29. יָתוֹם וְאַלְמָנָה הוֹנוּ בָךְ *Parentibus orbum et viduam opprimunt in te.* Ad הוֹנוּ observat Kimchi, id verbum oppressionem aliorum significare, quae fit fraudando, ut cum alteri in emtione aut venditione illo inscio aliquid detrahis. Conf. supra 18, 7. Jer. 22, 3.

8. Verba קָדָשַׁי בָּזִית *Sacra mea sprevisti* quidam de *sacris locis*, cultu superstitioso pollutis capiunt. Alii rectius de ritibus sacris, praesertim sacrificiis aut prorsus neglectis, aut non decenter oblatis, ut cum cocea, clauda, vitiosa offerrent. Jarchi: „Non fecistis, quemadmodum vobis praecepi (Levit. 19, 5.): *ad favorem* meum *vobis conciliandum sacrificetis.*“ וְאֶת־שַׁבְּתֹתַי חִלַּלְתְּ *Et sabbatha mea profanasti*, cf. 20, 24. 23, 38. בָּזִית LXX reddunt *ἐξουθένουν*, quasi בָּזוֹ in hebraeo esset; et pro חִלַּלְתְּ posuerunt *ἐβεβήλουν ἐν σοί*, quasi חִלְּלוּ־בָךְ legissent, neque tamen illos ita legisse arbitror, sed tertiam pluralis personam ideo ab eis expressam, quod verba in Versibus, qui proxime praecesserunt, et qui sequuntur, in tertia persona posita sunt.

9. אַנְשֵׁי רָכִיל הָיוּ בָךְ לְמַעַן שְׁפָךְ־דָּם *Viri detractionis*, calumniatores, *sunt in te propter fundendum sanguinem*, i. e. qui delationibus suis insontes pessum dederunt. רָכִיל, quod alias *delatorem, detractorem* significat, a verbo רָכַל *negotiari, mercari*, quod delator, ut mercator lucri causa merces, sic ipse, ut inde forsan aliquid commodi referat, verba hinc inde defert, hoc loco sumitur pro abstracto, formae פָּקִיד, ut נָבִיא *praedictionem* denotat Dan. 9, 24., כָּלִיל *integritatem*, נָסִיךְ *libationem*. Cf. Levit. 19, 16. לֹא־תֵלֵךְ רָכִיל בְּעַמֶּיךָ *ne ambules criminator inter tuos*. וְאֶל־הֶהָרִים אָכְלוּ בָךְ *Et super montibus comederunt in te*, i. e. simulacris sacra faciebant, et idolothytis vescebantur. אֶל pro עַל ut supra 18, 6., ad quem loc. cf. not. זִמָּה עָשׂוּ בְּתוֹכֵךְ *Flagitium faciunt in medio tui.* זִמָּה Kimchi observat omnia incestus flagitia comprehendere, quae postea sigillatim enumerat.

10. עֶרְוַת אָב גִּלָּה־בָךְ *Verenda patris retexit in te* filius impius; non defuere inter vos, qui cum patris uxore habuerint rem; id scelus prohibuit lex, Lev. 17, 7. 8. טְמֵאַת הַנִּדָּה עִנּוּ־בָךְ *Pollutam separatione*, i. e. menstruis, quibus laborans mulier a viro separata esse debuit, *compresserunt in te*, tam erant lascivi et incontinentes, ut ne a mulieribus quidem, quae fluxu menstruo laborant, abstinerent; quod non solum est contra legem, vid. Levit. 20, 18., sed et maxime impurum.

11. וְאִישׁ — עִנָּה־בָךְ *Et vir cum uxore socii sui abominandum facit*, abominanda adulteria patrat, *et vir nurum suam pollait incestu, atque vir sororem suam, filiam patris sui*, i. e. germanam, *opprimit in te.* Hunc Versum cum eo, qui proxime praecessit, HIERONYMUS brevi paraphrasi ita elucidavit: „Novercae contra fas et licitum copulati, et immunditiam menstruatae humiliaverunt in te, non parcentes naturae, neque inducias dantes turpitudini, et ad uxorem proximi sui adhibentes: quodque hoc sceleratius est, socer exarsit in nurum, et frater sororis jura nescivit, ut non uterinam, sed de eodem patre violaret sororem.“ Exemplum vid. 2 Sam. 13. Confirmatur his, quae TACITUS de Judaeis dicit *Hist.* Lib. V. Cap. 5. *Projectissima ad libidinem gens, alienarum concubitu abstinent, inter se nihil illicitum.*

12. שֹׁחַד לָקְחוּ־בָךְ לְמַעַן שְׁפָךְ־דָּם *Donum capiunt in te propter effundere sanguinem*, jura, et insontium caedes pecuniis vendebant. נֶשֶׁךְ וְתַרְבִּית לָקָחְתָּ *Foenus et usuram capis*, contra legem 25, 36. וַתְּבַצַּע רֵעֶיךָ בַּעֹשֶׁק *Quaestum facis*, lucrum captas, *a socio tuo per oppressionem*, commodum tuum auxisti cum injuria proximi tui. JARCHI et et alii Hebraeorum explicant: *ditasti amicos tuos per oppressionem*, i. e. tibi foederatos, ut Assyrios et Aegyptios opibus ac divitiis cumulasti oppressione et calumnia extortis; eorum amicitiam ingenti pecunia, eaque male parta, tibi comparasti. וְאֹתִי שָׁכַחְתְּ *Et mei oblita es*, mea praecepta et meum cultum non curas.

13. וְהִנֵּה הִכֵּיתִי כַפִּי *Et ecce! complodam manus meas*, indignantis ex dolore gestus, vid. not. supra ad 21, 19. אֶל־בִּצְעֶךָ pro עַל בִּצְעֶךָ *propter lucrum tuum* et avaritiam, illiusque poenam, Vs. 27. Jes. 56, 11. 57, 15. וְעַל־דָּמֶךָ אֲשֶׁר הָיוּ בְתוֹכֵךְ *Et propter sanguines tuos, qui erant in medio tui.* Singularem numerum דָּמֶךָ collective capiendum esse pro דָּמִים, ut indicetur, sanguinem ista in urbe multifariam et copiose effusum, arguit verbum plurale הָיוּ. Ejusmodi numeri discrepantiam inferre distributionem et multitudinem, saepius vidimus.

14. הֲיַעַמֹד לִבֵּךְ *Consistetne cor tuum?* An non linquet tibi cor (cf. supra 21, 12. 20.), ubi in ista mala incideris? Sustinere poteris tot ac tantas calamitates, quas immissurus sum tibi, ut te puniam? אִם־תֶּחֱזַקְנָה יָדֶיךָ *Num confirmabunt se manus tuae?* Contrarium vid. supra 7, 27. 21, 12. לַיָּמִים אֲשֶׁר אֲנִי עֹשֶׂה עִמָּךְ *Diebus quibus agam tecum* scil. ita, vel, sicut tuis facinoribus promerita es, cf. supra 7, 27. 16, 59.

15. וְהֲפִיצוֹתִי אוֹתָךְ בַּגּוֹיִם וְזֵרִיתִיךְ בָּאֲרָצוֹת *Et dissipabo te inter gentes et dispergam te in terras.* Eadem comminatio iisdem verbis expressa supra 5, 10. 12, 15. 20, 23., et in Aegyptios infra 29, 12. וְהִתְּמוֹתִי טֻמְאָתֵךְ מִמֵּךְ *Et faciam ut consumatur impuritas tua de te*, efficiam, ut cives tui, impuri isti, posthac se non polluant in te, i. e. privabo te civibus tuis. At GROTIUS: „*Deficere faciam immunditiam tuam de te*, i. e. desines esse foecunda, retentis mensibus. In similitudine enim feminae perstat; vid. Levit. 15, 25., ubi eadem vox eodem sensu. Respondet poena peccato, supra Vs. 10.“ Sed priorem sensum non dubitamus verum esse, qui et priori hemistichio bene respondet.

16. In explicando priori hujus Versus hemistichio, וְנַחַלְתְּ בָּךְ לְעֵינֵי גוֹיִם, interpretum discrepantiam creat verbum וְנַחַלְתְּ, quod alii ad radicem נָחַל referunt, ut sit Niphal, pro וְנִנְחַלְתְּ, ut vertendum sit: *et hereditata es in te*, quod ita exponunt: olim fuisti hereditas mea; at ubi peccasti, non es amplius hereditas mea, sed tibi ipsi eris hereditas; videberis igitur gentibus deserta et derelicta a me, nec amplius hereditas mea esse, quum sis captiva. Quod quam sit coactum, quisque sentiet ipse. Alii haec verba cum hemistichio Versus praecedentis in bonam partem accipiunt, hoc sensu: quando inter barbaras gentes exsules facti, experientia docti resipiscere, pristina relinquetis scelera, efficiam, ut impura esse desinas, *et possideberis* scil. a me, Deo, i. e. tunc liberabo vos ex servitute, mihique vos vindicabo, tanquam sortem testamento legatam, atque in meum revocabo dominatum; ac tum gentes omnes intelligent meam potentiam. Ad radicem נָחַל relato נַחֲלָתְּ verterunt et LXX: *καὶ κατακληρονομήσω ἐν σοί.* Vulgatus: *et possidebo te.* „Quam (pristinam tuam puritatem) quum receperis, *possidebo te in conspectu omnium gentium*, ut quum

a me possessa fueris, tunc intelligas, quod ipse sim Dominus. Sin autem interpretationem Symmachi et Theodotionis sequimur, quorum alter ait: *Et vulnerabo te,* sive *confodiam;* alter: *contaminabo te in conspectu gentium,* ad malam partem cuncta referenda sunt; quamquam illud huic sensui contrarium sit, quod supra dicitur: *et deficere faciam immunditiam tuam a te.* Defectio enim immunditiae restitutio puritatis est." HIERONYMUS. Verum ut supra 7, 24. נֶחֱל vidimus esse Niphal verbi חָלַל *polluit, profanavit*, ita et nostrum נֶחֱלָתְתִּ ad eandem formam referendum erit. Ita igitur vertendum est: *dum profanaberis in te*, loco ejus, quod sancta mihi fuisti, repudiata eris, meisque plagis impia et profana declaraberis. Cf. Jerem. 24, 9. *Eos male vexandos in omnia terrarum regna dabo, ita ut ignominiae, dicterio, fabulae, et detestationi sint, ubicunque locorum eos profligavero.* Alii reciproce: *profana fies in te*, i. e. profanam te judicabis *(Du wirst alsdann in dir selbst vor den Augen der Nationen herabgewürdigt seyn).* GROTIUS: „*Polluta eris in te;* perstat in eo, quod dixit: immunditias tuas in te retinebis, idque ex facie apparebit. Sensus est allegoricus: non infoecunda tantum eris, sed et foeda adspectu." JARCHI: תִּתְחַלְחֲלִי בְעַצְמֵךְ עַל מָה שָׁעָשִׂית *dolens intremisces in te ipsa, propter ea, quae fecisti.* Quasi חָלַל significatu conveniat cum הוּל, cujus Hithpael Esth. 4, 4., unde חַלְחָלָה *cruciatus cum horrore* Jes. 21, 3., et infra 30, 4. 9.

18. Porro Israelitas redarguit comparando eos vilioribus metallis, qui prius erant pretiosa metalla. הָיוּ־לִי בֵית־יִשְׂרָאֵל לְסִיג *Sunt mihi domus Israel in scoriam.* סִיג esse *scoriam*, non dubium; scoriae autem quum sint duplicis generis, et eae, quae ab ipsa minera metalli igne secernuntur, partes terreae et lapideae, metallo admixtae, quae, observante MICHAELE in *Suppll.* p. 1724., in vitrum conflantur, suntque viliores scoriae, quibus, ubi nancisci eas possumus, in viis sternendis utimur; et eae, in quas ignobilius metallum, auro argentoque admixtum, conflatur, atque ab auro argentoque puro igne secernitur, quomodo ex plumbo argentum admixtum extracturus, plumbum igne in vitrum (scoriam) redigit, quam scoriam deinde iterum chemica et metallurgica arte id fieri cogit, quod fuerat, plumbum ex ea restituit; Michaelis et hoc loco, et reliquis omnibus V. T. locis (excepto forsan loco Prov. 26, 23), posterius scoriarum genus intelligendum docet, quod, dum auro argentoque admixtum, est *adulterinum metallum, ἀδόκιμον,* fornacis ope in scorias redigendum; id quod ex nostro loco manifestum est, quem propterea Michaelis classicum vocat. Nam quod vates dixit: domum Israeliticam factam esse *scoriam*, לְסִיג, statim ipse declarat, כֻּלָּם — כּוּר *omnes illos cuprum, stannum, ferrum et plumbum esse in catino*, iterumque addit, סִגִים כֶּסֶף הָיוּ *scoriae, qui antea argentum, factae sunt.* Ita *scoriae* et intelligendae Jes. 1, 22. Ps. 119, 119.

Prov. 25, 4. Plerumque nomen cum Jod scribitur, סִיג, ut est hoc loco tantum in margine (קרי), in textu vero cum *Vav*, כּוּג, quae elementa invicem permutari solent. Appellantur itaque scoriae et adulterinum metallum a כּוּג *recedere*, tanquam *recedanea*, quae igne a puro metallo secernuntur. כּוּר h. l. non *fornacem* significare, ut Deut. 4, 20. 1 Reg. 8, 51. Jerem. 11, 4.; sed *catinum communem*, in quo metalla liquantur et purgantur, ut Jes. 18, 10., res ipsa docet. סִגִּים כֶּסֶף solent *scorias argenti* vertere, Kimchio praeeunte, qui verba haec dicta existimat pro eo quod plenum esset סִיגֵי כֶסֶף, ut Prov. 22, 21. אֲמָרִים pro אֱמֶת אִמְרֵי אֱמֶת. Sed bonum sensum fundunt verba, si ea reddimus, uti sonant: *scoriae argentum factae sunt*, i. e. qui prius argentum erant, scoriae sunt factae, quod Vs. 19. לְסִגִּים exprimitur.

19. יַעַן הֱיוֹת כֻּלְּכֶם — אֶל־תּוֹךְ יְרוּשָׁלָם *Propterea quod vos omnes facti estis scoriae, ideo ego vos congregans ero ad medium Hierosolymae*, i. e. sicut massa illa ex argento et viliori materia congregata in catinum conjicitur, ita vos in urbe Hierosolymitana promiscue congregabo et consumam, ut sequitur.

20. קְבֻצַת כֶּסֶף — אֶל־תּוֹךְ כּוּר *Coacervatione argenti*, ut congregari solet argentum, *et aes, et ferrum, et plumbum, et stannum ad medium catini.* LXX: καθὼς εἰσδέχεται ἄργυρος. Syrus: *quemadmodum congeritur argentum.* לְפַחַת־עָלָיו אֵשׁ לְהַנְתִּיךְ *Ad sufflandum super illud ignem ad liquandum.* לָפַחַת Kimchi observat *sufflandi* notionem habere, et esse Infinitivum verbi נָפַח, a quo Jes. 54, 16. נֹפֵחַ בְּאֵשׁ פָּחָם *sufflans in ignem prunarum*, hoc autem loco literam Nun excidisse, more verborum primae radicalis, ut נְשֹׂא a נָגַשׂ, hoc tamen discrimine, quod nostrum verbum duo Patach habet, ob gutturalem Cheth, ut כְּגַעַת, supra 16, 10. וְהִנַּחְתִּי *Et reponam*, immittam vos in fornacem ad liquandum. Alii: *relinquam* (quo sensu idem verbum supra 16, 39. Num. 17, 19. usurpatur), vos, fame, gladio et peste consumendos.

21. וְכִנַּסְתִּי אֶתְכֶם *Et colligam*, inquam, *vos.* Non expressum a LXX et Syro. וְנָפַחְתִּי עֲלֵיכֶם בְּאֵשׁ עֶבְרָתִי *Et sufflabo contra vos in ignem fervoris mei*, sufflando eum concitabo. וְנִתַּכְתֶּם בְּתוֹכָהּ *Ut fundamini*, liquefiatis, consumamini, *in medio ejus*, ignis.

22. כְּהִתּוּךְ aliis est Infinitivus formae Niphal, aliis Hiphil, Kimchio nomen pro כְּהִנָּתִּיךְ *sicut fusio*, ut כְּהִנָּדֹף עָשָׁן *sicut propulsio fumi*, Ps. 68, 3., nisi quod הִנָּדֹף Cholem, nostrum autem Schurek habeat. Omnis hujus segmenti sensum inde a Vs. 18. Hieronymus ita enarrat: „*Scoria* sordes et purgamenta metallorum sonat, ut consequenter captivitate vicina, imo jam imminente urbis excidio, ignis adhibeatur: ut sub translatione conflationis purum argentum remaneat, quod aere, stanno, ferro,

plumboque mixtum fuerat atque violatum, quorum tria, aes, stannum et plumbum, fusilis materiae sunt, et igni solvuntur. Ferrum vero inter incudem et malleum mollescit atque tenuatur, et diversas accipit formas, prout voluntas artificis voluerit. Sicut igitur argentum, quod supradicta metalla violarunt, in fornacem mittitur, ut ablatis sordibus et adulterinis materiis purum remaneat; ita, inquit, congregabo vos in medium Jerusalem, et Babylonia obsidione circumdabo, ut succendam in vobis ignem ad conflandum. Quodque ibi facit flammarum ardor immensus, hic fames et pestilentia faciet, ut, postquam congregavero vos, atque succendero in igne furoris, tunc requiescam, et contemtus dolorem, poenarum vestrarum ultione compescam. Et hoc totum faciam, ut postquam effudero indignationem meam super vos, finis vestri cruciatus, mei notitia sit, et sciatis, quod ego sim Dominus judex omnium et retributor. Quod autem dicatur esse conflator, et in multis quidem aliis locis, sed maxime in Malachia et Isaja legimus, quorum alter (Malach. 3, 2. 3.): *Ecce*, inquit, Dominus egreditur quasi ignis conflatorii, et sicut herba lavantium, et sedebit conflans *quasi aurum et argentum, et conflabit filios Levi.* Alter (Jes. 4, 4.): *Et lavabit Dominus sordes filiorum et filiarum Sion, et sanguinem mundabit de medio eorum spiritu judicii, et spiritu combustionis.*"

24. אֱמָר־לָהּ *Dic illi*, Hierosolymae, s. terrae, ut sequitur, אַתְּ אֶרֶץ *tu es terra. Relativum* enim nonnumquam *antecedit* nomen, ad quod refertur, ut Num. 24, 17. לֹא מְטֻהָרָה הִיא Quae *non mundata* (*Pyhal* verbi טָהַר hoc solo loco legitur) *est*, horrens spinis, tribulis, rupibus et aliis, quae nulli sunt usui. Significantur homines nullius frugis, cf. infra 39, 12. 14. 16. לֹא גֻשְׁמָהּ *Non* descendet *pluvia ejus;* nomen גֹּשֶׁם, cum suffixo feminino, ut a גֹּדֶל et גֻּדְלוֹ, Ps. 150, 2. Kimchi vult esse tertiam femin. Praeteriti *Pyhal: non perfunderis pluvia;* deficere Dagesch characteristicum, et Mappik in He redundare, vel esse לְתִפְאֶרֶת הַקְּרִיאָה *ad elegantiorem pronunciationem*, ut in תַּעֲלֻמָהּ Job. 28, 11., in כְּבִכּוּרָהּ Jes. 28, 4., et in גֻּלָּהּ Zachar. 4, 2. Minime tamen necesse, talem anomaliam statuere. Chaldaeus: *in qua* (terra) *non sunt facta opera bona, ut protegant eam in die dirarum.* „Poterat diligens auditor inquirere, quae esset scoria, quae argenti violaverit puritatem, et aere, plumbo, stanno, ferroque miscuerit. Quod ibi igitur sub persona urbis et fornacis expressum est, et hic sub specie terrae, quae non sit rigata, nec pluviam susceperit, praedicatur. Pluvias illas debemus intelligere, de quibus scriptum est (Jes. 5, 6.): *Mandabo nubibus, ne pluant super eam imbrem*, quem exspectamus, quando datur nobis pluvia temporanea et serotina. *Dies* autem *furoris* [בְּיוֹם זַעַם] est, quem sibi unusquisque conciliat multitudine peccatorum. Scire cupimus, quae sit urbis scoria, qui terrae durissimae et plenae

veprium sentiumque squalor. *Conjuratio*, inquit, *prophetarum* [Vs. 25.]." Hieronymus. Itaque ex mente Hieronymi immoratur adhuc vates in exaggeranda urbis immunditia, atque eam utraque comparatione declarare nititur. Nam, ut immundam significet regionem, sentibusque et feris refertam, illam dixit *non compluta*m, quod terra arida et infrugifera est veprium et bestiarum ferax. בְּיוֹם זַעַם *In die furoris*, i. q. supra 7, 19. בְּיוֹם עֶבְרַת יְהוָה, cum Deus indignans poenas infligit. Alii cum לֹא גֶשְׁמָה arctius conjungentes: quo tempore Deus iratus claudit coelum ne pluerct, i. e. quae non recipit pluviam in tempore suo. Grotius allegorice: „*pluviam*, i. e. doctrinam prophetarum (cf. Jes. 5, 6.) non admisisti *in die furoris*, i. e. ne tum quidem, quum gravissima tibi minarer."

25. קֶשֶׁר נְבִיאֶיהָ בְּתוֹכָהּ *Conjuratio* (ut idem nomen Jerem. 11, 9.) *prophetarum* falsorum *ejus* est *in medio ejus*, urbis. Falsi prophetae ne sibi ipsis dissentiant in erroribus praedicandis, pactum faciunt inter se, quam doctrinam ferre velint, aut nolint, et ut sarta maneat ipsorum auctoritas, ad necem usque persequuntur eos, qui cum ipsis non faciunt, ut proxime sequitur. Alii eo referunt, quod pseudoprophetae conspirationem fecerint de praedicendo omnia prospera, qua ratione populum ad caedem vera denuntiantium incitarint. כַּאֲרִי שׁוֹאֵג טֹרֵף טָרֶף *Sicut leo rugiens, rapiens praedam* est, s. unusquisque eorum, seu collective est capiendum. נֶפֶשׁ אָכָלוּ *Animas devorant*, pessumdant homines innocentes, qui ipsis adversantur. חֹסֶן וְיֶקֶר יִקָּחוּ *Opes et honorem capiunt* pro bonis praedictionibus, cf. supra 12, 24. Jarchi: „Munera accipiebant et animum addebant improbis, ut interficerent, et raperent atque spoliarent, dum iis fausta omnia vaticinabantur." Nomen חֹסֶן, quod alias, ut Jes. 33, 6. *robur* notat, h. l. sicut Prov. 15, 6. designat *opes* et *facultates*, quod iis efficere quis facile quidvis et consequi potest, quemadmodum חַיִל utrumque, et *robur* et *opes*, significat. Recte Chaldaeus עוֹתַר *divitias*, et Vulgatus *opes* reddidit. אַלְמְנוֹתֶיהָ הִרְבּוּ *Viduas* ejus, urbis, *multiplicarunt*, causa erant necis multorum virorum, dum vaticiniis ad voluntatem homicidarum somniatis eos firmabant, quod scelus par est ipsi homicidio.

26. כֹּהֲנֶיהָ חָמְסוּ תוֹרָתִי *Sacerdotes ejus injuriam inferunt legi meae*, violant legem meam illi, quorum est munus praecipuum, legem docere. Eadem verba leguntur Zephan. 3, 4., חִלְּלוּ־ קֹדֶשׁ חָמְסוּ תוֹרָה *profanant sanctum, violant legem.* Idem quod Hos. 8, 1. וְעַל־ תּוֹרָתִי פָּשְׁעוּ *et contra legem meam deliquerunt.* Similia de sacerdotibus et prophetis queritur Jeremias 2, 8. Jarchi nostrum locum sic enarrat: „Illis (sacerdotibus) incumbebat increpare, ac docere et explicare statuta et praecepta; sed id non fecerunt, atque haec est vis s. injuria, quam legi divinae intulerunt, dum eam abstulerunt iis, qui necesse habebant, ut

illam discerent." וַיְחַלְּלוּ קָדָשַׁי *Profanarunt sanctuaria mea* ritibus impii et superstitiosi cultus simulacrorum, cf. supra Vs. 8. Verba, quae proxime sequuntur, בֵּין קֹדֶשׁ — לֹא הוֹדִיעוּ *sanctum et profanum non discernunt, et discrimen immundi a mundo non indicant*, sunt ex Levit. 10, 10., ubi facere jubentur, quod hic dicuntur neglexisse. „*Sanctum*, quod Deo dicatum est: *profanum*, quod in usu communi: *pollutum*, quod vesci vetitum: *mundum*, quod vesci licet." Grotius. לֹא הוֹדִיעוּ *Non indicarunt* scil. populo; non docuerunt populum, quae esset differentia puri et immundi. וּמִשַּׁבְּתוֹתַי הֶעְלִימוּ עֵינֵיהֶם *Et a sabbatis meis absconderunt oculos suos* (cf. quoad constructionem Levit. 20, 4.), a violatione sabbatorum meorum averterunt oculos suos, ne viderentur eam videre et intelligere. Videbant enim *filios Israel portantes onera in die sabbati*, ut scriptum est Jerem. 17, 27., et tacuerunt: non curant, si populus sabbatum violet. וָאֵחַל *Et* ita, illis sacerdotum scelcribus, *profanor*. Alii *profanatione Dei* hoc indicari existimant, quod nomine divino ad res falsas aut iniquas abuterentur.

27. Per omnes ordines ambulat, vitia singula notans. Postquam prophetas et sacerdotes Vs. 25. 26. castigasset, invehitur in procerum saevitiam et avaritiam. שָׂרֶיהָ בְקִרְבָּהּ כְּזְאֵבִים טֹרְפֵי טֶרֶף *Principes in medio ejus* sunt *sicut lupi rapientes praedam.* Cf. Vs. 6. לְשַׁפֵּךְ־דָּם לְאַבֵּד נְפָשׁוֹת *Fundendo sanguinem, perdendo animas*, caedibus grassando. Quod addit, quia sanguis effundi potest, non tamen ita, ut vita eripiatur. לְמַעַן בְּצַע בָּצַע *Ut lucrum* avidissime *lucrentur* ex bonis interfectorum sive oppressorum. Cf. supra Vs. 12.

28. וּנְבִיאֶיהָ טָחוּ לָהֶם תָּפֵל *Et prophetae ejus oblinunt iis tectorium.* Chaldaeus: *et pseudoprophetae, qui sunt in medio ejus, similes sunt ei, qui aedificat parietem, et oblinit eam luto simplici absque paleis*, quod non potest resistere imbribus. Confirmabant pseudoprophetae adulatores, quae a principibus perperam fiebant. Quae sententia eadem, quae hic usurpatur, metaphora supra 13, 10—13. expressa fuerat, ad quem locum vid. not. Eaedem querelae Mich. 3, 11. Zephan. 3, 4. חֹזִים שָׁוְא cf. supra 13, 6. 7. וְקֹסְמִים לָהֶם כָּזָב *Et divinant iis mendacium*, ut supra 13, 9.

29. עַם הָאָרֶץ עָשְׁקוּ עֹשֶׁק *Populus terrae oppressione opprimit.* עַם הָאָרֶץ nonnullis interpretibus est Accusativus (quemadmodum Accusativus verbo praecedit et Jer. 7. 6. Zach. 7, 10.), ut dicatur, proceres opprimere plebejos. Nos adstipulamur iis, qui dictionem illam pro nominativo absoluto habent: *populum terrae*, s. plebem, *quod attinet*, plebeji alii alios opprimunt; ut omnes ordines castigentur. A prophetis, sacerdotibus et principibus descendit ad populum, qui mutuis injuriis, calumniis, imposturis et rapinis se affecerunt. Qui potentiores erant in plebe,

opprimebant infirmiores. Cf. supra 18, 18. וְאֶת הַגֵּר עָשְׁקוּ בְלֹא מִשְׁפָּט *Et peregrinum oppresserunt sine jure*, quod vetitum Exod. 22, 20. 21. Deut. 24, 17.

30. וָאֲבַקֵּשׁ מֵהֶם אִישׁ גֹּדֵר־גָּדֵר *Quaesivi quidem virum, qui sepiret sepem.* Chaldaeus: *et quaesivi mihi ex eis virum, cujus opera essent bona.* וְעֹמֵד בַּפֶּרֶץ לְפָנַי בָּעַד הָאָרֶץ לְבִלְתִּי שַׁחֲתָהּ *Et qui staret in fissura coram me pro hac terra, ne corrumpam eam.* Vox בָּעַד de eo, qui pro alio intercedit precibus, usurpatur et Gen. 20, 7. Exod. 32, 30. 1 Sam. 7, 9. Chaldaeus: *qui staret in ruptura muri, et quaereret misericordiam pro populo terrae.* וְלֹא מָצָאתִי *Sed non inveni* aliquem. Exspectavi, inquit, num aliquis opponeret se mihi, i. e. rogaret pro populo isto, ne iratus eum perderem; sed omnes fuerunt securi, neque de emendatione sui nec aliorum cogitarunt. Eadem, quae h. l. similitudo de sepe perrupta supra 13, 5. Nemo est, qui hiantia defenderet, et sisteret sese in ruptura לְפָנַי *coram me*, obviam mihi, venienti ad destructionem terrae. Ad rem cf. Jerem. 5, 1.

31. וָאֶשְׁפֹּךְ עֲלֵיהֶם זַעְמִי *Quare effundam super eos iram meam*, cf. supra 7, 8. בְּאֵשׁ עֶבְרָתִי כִלִּיתִים *Igne indignationis meae consumam eos*, cf. Vs. 21. דַּרְכָּם בְּרֹאשָׁם נָתַתִּי *Viam eorum in caput ipsorum dabo;* afficiam eos poenis condignis ipsorum peccatis, ut supra 7, 4. 9, 10. 11, 21. 16, 43.

XVIII.

CAP. 23.

Argumentum.

Nova allegoria sub imagine duarum sororum (Vs 22.) Deus explicare et exprobrare jubet prophetam regni Israelitici et Judaici (Vs. 4.) impietatem, quod quum ipse sibi eas desponsasset, turpissime a se defecerint. Et primo quidem agit contra *Samariam*, cui *Oholae* nomen tribuit, quae Aegyptiorum et Assyriorum nefandas superstitiones recepit, et ab illis punita fuit (Vs. 5—10.); tum contra *Hierosolymam*, *Oholibae* nomine nuncupatam, quae sororis poena non emendata, cum Chaldaeis multiplicaverat adulteria (Vs. 11—33.). Denique dicta contra utramque repetit, et poenarum imminentium justitiam, certitudinem et gravitatem Judaeis confirmat (Vs. 36—49.).

2. שְׁתַּיִם נָשִׁים *Duae mulieres*, i. e. duae gentes, s. regna, Juda et Israel, ut explicatur Vs. 4. Conf. Jes. 32, 9. Illae בְּנוֹת אֵם־אַחַת *filiae matris unius* dicuntur, vel, quod olim unum faciebant populum, qui postea in duos est divisus, vel, ut Grotius vult, quod ambae ex una matre, Sara, sunt ortae. Chaldaeus: *vaticinare super duas provincias, quae sunt sicut duae mulieres.*

3. וַתִּזְנֶינָה *Et scortatae sunt*, i. e. simulacra adorationibus religiosis venerebantur, relicto Dei veri cultu, quod crimen *scortatione* sive *adulterio* comparare, solenne est prophetis, vid. Glassii *Philol.* S. p. 1195. seq. et 1299. edit. Dath., et cf. nostrum supra Cap. 16., nec non Jer. 3, 6. Hos. 1, 2. Nah. 3, 4. Ps. 73, 27. בְּמִצְרַיִם *In Aegypto*, ubi jam tum hauserunt semina cultus superstitiosi, a quo proavi erant alienissimi. Conf. supra 20, 7. 8. Jos. 24, 14. בִּנְעוּרֵיהֶן זָנוּ *In adolescentia sua scortatae sunt*, in ipsis gentis primordiis; cf. infra Vs. 8, 19., et supra 16, 22. 43. Pro שָׁמָּה LXX, cod. Alex. et Symmachus SH.: καὶ ἐκεῖ, וְשָׁמָּה. שָׁמָּה מֹעֲכוּ שַׁדֵּיהֶן *Ibi compressae sunt mammae earum.* Verbum מָעַךְ quod proprie *fricare* significare videtur, ut harmonicum arabicum Verbum et Levit. 22, 24. de *contritione* testiculorum usurpatur, h. l. de lasciva uberum frictura et contrectatione dici, patet. Ratione formae grammaticae

conferendum est הֶעֱכוּ, Ps. 118, 12., quod itidem est *Pyal.* עִשְּׁשׁוּ דַּדֵּי בְתוּלֵיהֶן *Contrectarunt mammas virginitatis earum*, scil. amasii Aegyptii, Vs. 8. Sensum hujus et proximi incisi bene expressit Chaldaeus: *et erraverunt in Aegypto, post cultum idolorum suorum erraverunt, ibi servierunt idolis, et ibi corruperunt opera sua.*

4. אָחוֹתָהּ — וּשְׁמוֹתָן *Nomina earum sunt: Ohola, major, et Oholiba, soror ejus.* אָהֳלָה *Tentorium* suum scil. illa habet, non Dei jussu, ut tentorium a Mose paratum, sed pro suo ipsius lubitu exstructum, quippe Deus ibi non habitabat. אָהֳלָה pro אָהֳלָהּ omisso Mappik, Pronominis suffixi feminini indice; cf. GESENII *Lehrgeb.* p. 98. Illo nomine a propheta *Samariam*, sive regnum Israeliticum significari, ipse statim diserte dicit. „Siquidem in decem tribubus erat tabernaculum non Dei, sed idolorum; aureos enim Jeroboam, ut populum averteret a cultu Dei, vitulos collocarat in Dan et Bethel," ait Hieronymus. *Ohola* autem, sive Samaria, cur dicatur הַגְּדוֹלָה, *major natu*, ut supra 16, 46., et hic rationes afferunt varias. HIERONYMUS: „Major Samaria dicitur et senior, vel propter multitudinem decem tribuum, vel quia post mortem Mosis, de Ephraim tribu, Jesus, filius Nave, populo praefuit; unde et Jeroboam, qui scidit eas, a Domo David fuisse legimus." Alii: quia maximi natu filii Jacobi, seu illorum posteri, sunt inter decem tribus (Juda enim est quartus). Sed vera ratio videtur haec esse, quod Samaria impietate vicit sororem, s. regnum Judae. Vid. not. ad loc. citatum. Regnum Judae vocat אָהֳלִיבָה, i. e. *tentorium meum in ea*, quod in illo templum Dei et sacerdotium erat. Cf. 2 Paral. 12, 5. וַתִּהְיֶינָה לִי *Et factae sunt mihi*, i. e. meae uxores. Vulgatus: *et habui eas.* Chaldaeus: et *ministrabant coram me.* Initio coluerunt me, et ego eas mihi quasi conjuges copulavi. Conf. 16, 8. וַתֵּלַדְנָה בָנִים וּבָנוֹת *Et pepererunt filios et filias.* Auctae sunt numerosa prole, mihi ex foedere consecrata; 16, 20.

5. Primum contra Samariam, s. regnum Israeliticum agit, usque ad Vs. 10. וַתִּזֶן אָהֳלָה תַּחְתָּי *Scortata est Ohola sub me*, i. e. amorem, qui mihi purus debebatur, in alios, *loco mei*, transferebat. Cf. supra 16, 32. et ibi not. Chaldaeus: *et erravit Ohola a cultu meo.* וַתַּעְגֹּב עַל־מְאַהֲבֶיהָ *Amore libidinoso exarsit erga amasios suos.* Verbum עָגַב non simpliciter *amare*, sed *admiratione* et *amore deperire* ac *insanire* denotare, A. SCHULTENS in *Animadverss. philologg.* ad h. l. docet collato arabico عَغَبَ quod de *admiratione amoris* dici probat loco Coranico Sur. 2. Vs. 219. Pro וַתַּעְגֹּב Masora minor notat in aliis codicibus scribi וַתַּעֲגֹב, et eodem modo a scriptura vulgari aberrant septem libri manuscripti et editi, ab J. H. Michaelis indicati in Nott. critt. ad Biblia Halensia. Respicit vates quae 1 Reg. 16, 31. leguntur de Ahabo, qui non tantum Baalem, Sidoniorum idolum,

coluit, sed ei aedem etiam Samariae aedificavit, inque ea altare exstruxit, et sacerdotes, qui ei ministrarent, constituit; quo facto totus fere populus ad cultum hunc superstitiosum brevi tempore seductus est. Inprimis vero libidine exarsit אֶל־אַשּׁוּר *erga Assyrios;* videtur eo respicere, quod Menahemus per Phulem, Assyriae regem, cujus amicitiam sibi mille talentis argenti, ab opulentioribus expressis, conciliaverat, in regno sibi arrogato est confirmatus, 2 Reg. 15, 19. קְרוֹבִים quidam per asyndeton *et propinquos* interpretantur, i. e quoscunque vicinos sibi, Tyrios, Syros etc. Alii: *Assyrios vicinos* sibi factos per Syriam, cujus bonam partem occupaverant, vid. 2 Reg. 16, 9. Malim: *accedentes* ad eam, tanquam scortum suum, similiter de congressu venereo verbum קָרַב Genes. 20, 4. usurpatur, et conf. infra Vs. 44.

6. Sicut feminae incendi solent luxu vestium, honorum nominibus, juvenili aetate, corpore vegeto, sic Israelitas pellexerat Assyriorum potentia. לְבֻשֵׁי תְכֵלֶת *Indutos* vestibus *hyacinthino colore tinctos.* De תְּכֵלֶת vid. not. ad Exod. 25, 4. LXX: *Ἐνδεδυκότας ὑακίνθινα.* Vulgatus: *vestitos hyacintho.* Chaldaeus: לְבִישֵׁי גְמִיר *induti perfectione*, i. e. perfectissime, splendidis vestibus. Aliis גְּמִיר est *hyacinthinum*, sic dictum a flammae aut prunarum candore, quum גֶּמֶר *carbunculum* significet. פַּחוֹת וּסְגָנִים LXX vertunt *ἡγουμένους καὶ στρατηγούς.* Vulgatus: *principes et magistratus.* Syrus: *dominos et principes.* Chaldaeus: *principes et tyrannos.* Utraque illa vox, incertae originis, sed significationis non dubiae, serioribus V. T. libris est propria. בַּחוּרֵי חֶמֶד כֻּלָּם *Juvenes desiderii*, amabiles, omnes illos. פָּרָשִׁים רֹכְבֵי סוּסִים *Equites vectos equis* nobilioribus, non camelis aut asinis.

7. וַתִּתֵּן תַּזְנוּתֶיהָ עֲלֵיהֶם *Dedit scortationes suas super illos*, exposuit, prostituit se illis, cf. supra 16, 15. Nihil unquam amatoribus denegavit. מִבְחַד בְּנִי־אַשּׁוּר כֻּלָּם *Delectus*, lectissimi *filiorum Assur omnes illi* erant. וּבְכֹל אֲשֶׁר־עָגְבָה בְּכָל־גִּלּוּלֵיהֶם נִטְמָאָה *Et omnibus quos perdite dilexit* (vid. ad Vs. 5.), *omnibus illorum idolis polluta est*, quoscunque adamavit, eorum omnium idolis sese polluit.

8. וְאֶת־תַּזְנוּתֶיהָ מִמִּצְרַיִם לֹא עָזָבָה *Et scortationes suas ex Aegypto*, quae ex Aegypto acceperat idola, *non reliquit.* Chaldaeus: *et cultum idolorum, quem habuit ex Aegypto, non reliquit.* Nam vituli cultum, Aegyptium origine, instauravit Jeroboam, qui perduravit usque ad regni excidium. Jarchi hoc eo refert, quod Hoseas, rex Israelis, cum *So*, sive *Seveche*, Aegyptiorum rege, foedus iniit; vid. 2 Reg. 17, 4. — כִּי אוֹתָהּ בְּתוּלֶיהָ *Nam cum illa concubuerunt, et contrectarunt mammas virginitatis ejus.* Chaldaeus: *quia eam servire fecerunt idolis suis, et docuerunt eam opera mala.* וַיִּשְׁפְּכוּ תַזְנוּתָם עָלֶיהָ *Et*

fuderunt scortationem, i. e. virus suum *super eam*. Chaldaeus: *et effuderunt idola sua super eam.*

9. נְתַתִּיהָ בְיַד בְּנֵי אַשּׁוּר *Dedidi eam potestati Assyriorum*, Thiglatphilassaris et Salmanassaris, qui tota regione Israelitica sibi subjecta ipsam urbem Samariam post triennem obsidionem expugnavit, populumque superstitem cum rege Assyriam abduxit; 2 Reg. 17, 4. sqq. Verba אֲשֶׁר עָגְבָה עֲלֵיהֶם *erga quos amasiam egit*, bene reddidit Vulgatus: *super quorum insanivit libidine.*

10. הֵמָּה גָּלוּ עֶרְוָתָהּ *Illi revelarunt nuditatem ejus*, et nudam destituerunt; cf. Vs. 26. בָּנֶיהָ וּבְנוֹתֶיהָ לָקָחוּ *Filios ejus et filias ejus ceperunt*, cives captivos abduxerunt. וְאֹתָהּ בַּחֶרֶב הָרָגוּ *Et eam gladio occiderunt*, i. e. regnum et politiam per magnas strages sustulerunt. וַתְּהִי־שֵׁם לַנָּשִׁים *Et facta est nomen*, fabula, *inter mulieres*, inter alios populos. Chaldaeus: *et facta est nomen provinciis.* Pervenit fama insaniae ejus ad aures ceterarum mulierum, s. provinciarum, ut Kimchi ait. Cf. infra Vs. 48. et supra 17. 41. „Ipsam trucidarunt, ita ut in omnium mulierum exemplum jugulata sit, et in malam partem cunctarum sermone celebretur.“ Hieronymus. וּשְׁפוּטִים עָשׂוּ בָהּ *Postquam* Assyrii *judicia* Dei *exercuerunt in eam*, interpretatur Grotius. שְׁפוּט (formae זְבוּל) est *vindicta*, *plaga*, crimine aliquo promerita, vid. 2 Chron. 20, 9.

11. וַתֵּרֶא אֲחוֹתָהּ אָהֳלִיבָה *Et vidit soror ejus Oholiba* „omnia mala, quae evenerunt sorori ejus propter ipsius scortationem, nec timuit, ac sibi cavit.“ Jarchi. „Videns Oholiba, id est Hierusalem, in qua erat Dei tabernaculum, plagas sororis, non est exemplo commonita, ut retraheret ab errore pedem suum, sed auxit germanae fornicationem. Illa enim semel et foris idola fabricata est in Dan et Bethel: Ista autem crebro et in excelsis, et in ipso templo Dei adoravit statuam Baalis, et eum Assyriis fornicata est: idolum enim Belis Assyriorum religio est, consecrata a Nino, Belis filio, in honorem patris.“ Hieronymus. Eadem queritur Jeremias 3, 6—11. וַתַּשְׁחֵת עַגְבָתָהּ מִמֶּנָּה *Et tamen corrupit adamationem suam*, amorem suum, *plus quam illa.* עַגְבָתָהּ Jarchi תַּאֲוָתָהּ *desiderium ejus*, Galliee *souhaiter*, notare ait. וְאֶת־תַּזְנוּתֶיהָ מִזְּנוּנֵי אֲחוֹתָהּ *Et scortationes suas* plures fecit *scortationibus sororis suae.*

12. אֶל־בְּנֵי אַשּׁוּר עָגְבָה *Ad filios Assur amor* ejus impudicus (cf. ad Vs. 5.) ferebatur. De פַּחוֹת וְסִגְנִים קְרֹבִים vid. ad Vs. 5. 6. לְבֻשֵׁי מִכְלוֹל *Indutos perfectione*, perfectissimo ornatu. Hunc Versum Jarchi refert ad foedus ab Ahaso cum Assyriis initum, de quo vid. 2 Reg. 16, 7. Ad reliqua hujus Vs. cf. Vs. 6.

13. וָאֵרְא כִּי נִטְמְאָה דֶּרֶךְ אֶחָד לִשְׁתֵּיהֶן *Et vidi*, *quod* et haec *polluta esset*, et quod *via una*, unum idemque institutum, *duabus illis.*

14. וַתּוֹסֶף אֶל־תַּזְנוּתֶיהָ *Additque ad scortationes suas*, auxit suam impudicitiam. וַתֵּרֶא אַנְשֵׁי מְחֻקֶּה עַל־הַקִּיר *Cum* enim *vidisset* (ἀπόδοσις est Vs. 16.) *viros picturae*, i. e. pictos *super parietem*, nimirum צַלְמֵי כַשְׂדִּים *imagines Chaldaeorum*, quibus intelligunt nonnulli *deos Chaldaeorum*, qui ficti essent et picti instar virorum Chaldaeorum, et comparant locum supra 8, 10. Sed videntur potius principes Babylonici, patrio habitu et angustissima forma depicti, significari, unde ad foedera et communionem, ac porro ad idololatriam eorum pellecti fuerunt Judaei. חֲקֻקִים בַּשָּׁשֶׁר *Pictos minio*. Vid. ad Jer. 22, 14. Vulgatus: *expressos coloribus*. Syrus et Chaldaeus: *depictos coloribus*.

15. חֲגוּרֵי אֵזוֹר בְּמָתְנֵיהֶם *Cinctos cingulo in lumbis suis*, militari habitu, cf. Jud. 18, 16. Vulgatus: *balteis*, ita et ceteri interpretes. סְרוּחֵי טְבוּלִים בְּרֹאשֵׁיהֶם *Luxuriantes tinctis* scil. mitris s. tiaris versicoloribus *in capitibus suis*, i. e. tiarae prolixe a tergo pendentes, tinctae coloribus pretiosis, capitibus suis impositae erant (*picta redimitus tempora mitra*, ut Ovidius loquitur *Metam.* 14, 654.). Alii coll. Aethiopico ተጠቅለለ, *involutus, circumvolutus est*, טְבוּלִים *fascias* capiti *circumvolutas* significare existimant. Vulgatus: *et tiaras tinctas*. Syrus: *et vittis redimitos*. מַרְאֵה שָׁלִישִׁים כֻּלָּם *Adspectu triariorum erant omnes illi*. De שָׁלִישִׁים vid. not. ad Exod. 14, 7. Vulgatus: *formam ducum omnium*. Syrus: *adspectum illi* habuerunt *fortium omnes*. Chaldaeus: *adspectum fortium omnes illi* habuerunt. דְּמוּת בְּנֵי־בָבֶל כַּשְׂדִּים אֶרֶץ מוֹלַדְתָּם *Similitudine Babyloniorum, quorum locus nativitatis est terra Chaldaeorum*. Alii: *similitudine Babyloniorum*, id est, *Chaldaeorum, in terra nativitatis suae*, omnes ita ornati erant, ut ornantur in Chaldaea.

16. וַתַּעֲגְבָה עֲלֵיהֶם לְמַרְאֵה עֵינֶיהָ *Tum amore exarsit erga eos ad adspectum oculorum suorum*, statim atque hae imagines vidisset (Vs. 14.), exarsit in Chaldaeos ipsos, quorum imagines aspexerat. Pro וַתַּעֲגְבָה cum *He* paragogico, ut ad marginem legi praecipitur, in textu est forma simplex וַתַּעֲגֹב. וַתִּשְׁלַח מַלְאָכִים אֲלֵיהֶם כַּשְׂדִּימָה *Misitque legatos ad eos in Chaldaeam*, ultro illos ambivit.

17. וַיָּבֹאוּ אֵלֶיהָ בְּנֵי בָבֶל לְמִשְׁכַּב דֹּדִים *Et venerunt ad eam Babylonii ad concubitum amorum*, s. ad amatorium concubitum, i. e. inierunt societatem cum ea, et eam suorum idolorum cultum docuerunt. וַיְטַמְּאוּ אוֹתָהּ בְּתַזְנוּתָם *Et polluerunt eam per scortationem suam*, per idola sua, ut Chaldaeus interpretatus est. וַתִּטְמָא־בָם וַתִּקַע נַפְשָׁהּ מֵהֶם *Et cum polluta esset per eos, tum recessit anima sua ab iis*, i. e. illorum concubitu satiata, ad Aegyptios iterum se vertit, Vs. 19. Jarchi atque Kimchi hoc eo referunt, quod Jojakim et Zedekia in regem Babylonium rebellarunt, vid. 2 Reg. 24, 1. 7. 20. Verbum וַתִּקַע ad radicem יָקַע est referendum, quae convenit cum arabico وقع *cecidit, concidit*,

decidit, et cum עַל et מִן constructum *abstitit ab aliqua re.* Promiscue autem Versu proximo et infra 22. et 28. usurpantur verba נָקַע et יָקַע, tanquam idem plane significantia. Arabibus نقع est *sedavit*, s. *restinxit sitim*, in quarta conjugatione etiam ad rem veneream translatum. Quam significationem J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 1677. ad utrumque verbum hebraeum transferendam existimat, ita tamen, ut per constructionem cum מ et מֵעַל *satietatem cum taedio conjunctam* denotet, et וַתִּקַּע נַפְשָׁהּ מֵהֶם *satiata est anima ejus illis* vertendum sit, atque Vs. 18. posterius hemistichium; *satiata cum taedio recessit anima mea ab illa, ut antea a sorore ejus.* Quae tamen phrasis parum commoda erit, ubi eam Deus de se ipso usurpat, ut loco posteriore, et Jer. 6, 8. Aethiopibus נקע est *rumpi*, quod, observante Ludov. de Dieu. Matth. 9, 17. pro ῥηγνύσθαι, et Matth. 27, 51. pro σχίζεσθαι, *findi*, et in Hiphil אנקע pro ῥήσσειν, *rumpere*, Marc. 2, 22. dicitur. Quare Versus proximi hemistichium posterius sic vertit: *et abrupta est anima mea ab illa, sicut abrupta est a sorore ejus.* Nos quidem a sententia primo loco posita non recedendum arbitramur. Quocunque vero modo incisum illud vertas, sensus semper idem manebit: quam olim fidem mihi amore prosequebar, deinde foedifragam exosam habere coepi.

18. וַתִּגַּל תַּזְנוּתֶיהָ וַתִּגַּל אֶת־עֶרְוָתָהּ *Cum vero* adeo *retexisset*, patefecisset, *scortationes suas, et retexisset nuditatem suam*, cum omni pudore seposito ultro adspectui ingereret quae tegi debent, i. e. idolorum cultui palam se dederet, — וַתִּקַּע מֵעַל אֲחוֹתָהּ *tum amota est anima mea ab ea, sicut amota est anima mea a sorore sua.* De verbis יָקַע et נָקַע vid. ad Vs. 17.

19. וַתַּרְבֶּה אֶת־תַּזְנוּתֶיהָ *Multiplicavit tamen scortationes suas.* LXX: τὴν πορνείαν αὐτῆς. Similiter pronomen suffixum ad נְעוּרֶיהָ, et verbum זָנִית in secunda persona exprimunt. Chaldaeus: *idola sua.* מִצְרָיִם — לְזָכֹר *Recordando dies pueritiae suae, quibus scortata est in terra Aegypti*, i. e. et recordando et simul ipso actu revocando et exercendo priorem suam scortationem. Similiter *reminisci* consequentem sermonem comprehendit Esth. 2, 1. *Ahasverus recordatus est Vasthae*, sermonem simul habuisse de facinore illius coram ministris, ex Vs. 2. patet. Alii ad Deum referunt, hoc sensu: *revocans* mihi *in memoriam* scelera illius olim in Aegypto patrata. Ita Theodoretus: *Oblivioni*, *inquit*, *tradideram*, *quae tu in Aegypto deliquisti, verum tu eorum memoriam posterioribus tuis institutis revocasti.* Verum de sola Oholiba in hoc Versu agi patet. Cf. verbum זָכַר eodem modo, quo hic, usurpatum infra Vs. 27.

20. Verba וַתַּעְגַּבְהּ עַל פִּלַגְשֵׁיהֶם sunt, qui ita reddant: *adamavit* scil. illos, Aegyptios, *supra*, *magis quam* (ut עַל Deut. 28, 1. Job. 23, 2. Coh. 1, 16.) *pellices eorum*, i. e. plus quam alii populi vicini, Aegyptiorum superstitionem imitantes.

Alii: עַל *una cum*, ut supra 16, 37., vertunt. Verum עַל constructioni verbi עָגַב inservire, patet ex Vs. 5. Nomen פִּילַגְשׁ h. l. de *scortis masculis* usurpari, Kimchi inde concludit, quod additur: אֲשֶׁר בְּשַׂר חֲמוֹרִים בְּשָׂרָם. Sed quum פִּילַגְשׁ ceteris omnibus V. T. locis de *concubinis uxoribus* dicatur, meam facio Jarchii sententiam, עַל פִּלַגְשׁוּתָם poni pro עַל פִּלַגְשִׁיהֶם, *in concubinatum eorum* flagravit, ut esset concubina illis quorum membra sunt quasi asinorum, ut sequitur. אֲשֶׁר בְּשַׂר חֲמוֹרִים בְּשָׂרָם *Quorum caro*, i. e. mentula est *caro*, mentula, *asinorum.* בְּשַׂר eodem plane modo, ut supra 16, 26., sumendum, quo loco Noster Aegyptios itidem *bene vasatos*, i. e. in idolorum cultu eximios vocat. Asinum ob membri enormitatem Priapo consecratum fuisse, et Graecos masculinam partem, teste Phavorino, ὄνον vocare, observat Grotius. וְזִרְמַת סוּסִים זִרְמָתָם *Et fluxus equorum* est *fluxus eorum.* זִרְמָה de *fluxu seminis* dici (ut זֶרֶם de *fluxu aquarum*, Habac. 3, 9.), res ipsa, de qua hic agitur, docet. „Significat," inquit Jarchi, „haec similitudo multitudinem concubitus, quoniam equi coitum crebrius exercent, quam ceteri omnes mares, qui sunt inter jumenta."

21. וַתִּפְקְדִי אֶת זִמַּת נְעוּרַיִךְ *Visitasti*, i. e. revocasti, repetiisti (ut Jer. 3, 16. לֹא יִזָּכֵר בּוֹ וְלֹא יִפָּקֵד) *flagitium adolescentiae tuae*, cultum idolorum, quae olim in Aegypto venerabaris; rediisti ad veterem consuetudinem. בְּעֻשׂוֹת מִמִּצְרַיִם דַּדַּיִךְ *In subigendo ab Aegyptiis mammas tuas*, i. e. dum Aegyptii mammas tuas subigerent, s. contrectarent, cf. Vs. 3. Alii: *cum ornasti inde ex Aegypto*, coll. 2 Sam. 19, 25., quo loco tamen verbum עָשָׂה non tam *ornare*, quam *ordinare*, *componere* significat. En verba ipsa: וְלֹא־עָשָׂה רַגְלָיו וְלֹא־עָשָׂה שִׂפְמוֹ *non fecerat*, i. e. non curaverat, non purgaverat a squalore et sordibus, *pedes suos*, *nec fecerat*, i. e. composuerat *mystacem suum.* לְמַעַן שְׁדֵי נְעוּרַיִךְ *Propter ubera adolescentiae tuae*, quae habebas quum adhuc virgo esses.

22. הִנְנִי מֵעִיר אֶת־מְאַהֲבַיִךְ עָלָיִךְ *En excitaturus sum* (ut Jes. 13, 17.) *contra te amatores tuos*, Babylonios, ut ipse explicat Vs. 23. Cf. supra Vs. 9. אֵת אֲשֶׁר־נֶקְעָה נַפְשֵׁךְ מֵהֶם *Eos* videlicet *a quibus alienata est anima tua*, i. e. quos fastidiisti, expleta cum ipsis libidine tua. Cf. not. supra ad Vs. 17. „Quos Zedekias animum suum mutando odio habuit, et contra eos rebellavit." Jarchi. וְהֵבֵאתִים עָלַיִךְ מִסָּבִיב *Et adducam eos omni ex parte*, ut hostes.

23. Hae tres voces, פְּקוֹד וְשׁוֹעַ וְקוֹעַ, utrum sint nomina appellativa, an vero propria, idque vel populorum, aut personarum, vel regionum Babyloniis subjectarum, dubitatur. Veteres, unum si excipias Hieronymum, nomina illa ut propria acceperunt. LXX, cod. Rom.: Φακοὺκ, καὶ Σουὲ, καὶ Ὀχουέ. Sed in cod. Alex. et Arabe: καὶ Φοὺδ, καὶ Σοὺδ, καὶ Λοὺδ. In Syro-He-

xaplari: פוד ושוד וקוע. In Theodoreto: *Φακοὺμ, καὶ Σοὺδ, καὶ Κοὺδ.* „In Hebraico," inquit HIERONYMUS, habetur *Phacud* et *Sue* et *Cue*, quas multi gentes Orientales intelligunt, quum hujuscemodi nomina nec in Regum volumine, nec in Paralipomenon, neque in Jeremia quidem, qui describunt captivitatem Jerusalem, aut in aliquo loco Scripturae Sanctae inveniamus. Nec mirum, si Septuaginta ipsa Hebraica posuerunt nomina, quum Symmachus quoque et Theodotio in eadem nomina consentiant." Syrus: ופוט ולוד וקוע. Chaldaeus: פְּקוֹדָאֵי וְשׁוֹעָאֵי וְקוֹעָאֵי. Veteres hosce sequuntur Grotius et Junius. Hic quidem פְּקוֹד nomen regionis, ut Jerem. 50, 21., esse putat, quam a פָּקַד *praeficere* dictam asserit, quod summa illic praefectura fuerit regni Assyriorum, et in ea Ninive jam eversa eo tempore. *Sohaeos* (שׁוֹעַ) autem fuisse populos in media Assyria sitos sub Merataymis (מְרָתַיִם Jerem. 50, 21.), s. Mardis, in quibus situm est oppidum Siae apud Ptolemaeum. *Kochaeos* (קוֹעַ), populos item Assyriae in interiore illius parte positos ad Arbelitidem, ubi oppidum munitissimum *Koah*, historicis *Gauga*, ex quo factum sit, ut Strabo vocet *Gaugamelam*, quasi *Gaugam* munitionem dicas, voce composita. Quae omnia quam sint fluxa atque incerta, utpote sola levi aliqua soni similitudine nixa, unusquisque intelliget ipse. Quod ipsum valet de Grotii sententia, פְּקוֹד *Bactrianos* censentis, שׁוֹעַ autem quandam Armeniae regionem, Ptolemaeo *Σίαι* dictam, et קוֹעַ *Choanam* Mediae apud eundem Ptolemaeum. Aliis voces istae sunt nomina propria locorum in Babylonia, quorum primus, פְּקוֹד, nomen fortassis inde sit nactus, quod aliquando *lustratio* populi (cf. rad. Num. 1, 19.) ibi facta fuerit, nomen autem secundi, שׁוֹעַ *regionem divitem, opibus affluentem* (cf. appellativ. Jes. 32, 5. Job. 34, 19.), tertii denique, קוֹעַ *terram planam* et *montium expertem* (arab. קאע) denotet. Sed Jerem. 50, 21., ad quem locum provocant illi, qui has voces pro nominibus propriis habent, quod illic vates jubetur adscendere עַל־הָאָרֶץ מְרָתַיִם et אֶל־יוֹשְׁבֵי פְקוֹד, est פְּקוֹד epitheton allegoricum Babelis s. Chaldaeae, quae *visitatio*, i. e. regio visitanda, castiganda appellatur, sicut eadem proxime antea אֶרֶץ מְרָתַיִם *terra duplicis rebellionis*, vocata fuerat, quod rebellione sua saepius repetita Deum ad iram provocavit. Nostro vero loco, פְּקוֹד, proprie τὸ *inspicere*, abstracto posito pro concreto, non dubitamus significare *inspectorem*, s. *praefectum*, pro פָּקִיד, quemadmodum et Kimchi exponit. שׁוֹעַ autem *nobilem*, *potentem*, ut Job. 34, 19., denotat. De vocis קוֹעַ significatu non certo quidem constat, minime tamen improbabilis est conjectura, pertinere ad radicem קָעַע, unde קַעְקַע *stigmate insignivit*, ut vir *insignis*, dignitate et honore conspicuus, nomine קוֹעַ indicetur. J. D. MICHAELI in *Supplemm.* p. 2175. קוֹעַ est *admissarius*, *in re venerea potens*, coll. arab. קאע (pro קוע) *adscendit femellam*, indeque in Conjug. VIII. *libidine aestuavit actusque fuit camelus.* „Est id," inquit Michaelis, „toti

orationis filo aptum, ubi Venere et utero furens femina potentissimos ad rem veneream conquirit.“ Malim, *admissarium* pro *principe*, *duce* usurpari, sicut Arabibus פַּחַל *admissarium*, pro *principe* sui generis dici ostendit A. Schultens in *Nott. ad Excerpta ex Hamasa* p. 366. Jarchi ait, interpretes tria ista nomina exponere פָּקִידִים שָׁרִים וְשַׁלִּיטִים *praefectos*, *principes et dominatores*. Ita fere Hieronymus: *nobiles*, *tyrannosque et principes*. כָּל־בְּנֵי אַשּׁוּר *Omnes* enim *Assyrios*, Nebucadnezari parentes, contra te excitabo. אוֹתָם *Cum illis*, pro אִתָּם, ut supra 2, 1. 3, 22. 27. 10, 17. — בַּחוּרֵי חֶמֶד וגו׳ *Juvenes desiderii*, i. e. amabiles, dilectos. Per sarcasmum eos ad poenam exercendam venientes eodem modo describit, quemadmodum antea, Vs. 6. et 12., descripserat ut dilectos ab ea. De שַׁלִּישִׁים vid. supra ad Vs. 15. קְרוּאִים *Nominatos*, *vocatos*, i. e. celebres, nomine et fama claros, vel, invitatos, advocatos. רֹכְבֵי סוּסִים כֻּלָּם Vid. ad Vs. 6.

24. וּבָאוּ — וּבְקָהַל עַמִּים *Et venient contra te ferramenta, currus, rotae et cum congregatione populorum.* De nomine חֶצֶן, quod hoc tantummodo loco legitur, et cui dialecti cognatae opem negant, variae sunt variorum conjecturae, jam veteribus interpretibus magnopere inter se dissentientibus. LXX: ἀπὸ Βοῦδα, quasi pro חֶצֶן legissent צֶפוֹן. Vulgatus: *instructi (curru)*. Syrus: *armati*. Chaldaeus: *cum armis bellicis*. Nonnulli codices manuscripti et editi legunt חֵצֶן *brachium*, *robur*, et R. Joseph Kimchi חֵצֶן significatu non differre putavit a חֵצִי. Pauci De-Rossii codices legunt חֲצָץ *scrupus*, *lapillus* (non *sagitta*, ut De-Rossi hanc vocem vertit). Jarchi cum צִנִּים *septis spinosis* (Jos. 23, 13. Num. 33, 55.) conferens, *vallum castris circumdatum* intelligebat, Menachem, quem ille memorat, *clypeos*, ut idem sit quod צִנָּה; R. Dones, itidem ab eo memoratus. *bellicum apparatum;* aliam praeterea addit conjecturam, positum esse pro חֵצֶן *lacerto* (Jes. 49, 22.), quo nomine jam brachium, i. e. exercitus intelligatur. Quam ipsam et Josephi Kimchii sententiam fuisse, narrat in Lexico filius, Davides Kimchi; ipse iis accedit, qui *arma* interpretantur. Alii *rhedas falcatas* significari arbitrantur, quum duo, quae proxime sequuntur, nomina רֶכֶב וְגַלְגַּל *currus* indicent. Quum ipsum nomen nostrum in codice Talmudico *Succah* fol. 12. b. in plurali usurpatum notet *fasciculos* (lini viridis), et hoc loco suspicati sunt quidam, posse cum reliquo apparatu belli intelligi *fasces* et *corbes*, quos struendis aggeribus et viis adhibent (Gallice *fascines*). Jo. Henr. Michaelis in Notis ad biblia Halensia nomen nostrum collato Aethiopico ሐፂን (per *Harm*) *ferrum*, *ferramenta*, interpretatur *instrumenta quaevis ferrea*, ut gladius, thoraces, vincula. Vid. J. Ludolfi *Lexic. Aethiop.* p. 289. sq. Cui interpretationi ne quis obvertat, quod Hebraicum nomen literam primam habet *He*, Aethiopicum vero *Harm*, i. e. ח, Arabicum ح fortius cum puncto superne; obser-

vandum, in codicibus non paucis cum ח scriptum reperiri. Placuit et J. D. Michaeli in *Supplemm.* p. 567. „*Veniet*, inquiens, *super te ferrum currus, rotae*, possit esse, sive, *arma*, sive etiam poetica scriptione, *currus falcati.*“ Cui sententiae et nos accedere haud dubitamus. וּבִקְהַל עַמִּים *Et cum congregatione populorum*, cum exercitu ex multis populis congregato. צִנָּה וּמָגֵן וְקוֹבַע *Scutum et clypeus et galea*, i. e. milites scuto, clypeo et galea instructi, ut infra 26, 8. וְהֵקִים עָלַיִךְ צִנָּה *constituet adversus te clypeum*, i. e. milites scutis instructos. וְשָׂמוּ עָלַיִךְ סָבִיב *Ponent contra te circumquaque*, subaudi הַמַּחֲנֶה *castrum*, ut discimus ex Jos. 8, 13. Eodem modo, quo h. l., solum verbum שׂוּם elliptice ponitur 1 Reg. 20, 12. Similem loquutionem vid. Jes. 22, 7. Ps. 3, 7. וְנָתַתִּי לְפָנֵיהֶם מִשְׁפָּט *Et dabo ante eos*, propono iis (ita verbum נָתַן cum לִפְנֵי et Deut. 4, 8. 11, 26. construitur) *judicium*, i. e. dabo eis de te decernendi facultatem, et potestatem te puniendi. וְשָׁפְטוּךְ בְּמִשְׁפְּטֵיהֶם *Ut te judicent*, puniant, *judiciis suis*, i. e. juxta leges suas; cf. Vs. 10. 45. Jarchi his verbis significari existimat, quod Zedekias Babylonii regis jussu excoccatus fuit (2 Reg. 27, 7. al. 10.), quod poenae genus Hebraeis erat inusitatum. Neque tamen ad regem solum, sed ad populum universum spectant haec verba. Nam hoc vult propheta: quandoquidem istorum amplexata es religionem, et dilexisti consuetudinem, ipsorum subjacebis legibus, i. e. crudelissime tecum agant, multo severius ab illis excruciaberis, quam si in manus incidisses meas.

25. וְנָתַתִּי קִנְאָתִי בָּךְ *Dabo*, emittam, convertam, *zelum meum in te*, zelotypum animum meum in te impingam. וְעָשׂוּ אוֹתָךְ בְּחֵמָה *Et agent tecum cum furore.* אוֹתָךְ pro אִתָּךְ, cf. ad Vs. 23. אַפֵּךְ וְאָזְנֶיךָ יָסִירוּ *Nasum tuum et aures tuas removebunt*, praecident, ita verbum הֵסִיר de capitis amputatione dicitur 1 Sam. 17, 46. 2 Sam. 4, 7. 16, 9. Meminit Coelius Rhodiginus *Lectt. Antiqq.* Lib. XXI. Cap. 45. legis cujusdam Aegyptiae contra adulteros, ad quam videtur vates allusisse. *In Aegypto*, inquit, *qui in spontaneo deprehensus adulterio foret, virgis ad plagas mille caedebatur, muliere naribus demutilata.* Et Grotius hunc Martialis versiculum affert: *Quis tibi persuasit nares abscindere moecho?* Hieronymus: „*Nasum*, inquit, *tuum et aures tuas praecident*, quasi adulterae et deprehensae in stupro, ut deformata placere desistas. Quomodo enim in facie omnis pulchritudo oris in narium decore consistit et in auribus, e quibus in feminis uniones et margaritae dependent, ita dignitas regis et judicium, quae in ore auribusque signatur, eorum gladio praecidetur.“ Kimchi quoque per *nasum*, qui ceteris faciei partibus supereminet, intelligendam putat regiam dignitatem, per *aures* vero sacerdotalem, quoniam sacerdotum est, verbo divino intendere et illud docere. וְאַחֲרִיתֵךְ תִּפּוֹל בַּחֶרֶב *Et postrema*

pars tua enso cadet. Ultimum in populo ordinem, s. plebem, cujus initium et caput est rex, significari volunt. בָּנֶיךָ וּבְנֹתֶיךָ יִקָּחוּ „*Ipsi filios tuos et filias tuas capient*, *tuos*, inquit, et *tuas*, non *meos* et *meas*, quia de adulterio geniti sunt.“ HIERONYMUS. וְאַחֲרִיתֵךְ *Et* reliqua *posteritas tua*, quicquid hostes, vel captivi, cum avehentur, in urbe relinquent, incendio vorabitur.

26. וְהִפְשִׁיטוּךְ אֶת־בְּגָדַיִךְ וְלָקְחוּ כְּלֵי תִפְאַרְתֵּךְ *Et exuent te vestibus tuis*, *et capient*, auferent *supellectilem ornatus tui*, uti bello captis fieri solet. *Vestibus* et *ornamentis*, quibus Oholibam privandam dicit, sacerdotium intelligendum esse, cum iis, quae in templo essent, ad divinum cultum pertinentia, monent Jarchi et Kimchi. Eandem explicationem, a magistro suo hebraeo haud dubie acceptam, tradit HIERONYMUS: „*Et denudabunt*, inquit, *te vestimentis tuis*, quibus te ornaveram, *et vasis gloriae tuae*, quae tibi ad ceremonias templi aurea argenteaque concesseram, de quibus scriptum est (Hos. 2, 8.): *Ego dedi eis aurum et argentum, et ipsi fecerunt ea Baal.*“

27. וְהִשְׁבַּתִּי זִמָּתֵךְ מִמֵּךְ *Ita cessare faciam scelus tuum a te*, ne tibi unquam libeat Chaldaeos imitari, quod infra Vs. 48. repetitur. Cf. supra 22, 25. KIMCHI: „Nam ex quo migrarunt in exilium, non amplius se idololatriae dederunt.“ וְאֶת־זְנוּתֵךְ מֵאֶרֶץ מִצְרַיִם *Et scortationem tuam ex Aegypto*, i. e. idola ex Aegypto accepta, Vs. 3. Chaldaeus: *et cultum idolorum tuorum, quem habebas, quando eras in terra Aegypti.* וְלֹא־תִשְׂאִי עֵינַיִךְ אֲלֵיהֶם *Ut non tollas oculos tuos ad eos* (ut supra 18, 6.), ut nec fiduciam in iis ponas amplius, nec, quam ab eis didicisti, ames idololatriam. Respicit ad Versum 19.

28. הִנְנִי נֹתֶנֵךְ בְּיַד אֲשֶׁר שָׂנֵאת *En! daturus sum te in manum* eorum, *quos odisti.* Pro בְּיַד אֲשֶׁר Syrus posuit *in manum Assyriorum*, ac si אַשּׁוּר legisset; verba duo quae proxime sequuntur in hebraeo, בְּיַד, שָׂנֵאת, non expressit. בְּיַד אֲשֶׁר־נִקְעָה נַפְשֵׁךְ מֵהֶם *In manum eorum*, *a quibus amota est anima tua*, quos fastidis, cf. Vs. 18. 22.

29. וְעָשׂוּ אוֹתָךְ בְּשִׂנְאָה *Et agent tecum cum odio*, tanquam tibi infensi, crudeliter. וְלָקְחוּ כָּל־יְגִיעֵךְ *Et capient omnes labores tuos*, i. e. opes labore partas, ut Ps. 109, 11. — וַעֲזָבוּךְ עֻרֹם וְעֶרְיָה זְנוּנַיִךְ *Et relinquent te nudam et denudatam* (ut supra 16, 7., *et retegetur nuditas*, obscoenitas, *scortationum tuarum.* וְזִמָּתֵךְ וְתַזְנוּתַיִךְ *Et flagitium tuum et scortationes tuae.* Chaldaeus: *et delicta consilii peccati tui, et fastum tuum.*

30. בְּזֹנוֹתֵךְ עֻשֶׂה אֵלֶּה לָךְ *Faciendo* scil. faciam *haec tibi.* בְּזֹנוֹתֵךְ אַחַר גּוֹיִם — *Pro eo quod scortata es post gentes, et pro eo quod contaminasti te idolis eorum.* Chaldaeus integrum Versum sic exponit: *et peccata tua conciliarunt tibi haec, eo quod errasti sequens populos, et polluta es cultu idolorum eorum.*

31. בְּדֶרֶךְ אֲחוֹתֵךְ הָלָכְתְּ *In via sororis tuae ambulasti*, ideo *et* וְנָתַתִּי כוֹסָהּ בְּיָדֵךְ *tradam calicem ejus in manum tuam*, i. e. eodem te supplicio, quo illam, afficiam. „*Calix* quod saepe accipitur pro poenis atque suppliciis, multa exempla sunt, e quibus illud est (Ps. 75, 9. 10.): *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto.* Et in Isaja (51, 17.) *calix ruinae* et *poculum furoris* dicitur. Et ad Jeremiam loquitur Deus (25, 15.): *Accipe calicem vini meri de manu mea, et potabis omnes gentes, ad quas ego mittam te, et bibent, et vomент, et insanient.* Sicut enim quaedam dantur cathartica, ut noxius humor, qui inest corporibus, egeratur, sic et Dominus dat calicem tormentorum meracissimum, ut quidquid fellis amaritudinisque est, auferat a peccatoribus, et pristinae eos restituat sanitati.“ Hieronymus. Cf. de hac similitudine notam ad Ps. 60, 5.

32. כּוֹס אֲחוֹתֵךְ תִּשְׁתִּי *Calicem sororis tuae bibes.* Pro כּוֹס חֲמָתֵךְ כּוֹס אֲחוֹתֵךְ unus De-Rossii codex a prima manu habet *calicem indignationis tuae.* Quod calicem istum dicit הָעֲמֻקָּה וְהָרְחָבָה *profundum* et *amplum*, gravitatem supplicii indicat. „*Profundus*, poenarum magnitudine, *latus*, tempore captivitatis,“ ait Hieronymus. תִּהְיֶה לִצְחֹק *Erit*, cedet tibi, ille calix a te exhaustus, *in risum*, te inebriatam risui exponet, quod solet accidere iis, qui magna pocula exhausere. Aliis תִּהְיֶה est secunda masculini persona: *ut fias risui.* Sed orationis seriei magis accommodata est altera interpretatio. וְלַלַּעַג *Et in subsannationem*, ob magnitudinem vindictae venturae super te, ut Kimchi inquit. מְרֻבֶּה לְהָכִיל *Magnum* enim erit poculum *ad capiendum* multum. Chaldaeus: *prae multitudine angustiae, quae veniet super te.*

33. שִׁכָּרוֹן — שִׁמָּרוֹן *Ebrietate et tristitia repleberis, calice desolationis et devastationis, calice sororis tuae, Samariae.* Codices τῶν LXX in hoc Versu mire inter se dissentiunt, in eo tamen omnes conveniunt, quod pauciora, quam in hebraeo leguntur, reddunt.

34. וְשָׁתִית אוֹתָהּ וּמָצִית *Et bibes*, epotabis, *eum*, calicem, *et exsuges.* וְאֶת־חַרְשֶׁיהָ תְּגָרְמִי *Et testas ejus*, captivis, *rodes.* Verbo גָּרַם vulgo *comminuendi, frangendi* significationem tribuunt, Kimchii auctoritate, scribentis in Scholiis ad locum nostrum, quemadmodum a nomine שֹׁרֶשׁ *radix*, verbum inde deductum שָׁרַשׁ, *eradicare* denotet, ita a גֶּרֶם *os*, verbum גָּרַם proprie *conterere ossa* significare (quasi *exossare* dicas), ut Num. 24, 8. Zephan. 3, 3., et hinc in universum *frangere*, ut hoc loco (saepius non reperitur in V. T.). Hac igitur adscita notione, verborum nostrorum sensus hic erit: ebibendus tibi erit calix usque ad fundum, et, ne forte guttula aliqua remaneat, frangendus ille erit in testas, ut vel fragmenta ipsa exsugantur. *Frangendi* tamen verbi גָּרַם notionem ceterae dialecti hebraeae cognatae ignorant, nec

illam hoc loco veterum ullus expressit. Arabibus גרם est *resecuit*, *amputavit*, indeque *destringere* ramos, foliis demtis, *nudare*, quam quidem notionem iis, quibus verbum illud occurrit, V. T. locis egregie aptum esse, MICHAELIS ostendit in *Supplemm.* p. 354. seq. Etenim Num. 24, 8. verba עַצְמוֹתֵיהֶם יְגָרֵם perquam commode vertuntur: *ossa eorum nudabit*, i. e. vorabit carnem, ossaque nudabit, rodet ossa. Nec minus ea significatio nostro loco congruit, qui proprie ita sonabit: *testas ejus rodes*, i. e. lambes, ne guttam quidem vini in illis relictura. Praetermittit Michaelis hanc suam interpretationem firmare Jarchii auctoritate; nam et ille verbum nostrum notare ait, *dentibus derodere quod circumdatum est ossi*, vel, *devellere a testa carnem, quae ei adhaeret*, explicatque per gallicum *ronger*. Utram verbi hebraici notionem adsciscas, imaginis a nostro adhibitae sensus hic manebit, populum Judaeorum extrema subiturum mala, nihilque remansurum esse poenarum, quod non gustet. וְשָׁדַיִךְ תְּנַתֵּקִי *Et ubera tua convelles*, dilaceraris prae rabie et dolore, in vindictam scortationis per illa admissae.

35. יַעַן שָׁכַחַתְּ אוֹתִי *Propterea quod mei oblita es.* Chaldaeus: *pro eo quod reliquisti cultum meum.* וַתַּשְׁלִיכִי אוֹתִי אַחֲרָי גַּוֵּךְ *Et* (propterea quod) *me rejecisti post tergum tuum*, ut solemus ea, quorum oblivisci volumus, post tergum rejicere, ne videamus et recordemur. Loquutio eadem 1 Reg. 14, 9. Jes. 38, 17. Nehem. 9, 26. Arabibus frequens haec formula: *posuit negotium post tergum suum*, pro oblitus fuit, non curavit illud. Vid. e. c. Coran. Sur. 2, 95. Chaldaeus: *et removisti timorem meum a conspectu oculorum tuorum.* וְגַם־אַתְּ שְׂאִי זִמָּתֵךְ וְאֶת־תַּזְנוּתַיִךְ *Ideo etiam tu porta scelus tuum et scortationem tuam*, i. e. supplicia, quae propter impietatem et scelera meruisti, ut recte Hieronymus. Vid. supra 16, 52. 58.

36. „Consequens erat, ut qui Samariae et Jerusalem adulteria separatim descripserat, pariter earum supplicia nuntiaret. Omnia autem dicuntur quasi ad adulteras, et facta anacephalaeosi breviter carum scelera proponuntur, ut recte juxta Legis imperium in adulteras lapidatio populi consequatur.“ HIERONYMUS. הֲתִשְׁפּוֹט *Heus! actionem institue!* vid. not. ad 20, 4.

37. כִּי נָאֲפוּ *Nam moechatae sunt.* Hoc proprie sumendum putat Kimchi, quod vero sequitur usque ad Athnachum, improprie. Alii tamen recte posteriore arbitrantur explicari prius, hoc modo: *cum idolis videlicet suis moechatae sunt.* Ita et HIERONYMUS: „Sunt enim moechatae in idolis.“ Cf. infra Vs. 45. Jerem. 3, 8. Hos. 2, 4. וְדָם בִּידֵיהֶן *Et sanguis* est *in manibus earum.* Cf. infra Vs. 45. et Jes. 1, 15. Sunt, qui hoc eo referant, quod deastrorum cultores prophetas, veritatis assertores, crudelissime vexarent adeoque trucidarent. Sed Jarchi hoc idem esse dicit cum eo, quod sequitur, uti et HIERONYMUS: „*Et sanguis*,

eorum videlicet, quos idolis immolarunt.“ וְגַם אֶת־בְּנֵיהֶן אֲשֶׁר יָלְדוּ־לִי *Et etiam filios earum, quos pepererunt mihi*, qui mei esse debebant; cf. supra 16, 20. Chaldaeus: *quia etiam filios suos, de quibus futurum erat, ut egrederetur generatio sancta coram me.* הַעֲבִירוּ לָהֶם לְאָכְלָה *Traduxerunt iis*, idolis, scil. per ignem, *in cibum.* Cf. not. ad 16, 21. Syrus: *combusserunt eis igni.*

38. עוֹד זֹאת עָשׂוּ לִי *Adhuc hoc fecerunt mihi;* flagitiis enumeratis addiderunt etiam hoc. טִמְּאוּ אֶת־מִקְדָּשִׁי בַּיּוֹם הַהוּא *Contaminarunt Sanctuarium meum die illo.* „Eodem die, quo mactarunt filios suos idolis, adierunt Sanctuarium meum, ut in eo abominanda facerent, quo me irritarent.“ Jarchi. Alii hoc velle vatem existimant, ab illis sacrilegis sacris templum eos Jovanum adire, ut vero Deo ibi sacra facerent. Sed cf. Vs. seq., et potissimum hemistichium ejus posterius. וְאֶת־שַׁבְּתוֹתַי חִלֵּלוּ *Et sabbata mea profanaverunt*, ut nec loci, nec temporis custodirctur apud eos religio.“ Hieronymus.

39. וּבִשַּׁחֲטָם — אֶל־מִקְדָּשִׁי *Et dum*, eodem tempore, *quo mactarunt filios suos idolis suis, venerunt ad sanctuarium meum.* בַּיּוֹם הַהוּא לְחַלְּלוֹ *Eodem die* scil. venerunt *ad profanandum illud.* וְהִנֵּה כֹה עָשׂוּ בְּתוֹךְ בֵּיתִי *Et en! sic fecerunt in medio domus meae.* „Nec hoc fecerunt foris et in montibus ac lucis, ut saepe facere consueverant; sed ad extremum pollucrunt templum meum, ut statuam Baal in eo ponerent.“ Hieronymus. Vid. 2 Reg. 21, 4. et not. ad 8, 3.

40. וְאַף כִּי — אֲלֵיהֶם *Etiam quod misistis ad viros venientes e longinquo, ad quos missus est legatus.* „Sed nec praesentibus tantum adulteriis contentae erant, neque suffecit eis, quod filios meos immolaverunt idolis suis vel daemonibus, sed peregrinis quoque voluptatibus lascivientes, Assyriorum atque Chaldaeorum simulacra veneratae sunt.“ Hieronymus. וְהִנֵּה בָאוּ *Et en! venerunt* a te vocati. אֲשֶׁר רָחַצְתְּ כָּחַלְתְּ עֵינַיִךְ *Quibus*, quorum in gratiam, *tu utraque, te lavasti, fucasti oculos tuos.* Numeri discrepantia innuit distributionem, ut alias saepe, v. c. infra 26, 11. promiscue in singulari et plurali loquitur. Mox enim Vs. 42. suffixis pluralibus utitur, et Vs. 43. iterum singularem usurpat, Versu autem 44. utriusque nomen exprimitur. Non igitur hic Versus ad solam Oholibam referendus, uti Hieronymo visum, verba nostra ita explicanti: „Qui (Assyrii et Chaldaei) quum venissent, Oholiba Jerusalem, omnem adulterae habitum implesti super cos, ut lavares corpus, oculos stibio linires.“ Quibus postremis verbis recte expressit significationem hebraici כָּחַלְתְּ, ad quod Jarchi: „Est quaedam species coloris (s. tincturae), cujus nomen (arabicum) est כחול, Hispanice *Alcohol* (i. e. antimonium, stibium, quod 2 Reg. 9, 30. Jerem. 4, 30. פּוּךְ vocatur), qua oculos suos tingebant feminae; gallice *éclaire.*“ Quem

morem etiamnum illis in terris vigere, norunt omnes, qui vel unum alterumve Itinerarium legerunt. Copiosius aliis de hac re egit Russel in *Histor. Natur. urbis Halébensis*, L. II. Cap. I. Tom. I. p. 136. vers. germ. וְעֲדִית עֲדִי *Ornastique te ornatu* (16, 11. 13.). Significat, nihil ab iis omissum, quod conciliandis amatoribus, i. e. exteris gentibus, commodum arbitrarentur. Cf. Jes. 57, 9. Theodoretus: *Declarat lascivos ornatus, quos in daemonum celebritatibus adhibebant, vestes delicatas, et vestium mutationes, et alia omnia, quaecunque in hujusmodi publicis conventibus facere consueverant.*

41. וְיָשַׁבְתְּ עַל־מִטָּה כְבוּדָה *Sedisti super lecto honorato*, s. *glorioso* (ut Ps. 45, 14.), i. e. tapetibus et pulvinaribus ornatissimis strato. וְשֻׁלְחָן עָרוּךְ לְפָנֶיהָ *Et mensa disposita*, i. e. sumtuose et laute instructa (cf. Ps. 23, 5.) *ante illum*, sc. lectum, nam ad eum respicit suffixum femineum. „Epulas proponebas, quibus fractas ad libidinem vires amatorum tuorum reparares.“ Hieronymus. Chaldaeus: *et mensas plenas omni bono ordinasti coram eis.* וּקְטָרְתִּי וְשַׁמְנִי שַׂמְתְּ עָלֶיהָ *Suffimentum autem meum et oleum meum*, quod mihi offerre debuisti (cf. supra 16, 8.), *posuisti super eo*, lecto, q. d. perfudisti lectum tuum aromatibus. Kimchi his verbis ad morem veterum (etiamnum in terris australibus vigentem) respici existimat, quo epulas odoribus et unguentis suavissimis claudere solebant. Sensum exponit Hieronymus: „Thymiama meum et unguentum, quod mihi specialiter jusseram fieri, et exterminari animam illam de populo, quae in privatos usos hoc facere voluisset (Exod. 30, 32. 33.), tu offerebas idolis.“

42. וְקוֹל הָמוֹן שַׁלְוָ בָהּ *Et vox multitudinis tranquillae*, i. e. opipare epulantis et laute viventis, *in ea*, scil. Oholiba, i. e. Hierosolyma (permutata secunda persona cum tertia, ut per affectum fit saepissime) audiebatur. Cf. Jes. 22, 2. 13. Amos. 6, 5. 6. Grotius: „Omnia hymnis Deorum perstrepebant.“ וְאֶל־אֲנָשִׁים מֵרֹב אָדָם *Atque ad* sive *praeter homines ex multitudine* reliqua *hominum* collectos, adductos. מוּבָאִים מִמִּדְבָּר *Adducti*, accersiti, etiam sunt *ebriosi e deserto*. סְבָאִים Kimchi pro nomine proprio habet *Sabaeorum*, gentis cujusdam Arabicae (סְבָא Gen. 10, 7. Jes. 43, 3.), qui et ipsi Judaeos docerent suas superstitiones. Verum *Kethib*, סוֹבְאִים efferendum, docet esse *ebriosos* intelligendos, ut Deut. 21, 20. Prov. 23, 20. 21. *Sabaei* dicuntur סְבָאִים, vid. Jes. 45, 5. Sunt tamen, qui huic voci affectatam significationis ambiguitatem inesse putent, vid. quae mox e Cappello afferemus. *Ebrios* Hieronymus quoque intelligit, qui verba סְבָאִים מִמִּדְבָּר recte sic explicat: „Qui venerunt ad vos ebrii, non urbanae alicujus elegantiae, sed de deserto ac solitudine, rusticorum ac latronum habitum praeferentes.“ LXX in codice Alex.: ἤκοντας οἰνωμένους ἐκ τῆς ἐρήμου. „Legerunt,“ ait Lud. Cappellus *Crit. S.* p. 305. ed. Halens., „סוֹבְאִים *inebriantes se*,

quae lectio non male quadrat, agit enim de hominum multitudine, convivium in domo scorti agitante, et forsan propheta data opera immutavit orthographiam nominis סְבָאִים *Sabaei*, in סוֹבְאִים *ingurgitantes se vino*, eleganti paronomasia, ut simul innueret morem et nomen scortantium, qui solent ebrietatem cum scortatione conjungere.“ In verbis וַיִּתְּנוּ — עַל־רָאשֵׁיהֶן *et posuerunt armillas ad manus earum, et coronam ornatus* posuerunt *super capita earum*, ambiguum est, verbum וַיִּתְּנוּ sitne referendum ad viros istos e deserto accersitos, ut hos dicat sororibus armillas coronasque dedisse, i. e. ad suas superstitiones illexisse; an vero ad ipsas sorores, Oholam et Oholibam, pertineat. Et vel sic anceps erit sententia. Aut enim sorores amatores suo ornatu donasse, aut illae ipsas sese armillis et coronis ornasse dicuntur. Inter utramque hanc sententiam fluctuat Hieronymus, qui alterum Versus nostri hemistichium hunc in modum enarrat: „In tantam exarsistis, o sorores pessimae, insaniam voluptatum, ut armillas vestras et discriminalia imponeretis manibus et capitibus amatorum vestrorum, sive vobis ipsis, ut plenae ornatu turparemini.“ Prior sensus ut prodeat, post וַיִּתְּנוּ est לָהֶם subaudiendum. Ac ne obstare illi putes, quod armillae sint ornatus mulieribus proprius, moris fuisse antiquis meminerís et feminis et viris armillas in brachiis gerere ornatus gratia. Sic 2 Sam. 1, 10. narratur, militem Madianitam armillam e brachio Saulis et coronam de capite ablatam obtulisse Davidi. Num. 31, 50. promiscue viris et feminis tribuuntur armillae. Unde Livius L. X. C. 44. Papirium victis Samnitibus, *Equites omnes, ob insignem multis locis operam, corniculis armillisque argenteis donasse* refert. Et Valerius Maximus L. II. C. 3. et 8. de aureis et argenteis armillis loquitur, quibus donati sunt equites quidam strenui. Sensum autem quod attinet, qui hac adscita sententia illa sub allegoria latet, cum Theodoretus ita declarat: *Nihil enim ab idolis accipiunt, qui eos sibi colendos eligunt, imo dona sibi a Deo concessa ipsis offerunt, omnis generis ornatu eos instruentes.* Quo et referri possit *coronarum speciosarum* (עֲטֶרֶת תִּפְאֶרֶת) mentio, quum statuas Deorum sertis et coronis exornare moris fuisse constet. Simplicissimum tamen est, verba nostra, nullo suppleto Pronomine, uti sonant, sic vertere: *imposuerunt* (feminae) *armillas manibus suis et coronas elegantes capitibus suis*, i. e. ornarunt sese in gratiam deorum, quos sibi colendos elegerunt, uti et Jarchi explicat. Quoad sensum cf. quae ad Vs. 40. e Theodoreto attulimus.

43. לִבְלֵאת נְאָפִים Jarchi docet dictum esse pro לַבְּלֵאת בְּנֹאֲפִים *detritae*, effoetae *in adulteriis*, i. e. ei, quae consenuit in adulteriis, omisso ב, ut Genes. 38, 11. Exod. 21, 11. 30, 20. Num. 30, 11. Chaldaeus: *et dixi coetui Israel, cujus populus inveteratus est in peccatis.* Verba proxima, עַתָּה יִזְנוּ תַזְנוּתֶיהָ *nunc*

scortabuntur scortationes ejus, Hebraei sic intelligunt: *exfornicabuntur*, i. e. finem capient *fornicationes suae;* quum enim consenuerit (בָּלָה), defervere necesse est libidinem ejus, i. e. in terras exteras deportata, peribit ipsa cum idolis suis. Sic JARCHI: „Cogitavi mecum de illa, quae in adulteriis consenuit: jam scortari desinet, libidine ejus defervescente, et ad saniorem mentem redibit; sed illa (וְהִיא) scil. adhuc continuat suas scortationes, ut ab initio.“ Ita et GROTIUS: „*Quamvis dicerem de illa, quae moechando vetula facta est* (de Judaca loquitur): *nam tandem desinent libidines ejus; at ipsa*, perseverabat scilicet.“ Alii post וְהִיא subaudiunt עִמָּהֶם, *et ipsa cum illis*, subaudi: scortandi finem faciet. Alii interrogative: *volentne ergo adhuc scortari cum ea, et illa cum eis?* Annon tandem finis erit? Interrogative et nos haec verba capimus, sed וְהִיא vertimus *quamvis ipsa* sit talis, scil. בָּלָה *vetula.* Etsi vero noster hoc Versu in Singulari loquatur, tamen utramque sororem, i. e. Judaeam ac Samariam, intelligendam esse, patet e Versu sequente.

44. וַיָּבוֹא אֵלֶיהָ כְּבוֹא אֶל־אִשָּׁה זוֹנָה *Veniunt* enim *ad eam*, jam vetulam, unus post alium amasius, *secundum venire*, sicut veniunt, s. sicut venitur *ad mulierem meretricem.* כֵּן בָּאוּ אִשֶּׁת הַזְּנוּת — *Sic veniunt ad Oholam et ad Oholibam mulieres scelerum*, scelestissimas. Pro וַיָּבֹא, initio Versus, quod collective capiendum, legit וַיָּבֹאוּ unus codex Kennicotti, ac defective cum Kibbuz sub א et Keri וַיָּבֹאוּ unus codex Rossianus. Pluralem veteres omnes exprimunt. „Sic attrivistis frontem, ut nequaquam secreto polluamini, vel mariti, vel hominum vitetis adspectum; sed instar meretricum publice prostituamini, qui ingressi sunt ad vos, quasi ad meretrices, certatim vos polluere cupientes.“ HIERONYMUS.

45. וְאַנְשִׁים צַדִּיקִים הֵמָּה יִשְׁפְּטוּ אוֹתָהֶם *Viri igitur justi, illi*, inquam, *judicabunt eas. Viris justis* non sunt, ut quidam putarunt, intelligendi *prophetae*, qui sorores illas flagitiosas *judicarent*, i. e. Dei verbis sententiam ferrent; sed Chaldaei, quos illa appellatione nuncupat, quod juste facerent, illas puniendo, tanquam ministri divinae ultionis justaeque sententiae. Ita HIERONYMUS: „Tradam igitur vos ad puniendum his, quibus ultro traditae estis ad deturpandum. *Justi* enim *viri* sunt, in eo quod adulteram et parricidam, me jubente, discruciant.“ Alii, ut Chaldaeus interpres *(et viri justi coram eis)*, Polychronius, et Theodoretus, Chaldaeos a vate *justos* appellatos existimant ex comparatione cum Israelitis et Judaeis, cf. supra 16, 51. Pro אוֹתָהֶם dicere אוֹתָהֵן debuisset, quod et codices nonnulli exhibent, quum de sororibus, Ohola et Oholiba, agat. Sed eadem suffixi masculini et feminini enallage est infra Vs. 47. Mox enim ad sorores allegoricas, mox ad eos, qui illis indicantur, i. e. Israelitas et Judaeos ipsos, respicit. מִשְׁפַּט נֹאֲפֹת וּמִשְׁפַּט שֹׁפְכוֹת

דָּם *Secundum jus* (pro כְּמִשְׁפַּט, ut unus codex Rossianus a prima manu habet) *adulterarum, et* secundum *jus eorum quae sanguinem effundunt*, i. e. adulterii et homicidii poenas luent sorores illae horum criminum reae, suos amatores judices sortitae. כִּי נֹאֲפֹת הֵנָּה וְדָם בִּידֵיהֶן *Nam adulterae illae et sanguis* est *in manibus earum*, cf. Vs. 37. Quale autem genus supplicii id futurum sit, Versibus duobus proximis declaratur.

46. Jubetur vates ipse facere, quae eventura praedicit, more prophetis usitato, cujus exempla vid. Jer. 1, 10. et apud Nostrum supra 13, 18. infra 32, 18. 43, 3. Hinc verbum הַעֲלֵה *adscendere fac* Chaldaeus interpretatus est אִתְנַבִּי דְיִסְקוּן *vaticinare, quod ascendent.* Et sicut congregari solet judicum consessus (קָהָל), qui de reorum capite pronuncient, ita et hic convocare jubetur congregationem, qua exercitum Chaldaeorum intelligendum esse, nulli dubium. Pro עֲלֵיהֶם exhibent עֲלֵיהֶן multi codices Kennicotti et De-Rossii et nonnulli libri editi. Femininum et veteres omnes exprimunt. וְנָתֹן אֹתָהֶן לְזַעֲוָה וְלָבַז Et quidem *dando*, vel: *et dando* scil. *do*, sive *dabo eas* (coll. eadem constructione Genes. 41, 43. Jes. 37, 19.) *divexationi et praedae*, i. e. mittam adversus illas exercitum magnum, qui expugnabit illas, et cives earum abducet captivos, spoliabitque eos facultatibus et opibus. GROTIUS: *Trade eas turbae et abripiantur*, in poenae locum scilicet, omnis enim haec translatio a judiciis sumta."

47. וְרָגְמוּ עֲלֵיהֶן אֶבֶן קָהָל *Ut conjiciant super eos lapides*, s. ut lapident eos, *coetus.* Videtur ad illud supplicii genus alludi, quo tum adulterae affici solebant. Etsi enim Lev. 20, 10. adulteri in universum *morte* muletari praecipiuntur, non definito mortis genere; id tamen colligi potest ex eo, quod paullo antea (Vs. 2.) dicitur: *Si quis de semine suo dederit Molocho, morte moriatur, universus populus lapidabit eum.* Similis autem sententia intelligenda est in sequenti lege de poena adulterarum, quum alia non explicetur. Intelligebatur sane ita Christi aetate, uti manifestum est ex Joh. 8, 5., ubi de adultera Pharisaei ad Christum dicunt: *in Lege mandavit Moses hujusmodi lapidare.* Ad rem, quae h. l. innuitur, vid. not. supra 16, 40. וּבָרְאוּ אוֹתָהֶן בְּחַרְבוֹתָם *Et exscindendo* etiam *eas cum gladiis eorum.* בָּרָא h. l. esse *exscindendi* significatu, ut Jos. 17, 15., capiendum, recte monet Jarchi. In hemistichio hujus Versus priori metaphorice loquitur, in altero sine tropo. בְּנֵיהֶם — יִשְׁרְפוּ *Et filios eorum et filias earum occident et domos earum igne comburent.*

48. וְהִשְׁבַּתִּי זִמָּה מִן־הָאָרֶץ *Ita cessare faciam*, abolebo *scelus* earum *ex hac terra.* בְּזִמַּתְכֶנָּה — וְנִוָּסְרוּ *Et erudientur* exemplo vestro *omnes mulieres, nec faciunt secundum scelus vestrum.* וְנִוָּסְרוּ forma mixta Niphal et Hithpael (quomodo Rab-

binis usitatissimum est, verba ex utraque conjugatione componere) pro הִתְוַסְּרוּ, elisa characteristica ת per syncopen usitatam, compensata autem per Dagesch forte in Vau, et litera נ sumta ex Niphal pro ה. Cf. GESENII *Lehrgeb.* p. 249. Sed STORRIO in *Observatt. ad Anal. et Syntax.* p. 219. est Passivi forma ex Piel orta, pro נִתְוַסְּרוּ, „ubi Nun (inquit in Nota textui subjecta) de more Syrorum est tertiae futuri pluralis nota, et masculina forma etiam de feminis usurpatur." כָּל־הַנָּשִׁים *Omnes mulieres*, i. e. omnes civitates vel gentes, quae sub mulierum nomine designantur Vs. 2. 10. Chaldaeus: כָּל מְדִינָתָא *omnes provinciae.*

49. עֲלֵיכֶן — וְנָתְנוּ *Dabuntque scelus vestrum super vos*, rependent vobis, vestra scelera, וְחַטָּאֵי גִּלּוּלֵיכֶן תִּשְּׂאִינָה *et peccata idolorum vestrorum*, poenas idololatriae vestrae, *portabitis.* Verbum וְנָתְנוּ referendum est ad hostes illos et vindices scelerum, de quibus Vs. 45. Pro וְנָתְנוּ habet וְנָתַתִּי unus codex Kennicotti, nec non unus De-Rossii a prima manu; et pro וְיִדַּעְתֶּם exhibent וְיִדַּעְתֶּן unus codex Kennicotti et duo De-Rossii a prima manu. Sensum utriusque hujus Versus declaravit HIERONYMUS: „Haec omnia fient, ut auferatur de terra impietas, et discant omnes mulieres universaeque provinciae procul positae poenis earum similia devitare: ut postquam receperitis, quae meremini, et portaveritis scelera idolorum vestrorum, tunc cognoscatis, quod ego sim Dominus."

XIX.

CAP. 24.

Argumentum.

Quam hactenus multoties praedixerat propheta, obsidionem et eversionem urbis Hierosolymitanae, eam nunc, quum fieri illa inciperet, parabolica hac concione novo emblemate civibus suis in Babylonia repraesentare jubetur. Indicato igitur die coeptae obsidionis (Vs. 1. 2.) proponitur olla ardens, carnibus, aqua et ossibus plena, tanquam imago exscindendae et exurendae urbis (Vs. 3—14.). Tum mortem dilectae uxoris propheta lugere prohibetur, ut significet Hierosolymitanis, eis post eversam urbem non facultatem fore, amissas uxores et liberos deplorandi (Vs. 15—24.). Denique praedicitur confirmatio hujus vaticinii per adventum nuncii ex Hierosolymitana clade fuga elapsi (Vs. 25. 26.), quousque propheta ab ulteriore istius excidii denunciatione abstinebat (Vs. 27.).

1. בַּשָּׁנָה הַתְּשִׁעִית *Anno nono* a deportatione Jechoniae, et quinto muneris sui prophetici, cf. not. ad 1, 2. 8, 1. 20, 1. בֶּעָשׂוֹר לַחֹדֶשׁ *Decimo* die *mensis*, ut 20, 1. Eo ipso die Nebucadnezar coepit Hierosolymam obsidere; vid. 2 Reg. 25, 1. Jer. 52. 4. „Notandum, quomodo a principio prophetiae usque ad praesentem diem, quando obsideri coepit Jerusalem, per ordinem captivitas veniat. Primum gladius provocatur [21, 8. sqq.], deinde duae viae ponuntur, Ammon et Jerusalem, quarum ad dextram partem sors cadit Nabuchodonosor [ibid. Vs. 23. sqq.]; conflatur argentum in civitate, aes, stannum, plumbum et ferrum, terra quoque non compluitur, sed sentibus occupatur [22, 18. sqq.]; postea sub nomine duarum sororum, Oollae et Oholibae, Samariae et Jerusalem peccata narrantur, quomodo illa sit capta, et ista capienda [23.]. Ad extremum nono anno, decimo mense, decima die mensis, in captivitate posito Ezechiel et his, qui cum eo erant, et tradiderant se cum rege Jechonia, ostenditur, qua die urbs coeperit obsideri, et similitudo lebetis ponitur; ut quomodo carnes et ossa congesta in lebetem, incendio concremantur, sic cuncta civitas cum suis interitura sit civibus, et nullus rema-

neat eorum, qui obsessi sunt, quin fame, gladio, pestilentia consumantur, et pars reliqua captiva ducatur in Babylonem.“ Hieronymus.

2. אֶת־עֶצֶם הַיּוֹם הַזֶּה Propr. *substantiam* s. *corpus hujus diei*, pro *hoc ipso die*, ut supra 2, 3. infra 40, 1. Diem, quo mox narranda divino jussu perpetravit, literis consignare jubetur, ut ita in Chaldaea annuncians, quae Hierosolymis fierent, verus vates crederetur, cum venerit nuncius, qui illa eodem ipso die, quem notavit, contigisse confirmet, Vs. 26. Verbum סָמַךְ, quod alias sequente עַל constructum *rei alicui incumbere*, *inniti*, significat, h. l. mediante אֶל de exercitu castra urbi admovente, ut eam obsidione urgeat, dicitur, unde commode *appropinquare* verti potest, etsi verbum id praecise minime notet. Cf. Michaelis in *Supplemm.* p. 1776.

3. מָשָׁל — מְשֹׁל „Obsidionem istam *per parabolam describe* et *proverbium*, quae in praesenti loco metaphoram translationemque significat.“ Hieronymus. Cf. supra 17, 2. Hic vero allegoria non verbis, sed rebus expressa significatur, ut patet ex iis quae sequuntur. Chaldaeus: *et propheta prophetiam.* אֶל־בֵּית־הַמֶּרִי *Ad domum rebellionis.* Ea appellatione noster Israelitas saepius solet insignire, vid. e. c. supra 2, 5. 6. 12, 2. שְׁפֹת הַסִּיר *Appone* super ignem *lebetem*, ut 2 Reg. 4, 38. Recte observat Jarchi, respicere vatem eo, quod Judaei supra 11, 3. urbem Hierosolymitanam lebeti, se ipsos autem carnibus ei inditis compararunt, q. d. nunc adest tempus, quo Hierosolyma erit olla, et vos in illa tanquam caro; veniet Nebucadnezar, et ponet illam super ignem. „*Lebes* Hierosolyma; *carnes* et membra ei indita, cives ejus (et qui ex aliis Judaeae urbibus et locis eo confugerant); *ignis* et *aqua fervens*, mala, quae patientur.“ Grotius. Repetitus post הַסִּיר Imperativus שְׁפֹת celeritatem et vehementiam videtur indicare. וְגַם־יְצֹק בּוֹ מָיִם *Et etiam infunde ei aquam.* Chaldaeus: *et etiam dabitur mora ei*, Nebucadnezari, *ut suscipiat obsidionem.*

4. אֹסֻף נְתָחֶיהָ אֵלֶיהָ *Collige*, s. *colligendo frusta ejus* scil. carnis *in eam.* אֵלֶיהָ pro בָּהּ, ut supra 22, 19. אֶל־תּוֹכָהּ pro בְּתוֹכָהּ. LXX: *Καὶ ἔμβαλε εἰς αὐτὸν διχοτομήματα.* Vulgatus: *congere frusta ejus in eam.* Chaldaeus: *congrega principes ejus in medio ejus.* כָּל־נֶתַח טוֹב *Omne frustum bonum*, i. e. primores civium militesque optimos in urbe trucidandos. Chaldaeus haec verba una cum duobus proximis, יָרֵךְ וְכָתֵף, *crus et humerum*, sic reddidit: *unusquisque vir terribilis et bellator.* מִבְחַר עֲצָמִים מַלֵּא *Electionem ossium imple*, i. e. optima et solidissima quaeque membra, quae ossibus et medulla plena esse solent. Chaldaeus: *exercitu populorum imple eum.*

5. מִבְחַר הַצֹּאן *Electionem pecudis*, lectissimas pecudes, cf. Vs. 4. לָקוֹחַ *Accipiendo* scil. קַח s. תְּקַח, *accipe*, ut Exod.

20, 8. זָכוֹר scil. תִּזְכֹּר. Chaldaeus: *reges populorum admove.* וְגַם הוּר הָעֲצָמִים *Etiamque* sit vel fiat *pyra ossium* scil. percoquendorum: fac sub olla pyram sufficientem ossibus percoquendis. תַּחְתֶּיהָ *Sub ea* i. e. lebeti ignem subjice, qui ossa decoquat. רַתַּח רְתָחֶיהָ *Ebullire fac ebullitiones ejus* scil. lebetis. „Ut efferveseat non semel sed frequenter coctio lebetis," uti ait Hieronymus. Chaldaeus: *accelera tempus ejus.* גַּם־בַּשֵּׁלִ עֲצָמֶיהָ בְּתוֹכָהּ *Ut etiam coquantur ossa ejus in medio ejus.* Chaldaeus: *etiam projicientur interfecti ejus in medio ejus.* Sunt, qui tribus hisce Versibus (3. 4. 5.) *culpam* Judaeorum allegoriee proponi existiment, ut, quemadmodum in superioribus Capitibus Judaeis *verbo* indicaverat scelera sua, ita jam *signo* exprobret illis sua crimina, doceatque, Hierosolymam per singulas partes et membra, summos et infimos, magnos et parvos, aestuare et fervere malefieiis. Sed *poenam* Hierosolymitanis infligendam allegoriee proponi, satis apparet ex iis, quae sequuntur, potissimum Vs. 10. sqq.

6. מְמֻמָּה — אוֹי *Heu! urbem sanguinum*, urbem sanguinariam, *ollam*, *in qua rubigo ejus* est, *nec rubigo exivit ex ea.* חֶלְאָהּ, a חָלָא, arabice *deterere*, est *aerugo*, ἰὸς, ut LXX reddiderunt, quae ita depelli solet, ut cuprum candefactum aqua mergatur, quod ubi factum, squamarum instar a cupro decidit (*cinerem cupri* has squamas vocant); solo si igne utaris, candefaciasque cuprum, non squamae quidem formam accipit, sed tamen *deteri* potest, unde nomen est nactum. Male igitur post Jarchium plures חֶלְאָהּ *spumam (escume)* interpretati sunt; neque enim vitio daretur ollae, quod carnibus plena ad ignemque apposita adhuc retinuisset spumam, quum ea non ita tenaciter adhaerere soleat aeri, ut vel igne indigeat, vel igni non cedat (Vs. 12.). Chaldaeus: *sordes ejus.* Intellexit haud dubie sordes, quae ob nimiam adustionem de carnibus ceterisque esculentis ollae adhaerescunt, i. e. rubiginem. לִנְתָחֶיהָ לִנְתָחֶיהָ הוֹצִיאָהּ *Ad frusta ejus, ad frusta ejus educ eam*, particulatim eam exinani, scil. urbem sanguinariam, eum olla comparatam. Vulgatus: *per partes et per partes suas ejice eam.* Chaldaeus: *transmigratio super transmigrationem exivit cum ea.* לֹא־נָפַל עָלֶיהָ גּוֹרָל Ita ut *non cadat super eam sors*, i. e. sine discrimine, sine delectu, quod fieri solet mistis sortibus, q. d. nemini parcam, nulli ordini, sexui, aut aetati. In prioribus deportationibus sors quasi ducta, qui exirent aut manerent, nunc omnes ejiciendi. Chaldaeus: *eo quod non agatur in ea poenitentia.* Bene hunc Versum enarrat Hieronymus: „*Vae civitati sanguinum*, id est, Jerusalem, *lebeti*, *cujus rubigo*, id est, malitia, *nimia est*, et licet ignis suppositus sit, tamen *rubigo ejus non exivit de ea.* Perseverarunt enim etiam capti atque cruciati in pristino scelere. *Per partes* et singillatim *consumite eam*, nemo remaneat in salutem.

Non cecidit super eam sors, ut alii perirent et alii salvarentur, sed cunctis communis venit interitus."

7. כִּי דָמָהּ בְּתוֹכָהּ הָיָה *Nam sanguis ejus*, ab eo profusus (ut supra 22, 13.) *est in ea.* עַל־צְחִיחַ סֶלַע שְׂמָתְהוּ *Super nitido*, s. *glabro petrae*, super glabro lapide, ubi omnibus est conspicuus, *posuit eum*, ut infra 26, 4. 14. Publice, impudenter et in propatulo fudit sanguinem, sine ulla dissimulatione. Chaldaeus: *cum insolentia et brachio elato effudit eam.* Pro שְׂמָתְהוּ *posuit eum*, sanguinem, LXX reddiderunt *τέταχα αὐτὸ posui eum.* Retulerunt ad Deum, quasi Deus se effusurum sanguinem Hierosolymitanorum super silicem nec effusurum eum in terram dicat, ut operiri possit pulvere; quum reverâ tamen propheta exprobrat Hierosolymae caedes suas apertas et manifestas, quarum ipsam non puderet. Legerunt שַׂמְתְּהוּ, sic et mox pro שְׁפַכְתְּהוּ legerunt שַׁפְכְתְּהוּ. Hieronymus nostram sequitur punctationem. Ita enim ille: „Quem sanguinem effudit super limpidissimam petram, ut pateret omnibus, nec terra operiretur aut pulvere; ne transiret videlicet indignatio mea, sed super apertissimum sanguinem ultio properaret. Naturae est enim, ut si sanguis fundatur in terram, combibat humus humorem sanguinis, vel paulatim terra operiatur et pulvere. Quum autem super limpidissimam petram et nullam habentem foveam sanguis fuerit effusus, labitur et latam obtinet sedem. Hoc autem indicat, quod non occulta, sed publica fecerit homicidia, secundum illud, quod dicitur ad Cain (Genes. 4, 10.): *sanguis fratris tui clamat ad me.*" לֹא שְׁפָכְתְּהוּ עַל־הָאָרֶץ לְכַסּוֹת עָלָיו עָפָר *Non effudit eum super terram, ut tegeret eum pulvis.* Chaldaeus: *non effudit illum per ignorantiam, agendo propter eum poenitentiam.*

8. לְהַעֲלוֹת חֵמָה *Ad adscendere faciendum iram* (eadem loquutio infra 38, 18. 2 Sam. 21, 20.), ita ut provocaretur ira mea. ל h. l. non consilium eorum, qui iram divinam provocarent, sed eventum indicat; neque enim eum in finem peccabant, sed talem merebantur eventum tam nefaria crimina. לִנְקֹם נָקָם נָתַתִּי אֶת־דָּמָהּ עַל־צְחִיחַ סֶלַע לְבִלְתִּי הָכָסוֹת *Ad ulciscendum ultionem ponam sanguinem ejus*, i. e. quem effudit ipsa, *super nitido petrae, ut non contegatur.* Hoc dicit Deus: crimina palam admissa non secus indignationem judicis ad ultionem excitant, ac sanguis innoxius in petra nitenti sparsus, qui vehementer clamat, vindictamque suo jure postulat adversus homicidam.

9. אוֹי עִיר הַדָּמִים *Vae! urbs sanguinum*, sanguinaria, ut Vs. 6. 7. גַּם־אֲנִי אַגְדִּיל הַמִּדוּרָה Sicut antea tu, Ezechiel, pyram congessisti (Vs. 5.), ita jam *et ego congeram magnam struem lignorum*, i. e. atteram illos magnis malis atque calamitatibus. Acerbam oppugnationem ita significat, ut ad allegoriam jam magis patescentem redeat.

10. הַרְבֵּה הָעֵצִים *Multiplicando* multiplicabo *ligna.* Ad Infinitivos hoc Versu usurpatos, הַדְלֵק, הַרְבֵּה, הַרְקֵחַ, et הָתֵם, ut Gerundia vertendos, *multiplicando*, *succendendo*, rel., quidam, ut Hieronymus, subaudiunt Imperativos. Sed intelligendam esse verbi finiti primam personam, quomodo Kimchi explicavit, arguit אַגְדִּיל Vs. 9., et טִהַרְתִּיךְ Vs. 13., unde satis apparet, quae hic narrantur, tanquam a Deo ipso facienda proponi. Recte igitur LXX vertunt: *καὶ πληθυνῶ τὰ ξύλα.* Ita, expressa prima persona, et Syrus atque Arabs. הַדְלֵק הָאֵשׁ *Succendendo* succendam *ignem.* הָתֵם הַבָּשָׂר *Consumendo*, i. e. percoquendo percoquam *carnem.* Verba וְהַרְקַח הַמֶּרְקָחָה plures vertunt: *condiendo condituram*, s. *condimento*, ut sint ad edendum quasi aptiores et gladio suaviores. Sed quamvis tam ipsum verbum רָקַח, quam inde derivata nomina alias semper de *unguentis* usurpentur, hoc tamen loco *mixtionem* potius significare videntur, qua pigmentarii unguenta parare solent, dum multas et varias aromatum species componunt, ut hoc dicat: miscebo et inter se mista percoquam, sicut pigmentarii sua pharmaca, ut jus ebulliat. Ita et Jarchi: „Quando caro abscedit ab ossibus, et commiscetur cum jusculento, atque cochleari commovetur, tum ipsa similis fit compositioni unguentorum, probe inter se permistorum.“ וְהָרְקַח (cum Camez sub ה, ut sit Infinitivus Hophal) se in libro quodam Hierosolymitano invenisse testatur R. Jonas, a Kimchio memoratus, qui tamen ipse וְהַרְקַח in libris emendatioribus exstare ait. וְהָעֲצָמוֹת יֵחָרוּ *Ut et ossa adurantur*, „non solum carnes in te molles et teneras, sed durissima quoque ossa sic succendam, ut nihil in te remaneat, quod non cremetur incendio.“ Hieronymus.

11. וְהַעֲמִידֶהָ עַל־גֶּחָלֶיהָ רֵקָה *Collocando etiam eam* scil. collocabo (cf. ad Vs. 10.) *super prunas ejus vacuam*, carnibus evacuatam. Ipsi ollae, post ejectas vel incineratas carnes et ossa, subdam prunas ardentissimas, i. e. civibus caesis ipsa etiam urbs consumetur. Chaldaeus: *et relinquam terram desolatam.* לְמַעַן תֵּחַם וְחָרָה נְחֻשְׁתָּהּ *Ut incalescat et exuratur aes ejus*, וְנִתְּכָה בְתוֹכָהּ טֻמְאָתָהּ *et liquescat in ea immunditia ejus.* Quae omnia aliter fieri non possunt, quam si olla ipsa, quae his rebus impuris imbuta est, corrumpatur. תִּתֻּם חֶלְאָתָהּ *Consumatur aerugo ejus.* „Quumque et carnes et ossa consumta fuerint et cremata, ipsum lebetem vacuum pone super prunas, ut aes quoque illius incalescat et consumatur, et aere consumto rubigo quoque illius pereat, id est, civitate incendio concremata, malitia cum urbe dispereat.“ Hieronymus.

12. Ante תְּאֻנִים est ב subaudiendum, *molestiis*, i. e. multo labore, quem insumsi ad eam purgandam. הֶלְאָת (contracte ex Chaldaismo pro הֶלְאָתָה, ut Levit. 26, 34. הִרְצָת *acquiescet*, pro הִרְצְתָה) *fatigavit* scil. me, excoctorem aeruginis. Sensum bene Hieronymus expressit: *multo labore sudatum est.* Sunt, qui

תְּאֻנִים *molestiis*, intelligant delicta et prava facinora, propter quae Deum urbem illam continuo reprehendere oportuit, vel injurias, quas Deo hominibusque intulit, quibus divinam longanimitatem fatigarit. Sed genuinam esse interpretationem priorem, qua Deus queritur, se frustra tantum operae impendisse, patet ex verbis quae proxime subjiciuntur, וְלֹא־תֵצֵא מִמֶּנָּה רַבַּת חֶלְאָתָהּ *nec* tamen *exit ab ea multitudo aeruginis ejus,* לְאֵשׁ חֶלְאָתָהּ ne quidem *per ignem abit aerugo ejus.* Hieronymus: „Ne per ignem quidem rubigo atque malitia lebetis et urbis potuit auferri; sed permanet in ea immunditia scelesta et exsecrabilis, hoc enim *Zemma* [זִמָּה Vs. 13.] significat.“

13. Jam apostropham ad ipsum lebetem, id est, ad ipsam urbem, facit. בְּטֻמְאָתֵךְ זִמָּה *In immunditia tua scelus est,* flagitiosa est destinata ac pervicax malitia. יַעַן טִהַרְתִּיךְ *Propterea quod mundavi te,* i. e. mundare te volui (ut recte Hieronymus) s. studui, totics ac tamdiu per prophetas te ad poenitentiam adhortando. Cf. 2 Paral. 36, 15. Verbum, quod actionem seu effectum notat, de *conatu* agendi quandoque intelligendum, ut Gen. 37, 21. *Audivit hoc Ruben* וַיַּצִּלֵהוּ *et eripuit ex manu eorum,* hoc est, eripere conabatur, ut Vs. 22. exponitur. Similia vid. Exod. 8, 14. Ps. 69, 5., et cf. Glassii *Philolog. S.* p. 202. edit. Dath. וְלֹא טָהֳרַתְּ מִטֻּמְאָתֵךְ לֹא תִטְהָרִי־עוֹד *Nec mundaris, ab immunditie tua non mundaris adhuc;* non ante purgaberis, עַד־הֲנִיחִי אֶת־חֲמָתִי בָּךְ *donec quiescere faciam excandescentiam meam in te* (ut supra 5, 13.), i. e. excidio atque gravissimis exilii malis te subjiciam.

14. בָּאָה וְעָשִׂיתִי *Veniet* igitur *et faciam,* quae loquutus sum, ut supra 17, 24. Syrus et Arabs: *et adducam et faciam.* Chaldaeus: *venit et firmabitur.* לֹא אֶפְרַע *Non dimittam* quod decrevi, וְלֹא־אָחוּס וְלֹא אֶנָּחֵם *nec parcam, nec poenitebit me,* me eos perdere decrevisse. כִּדְרָכַיִךְ וְכַעֲלִילוֹתַיִךְ שָׁפָטוּךְ *Secundum vias tuas, et secundum facinora tua judicabunt te* scil. Babylonii, vel impersonaliter: *judicaberis,* ut supra 23, 24. 45. Pro שָׁפָטוּךְ exhibent שָׁפַטְתִּיךְ *judicabo te,* tres codices et quinque codices a prima manu, quod ipsum versiones veteres omnes exprimunt. „*Ego Dominus loquutus sum,* et sententia mea non potest praeterire. *Venit* jam urbis obsidio, *faciam,* quod minatus sum; *nec transibo,* sicut saepe feci, scelera tua, *et* ultra *non parcam, non placabor tibi,* etiam si multiplicaveris preces; *sed vias tuas et adinventiones tuas* reddam tibi, immo *judicabo te* juxta opera et cogitationes tuas, ut in hoc quoque ostendam clementiam meam instar medici, qui putridis non parcit carnibus, ut sana membra salventur: non parcit, ut parcat; crudelis est, ut misereatur, nec considerat patientis dolorem, sed vulneris sanitatem.“ Hieronymus.

16. „Supra olla lebetisque succensio obsidionem urbis ostenderat, nunc captam eam atque deletam, et omnem populum vel interfectum gladio, vel ductum in captivitatem prophetalis sermo testatur.“ Hieronymus. הִנְנִי לֹקֵחַ מִמְּךָ אֶת־מַחְמַד עֵינֶיךָ *En ego capiam*, auferam, *desiderium oculorum tuorum*, i. e. uxorem tuam carissimam; se ipsum declarat Vs. 18. Cujusnam vero rei illa imago esset, indicatur Vs. 21. בְּמַגֵּפָה *Plaga*, i. e. morte repentina, quam nullus praecedet morbus, ut Num. 14, 37. 17, 13. 14. LXX: ἐν παρατάξει, quod Hieronymus vertit *in praeparatione*, et explicat: „ut videlicet praepares te ad ea non facienda, quae solent in luctu fieri.“ Male; παράταξις est *acies instructa*, tum *proelium* ipsum, unde et pro *bello* usurpatur. In Syro-Hexaplari interpretatione redditum est: *in instructione belli*. Intellexit Graecus interpres hebraeum מַגֵּפָה de *proelio;* vel legit בְּאֲגַפָּה, sic enim reddidit אֲגַפִּים supra 17, 21. Chaldaeus: במוֹתָא *morte*. וְלֹא תִסְפֹּד וגו׳ *Sed non planges* rel. Nolo eam lugeas, ut significes, in maximis malis, excidio urbis, et caede suorum, non vacaturum ipsis ut lugeant. Cf. infra Vs. 23. Verba וְלֹא דִמְעָתְךָ תָּבוֹא *nec veniat lacryma tua*, non suboriantur tibi lacrymae, non expressa sunt a LXX.

17. Ante הֵאָנֵק דָּם Kimchi מ subaudiendum censet, ut hic sit sensus: *ab ejulando tace*, tempera; quum alii lugentes ejulare soleant, tu tace. Nihil tamen subaudire necesse est, si verba, uti sonant, reddas: *Ingemisce* (est enim הֵאָנֵק ejusdem cum נֶאֱנַח significatus), *sile*, ita geme, ut nemo alius audiat, ut Grotius explicat. Noli alta voce, ut solent, qui mortuos lugent, plorare, sed tacite apud te ingemiscito. Verba מֵתִים אֵבֶל per hypallagen inversa esse pro אֵבֶל מֵתִים *luctus mortuorum*, i. e. qualem super mortuos facere solent, observat Kimchi, qui loca similia affert infra 39, 11. מְקוֹם־קֶבֶר שָׁם pro מְקוֹם־שָׁם קֶבֶר *locus sepulchri itidem*, et Amos. 5, 17. וּמְסֻפָּד אֶל־יוֹדְעֵי נָהִי pro יוֹדְעֵי נָהִי אֶל־מְסֻפָּד *peritos lamenti ad planctum* scil. vocabunt. Sed Storrius in *Observatt.* p. 19. not. nostra verba reddit: *mortuos luctum*, i. e. luctus objectum, *ne facito*, ut saepe alias *res quae versatur in objecto*, per metonymiam pro *objecto ipso* dicitur, veluti *spes* (Ps. 71, 5.), *amor* (Cant. 2, 7. Hos. 9, 10.), *approbatio*, *indignatio* (Prov. 14, 35.), pro *suo* quodque *objecto*. Quod propheta generaliter dixerat, jam per species explicat. Verba פְּאֵרְךָ חָבוֹשׁ עָלֶיךָ *corona* s. *tiara tua circumligata sit tibi*, recte Hieronymus hoc ait significare: „habebis comam, quae tondetur in luctu.“ פְּאֵר h. l. ut Jes. 61, 3. taeniam vittamve notat, quae tempora ligabat, in modum coronae capillos cingentem, quam in luctu deponebant, quod tum capite nudi et pulvere conspersi incedere solebant, vid. Levit. 10, 6. 21, 10. 1 Sam. 4, 12. 2 Sam. 15, 32. Thren. 2, 10. Jarchi, auctore Chaldaeo interprete, nomen פְּאֵר h. l. intelligit de scriptis illis schedis, quae alligantur fasciarum

instar fronti et manui sinistrae, ut iis moneantur Judaei ad observationem Legis, et in N. T. *φυλακτήρια*, a Judaeis hodie תְּפִלִּין vocantur. Quomodo jam Hieronymi tempore nostrum פְּאֵר h. l. acceptum fuerit, ex hisce illius verbis patet: „Ajunt Hebraei, hucusque Babylonios magistros, Legis praecepta servantes, decalogum scriptum in membranulis circumdare capiti suo; et haec esse, quae jubeantur antea oculos et in fronte pendere, ut semper videant, quae praecepta sunt. Et quia Ezechiel sacerdos erat, nequaquam eum debere deponere coronam gloriationis, sed ligatam habere in capite. Hoc illi dixerint. Nos autem juxta LXX *coronam, capillorum* intelligamus *caesariem*, licet et ipsorum interpretatio nequaquam vim Hebraici sermonis expresserit.“ Sic enim reddiderunt: *οὐκ ἔσται τὸ τρίχωμά σου συμπεπλεγμένον ἐπί σε.* Negandi particulam, quae in hebraeo ante תַּעֲשֶׂה ponitur, hic expresserunt, sensu plane inconcinno. Porro vates jubetur calceatus incedere, וּנְעָלֶיךָ תָּשִׂים בְּרַגְלֶיךָ *et calceos tuos pone ad pedes tuos*, nam moerentes nudis incedebant pedibus, vid. 2 Sam. 15, 30. Jes. 20, 2. — וְלֹא תַעֲטֶה עַל־שָׂפָם *Nec obvelato mystacem*, quo totum labritium, i. e. quicquid infra nasum continetur etiam cum mento intelligendum res ipsa docet. Lugentes, quibus et leprosi accensebantur, velabant inferiorem faciei partem, vid. Levit. 13, 45. Mich. 3, 7. Cf. GEIERUM *de Luctu Ebraeor.* Cap. 11. §. 5. Perinde te geres, ac si nulla tristitia affectus esses. LXX: *οὐ μὴ παραληθῇς ἐν χείλεσιν αὐτῶν.* Habuere שָׂפָם pro nomine שָׂפָה cum pronomine suffixo tertiae personae pluralis masculini. Vulgatus: *nec amictu ora velabis.* וְלֶחֶם אֲנָשִׁים לֹא תֹאכֵל *Et cibum hominum* scil. aliorum, quem vicini et necessarii mittere solebant, *non comedes.* HIERONYMUS: „*Nec amictu*, inquit, *ora velabis, nec cibos lugentium capies*, quae solent in luctu fieri, ut operiant vultum, et quae Graeci *περίδειπνα* vocant, a consolatoribus accipiant.“ Et idem ad Jer. 16, 7. *(Et non dabant eis poculum calicis ad consolandum super patre suo et matre sua)*: „Moris autem est, lugentibus ferre cibos et praeparare convivium, quae Graeci *περίδειπνα* vocant, et a nostris vulgo appellantur *parentalia*, eo quod parentibus justa celebrentur.“ JARCHI: „Lugentibus primus cibus ex alieno datur.“ Coccejus לֶחֶם אֲנָשִׁים vertit *panem miserorum*, propria nominis אֱנוֹשׁ significatione expressa.

18. וָאֲדַבֵּר אֶל־הָעָם בַּבֹּקֶר וַתָּמָת אִשְׁתִּי בָּעָרֶב *Et loquutus sum ad populum mane, et mortua est uxor mea vesperi* subito. וָאֶעֱשֶׂ בַּבֹּקֶר כַּאֲשֶׁר צֻוֵּיתִי *Feci igitur mane, sicut jussus eram* a Jova Vs. 17.

19. הֲלֹא־תַגִּיד לָנוּ מָה־אֵלֶּה לָנוּ *Nonne indicabis nobis, quid illa nobis* velint, significent, portendant? כִּי אַתָּה עֹשֶׂה *Quod tu* ita es *faciens*. „Novimus enim te illa facere, ut nobis quid portendant.“ KIMCHI. Pro כִּי habet אֲשֶׁר unus Kennicotti et alius De-Rossii codex.

21. *Domo Israelis*, בֵּית יִשְׂרָאֵל, Israelitas cum vate exsules, non vero, ut quidam volunt, Hierosolymis relictos h. l. indicari, clarissime patet ex iis, quae Vs. 26. 27. narrantur. חֹנֵי מְחַלֵּל אֶת־מִקְדָּשִׁי *Profanabo sanctuarium meum*, profanarum gentium libidini exponam. Chaldaeos intelligit, qui illud ingredientur et polluent, ut supra 7, 22. exponit. גְּאוֹן עֻזְּכֶם *Superbiam roboris vestri*, quae phrasis Levit. 26, 19. de fastu insolente dicitur, h. l templum Jovae dicatum appellat, q. d. illud meum Sanctuarium, quo tantopere gloriamini, et in quo fiduciam et robur vestrum ponitis. Conf. Jer. 7, 4., ubi Judaei monentur, ne fidem habeant dictis mendacibus falsorum prophetarum, qui populo persuadebant, propter templi sanctitatem Deum non permissurum esse, ut locus ei sacratus profanetur. גְּאוֹן עֻזְּכֶם Vulgatus vertit *superbiam imperii vestri.* „Non male," inquit A. Schultens in *Animadverss. philologg.* ad h. l., „nam ita עַז arabice etiam usurpatur. Eodem modo עֹז sumsit Hieronymus Genes. 49, 3. יֶתֶר עֹז, quod transfert *major in imperio.*" מַחְמַד עֵינֵיכֶם *Desiderium oculorum vestrorum*, quod (Sanctuarium) libentissime adspicitis, tanquam rem vobis gratissimam. Alii intelligunt uxores, ut Vs. 15. 16., quod mox liberorum mentio subjicitur. Verba מַחְמַל נַפְשְׁכֶם plerique vertunt *indulgentiam animae vestrae* (ab usitata verbi חָמַל significatione *pepercit*, *clementia usus fuit*), quod sic explicant: rem, quam tantum amatis, quantum indulgentes patres liberos suos; sive: rem, quam miro affectu prosequitur animus vester. Alii vertunt: *miserationem animae vestrae*, i. e. cujus misereri ex animo soletis, q. d. vobis carissimam. Sed recte A. Schultens in *Animadverss. philologg.* ad h. l. nostram dictionem interpretatur *ad quod* desiderio *fertur anima vestra*, collato phrasi Arabica חמל אלי שי *ad rem latus est desiderio;* ut idem notet quod מַשָּׂא נַפְשָׁם infra Vs. 25., ubi not. vid. וּבְנֵיכֶם — יִפֹּלוּ *Et filii vestri filiaeque vestrae, quos reliquistis* Hierosolymis, cum in exsilium abripiemini, vel, quos, vobis in exsilium raptis, putastis in possessione hereditatis permansuros, *gladio cadent.* Grotius intelligit illos, qui cum Gedalia manserunt, Jer. 41.

22. Ad verba וַעֲשִׂיתֶם כַּאֲשֶׁר עָשִׂיתִי *et facietis quemadmodum* ego *feci* Jarchi haec notat: „Lugentium morem non observabitis, quoniam nulli erunt vobis consolatores, nemo enim inter vos erit, qui non lugeat: non autem observatur mos lugentium, nisi eo in loco, ubi sunt consolatores. Alia explicatio: ideo lugentium morem non observabitis, quia timebitis Chaldaeos, inter quos degitis." De verbis: תֹּאכְלוּ — עַל־שָׂפָם vid. ad Vs. 17. Hieronymus: „Quando consuetudo servatur in luctu, medius dolor est, quando autem tanta malorum incumbit necessitas, ut omni ploratu major sit, unusquisque de sua necessitate sollicitus, ad aliorum, quamvis sint proximi, miserias non ingemiscit. Nihil,

inquit, facietis, quod solet in luctu fieri; sed urbe temploque succensis, stupebitis ad malorum magnitudinem. Non attondebitis, nec nudis incedetis pedibus, nec plangetis, nec amictu ora velabitis, nec cibos capietis a consolantibus; sed tabescetis, et consumemini in iniquitatibus vestris, et vix liberum habebitis gemitum, nec offendatis victorum superbiam, si publice flere videamini."

23. Verba בְּרַגְלֵיכֶם — וּפְאֵרְכֶם cum proximis לֹא תִסְפְּדוּ וְלֹא תִבְכּוּ ita sunt connectenda: *comam in capitibus et calceos in pedibus* habentes *non plangetis, nec plorabitis.* וּנְמַקְתֶּם בַּעֲוֹנֹתֵיכֶם Vid. supra 4, 17. Sumtum ex Levit. 26, 39. *Reliqui ex vobis* יִמַּקּוּ בַּעֲוֹנָם *contabescent propter crimina sua in terris hostilibus.* וְנֶהֱמֹתֶם אִישׁ אֶל־אָחִיו *Et fremetis vir ad fratrem suum*, alter ad alterum.

24. וְהָיָה יְחֶזְקֵאל לָכֶם לְמוֹפֵת *Factus itaque est Ezechiel vobis in signum*, portentum, suis factis praemonstrat, quid vobis sit eventurum; ut supra 12, 6. conf. infra Vs. 27. בְּבוֹאָהּ *Cum venerit* hoc malum, quod antea comminatus est; conf. Vs. 14. Alii suffixum femininum referunt ad rumorem (שְׁמוּעָה Vs. 26.) illum malum, qui venturus sit, devastatam esse urbem cum templo.

25. בְּיוֹם קַחְתִּי *Die quo abstulero*, Infinitivus cum suffixo, ut קַחְתֶּךָ Genes. 30, 15. מָעֳזָּם i. q. supra Vs. 21. מְאוֹז עֻזָּם, ubi not. vid. מְשׂוֹשׂ תִּפְאַרְתָּם *Gaudium decoris eorum*, i. e. templum, cujus ornatu, majestate et religione gaudebant. מַשָּׂא נַפְשָׁם Hebraei recte explicant, *id ad quod attollunt animam suam*, ad quod summo desiderio feruntur, id enim significari phrasi נָשָׂא נָפֶשׁ, patet ex Deut. 24, 15. Hos. 4, 8. Jer. 22, 27. Conf. not. nostr. ad Ps. 24, 4. Minus placet, quod alii volunt: *onus animae eorum*, de quo curant, et quod ipsos potissimum sollicitos habet, videlicet liberos, quod statim subjicitur.

26. בַּיּוֹם הַהוּא *Tempore illo*, peracta obsidione, exusta urbe ac templo. Nomen יוֹם apud Hebraeos latiore significatione sumi notum est. Atque ex collatione Capitis 33, 22. cum Jer. 52, 5. 6. colligere licet, intercessisse annum et semestre, antequam veniret nuntius, qui effugerat. בָּא הַפָּלִיט אֵלֶיךָ *Veniet elapsus ad te.* Jarchi: „Fieri non potuit, ut is, qui evasit, in Babyloniam veniret eo ipso die, quo devastata fuit urbs Hierosolyma, quare hic locus ita erit explicandus: *eo ipso die*, quo venict ad te is, qui evasit, ut tibi nuntium perferat, *eo*, inquam, *die aperietur os tuum* (Vs. 27.)." Eodem modo Versum utrumque junxit Hieronymus vid. ad Vs. sq. לַהַשְׁמִעוֹת אָזְנָיִם *Ut audire faciat aures* (i. q. הַשְׁמִיעַ אֹתָךְ Jes. 48, 5. 6.), qui narret, te cum aliis audiente, rem omnem.

27. עוֹד — בַּיּוֹם הַהוּא *Die illo aperietur os tuum cum illo qui evasit, et loqueris, nec mutus eris adhuc*, amplius.

וְהָיִיתָ לָהֶם לְמוֹפֵת *Et fuisti iis in signum*, Vs. 24. „Eo, inquit, tempore, quum venerit ad te de Jerusalem fugiens, vel qui evaserit [הַפָּלִיט Vs. 26.], dicens urbem esse subversam, tunc qui prius taceueras, et gemitum liberum non habebas, et tantae eras patientiae, ut in uxoris neece lacrymam non emitteres, aperies os tuum et loqueris, non *ad eum*, qui venerit, sed *cum eo*, ut quaecunque tu ventura praedixeras, ille nuntiet jam perfecta, et ultra non taecbis, sed argues eos, et dices, cuncta illis merito provenisse, ita ut sis illis in portentum, juxta illud, quod in Zacharia [3, 8.] scriptum est: *Prophetas esse viros portendentes.* Et Dominus alibi [Hos. 12, 11.] loquitur: *In manibus Prophetarum assimilatus sum* [opera et ministerio prophetarum exempla et parabolas propono]." Hieronymus. Impleta haec narrantur infra 33, 21.

XX.

CAP. 25.

Argumentum.

Postquam vates urbis Hierosolymitanae eversionem, atque innumera mala, quibus Judaei erant opprimendi, praedixisset, jam orationem convertit ad gentes finitimas, quibus, quod excisis Hierosolymis captis et deportatis civibus illuderent, deque urbis et populi excidio exsultarent, itidem interitum et ruinam praenuntiat. Exorsus ab Ammonitis (Vs. 2 — 7.) et Moabitis (8 — 11.), qui ab Oriente Judaeis vicini essent, ab illis progreditur ad Idumaeos, ad austrum conterminos (12 — 14.), a quibus pergit ad Philisthaeos, ad occidentem Judaeae finitimos (15 — 17.).

2. „Capta vel obsessa Jerusalem postquam venit in Babylonem, qui poterat evadere, et nuntiavit urbem iam jamque capiendam vel cum templo esse subversam [24, 26.], juxta consuetudinem omnium Prophetarum adversum ceteras in circuitu nationes, quae insultaverant ruinae Jerusalem, templique incendio, sermo convertitur prophetalis, primumque contra filios Ammon, qui habebant metropolim nomine *Rabbath*, quae hodie a rege Aegypti, Ptolemaco cognomento Philadelpho, qui Arabiam tenuit cum Judaea, *Philadelphia* nuncupata est.“ Hieronymus. *Ammonitae*, Lothi posteri (Genes. 19, 38.), Israelitarum ab omni aevo infensissimi hostes, Ps. 83, 8. 9. cf. 1 Sam. 11, 1. seqq., quamvis ab illis nihil quidquam laesi fuerant, vid. Deut. 2, 9., templi ac reipublicae tam Israeliticae, quam Judaicae excidium improbo gaudio et probris sunt prosequuti, unde a pluribus prophetis supplicia divinitus eis infligenda denunciantur. Vaticinia parallela vid. supra 21, 33. seqq. Jer. 49, 1. seqq. Amos. 1, 13. Zephan. 2, 8 — 10. De formula שִׂים פָּנֶיךָ אֶל וגו׳ vid. not. ad 13, 17. 21, 2.

3. יַעַן אָמְרֵךְ הֶאָח אֶל־מִקְדָּשִׁי כִּי־נֶחֱלַ *Propterea quod dicis euge! super sanctuario meo*, *quod* illud *profanatum est.* Suffixum femininum ad אָמְרֵךְ respicit *regionem* sive *coetum* Ammonitarum, cf. not. ad 21, 15. הֶאָח Interjectio gaudentis, praesertim de infortunio, quod aliis accidit, ut 36, 2. Ps. 35, 21.

אֶת pro עַל *propter*, nostro vati solenne, vid. supra 6, 9. 11. 21, 12. 17. 33. infra 27, 31. וְאֶל־אַדְמַת יִשְׂרָאֵל — בַּגּוֹלָה *Et propter terram Israelis, quod devastata est, et super domum Juda, quod iverunt in exilium.*

4. לָכֵן הִנְנִי נֹתְנֶךָּ לִבְנֵי־קֶדֶם *Propterea ecce ego tradens te filiis Orientis*, Orientalibus, quibus Jarchi, Grotius, alii, existimant Chaldaeos significari, quorum terra Ammonitis ad orientem sita erat. Et sane Ammonitas quinto post Hierosolymam expugnatam anno a Nebucadnezare subactos fuisse, constat ex Josepho, vid. not. supra ad 21, 33. Quum tamen alias fere Arabes בְּנֵי־קֶדֶם nuncupari soleant, vid. e. c. Judic. 6, 3. Jer. 49, 18. Job. 1, 3. et ad eum locum not.; iidem illi et hoc loco intelligi videntur, quibus, utpote pastoribus, conveniunt, quae de caulis ovium, tentoriis, et stabulis camelorum in Ammonitide ponendis mox subjiciuntur. Significatur, eam regionem ab hostibus, Chaldaeis, ita devastatum iri, ut pecudum pascuum fiat, quo extrema vastatio indicatur, vid. Jes. 7, 22 — 25. Jerem. 6, 2 — 4. Judic. 6, 4. 5. Hieronymus Babylonios h. l. per metaphoram *Orientales* dictos existimat: „Nulli," inquit, „dubium est, Madianitas, et totam eremi vastitatem adjacere terrae Arabiae, qui habent camelorum greges oviumque et caprarum multitudines, et his opibus victitant. Quod et terrae Israel in Judicum libro [6, 3. sqq.] accidisse narrat historia, quando venerunt Madianaei [qui loco Judic. commemorato *Orientalibus* accensentur, verba sunt: וְעֲלָה מִדְיָן וַעֲמָלֵק וּבְנֵי־קֶדֶם], et depasti sunt usque Gazam omnes regiones eorum. *Μεταφορικῶς* ergo per Madianaeos, Ismaelitas et Agarenos, qui nunc Saraceni appellantur, assumentes sibi falso nomen Sarae, quo scilicet de ingenua et domina videantur esse generati, Scriptura significat; diciturque de rege Nabuchodonosor et omni ejus exercitu, quod veniat et capiat urbem Rabbath. Et ne dubitemus Nabuchodonosor subvertisse Arabiam [i. e. Ammonitidem], postquam capta est Jerusalem, supra Scriptura testatur [21, 19. 20.]: *Et tu, fili hominis, pone tibi duas vias, Ammon et Jerusalem, et veniet gladius regis Babylonis.* Et iterum [Vs. 28.]: *In capite viae civitatis conjiciet*, etc. Venient ergo *filii Cedem* et collocabunt caulas suas, quasi pastores, figentque tentoria." Similiter Theodoretus *filiis Orientis* ait intelligendos esse *Ismaelitas* (οἱ ἀπὸ Ἰσμαὴλ τὸ γένος κατάγοντες), i. e. Arabes, qui in urbibus Ammonitarum tentoria sint collocaturi. Dicit Deus se Ammonitas traditurum esse Orientalibus לְמוֹרָשָׁה *in hereditatem*, i. e. possidendam, ut supra 11, 15. וְיָשְׁבוּ טִירוֹתֵיהֶם בָּךְ *Et sedere facient*, collocabunt *caulas ipsorum in te*, in terra tua. טִירוֹת *Caulae*, ut Syriacum טִירָא, quod Joh. 10, 1. 16. pro *αὐλή* ponitur, vid. Genes. 25, 16. Num. 31, 10. Ps. 69, 26. Cant. 8, 9. וְנָתְנוּ בָךְ מִשְׁכְּנֵיהֶם *Et dabunt*, ponent *in te*, in terra tua, *ten-*

toria sua. חֵלְבֵךְ — חֵמְתֵּךְ *Illi devorabunt fructum tuum, et illi bibent lac tuum.*

5. רַבָּה *Rabba*, metropolis Ammonitarum, vid. not. ad Vs. 2. et supra 21, 25. Jer. 49, 23. LXX: *τὴν πόλιν τοῦ Ἀμμών.* לְנָוֵה גְּמַלִּים *In stabulum camelorum*, quorum magnam copiam habent Arabes. LXX: *εἰς νομὰς καμήλων.* Vulgatus: *in habitaculum camelorum.* וְאֶת־בְּנֵי עַמּוֹן לְמִרְבַּץ־צֹאן *Et filios Ammon*, i. e. regionem, villas et oppida eorum reddam *in cubile pecorum.* Simili imagine Ninive desolata Zephan. 2, 14. 15. describitur. וְיֵדְעוּם כִּי־אֲנִי יְהוָה „Malorum necessitate intelligant, quod ipse sit Dominus, qui et futura praedixit, et ut fierent imperavit.“ Hieronymus.

6. „Nec hoc suffecit filiis Ammon, ut insultarent et dicerent: euge, euge super templo et sanctuario Domini, quod pollutum erat diversarum introitu nationum; sed tanta fuit insultandi lascivia, ut cunctus simul populus manibus et pedibus concreparet, et ex toto cordis clamaret affectu, eo quod terra Israel esset desolata.“ Hieronymus. יַעַן מָחָאֲךְ יָד *Propter percutere te manum*, propterea quod manus complodis, signum gaudentis, vid. supra 21, 19. 22. וְרִקַּעְתָּ בְרֶגֶל *Et quod tundis terram pedibus*, saltando et tripudiando; id hic etiam laetitiae signum est, at moeroris supra 6, 11. Verbum רָקַע, quod proprie *diducere* significat (vid. not. ad Genes. 1, 6.), h. l. ut supra 6, 11. et 2 Sam. 22, 43. non dubium est, notare, *gravi pedis ictu terram percutere*, *tundere*, „quod percutere seu tundere ubi malleo fit, est, *malleare* metalla, quo quidem fit, ut metalla in laminas tenues *diducantur*, Exod. 39, 3. Num. 17, 4. בְּכָל־שָׁאטְךְ *In omni contemtu*, fastu, *tuo*, cf. not. supra ad 16, 57., et Syriac. שׁטט *contemsit*, *sprevit.* בְּנֶפֶשׁ *Ex animo*, omni appetitu animae, ut Ps. 17, 9. Vulgatus: *et gavisa es ex toto affectu.* אֶל־אַדְמַת יִשְׂרָאֵל cf. ad Vs. 3.

7. לָכֵן הִנְנִי נָטִיתִי אֶת־יָדִי עָלֶיךָ *Propterea ecce! ego extendam manum meam contra te*, plagas tibi inflicturus, ut supra 6, 14. et saepius. וּנְתַתִּיךָ לָבַז לַגּוֹיִם *Et dabo te praedae gentibus.* Nomen בַּז, quod praeter hunc locum tantummodo in nomine composito פַּתְבַּג Dan. 1, 5. 16. deprehenditur, sitne ejusdem significationis cum בַּז, quod h. l. legendum esse ad marginem praecipitur (cf. infra), an vero, ut alii volunt, *cibum* denotet, quasi idem sit, quod Persicum באה *cibus*, quod Arabes באג efferre solent (vid. Castelli *Lexic. Heptagl.* col. 265. et ejusdem *Lexic. Persic.* col. 91.) certo vix poterit definiri. Kimchi quoque בַּג explicat מַאֲכָל *cibum*, id quod ei, quod ad marginem legitur, לָבַז, praeferendum censet Franc. Tsepregi in Dissertat. I. de *Authentia selectiorum Cetibhim* §. 20. (in *Sylloge Dissertatt. sub praesidio Schultensiorum et N. G. Schroederi defensar.* P. I. p. 142.), „Primas ego,“ inquit, „defero textuali

lcetioni, sententiamque longe sonantiorem, et quae tumorem deceat Orientis, edo. *Permittam te furori et libidini hostium, qui tui, tanquam cupediarum, aviditate moti, laxo in ore devorabunt, et ingluviem abdomenque suum ex te satiabunt.* Est haec figura alta et frequens in Sacro Codice. Vid. Jer. 51, 34. Deut. 7, 16., cf. Ezech. 36, 13. 14. Germana huic metaphora, quae *gladio os* adscribit, vid. Genes. 34, 26. Jes. 1, 20." Pro לָבַג Masorethae notant legendum לָבַז *praedae*, commutatis ז et ג, per commutationem literarum cabbalisticam אטבח *Atbach* [de qua vid. Buxtorfii *de Abbreviaturis Hebraeor. Tractat.* p. 27., vel Godofr. Selig *Compendia Vocc. Hebraeor. Rabbinicar.* p. 18. sq.], ut infra 47, 13. pro גֶּה legendum זֶה praecipiunt. Et h. l. illud לָבַז, quod et infra 26, 5. itidem sequente לַגּוֹיִם legitur, pro לָבַג codices haud pauci habent in textu, uti et Biblia Complutensia. Versiones veteres omnes exhibent לָבַז, *in direptionem.* Pro לַגּוֹיִם exhibent בַּגּוֹיִם pauci aliquot codices, cum quibus LXX conspirant. הַגּוֹיִם *(gentium*, ut habet Vulgatus) legitur in uno codice Kennicotti. וְהַכְרַתִּיךָ מִן־הָעַמִּים וְהַאֲבַדְתִּיךָ מִן־הָאֲרָצוֹת *Et excindam te ex populis, et perdam*, delebo *te e terris.* Pro אַשְׁמִידֶךָ *disperdam* s. *delebo te* habent וְאַשְׁמִידֶךָ, praemissa copula, ut Vulgatus et Syrus, duo codices Kennicotti, et unus De-Rossii a prima manu.

8. יַעַן אֲמֹר מוֹאָב וְשֵׂעִיר *Propter dicere*, propterea quod dictitant *Moab et Seir.* *Moabitae* itidem ut Ammonitae a Lotho oriundi (vid. not. ad Vs. 2. et Genes. 19, 37.), hisque ad austrum contermini, mari mortuo ab Oriente, jam Num. 21, 29. ad idolorum cultum defecisse deprehenduntur. Infensi Israelitarum hostes fuerunt (vid. Num. 22, 2. 25, 1. seqq. Ps. 83, 7.), eosque per octodecim annos subjugarunt, Jud. 3, 12. 14. seqq. Sed a Saule feliciter oppugnati (1 Sam. 14, 47.), a Davide autem superati (2 Sam. 8, 1. 3.), Salomoni (1 Reg. 5, 1.) et regibus Israelis tributarii facti, donec sub Ahabo, aut filio ejus, Joramo, defecerent (2 Reg. 1, 1. 3, 5.), ex quo Israelitis graves fuerunt (2 Reg. 13, 20.). Vastandos ac diminuendos esse ab Assyriis sub Salmanassare aut Sanheribo, minatur Jes. 15, 1. sqq. 16, 14., cf. Amos. 2, 1. sqq., frangendos autem magis post Hierosolymorum excidium a Nebucadnezare et Babyloniis, quos in oppugnandis Judaeis adjuverant (2 Reg. 24, 2.), praenuntiat Jerem. 27, 3. 48, 1. sqq. et Noster h. l., qui Moabitis h. l. jungit Idumaeos, propter peccatorum communicationem, disjungit judicia in utrosque exercenda, quae Moabitis denuntiat Vs. 9. 10. 11., Idumaeis Vs. 12. 13. 14. Idumaei enim nuncupantur nomine שֵׂעִיר, *Seir*, quod in montanis *Seir* habitabant, Genes. 36, 9. הִנֵּה כְּכָל־הַגּוֹיִם בֵּית יְהוּדָה *Ecce! sicut omnes* aliae *gentes* est *domus Juda*, non sunt meliore loco, nec aliquid egregium prae ceteris, ut sibi persuadent, habent, malis etiam, aeque ac alii, afficiuntur.

JARCHI: „Recessit amor Dei a Judaeis, et spreti fuerunt, ita ut traditi sint potestati Nebucadnezaris, ut ceterae gentes.“ Pro בְּכֹל habent בִּכֹּל *inter omnes* codices plures Kennicotti et De-Rossii, uti et Syrus.

9. לָכֵן הִנְנִי פֹּתֵחַ *Propterea en ego* hostibus viam *aperiens* ero ad eos, aditumque ad urbes et arces munitissimas; eadem figura Jes. 45, 1. Nah. 3, 13. אֶת־כֶּתֶף מוֹאָב *Latus Moabi*, per quod invadunt Moabitas. GROTIUS: „*Latus apertum* dicitur, quod ictibus obnoxium est.“ כָּתֵף, quod proprie *humerum* notat (vid. supra 12, 7. Jes. 46, 7. Jud. 16, 3.), metaphorice usurpatur de *latere* v. g. aedificii, ut Exod. 21, 14. 15. 38, 14. 15. 1 Reg. 6, 8., hinc de tractu terrae, veluti de litore maris Num. 34, 11., de regione generatim Jes. 11, 15. JARCHI: „*Ego aperiam* munitiones regionis Moabiticae, quae sunt in finibus ejus. Nam *finis termini regionis* vocatur h. l. כָּתֵף, propr. *latus*, ut Exod. 27, 15. 38, 14.“ Chaldaeus: *ecce ego conteram fortitudinem Moab.* מֵהֶעָרִים Inde *ab urbibus*, ex parte urbium munitissimarum, speciatim etiam *Ar*, Num. 21, 15. 28. Deut. 2, 9., et *Aroer*, quae utraque ad Arnonem fluvium sita (Num. 32, 34.), q. d. non tam latus debile, sed fortissimum et firmissimum, in quo sitae sunt urbes munitissimae. מִנִּגְעָרִיו מִקְצֵהוּ *Ab urbibus*, inquam, quae sunt *ab extremitate ipsius*, quae reliquis solent esse munitiores. Alii *extremo* h. l. indicari putant *universas* urbes, q. d. *ad unum omnes*, ut Genes. 19, 4. Jer. 50, 26. 51, 31., quod *extrema* pertinent ad complementum rei. צְבִי אֶרֶץ *Decus* etiam *terrae*, i. e. tractum fertilissimum. LXX: ἐκλεκτὴν γῆν. בֵּית הַיְשִׁימוֹת i. e. *domus solitudinis*, nomen proprium loci, cujus mentio fit inter mansiones Israelitarum ad Jordanem, haud longe a mari mortuo, Num. 33, 49., tum inter urbes Rubenitarum Jos. 13, 20. Postea hanc urbem a Moabitis occupatam fuisse, e nostro loco patet. Cf. libr. nostr. *Handbuch der bibl. Alterthumskunde*, s. *Bibl. Geographie* Vol. II. P. II. p. 38. בַּעַל מְעוֹן eadem haud dubie urbs, quae Jos. 13, 17. בֵּית בַּעַל מְעוֹן vocatur, olim Rubenitarum, vid. Num. 32, 38. EUSEBIUS in *Onomastico* e versione Hieronymi: *Beelmeon trans Jordanem, quam aedificarunt filii Ruben. Est autem vicus usque nunc grandis Baru in Arabia, ubi aquas calidas sponte humus effert.* Vid. libr. memorat. p. 267. *Meonitae* recensentur inter Arabiae populos 2 Paral. 26, 17. וְקִרְיָתָמָה *Et usque ad* s. *versus Kirjathaim*, q. d. *civitas gemina* (forsan quod duabus urbibus constaret), quae quoque urbs, quemadmodum *Beth-Hagesimoth* et *Baal-Meon*, olim a Rubenitis possidebatur, vid. Num. 32, 37. Jos. 13, 19. Sic nullam partem terrae Moab a violentia hostium immunem fore ostendit. Urbs *Cariathaim* fuerat olim Emaeorum (אֵמִים) Genes. 14, 5., quos Moabitae expulerunt, eorumque regionem obtinuerunt, Deut. 2, 9. 10., Moabitas Amoraei. E tota illa transjordanica regione

cis Arnonem expulerunt Amoraeos Israelitae; sed tandem Moabitae postliminio videntur eam regionem occupasse, translatis in Assyriam decem tribubus, interque ceteras urbes hanc *Cariathaim* recuperasse, unde praeter nostrum et Jeremias 48, 1. 23. contra Moab prophetans hujus urbis meminit. Cf. *Bibl. Alterthumskunde* Vol. II. P. I. p. 268. Eusebius in *Onomastico* ex Hieronymi versione: *Cariathaim civitas, quam exstruxerunt filii Ruben. Nunc autem est vicus Christianis omnibus florens juxta Medebam, urbem Arabiae, et appellatur Corajatha; in decimo milliario supradictae urbis (Medebae) contra Occidentalem plagam, vicinus ejus loci, qui appellatur Bare.* וְקִרְיָתָמָה Masorethae in margine וְקִרְיָתָיְמָה legendum notant. Duplex olim scriptio in codicibus extitit; una וְקִרְיָתְיְמָה i. e. in *Kirjathajim*, sive *versus Kirjathajim*, Dualis קִרְיָתַיִם, addito ה locali, ut יְרוּשָׁלַיְמָה *Hierosolymam;* altera, quam literae in textu positae innuunt, וְקִרְיָתֵמָה, itidem Dualis, addito ה locali, sed contractus ex קִרְיָתַיִם, eo modo, quo שְׁנֵים et שְׁתֵּים, *duo*, si praecesserit nomen עֶשֶׂר. Ceterum totius hujus Versus sensum bene exposuit Hieronymus in *Commentario:* „Comminatur Dominus, se humerum, robur videlicet, et fortitudinem Moab de civitatibus ejus dissoluturum, sive aperturum, ut ad ipsos quoque Babylonius victor introeat, et civitates in Moab esse desistant, et in finibus ejus ac terminis urbes inclytae destruantur, quarum ponit nomina, *Beth Jesimoth*, et *Beelmon* et *Cariathaim*, pro quibus nescio quid volentes LXX interpretati sunt *domum Beth Jasimuth*, quum hoc vocabulum *villam desertam* significet; Beelmeon quoque usque hodie in Moab vicus sit maximus, quem illi verterunt *super fontem*, et Cariathaim *civitatem maritimam*, traditurque et ipsa cum filiis Ammon filiis Orientis, Babyloniis videlicet, juxta illum sensum, quem contra filios Ammon interpretati sumus [vid. not. supra ad Vs. 4]."

10. לִבְנֵי קֶדֶם *Orientalibus,* inquam (Vs. 4.), aperiam latus tuum (Vs. 9.), ut illi libere irrumpant. עַל־בְּנֵי עַמּוֹן *Super* i. e. *praeter filios Ammon*, i. e. una cum (ut עַל supra 16, 37.) terra *filiorum Ammon* (supra Vs. 25.), aeque ac Ammonitidem illis vastandam te aperiam. Alii: *praeter filios Ammon* Orientalibus et te tradam; quod prior a Chaldaeis vastata est Ammonitis, posterior Moabitis. וּנְתַתִּיהָ לְמוֹרָשָׁה *Et dabo* quidem *eam*, vel, *eam namque*, Ammonitidem (Vs. 4.) *dabo* hostibus *in hereditatem*, i. e. possidendam, ut Vs. 4. לְמַעַן לֹא תִזָּכֵר בְּנֵי־עַמּוֹן בַּגּוֹיִם *Ut nulla sit Ammonitarum mentio inter gentes*, ut populus esse desinant, cf. supra 21, 37. et ad eum locum not.

11. וּבְמוֹאָב אֶעֱשֶׂה שְׁפָטִים *Sic etiam in Moabitas exercebo judicia*, ultionem sumam, ut supra 5, 10. 28, 22.

12. יַעַן עֲשׂוֹת אֱדוֹם בִּנְקֹם נָקָם לְבֵית יְהוּדָה *Propterea quod fecit Edom in ultionem sumendo*, cum ultionem sumeret, *domui*

Judae, i. e. quoniam Edom ulciscendi libidine cum domo Judae egit, crudeliter et cum saevitia. וַיֶּאְשְׁמוּ אָשׁוֹם וְנִקְמוּ בָהֶם *Et delinquendo deliquerunt* gravissime, reatum maximum contraxerunt, *et*, dum ita, *vindictam exercuerunt in eos.* „Supra (Vs. 8.) duo proposuerat, *contra Moab et Seir*, postea de Seir tacens contra Moab tantum loquutus est; nunc reddit coeptum problema, quid Seir, hoc est, Idumaea, fecerit.“ Hieronymus. Idumaei non modo ut Ammonitae et Moabitae gavisi sunt de malis Judaeorum, verum etiam in ultionem veteris injuriae, qua Esavus aut Edom a Jacobo affectus fuerat, praerepta benedictione (Gen. 25, 31. sqq. 27, 17.), simultatem illam veterem, a majoribus haustam, continuantes, sese cum Chaldaeis conjunxerunt ad opprimendos consanguineos. Vid. Obad. 10. sqq. Jer. 49, 7—22. Amos. 1, 11. 12. Ps. 137, 7. et ad eum locum not.

13. וְנָטִיתִי יָדִי עַל־אֱדוֹם *Et extendam manum meam contra Edom*, vid. ad Vs. 7. וְהִכְרַתִּי מִמֶּנָּה אָדָם וּבְהֵמָה *Et excindam*, auferam *ex ea homines et pecudes*, ut supra 14, 13. 17. וְנָתַתִּיהָ חָרְבָּה מִתֵּימָן *Ponamque eam, vastitatem inde a Theman.* תֵּימָן, quod *austrum* significat, h. l. esse nomen urbis aut regionis dictae a nepote Esavi (Genes. 36, 15.), res ipsa docet, vid. et Jer. 49, 7. Obad. Vs. 9. Cf. *Bibl. Alterthumskunde* Vol. III. p. 68. וּדְדָנָה בַּחֶרֶב יִפֹּלוּ *Et Dedanem usque gladio cadent*, „duos terminos nominat, Themanem ad austrum, et Dedanem ad septentrionem.“ Grotius. Quae hic memoratur Dedan, diversa procul dubio ab illa, quae Genes. 10, 7. inter Cuschi posteros nominatur. Nam qui h. l. et Jer. 49, 8. memorantur Dedanitae, non videntur Cuschaei esse, sed Abrahami posteri, incertum, utrum natalibus Idumaei, an ab illo Dedane, qui Gen. 25, 3. Abrahamo e Cethura nepos scribitur, orti, et cum Idumaeis consociati. Grotius ad Jer. 49, 8. hos Dedanitas ab Idumaeis subactos ait, mera tamen ex conjectura. Haud magis certum, an, qui infra 27, 15. et Jer. 25, 23. memorantur Dedanitae, iidem sint cum nostris. *He locale*, quod alias praevia vocali Camez addi solet, hic habet ante se Segol, ut a נֹב (1 Sam. 22, 19.) dicitur נֹבָה *ad Nobam*, 1 Sam. 21, l. 22, 9., ex תֹּפֶת natum תָּפְתָּה Jes. 30, 33., ex כַּלְנוֹ כַּלְנֵה Jes. 10, 9. dictum כַּלְנֶה Amos. 6, 2.

14. וְנָתַתִּי אֶת־נִקְמָתִי בֶּאֱדוֹם בְּיַד עַמִּי יִשְׂרָאֵל *Et dabo*, exercebo *vindictam meam in Edom per manum populi mei Israel.* Quod Deus maleficia Edomitarum *per populum suum Israel* vindicaturus dicitur, eo spectare volunt, quod Joannes Hyrcanus (circa annum 128. ante Christ. nat.) non solum Idumaeae urbes, Adora et Marissam, cepit, verum et regionem omnem subegit, suoque imperio ita penitus subjecit, ut jam non suis porro juribus institutisque fruerentur Idumaei, sed Judaeorum moribus ac legibus uti tenerentur, referente Josepho *Archaeolog.* 13, 9, 1.

Conf. Schnurrer ad Obad. 18. in Ejus *Dissertatt.* p. 418. וְעָשׂוּ — אֶת־נִקְמָתִי *Et facient in Edomitis*, eos tractabunt *secundum iram et excandescentiam meam*, Jovae, pro mea indignatione, *et scient* experientur *vindictam meam.*

15. יַעַן עֲשׂוֹת פְּלִשְׁתִּים בִּנְקָמָה *Propterea quod egerunt Philisthaei in vindicta*, i. e. per odium et saevitiam, sienti is qui ultionem sumit de hoste suo. *Philisthaei* longe olim e Caphthoraeorum et Casluchaeorum regionibus in Palaestinam immigraverant (unde et appellati, nam פָּלַשׁ Aethiopice est *migrare*), traetumque Cananaeae maritimum australem a se occupatum inhabitabant, vid. Genes. 10, 14. Deut. 2, 23. Jer. 47, 4. Amos 9, 7., et cf. *Bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. II. p. 368. Inter eos Judaeosque ab antiquissimis inde temporibus odium fuerat acerrimum, quod causam praebuit bellis inter eos longo temporis traetu gestis, vario eventu et successu. Repetendum illud odium ab eo est tempore, quo illi Israelitas instituerunt opprimere, Judicum tempore, vid. Jud. 10, 7. 13, 1. Sub Samuele quidem et Saule liberari coeperunt Judaei ab illorum oppressione, sed ita, ut bellatum continuo, non debellatum sit (1 Sam. 14, 52.), donec David eos subegit, 2 Sam. 8, 1., Gatham quoque eum agris ei subjectis, illis eripuit, 1 Chron. 18, 1. Salomoni et Josaphato fuerunt tributarii, 1 Reg. 4, 21. 2 Chron. 17, 11., sed sub Joramo Judaeam populationibus infestarunt, 2 Chron. 21, 16., et ab Usia repressi (2 Chron. 26, 6. 7.) sub Ahaso iterum plurima Judaeis mala intulerunt, 2 Chron. 38, 18. Graves ictus eis inflicti ab Hiskia, qui 2 Reg. 18, 8. totam Palaestinam pervagatus esse et infestasse narratur, ipsa Gaza, in extremo limine australi, non intacta. Harum inimicitiarum memores Philisthaei videntur sese Chaldaeis in opprimendis Judaeis junxisse; id quod Noster haud obscure eo significat, quod Philisthaeos sese ultos esse hoc Versu ait לְמַשְׁחִית *in perditionem* (ut supra 5, 16. 9, 6.), i. e. ut perderent prorsus et profligarent Judaeos. בְּשָׁאט בְּנֶפֶשׁ *Cum contemtu cum anima*, insolenter et effrenatâ petulantiâ. אֵיבַת עוֹלָם *Odio veteri*, ut infra 35, 5. Omissum ante אֵיבָה praefixum ב, ut alias saepissime.

16. הִנְנִי נוֹטֶה יָדִי עַל־פְּלִשְׁתִּים *En! ego extendens* ero *manum meam contra Philisthaeos*, cf. Vs. 7. 13. „*Philisthiim*, quos Septuaginta *ἀλλοφύλους*, id est, *alienigenas* transtulerunt, non generali nomine omnium gentium, quae non sunt de genere Judaeorum, sed speciali gentis suae, quae nunc dicitur Palaestina, mutata *Phe* litera juxta Graecorum consuetudinem in *Pi* (*II*), sicut et apud nos pro hebraico *Phase* (פֶּסַח) Graecum et Latinum *Pascha* celebratur.“ Hieronymus. וְהִכְרַתִּי אֶת־כְּרֵתִים *Et excindam Cretheos.* Eos fuisse eam Philisthaeorum partem, quae australem et maritimum Philisthaeae tractum tenuit, tam ex hoc loco, quam ex Zephan. 2, 5. et 1 Sam. 30, 14. apparet, quo quidem loco quae נֶגֶב הַכְּרֵתִי *australis ora Cretheo-*

rum vocatur, mox Vs. 16. אֶרֶץ פְּלִשְׁתִּים dicitur. Cf. Godofr. Lackemacheri *Observatt. philologg.* P. II. Observ. 2. p. 12. sqq. Nomen inde sortitos esse, quod ortu *Cretenses* fuerint, Lackemacher §. 5. sqq. argumentis haud improbabilibus evincere studuit, inter quae illud minime est contemnendum, quod apud Stephanum Byzantinum (voce *Gaza*) luculenta exstat traditio, Cretenses, Rege Minoë, expeditionem suscepisse istas in oras, et Gazam occupasse, quam *Minoa* appellaverint, unde apud illos templum reperiri Jovis Cretaei, *Marna* ab eis adpellati. J. D. Michaelis in *Spicil. Geogr. Hebr. ext.* P. I. p. 281. suspicatur, ut LXX Philisthaeos tanquam nomine proprio Ἀλλοφύλους, *exteros*, vocant, ita Hebraeis ob duplicem migrationem, ex Aegypto in *Caphthor*, exque hac nova patria in Palaestinam, כְּרֵתִים, *recisos a patria et extorres* dictos fuisse. Eadem jam Hilleri sententia fuit, qui in *Onomast. S.* p. 280. et 778. Philisthaeos כְּרֵתִים i. e. *e patrio solo excisos* vocatos existimat, quod bis natale solum vertere coacti fuerint. Paronomasia, poenam talionis subindicans, in eo est, quod Vates dicit: וְהִכְרַתִּי אֶת־כְּרֵתִים, quo hoc vult: *exscindam exscindendos*, populum internecione dignum eique devotum, quem sensum Chaldaeus expressit: *et disperdam populum, qui rei sunt, ut dispereant.* וְהַאֲבַדְתִּי אֶת־שְׁאֵרִית חוֹף הַיָּם *Et perdam reliquias litoris maris: Reliquias* dicit, quod Philisthaea jam antea multum vastata fuerat ab Assyriis et Aegyptiis, vid. Jes. 14, 30. 20, 1. Jer. 47, 4. 5. Amos. 1, 8., quibus locis omnibus eadem illa vox de Philisthaeis usurpatur. חוֹף הַיָּם *Litoris maris* scil. occidentalis, i. e. mediterranei. חוֹף, *Litus*, ut Genes. 49, 13. Deut. 1, 7. Jos. 9, 1. Jer. 47, 7., proprie *limes*, *terminus*, ut idem ille Jarchi observat. Ad utramque radicem, חוף et חָפַף, potest referri, quemadmodum Arabibus a חוף *circumivit locum*, חאפה est *ora*, *labium*, *margo*, et hinc *ripa*, atque חאפי *limes*, *terminus*, et a חפף itidem *obivit*, חאפה *latus*, *ora*, *margo*.

17. וְעָשִׂיתִי בָם נְקָמוֹת גְּדֹלוֹת *Et faciam in iis magnas vindictas*, graves ultiones de iis sumam. De בְּתוֹכְחוֹת חֵמָה vid. supra ad 5, 15.

XXI.

Vaticinia in Tyrum et Sidonem.

CAP. 26—28.

Cap. 26.

Argumentum.

Tyrum, emporium opulentissimum et opere magno munitum et valido firmatum praesidio, a Nebucadnezare, rege Babyloniae, cum magna manu expugnandum, diripiendum et penitus vastandum praedicit, quam repentinam et insolitam cladem omnes consternati et attoniti sint admiraturi.

1. בְּעַשְׁתֵּי־עֶשְׂרֵה שָׁנָה *Anno undecimo* a deportatione Jechoniae et regni Zedekiae (vid. not. ad 1, 1.), ipso anno expugnatae Hierosolymae (2 Reg. 25, 2. sqq. Jer. 52, 5. sqq.), qui erat decimus nonus Nebucadnezaris, 2 Reg. 25, 8. Jer. 52, 12. Nam annus, quo deportabatur Jechonias, erat Babylonii regis octavus, 2 Reg. 24, 12. בְּאֶחָד *Primo* scil. die, conf. 1, 1. 8, 1. 20, 1. 24, 1. 29, 1. לַחֹדֶשׁ *Mensis* scil. primi, רִאשׁוֹן, ut infra 30, 20., anni illius undecimi, quarto igitur adhuc mense ante expugnatam Hierosolymam, vid. Jer. 39, 2. 52, 6. Quae quidem est plerorumque interpretum consensu comprobata sententia. Nec obstat, quod vates jam ipsis calendis anni undecimi Tyrios hic introducit gloriantes, velut peracto Hierosolymorum excidio; tum enim Hierosolyma erat gravissima obsidione pressa, ut Tyrii imminens excidium urbis tanquam praesens mente praecipere possint. Alii cum Kimchio ipsum illum mensem *quartum*, quo expugnata est Hierosolyma, intelligunt, quem non nominet, utpote omnibus notissimum et inauspicatum. Grotius iis, quae sequuntur, mensem eum innui existimat, qui sequutus est captam Hierosolymam, i. e. mensem *quintum* anni undecimi, quo Tyrii, accepto nuncio de expugnata urbe Hierosolymitana, gloriosam istam fiduciam praedicaverint, quae Vs. 2. exponitur. Ceterum *ex ordine temporis* post vaticinia anno *nono* exilii sui a propheta promulgata (Cap. 24, sqq.), nunc sequi debebat *prophetia contra Aegyptum*, anno *decimo* pronunciata, infra 29, 1. Sed quoniam Tyrus prius

fuit destruenda, et illius destructae merces Aegyptus futura erat Nebucadnezari (29, 18. 19.); comminatio Tyri delendae, licet serius pronuntiata, ante comminationem de Aegypto vastanda ponitur.

2. יַעַן אֲשֶׁר־אָמְרָה צֹר עַל־יְרוּשָׁלַם הֶאָח *Propterea quod dixit Tyrus super Hierosolymam euge!* Vid. ad 25, 3. „Consequenter prophetiae ordo contexitur. Loquutus erat contra filios Ammon et Moab, et Seir, qui et ipsi sunt Idumaei, et Philisthiim, qui sunt in litore, et in funiculo maris eundem limitem tenent. Post Palaestinam enim succedit Phoenicis regio, cujus metropolis est civitas *Tyrus*, quae appellatur Hebraeo Syroque sermone *Sor* [צוֹר]." Hieronymus. Ἡ Τύρος Σὸρ τῇ ἐπιχωρίῳ προσαγορεύεται φωνῇ, inquit Theodoretus ad h. l. Hinc est *Sarra*, quo nomine Tyrus nonnunquam apud Veteres appellatur. Vid. Gellii *Noctt. Attic.* 14, 6., qui ejus nominis meminit ut antiquioris, quam Tyri. Hodie ipso nomine hebraico appellatur. Cf. Abulfedae *Syriam* p. 95. ed. Kochler. *Tres* autem *Tyros* distinguunt Geographi, *Palaetyrum*, *Tyrum insulam*, et *Tyrum* adnexam continenti. *Palaetyrus*, quae et *Tyrus vetus* Latinis dicitur, triginta stadia aberat a Tyro insula, austrum versus, teste Strabone *Geogr.* Lib. XVI. p. 521. ed. Casaub. Fluvius eam permeabat, uti scribit Scylax in *Periplo* p. 101. ed. Gronov., et hinc saxa petiisse Alexandrum, quum Tyrum oppugnaret, tradunt Diodorus Siculus *Bibl.* L. XVII. p. 583. ed. Rhodom., Curtius 4. Cap. 2. sqq., Arrianus *de expedit. Alex.* 2, 18., alii. Haec Palaetyrus haud longe ab illo loco sita fuit, qui nunc *Ras el-Ain* dicitur, ubi etiamnum vestigia aquaeductus inde per Isthmum usque ad Tyrum protensi conspiciuntur. Vid. Maundrelli *Itinerar.* in *Sylloge Itinerariorum*, quam edidit H. E. G. Paulus, P. I. p. 64. Et Pocockii *Descript. Orientis* Vol. II. p. 119. sqq. vers. germ. edit. sec. Veteris hujus Tyri, in *rupe* (unde ei nomen צוֹר) a Sidoniis conditae (Jes. 23, 3. 12.), mentionem fieri quidam putant Jos. 19, 29. in descriptione sortis Aseritarum, ubi מִבְצַר צֹר occurrit. Cui opinioni tamen plura opposuit Relandus *Palaest.* p. 1017. Conf. librum nostrum: *Handbuch der bibl. Alterthumskunde* Vol. II. P. I. p. 29. sqq. et p. 62. sqq. *Tyrus insula*, Φοινίσσα νᾶσος dicta Euripidi in Phoenissis, ab Alexandro continenti adjuncta. Pomponius Mela *de situ Orbis* 1, 12. *Tyrus, aliquando insula, nunc annexa terris deficit, qua ab impugnante quondam Alexandro jacta opera.* Plinius *Hist. Nat.* L. V. §. 17. *Tyrus quondam insula, praealto mari septingentis passibus divisa, nunc vero Alexandri oppugnantis operibus continens; olim partu clara, urbibus genitis, Lepti, Utica, et illa Romani imperii aemula, terrarum orbis avida, Carthagine, etiam Gadibus, extra orbem conditis. Nunc omnis ejus nobilitas conchylio atque purpura constat. Circuitus* 19 *M. passuum est, intra Palaetyro inclusa. Oppidum*

ipsum 22 *stadia obtinet.* Quae de Tyro per Nebucadnezarem vastanda ab Ezechiele praenunciantur, sola de *Palaetyro* intelligenda esse, post MARSHAMUM in *Can. Chron. ad Sec.* 18. p. 578., et PERIZONIUM *Origg. Babylonn.* P. II. p. 76., pluribus demonstrare studuit VITRINGA in *Notitia Tyri* praemissa *Commentario ad Jes.* 23. Vol. I. p. 665. sqq. edit. Basil. Sunt sane in nostro vaticinio quaedam, quae magis conveniunt urbi in continente, quam in mari sitae. Veluti quod infra Vs. 10. 11. Nebucadnezar cum equis, curribus, equitibus urbem intraturus describitur; porro quod idem ille adversus eam aggerem congesturus dicitur (Vs. 8.), nec non, quod ei *suburbia* tribuuntur (27, 28.). Contra solam in *Tyrum insularem* cadit, quod infra Vs. 5. urbs destructa comparatur loco siccandis retibus destinato *medio in mari;* tum quod 27, 4. 25. 26. diserte *in corde maris* (בְּלֵב יַמִּים) sita dicitur. Etsi enim satis notum est, לֵב et תָּוֶךְ non praecise *medium* rei alicujus notare; illud tamen negari vix poterit, indicari ista loquendi formula, rem, de qua sermo est, cingi undique illa re, in cujus corde est. Porro infra Vs. 6. *filiae Tyri*, quae sunt *in agro* (בַּשָּׂדֶה), i. e. oppida a metropoli pendentia, quae erant in *continente*, opponuntur Tyro in mari exstructae. Praeterea Tyrum insularem jam olim, diu ante Nebucadnezaris tempora, extitisse, patet ex eo, quod JOSEPHUS narrat *Antiqq.* 9. C. 14., tempore Salmanassaris Sidonem, Acoem, et Palaetyrum defecisse a Tyriis ad Assyrios, unde liquet, Tyrum aliquam a Palaetyro distinctam jam tum fuisse; et Assyrium, graviter offensum, quod Tyrii se ei non submitterent, mox reversum in Phoeniceem, illos ad obsequium coacturum sexaginta navibus aggressum esse, sed irrito conatu. Cf. RELANDI *Palaest.* p. 1051. sqq., qui inter alia plura apposite observat, Veteres, Tyri antiquitatem celebrantes, nunquam adnotare, se de Palaetyro loqui, sed de clara illa ac insulari Tyro, unde Cadmus ipse Tyrius νησιώτης, *insulanus*, dictus. Quae quum ita sint, nos quidem Ezechielis vaticinium non dubitamus Tyrum illum insularem, jam ab antiquissimis inde temporibus cultam et celebrem, potissimum spectare, ita tamen, ut et Palaetyrum, tanquam partem illius, simul respiciat, sicuti et Plinius, loco supra allato, ambitum Tyri inclusa Palaetyro describit. „Angustum," ait Relandus l. c., „erat id fretum, quod insulam a continenti secernebat, quatuor stadiorum, ut Curtius scribit et Diodorus Siculus, ut Plinius 700 passuum. Quis credat, Nebucadnezarem, qui tres annos et dimidium urbem obsedisse dicitur [imo tredecim annos, vid. infra ad Vs. 7. Philostrati e Josepho testimonium], quum ab Alexandro capta sit mense septimo, non eodem astu usum, ut Tyrum expugnaret, quo Alexandrum? — Et ipsum illud tempus obsidionis videtur indicare, de Tyro insula agi. Palaetyrum non credo ei tantum negotii potuisse facessere." Tyrum insularem a vate nostro non respici, qui de sola Palaetyro hoc vaticinium agere existimant,

et inde colligunt, quod infra Vs. 14. Tyrus ita dicitur esse destruenda, ut non amplius sit aedificanda, quod insulae Tyro non conveniat. Ad quod in nota ad eum Versum respondebimus. Ad Palaetyri vastationem per Nebucadnezarem Kimchi et Abendana in Additamentis ad *Michlal-Jophi* referunt Versus quatuordeeim priores Capitis nostri, reliqua ad Tyri insularis s. novae expugnationem, ab Alexandro factam. Ad utriusque, et veteris et novae, Tyri eversionem pertinere tria haec Capita, arbitratur quoque PRIDEAUX in *Connexione V. et N. T. cum Judaici et aliorum populorum historia* P. I. p. 480. coll. p. 93. sqq., cui Dathe adstipulatur. נִשְׁבְּרָה *Fracta est* scil. urbs Hierosolymitana, ut Jesaj. 24, 10. נִשְׁבְּרָה קִרְיַת־תֹּהוּ *Fracta est urbs vanitatis.* Omissum est עִיר, ut Jes. 6, 12. עֲזוּבָה, *deserta* scil. urbs, coll. 17, 2., et infra apud Nostrum 36, 33. coll. 35. דַּלְתוֹת הָעַמִּים Quae (urbs) fuit *portae populorum*, i. e. maxime frequentata civium et exterorum copia et commercio, emporium quasi aut forum commune regionis. Ad eam namque non solum religionis causa Israelitarum, verum et aliarum gentium, mercaturae ergo, frequentissimus eoncursus fiebat. Ad נָסַבָּה אֵלַי *conversa est ad me*, plerique subaudiunt *negotiatio ejus.* GROTIUS: „ad me se vertit forum illud frugum, vini, olei, balsami.“ Aliter, nec male, HIERONYMUS: „Ego portum tutissimum habeo, illaque subversa, ad me omnis multitudo conversa est, quae illius regebatur arbitrio.“ אִמָּלְאָה הֶחֳרְבָה Eo magis nunc *ego replebor* mercibus et opibus (ut infra 27, 25.), quod *vastata est* illa; ex ruinis illius crescam. HIERONYMUS: „Quia illa deserta est, idcirco ego implebor.“

3. הִנְנִי עָלַיִךְ צֹר *Ecce ego ero* s. insurgam *contra te, o Tyre!* ut supra 13, 8. Jer. 50, 31. Chaldaeus: *ecce ego mitto furorem meum contra te, Tyre.* וְהַעֲלֵיתִי עָלַיִךְ גּוֹיִם רַבִּים *Et adducam contra te populos multos*, Chaldaeos intelligit (Vs. 7.), quibus et aliae non paucae gentes militabant. כְּהַעֲלוֹת הַיָּם לְגַלָּיו *Sicut ascendere facit mare fluctus suos* (Vs. 19.), sive: *ac si ascendere facerem mare secundum* s. *quoad fluctus ejus.* Cum fluctibus maris comparat hostiles exercitus, ob tumultum, fragorem, multitudinem et ferocitatem. ut Jes. 17, 12.

4. וְשִׁחֲתוּ חוֹמוֹת צֹר וְהָרְסוּ מִגְדְּלֹתֶיהָ *Et corrumpent*, evertent *muros Tyri et destruent turres ejus*, quibus et palatia, et munimenta comprehenduntur. וְסִחֵיתִי עֲפָרָהּ מִמֶּנָּה *Imo abradam* etiam *pulverem* s. humum *ejus*, abradam omnia cum pulvisculo. Similis loquutio 1 Reg. 20, 10. Adeo evertetur, ut rupes tantum supersit, s. area, cui urbs imposita est. וְנָתַתִּי אוֹתָהּ לְצִחִיחַ סָלַע *Et ponam*, reddam *eam in ariditatem petrae.* „Sic humiliabitur, ut petrae nitidissimae comparetur.“ HIERONYMUS. Cf. supra 24, 7. et ibi not.

5. מִשְׁטַח חֲרָמִים תִּהְיֶה בְּתוֹךְ הַיָּם *Locus expansionis sagenarum erit in medio maris*, in mari, sieut littora descrta,

nullum alium praebentia usum, quam retibus siccandis. „Tantaque erit in urbe, quondam frequentissima, solitudo, ut sagenae piscatorum expandantur, et siccentur in medio ejus.“ Hieronymus. וְהָיְתָה לְבַז לַגּוֹיִם *Eritque praedae gentibus;* cf. 7, 21. 25, 7.

6. וּבְנוֹתֶיהָ אֲשֶׁר בַּשָּׂדֶה בַּחֶרֶב תֶּהָרַגְנָה „*Filiae quoque ejus, quae* sunt *in agro*, sive in campo, hoc est, in Phoenicis littore, urbes et oppida, vici atque castella, *interficientur gladio*: metaphorice, quia *filias* appellavit, interfectionem ponit gladii“ Hieronymus. וּבְנוֹתֶיהָ Chaldaeus vertit: *et habitatores villarum ejus.* Ita quoque Vs. 8.

7. הִנְנִי מֵבִיא אֶל־צֹר נְבוּכַדְרֶאצַּר מֶלֶךְ בָּבֶל *Ecce ego adducens*, adducam *ad*, contra *Tyrum Nebucadrezarem, regem Babelis.* „Quod dixerat: *Ascendere faciam ad te gentes multas* (Vs. 3.) etc., nunc ponit manifestius, quod Nabuchodonosor, regem Babyloniae, adducat Dominus.“ Hieronymus. Quod מִצָּפוֹן, *ex aquilone*, regem Babyloniae se adducturum minatur Deus, non tam respicit situm Babyloniae, quae Judaeae aquilonem inter et orientem erat, quam iter, quo Babylonii in Judaeam erupturi erant. Quippe ut vitarctur eremi vastitas, iter illis fuit per Riblam et Hamatham, id est Antiochiam et Epiphaniam, quae sunt ad aquilonem Judaeae. Jerem. 1, 13. 14. 4, 6. 6, 1. 22. 10, 22. מֶלֶךְ מְלָכִים *Regem regum*, sic appellarunt se reges Babyloniae, quod et regibus quibusdam imperarent, vid. Jes. 10, 8. Ita veterum Persarum regibus ex stirpe Arsacidarum et Sassanidarum in monumentis et numis tribuitur nomen מלכאן מלכא *regum rex.* Vid. Silv. de Sacy *Mémoires sur diverses antiquités de la Perse*, p. 87. 88. 101. 171. 178. Et Persici atque Ottomanici imperatores hodienum se vocant *Schahinschah*, et *Sultan es-salatin*, quod utrumque nomen ejusdem plane cum titulo illo hebraico est significationis. בְּסוּס וּבְרֶכֶב וּבְפָרָשִׁים וְקָהָל רַב־עָם *Cum equis et curribus, et equitibus, et congregatione* copiarum, *et populo magno*, i. e. cum ingenti bellico apparatu. „Graecas et Phoenicum, maximeque Nicolai Damasceni, et alias Barbarorum ajunt se, qui huic historiae contradicunt, legisse historias, et nihil super oppugnatione a Chaldaeis invenisse Tyriae civitatis; quum probare possumus, multa dici in Scripturis facta, quae in Graecis voluminibus non inveniuntur, nec debere nos eorum auctoritati acquiescere, quorum perfidiam et mendacia detestamur.“ Hieronymus. Scaliger quoque, quod apud nullum Graecum Romanumve scriptorem Tyri a Nebucadnezare destructae mentionem factam reperiret, quae apud Ezechielem praedicuntur tam de Tyro quam de Aegypto per Chaldaeos evertendis, *Dei misericordiae remissa esse*, *neque contigisse*, *certissimum se habere* profitetur in *Canonibus Isagogicis* L. III. p. 319. Cf. Gesenii *Commentar. ad Jes.* 23. p. 711. Obsedisse tamen Nebucadnezarem Tyrum, et quidem per plures annos, manifestum est ex vaticinio Ezechielis

contra Aegyptum edito, infra 28, 19. Sub Ithobale rege oppugnatam esse a Nebucadnezare Tyrum, narrat Menander Ephesius, qui ex ipsis Tyriorum tabulariis illius reipublicae Annales produxit in Graecum sermonem conversos, quorum fragmena servavit Josephus *contra Apionem*, L. I. §. 21. Verba graeca sunt: Ἐπὶ Ἐιθωβάλου τοῦ βασιλέως ἐπολιόρκησε Ναβουχοδονοσόρος τὴν Τύρον ἐπ᾽ ἔτη δεκατρία. Obsidionis Tyri mentionem quoque facit Philostratus quidam, ut Josephus prodit *contra Apion.* L. I. §. 20. Περὶ τούτων γοῦν συμφωνεῖ Φιλόστρατος ἐν ταῖς ἱστορίαις, μεμνημένος τῆς Τύρου πολιορκίας. Et in *Antiq.* L. X. C. 11. §. 1. sub fin. Καὶ Φιλόστρατος ἐν ταῖς Ἰνδικαῖς αὐτοῦ καὶ Φοινικαῖς ἱστορίαις, ὅτι οὗτος ὁ βασιλεὺς (Ναβουχοδονόσορ) ἐπολιόρκησε Τύρον ἔτη ιγ', βασιλεύοντος κατ᾽ ἐκεῖνον τὸν καιρὸν Ἰθωβάλου τῆς Τύρου. Quamvis vero et Menander et Philostratus *obsidionis* tantum non item *expugnationis* Tyri mentionem faciant, ut merito dubitari possit, an urbs illa vi capta sit et direpta a Chaldaeis; tamen sub Babyloniorum imperium venisse Tyrum, inde apparet, quod inter reges sive principes Tyri Merbal quidem Babylonius commemoratur; vid. Joseph. l. c. §. 21. Videntur igitur Tyrii longa obsidione ad extrema redacti Chaldaeis sese sponte acquis conditionibus dedisse. Cf. *Handbuch der bibl. Alterthumskunde* Vol. II. P. I. p. 34. et p. 65. not. 85. 86.

8. בְּנוֹתַיִךְ וגו׳ Vid. Vs. 6. et ibi not. De דָּיֵק et סֹלְלָה vid. not. ad 4, 2. וְתָקִים עָלַיִךְ צִנָּה *Constituet adversus te clypeum*, i. c. milites clypeatos, ut supra 23, 24. Alii significari opinantur continuatam scutorum seriem, qua tecti milites oppugnationem urgerent. Ita Grotius: „Testudine e scutis facta te oppugnabit.“ Chaldaeus: *et statuet contra te armatos clypeis.*

9. מְחִי קָבְלוֹ plerisque est nomen generale machinae bellicae ad evertendos muros, dictae quasi *percussio* s. ictus *adversi sui*, i. e. quod *ex adverso* s. *e regione muri* poneretur. Aliis קָבוֹל est *balista*, tormenti bellici genus, quo projiciuntur in murum lapides. Tum dictio hebraica sonaret *balistarum ejus.* Kimchi in Lexico machinam, qua sagittae in muros mittebantur, ne in iis quispiam proeliari posset, significari putat. קָבְלוֹ Kimchi observat esse nomen formae קָטוֹן, quod adjecto suffixo secundum analogiam קְבוֹלוֹ enunciari deberet. Sed ex usu linguae in illo nomine servatur Kamez sub Koph in regimine atque accedentibus affixis, et excidente Vau mutatur Cholem in Kamez-chatuph, sequente Dagesch, ut קָטֻנִּי *minimus meus*, I Reg. 12, 10. Chaldaeus: *et percussionem tormentorum suorum dabit in muros tuos.* וּמְגַדְּלוֹתַיִךְ יִתֹּץ בְּחַרְבוֹתָיו *Et turres tuas diruet securibus suis.* חַרְבוֹת h. l. non *gladios* esse, sed machinas dirutorias, res ipsa docet. Kimchi intelligit secures, vel malleos acuminatos, quibus lapides diffringuntur, et aedificia destruuntur. Chaldaeus: *et turres tuas destruet lapidibus suis ferreis.*

10. שִׁפְעַת סוּסָיו *Abundantia equorum suorum*, ut שִׁפְעָה וּמַמְלִים *abundantia camelorum.* Jes. 60, 6. יְכַסֶּךָּ אֲבָקָם *Teget te pulvis eorum*, tantus erit pulvis ab equorum multitudine, ut nubis instar urbem operiat. Cf. Nah. 1, 3. מִקּוֹל פָּרָשׁ — וְהוֹמוֹתַיִךְ *A sonitu equitum, et rotarum, et curuum contremiscent muri tui.* Solent enim aedes tremere, ubi in propinquo multi cursitant currus et equi, propter soli cohaerentiam. בְּבוֹאוֹ בְשְׁעָרַיִךְ *Quando venerit ille*, Chaldaeus hostis, *per portas tuas.* כִּמְבוֹאֵי עִיר מְבֻקָּעָה *Sicut* s. *secundum introitus urbis perruptae*, sicut intrare solent in urbem expugnatam. Chaldaeus: *sicut qui ingrediuntur urbem, cujus dirutus est murus.* „Tanta erit multitudo equitum ejus, ut pulvere equitatus, et sonitu ululantis exercitus, rotarumque strepitu et equorum hinnitu urbis fundamenta moveantur, et sic ingrediatur civitatem dissipatis muris, quasi de campo securus ingrediens.“ Hieronymus.

11. בְּפַרְסוֹת סוּסָיו — יָדוֹשׂ *Ungulis equorum suorum conculcabit omnes vicos tuos*, equites per vicos grassabuntur, *populum tum gladio occidet.* וּמַצְּבוֹת עֻזֵּךְ לָאָרֶץ תֵּרֵדְנָה *Et statuae fortitudinis tuae ad terram descendent. Statuis roboris Tyri*, i. e. statuis ejus fortibus, deorum simulacra, quorum adjutorio tutelam et securitatem urbis adscriberent, intelligenda videntur; certe de eis nomen מַצֵּבוֹת 2 Reg. 23, 14. Jer. 43, 13. Hos. 10, 1. 2. Mich. 5, 2. usurpatur. Alii indicari volunt statuas in fortium civium honorem erectas, vel trophaea. Grotius: „Statuas erectas Aegypti regibus aliisque foederatis Tyri et Chaldaeorum hostibus. Solent enim imagines dejici eorum, quibus res infeliciter cedunt.“ Hebraei altissimas murorum turres *statuas fortitudinis* vocatas arbitrantur, quoniam quasi hominum fortitudo ac refugium reputarentur. Ceterum nomini plurali מַצֵּבוֹת junctum verbum singulare תֵּרֵד, quod Kimchi sic explicat: כָּל־אַחַת מִן הַמַּצֵּבוֹת *unaquaeque statuarum* ad humum dejicictur. Ejusmodi numeri discrepantiam *distributionem* indicare saepius monuimus.

12. וְשָׁלְלוּ חֵילֵךְ *Et spoliabunt robur tuum*, i. e. opes, divitias tuas, de quibus nomen חַיִל, ut Latinorum *vires*, et Ps. 49, 11. Job. 31, 25. Deut. 8, 17. et saepius usurpatur. וּבָזְזוּ רְכֻלָּתֵךְ *Et diripient merces tuas*, quod nomen praeter hunc locum nonnisi ter infra 28, 5. 16. 18. legitur. וְהָרְסוּ חוֹמוֹתַיִךְ *Et diruent muros tuos.* וּבָתֵּי חֶמְדָּתֵךְ יִתֹּצוּ *Et domus desiderii tui*, i. e. praestantissima tua et magnifica palatia, *destruent.* Ita כְּלֵי חֶמְדָּה *vasa desiderii* Jer. 25, 34. 2 Chron. 32, 27., sunt vasa praestantissima, quae desideramus. Cf. Jes. 2, 6. Jer. 12, 10. וְאַבְנֵיךְ וְעֵצַיִךְ וַעֲפָרֵךְ בְּתוֹךְ מַיִם יָשִׂימוּ *Et lapides tuos et ligna tua et pulverem tuum*, i. e. rudera tua, *in medio maris ponent.* „Nihil pristinarum divitiarum in expugnata urbe servabitur, sed cum muris domus quoque nobiles destruentur, et tanta erit victorum saevitia, ut ligna et lapides, qui residui incendio fuerint, in medium mare projiciantur.“ Hieronymus.

13. הַשְׁבַּתִּי הָמוֹן שִׁירָיִךְ *Quiescere faciam strepitum canticorum tuorum*, auferam universam urbis laetitiam, quae prius cantieis et psalteriis personabat, quasi dicat omnia luctu et moerore complenda, nullumque solitis laetitiae signis loeum amplius relinquendum. Vid. Amos. 5, 23. Jer. 7, 34. 25, 10. Idem dicit posterius hemistichium: וְקוֹל כִּנּוֹרַיִךְ לֹא יִשָּׁמַע עוֹד *et sonus citharum tuarum non audietur amplius.*

14. De Verbis תִּהְיֶה — וְנִתַּתִּיךְ cf. not. supra ad Vs. 4. 5. Pro masculino תִּהְיֶה ponendum erat femininum תִּהְיִי s. תִּהְי, sed respicit *terminationem* nominis צֹר *Tyri*, ut 2 Reg. 15, 16. Jes. 23, 1. Hos. 10, 7. itidem urbium nomina cum verbis masculinis construuntur. „Quodque sequitur: *nec aedificaberis ultra* [לֹא תִבָּנֶה עוֹד], videtur facere quaestionem, quomodo non sit aedificata, quam hodie cernimus Phoenicis nobilissimam et pulcherrimam civitatem. Ex quo quidam volunt, ultimo tempore hace Tyrum esse passuram, quae postea non sit aedificanda. Sed quomodo Nabuchodnosor personam servare poterunt, praesertim quum legamus in consequentibus, Nabuchodonosor oppugnasse Tyrum et laboris sui non accepisse mercedem, et propterea tradi ei Aegyptum, quia Dei sententiae in Tyri oppugnatione servierit? [29, 18.] Potest ergo quod dicitur, *nec aedificaberis ultra*, sic accipi, quod nequaquam ultra sit regina populorum, nec proprium habeat imperium, quomodo habuit sub Hiram et ceteris regibus, sed vel Chaldaeis, vel Macedonibus, vel Ptolemaeis, et ad postremum Romanis regibus servitura sit.“ Hieronymus. Similiter Grotius: „Non redibis ad veterem fortunam.“ Pertinet huc Glassii observatio in *Phil. S.* p. 213. ed. Dath., verba quaedam non tantum usitatam significationem, sed etiam quandam ejus quasi qualitatem, adjunctum, aut conditionem simul indicare. Sic *dicere* pro *vere, sincere dicere posse,* Prov. 20, 9. 1 Cor. 12, 3. *Videre* pro *videre cum oblectatione* Ps. 35, 21. *Vivere* pro *bene et feliciter vivere.* Ita et nostrum loeum explicat: *Non aedificaberis amplius*, videlicet ea dignitate, elegantia ac celebritate, qua fuisti.“ Ceterum cum Ezechiele, Tyro desolationem aeternam minanti, pugnare videtur Jesajas, qui 23, 17. Tyrum per septuaginta tantummodo annos oblivioni tradendam, iisque absolutis ad quaestum suum redituram esse dicit. Et vere Tyrum tam a Nebucadnezare, quam ab Alexandro M. destructam iterum renatam esse constat. Neque vero noster loeus *Nebucadnezarem* ait fore eum, qui Tyrum ita sit vastaturus, ut non amplius sit habitanda, sed hoc dicit Deus, fore aliquando tempus, quo urbs desolata prorsus jaceret. Morem hunc esse prophetarum, ut in vaticiniis suis ad propinquum simul et remotum tempus respiciant, adcoque prophetias, ad secula longe remota speetantes, aliis, quae tempora proxima tangunt, immisceri, jam observatum a pluribus.

15. הֲלֹא מִקּוֹל מַפָּלָתֵךְ *Nonne a sonitu* s. *ob sonum ruinae tuae?* בְּאָנֹק חָלָל *In gemere confossum*, dum gemet confossus. בְּהָרֵג הֶרֶג *In occidere* s. *occidi caedem*, i. e. cum peragetur caedes. בְּהָרֵג Infinitivus *Piel*, vel, uti vult Kimchi, *Niphal*, eliso ה characteristico, quod post praefixa כלב poni solet, ut לְהֵרָאוֹת *ad comparendum*, Jes. 1, 12. pro לְהֵרָאוֹת. Vel בְּעָטֵף *in obruendo*, pro בְּהֶעָטֵף Thren. 2, 11. יִרְעֲשׁוּ הָאִיִּים *Commovebuntur insulae* s. orae maritimae. De nomine אִיִּים, propric in universum *regiones habitatas* (coll. arab. אוי *hospitari*, *habitare*, unde מאוי *sedes locusque habitationis*), tum in specie de *regionibus earum gentium*, *quae Hebraeis Phoenicibusque barbarae erant* (ut Genes. 10, 5., infra 39, 6.), nec non de *regionibus transmarinis*, denique de *insulis* quoque usurpato, multis disputavit J. D. Michaelis in *Spicileg. Geograph. Hebraeor. exter.* P. I. p. 132—142. הָאִיִּים Chaldaeus reddidit פַּרְוַרַיָּא *suburbia*, quibus non tam aedificia extra murum sita, quam omnem potius regionem circumjectam intellexisse videtur.

16. וְיָרְדוּ מֵעַל כִּסְאוֹתָם כֹּל נְשִׂיאֵי הַיָּם *Descendentque de thronis suis omnes principes maris*, quales Carthaginenses, Gaditani, aliique Tyro orti, et potentes mari. וְהֵסִירוּ מְעִילֵיהֶם *Amovebuntque pallia sua*, extimas vestes, vid. not. ad Exod. 28, 21. וְאֶת־בִּגְדֵי רִקְמָתָם יִפְשָׁטוּ *Et vestes suas acu pictas*, splendidas, *exuent*. *Descensu a throno* et *vestium splendidarum mutatione* et Jon. 3, 6. rex Assyriae luctum significare dicitur. Ita Cicerone in exsilium ejecto L. Mummius populo auctor fuit, ut tanquam in aliqua publica calamitate vestem pro illius salute mutaret. *Pro me* (inquit Cicero in Orat. *post reditum ad Quirites*, Cap. III.) *senatus*, *hominumque praeterea viginti millia vestem mutaverunt*. Isti igitur principes mari potentes, qui Tyri casum lugent, depositis togis purpureis, חֲרָדוֹת יִלְבָּשׁוּ, *terroribus induentur*, eadem metaphora supra 7, 27., ad quem locum vid. not. Cf. Ps. 35, 26. 132, 18., et oppositum Jes. 51, 9. עַל־הָאָרֶץ יֵשֵׁבוּ *Terrae insidebunt*, lugentium more, vid. Job. 2, 13. et ibi not. Pro עַל posuit אֶל Masora finalis, sed sine suffragio codicum h. l. וְחָרְדוּ לְרִגְעִים *Et trepidabunt ad* singula *momenta*, ut Jes. 27, 3. Sed Jarchi exponit לְשִׁבָּרִים *propter confractiones*, a *commovendi*, *disrumpendi* significatu, quo verbum רָגַע Jes. 51, 15. Jer. 31, 35. sumendum. Vid. not. ad Job. 26, 12. Sensum hunc esse dicit: „trepidabunt illi, ne super ipsos veniat etiam ipse (Nebucadnezar), eo modo, quo facta est confractio tua.“ Similiter Hieronymus: „Quum te viderint corruisse, sibi similia formidabunt, nihilque putabunt in terrae bonis esse perpetuum.“

17. וְנָשְׂאוּ — אֲבֵדָה *Tollentque*, proferent *super te lamentationem*, *dicentque: quomodo interiisti!* נוֹשֶׁבֶת מִיַּמִּים *Habitata a maribus*, i. e. a maritimis populis, ad quem ab omni

mari advenae confluebant. *Mare* per metonymiam pro *marinis*, ut Jes. 60, 5. הֲמוֹן יָם *multitudo maris*, i. e. gentium, maris accolarum, ut ibidem explicatio subjungitur. Sic et Hagg. 2, 6. Pro מִיַּמִּים Doederlein מִיָּמִים legendum conjecit, i. e. habitata *a multis retro seculis*, quem sensum et Hubigantius sua in versione expressit; *quae jamdudum habitabatur*. Ignorasse videntur, jam a Jarchio observatum esse, exstare interpretes, qui מִיָּמִים legerent, i. e. *habitata a diebus* antiquis. Cf. Jes. 23, 7., ubi Tyrus *originis antiquae* (מִימֵי קֶדֶם) urbs vocatur. הַתְּהִלָּה *Quae laudata*, celeberrima, *fuit*, Praeteritum *Pyal* (cf. הוֹפִלּוֹ Ps. 78, 63.), cum praefixo *He relativo* loco אֲשֶׁר, ut Jos. 10, 24. הֲהֹלְכוּא *qui iverant*; 1 Paral. 26, 28. הַהִקְדִּישׁ *quae consecraverat*; Esr. 8, 25. הַהֲרִימוּ, *quam obtulerant*. אֲשֶׁר הָיְתָה חֲזָקָה בַּיָּם *Quae valida erat in mari*, praevalens omnibus in re navali et classibus, late per mare regnans. Alii eo referunt, quod Tyrus urbs esset munitissima, nec vim maris vel hostis metuens. Cf. infra ad 27, 3. locum ex Cotovici Itinerario et e Curtio ad Cap. ejusd. Vs. 4. הִיא וְיוֹשְׁבֶיהָ אֲשֶׁר־נָתְנוּ חִתִּיתָם לְכָל־יוֹשְׁבֶיהָ *Ipsa et incolae ejus, qui incusserant terrorem sui omnibus habitatoribus ejus*, scil. *maris*, ex Kimchii sententia, ut suffixum nomini postremo additum ad יָם sit referendum, quod nomen, quum alias sit masculinum, h. l. ut femineum tractetur, ut 2 Reg. 16, 17. JARCHI: „qui circa eam habitant." Minus placet Cocceji sententia, suffixum illud ad *Tyrum* referentis, ut distinguantur *habitatores*, *qui cum imperio essent*, a *reliquis* incolis, qui vel in civitate habitarent, vel jus illius civitatis haberent in coloniis; unde nostrorum verborum sensum hunc esse putat: qui imperio gravi et severo totam civitatem continuerint et frenaverint: „tam igitur magnificam civitatem, cujus senatores regibus aequales erant, interire miserabile erat." Vulgatus: *quos formidabant universi*. Syrus: *qui terrorem suum incusserant omnibus habitatoribus terrae*. Non legit יַבָּשָׁה, ut conjecit Dathe, quem sequutus est JAHN ad *Biblia Hebr.* a se edita ad h. l., sed retulit suffixum vocis יוֹשְׁבֶיהָ ad nomen הָאָרֶץ, quod ex orationis serie interpres ille subaudiendum censebat.

18. עַתָּה יֶחֶרְדוּ הָאִיִּן *Nunc trepidabunt insulae*, insulani, cf. Vs. 15. Nomen cum terminatione pluralis Aramaea. In paucis aliquot codicibus legitur הָאִיִּים, hebraica pluralis numeri terminatione. LXX: *αἱ νῆσοι*. Sed Hieronymus melius ait in Hebraico haberi *naves*, et consequentius esse, addit, primo *naves* legere, ne bis ponantur *insulae*. Jahn l. c. Hieronymum הָאֳנִיּוֹת in suo codice reperisse putat, quod tamen nimis discrepat ab הָאִיִּן. Rectius MICHAELIS in *Spicil. Geogr. Hebr. ext.* P. I. p. 134. Hieronymum צִיִּין legisse censet, a צִי, *navis*, Num. 24, 24. Jes. 23, 21. et infra 30, 9. יוֹם מַפַּלְתֵּךְ pro בְּיוֹם מ׳, *die ruinae tuae*, ut infra 27, 27. וְנִבְהֲלוּ הָאִיִּים אֲשֶׁר־בַּיָּם מִמֹּצָאתֵךְ

Et perturbabuntur insulae quae in mari sitae sunt, *ob exitum tuum*, i. e. excidium. Hebraei intelligunt de exportatione in terras exteras, de qua verbum יָצָא Jer. 29, 16. usurpatum reperimus; q. d. quod cives tui captivi abducantur. Ita Chaldaeus: בְּמִפַּק גָּלוּתִיךְ *cum egressa fuerit transmigratio tua*, i. e. deportata multitudo. GROTIUS: „Ubi obsides ex te auferentur Babylonem.“ Ex Actis Phoenicum, quae producit JOSEPHUS *contra Apion.* L. I. §. 21., apparet, Tyrum, expugnatam a Babylonibus, fuisse sub regibus, sed qui majestatem Babylonicam observarent, adeo ut et a Babylone ex iis, qui ibi obsides habebantur, reges interdum peteret. MARSHAMUS in *Can. Chron.* p. 578. *exitum*, cujus h. l. mentio fit, eo refert, quod Tyrii, antiqua sede sua diruta, in Insulam, in qua postea nova Tyrus exstructa, transmigrarent, qua de re plura infra ad 29, 18. הָאִיִּן in priori hemistichio ab הָאִיִּים אֲשֶׁר־בַּיָּם ita videtur differre, ut hoc *insulas*, illud vero *terras transmarinas* et *longe dissitas* (vid. not. ad Vs. 15.) denotet.

19. בְּתִתִּי אוֹתָךְ עִיר נֶחֱרֶבֶת *Cum dedero*, reddidero *te urbem desolatam*, cf. Vs. 2. Ἀπόδοσις sequitur Vs. 20. כֶּעָרִים אֲשֶׁר לֹא נוֹשָׁבוּ *Sicut urbes, quae non habitantur*, tam destitutam a commerciis te reddam, quam sunt urbes hominum vacuae. Cf. Jer. 22, 6. Oppositum illi quod dixerat Vs. 17. נוֹשֶׁבֶת מִיַּמִּים. בְּהַעֲלוֹת הָרַהַב — *Cum adscendere fecero super te oceanum, et obtexerint te aquae multae.* Significantur ingentes et copiosissimi exercitus, qui eam perdent, ut supra Vs. 3. Chaldaeus: *cum ascendere fecero contra te exercitus populorum multorum sicut aquas abyssi, et operient te populi multi.*

20. וְהוֹרַדְתִּיךְ אֶת־יוֹרְדֵי בוֹר *Tunc descendere te faciam ad descendentes in foveam*, i. e. in sepulchrum aut orcum detrusio (de quibus eadem phrasis infra 31, 14. 32, 18. 24. 29. 30. cf. Jes. 14, 15.). Significat Tyrum prorsus de medio tollendam, ut homines morte sublatos. אֶל־עַם עוֹלָם *Ad populum aeternitatis*, i. e. ad dudum mortuos, qui dudum ante nos fuerunt, et ante multa secula mortui sunt, ut Jes. 44, 7. Ps. 143, 3. Thren. 3, 6. Solent Hebraei ab *aeternitate* denominare, quae vetusta admodum sunt, et dudum ante nos fuerunt, vid. not. nostr. ad Ps. 139, 24. Alii *mortuos* nomine illo nuncupari censent, quod *perpetuo*, i. e. longo tempore, usque ad novissimum diem dormituri sint, „quibus *nox una perpetua dormitur*,“ uti Grotius ad h. l. ait. Similiter Aegyptii, referente DIODORO SICULO, *Biblioth.* L. I. Cap. 51. init.: *τοὺς τῶν τελευτηκότων τάφους, ἀϊδίους οἴκους defunctorum sepulchra domos sempiternas* appellabant, *ὡς ἐν ᾅδου διατελούντων τὸν ἄπειρον αἰῶνα, quod* defuncti *apud inferos aevum illud, quod infinitum est, peragant.* Vid. J. H. PAREAU *Commentat. de Immortalitatis ac vitae futurae notitiis a Jobi scriptore in suos usus adhibitis* (Daventr.

1807.) p. 38. וְהוֹשַׁבְתִּיךְ בְּאֶרֶץ תַּחְתִּיּוֹת *Et habitare te faciam in terra inferiorum* locorum, hypallage pro בְּתַחְתִּיּוֹת הָאָרֶץ, ut Ps. 63, 10. exstat, in *inferioribus terrae*, quo nomine sedes mortuorum et Ps. 88, 7. et infra 32, 18. 24. appellantur. בֶּחֳרָבוֹת מֵעוֹלָם *In desolationibus ab aeterno*, i. e. par eris locis ab omni aevo desertis. Verba לְמַעַן לֹא תֵשֵׁבִי quidam sic vertunt: *ut non habites* scil. locum tuum. Sed verbum יָשַׁב in *Cal* haud raro etiam ipsis locis habitatis tribuitur, significatque quod nos dicimus *stare urbem*, i. e. habitari, nec esse desolatam. Sic Jes. 13, 20. de Babylone: לֹא־תֵשֵׁב לָנֶצַח וְלֹא תִשְׁכּוֹן *non habitabitur in perpetuum, neque habitaculum habebit.* Jerem. 17, 6. אֶרֶץ מְלֵחָה וְלֹא תֵשֵׁב *Terra salsuginosa, et quae non habitatur*, q. d. nec habebit habitantes. Ita et Jer. 50, 13. 39. Zachar. 9, 5. et infra 35, 9. LXX: ὅπως μὴ κατοικηθῇς. Vulgatus: *ut non habiteris.* Ita et Syrus et Chaldaeus. וְנָתַתִּי צְבִי בְּאֶרֶץ חַיִּים *Cum dedero gloriam in terra viventium*, i. e. cum restituero Judaeam in pristinum statum, splendorem et honorem: „ne tum quidem, cum Judaea iterum florebit," ut recte Grotius. אֶרֶץ חַיִּים alias notat hunc orbem, quem incolunt vivi homines, ut infra 32, 32. Jes. 38, 11. 53, 8. Ps. 27, 13. 142, 6., cui opponitur אֶרֶץ רְפָאִים *terra manium*, Jes. 26, 19. Hoc loco autem, quum Tyrus quasi in orcum, sedem mortuorum, demittenda dicatur, vi oppositionis *terra viventium* sensu strictiori de *terra Judaica* est capiendum, cujus malis Tyrus laetabatur, quamque ut mortuam despiciebat. Chaldaeus: *et dabo gaudium in terra Israel.* Grotius: „Judaea dicitur *terra viventium*, i. e. hominum felicium; nam *vivere* saepe Hebraeis est beate vivere." Fore ut reddatur terrae illi antiquus splendor decusque, צְבִי, promittitur, unde ea Dan. 11, 16. 41. אֶרֶץ הַצְּבִי *terra decoris*, et Dan. 8, 9. צְבִי simpliciter. Cf. supra 20, 6. 15.

21. בַּלָּהוֹת אֶתֵּנֵךְ *Terrores reddam te*, exemplum omnibus terribile, ut infra 27, 36. 28, 19. Eandem cum verbo נָתַן constructionem vid. infra 35, 9., et similem supra 5, 14. וְאֵינֵךְ וְתִבָּקְשִׁי וְלֹא־תִמָּצְאִי *Ut non sis et quaereris, sed non reperieris.* Eaedem formulae de iis quae penitus exscinduntur, nullo relicto vestigio Ps. 37, 10. 36. et Jes. 41, 12. Pro וְתִבָּקְשִׁי in quatuor codd. Erfurtenss. nec non in edit. Bomberg. (Venet. 1521. 4.) et Bragadini (Venet. 1614. 4.) legitur וּתְבֻקְשִׁי, simplici *Schva* sub ת. Sed observat Salomo Melechides in *Michlal Jophi*, sub ת poni *Schva* et *Pathach* euphoniae gratia. In uno codice Erfurtensi atque in tribus Bombergi editionibus exstat וּתְבֻקְשִׁי, male, nam ex literis Schvatis Dageseh forte saepe exsulat.

CAP. 27.

Argumentum.

Nacniae in Tyrum exscindendam, cujus urbis primo splendorem, rem nauticam, opulentiam et vires vates describit, (V. 2—11.), tum mercaturam ejus et commercia cum omnibus ferme gentibus recenset (Vs. 12—25.), denique maximam ejus ruinam et devastationem deplorat (Vs. 26—36.). Docte illustravit hunc threnum G. Guil. Meyer, Theologus Altorfinus, in *Bibliothecae Theologicae Gottingensis*, a C. F. Staeudlin editae, Vol. IV. p. 19. sqq., p. 296. sqq., et p. 572. sqq.

2. שָׂא עַל־צֹר קִינָה *Tolle super Tyrum naeniam;* conf. infra Vs. 32.

3. הַיּוֹשֶׁבֶת עַל־מְבוֹאֹת יָם *Quae habitat ad introitus* s. aditus *maris.* „*Habitat Tyrus in introitu maris*, vel quod prius insula fuit, vel quod portu tutissimo de alto venientes recipit naves.“ Hieronymus. De *portu* verba nostra intellexerunt Jarchi quoque et Grotius. Corovicus *Itiner.* p. 261. *Capacissimo et tutissimo quondam ditata fuit* [Tyrus] *portu, cujus extrema latera mare versus ambibat magnae molis agger, ex ingentibus saxis in mari praealto fundatis, atque in crassissimum exsurgentibus murum, qui contra undarum impetus procellasque tutam navibus stationem redderet. Hodie majori ex parte fluctibus obrutus et continua maris agitatione corrosus, vix ullius usus esse potest. Ejus tamen ampla vestigia, quae tranquillo interdum mari conspicienda se praebent, ipsi, dum in portu haeremus, conspeximus.* Neque tamen verba hebraea de *portu* nos cogitare jubent. Significat vates in universum hoc, Tyrum commodissime sitam esse, ut, quocunque velit, naviget, et undecunque mercatores velint, adnavigetur. Quae in textu scriptae sunt literae, היושבתי, his animandae sunt vocalibus, הַיּוֹשֶׁבְתִּי, Participium cum Jod paragogico, pro quo ad marginem usitatior forma, הַיּוֹשֶׁבֶת, notatur. Eadem in eadem voce voce lectionis diversitas Thren. 4, 21., cf. Jer. 22, 23. רֹכֶלֶת הָעַמִּים *Negotiatrici populorum*, quae negotiatur cum populis plurimis (cf. 26, 2.), et iis merces suppeditat. „Quod quidem usque hodie perseverat, ut omnium propemodum gentium in illa exerceantur commercia.“ Hieronymus. אֶל־אִיִּים רַבִּים *Ad insulas multas*, ad quas tuae

deferuntur merces, non tantum ad populos in continenti habitantes. אֲנִי כְלִילַת יֹפִי *Ego perfectio pulchritudinis*, ego sum perfectissimae pulchritudinis. LXX: ἐγὼ περιέθηκα ἐμαυτῇ κάλλος μου. Capellus pro כְּלִילַת literis transpositis כַּלַּתִּי illos legisse putat; nam Vs. sqq. כְּלָלוּ יָפְיֵךְ reddunt περιέθηκάν σοι κάλλος. „Hactenus Hierosolyma *perfecta decore* dici solebat (vid. Thren. 2, 15.); jam tu, o Tyre, ita de te gloriaris.“ Jarchi.

4. בְּלֵב יַמִּים *In corde maris*, i. e. in mari, ut Ps. 46, 3. בִּלְבַב יַמִּים Jon. 2, 4., aut בְּלֵב יָם Exod. 15, 8. Proverb. 23, 24. i. q. תּוֹךְ הַיָּם supra 26, 5. גְּבוּלַיִךְ Sunt *termini* tui, undique pelago circumdata. *Vos quidem*, ait Alexander M. apud Curtium 4, 2. ad legatos Tyriorum, *fiducia loci*, *quod insulam incolitis*, *pedestrem hunc exercitum spernitis*, *sed brevi ostendam*, *in continenti vos esse*. Et paucis interjectis: *Urbem a continenti quatuor stadiorum fretum dividit*, *Africo maxime objectum*, *crebros ex alto fluctus in litus evolvens*. Cf. Plinii locum ad 26, 3. allatum. Qui ad Palaetyrum solam nostrum vaticinium spectare volunt, hac phrasi *imperium marinum* notari existimant. Ita Grotius: „Imperium tuum non terra continctur, sed late per mare se spargit, ita ut *Tyria maria* in proverbium abierint.“ Sed simplicius est, verba hebraea de situ urbis intelligere. Pro בָּנַיִךְ *qui te aedificarunt* exhibent בָּנָיִךְ *filii tui* codices aliquot Rossiani, ut LXX: υἱοί σου. Sed receptam scripturam suo in codice jam reperit Hieronymus, qui ad h. l. haec notat: „In eo quoque, quod dixerunt LXX *filii tui*, verbi ambiguitate decepti sunt, et scripturae similitudine, dum pronunciatione diversa eaedem literae, *caementariorum* et *filiorum*, *Bonaich* et *Benaich* leguntur.“ Chaldaeus: אַרְדִּיכָלַיִךְ *architecti tui*. כְּלָלוּ יָפְיֵךְ *Perfecerunt*, absolutam fecerunt, *pulchritudinem tuam*, perfecte te ornarunt, cf. infra Vs. 11.

5. בְּרוֹשִׁים מִשְּׂנִיר בָּנוּ לָךְ *Cupressos ex Senir aedificarunt tibi*, l. e. cupressi adhibitae sunt ad construendas naves in usum tuum. Materia ex qua aliquid construitur saepe in Accusativo ponitur, ut 1 Reg. 18, 32. *et exstruxit* אֶת־הָאֲבָנִים מִזְבֵּחַ *hos lapides aram*, i. e. exstruxit ex iis aram. Vid. et Exod. 20, 22. Deut. 27, 6. Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 813. „Loquitur quasi ad navim τροπικῶς, urbis significans pulchritudinem et rerum omnium abundantiam, ut postquam universam illius suppellectilem descripserit, malum, antemnas, remos, vela, proram, carinam, funes, opertoria, pelles, et cetera, quibus navium optime instructarum usus indiget, tunc tempestatem illi et ventum austrum, quo fluxus maximi commovebuntur, venire denuntiet, et eam subjacere naufragio. Per quae significat urbis Tyriae eversionem a rege Nabuchodonosor, sive, ut multi putant, ab Alexandro, rege Macedonum, qui sex mensibus ipsam urbem obse-

disse, et cepisse narratur, postquam Darium vicit in Lycia.“ Hieronymus. Cui observationi aptior locus infra ad Vs. 26. fuisset; nam quae hoc loco de navibus dicuntur non sunt allegorice de republica intelligenda, sed proprie capienda de navibus, quibus Tyrii negotia et mercaturam exercebant. Attamen cum Hieronymo convenit Jarchi: „Quoniam Tyrus fuit aedificata in mari, eaque in mari periit, ideo comparavit eam prophetae navi decorae, in qua reponitur onus, sed quae per ventum Orientalem submergitur.“ בְּרוֹשׁ est *cupressus*, qua arbore botanica orientalis tres arborum species complectitur, 1) *cypressum semper virentem*, 2) *cypressum thyoidem*, 3) *juniperum sabinam.* Sane hoc lignum cyparissinum, sicuti et pineum atque cedrinum, utpote corruptioni non obnoxium, ad aedificia et naves veteribus multo in usu erat. Virgilius *Georg.* 2, 444.: — — — *dant utile lignum, Navigiis pinum, domibusque cedrumque cupressumque. Cedro* jungitur *cupressus* Sirac. 24, 17., et, ut בְּרוֹשׁ h. l., Hermoni tribuitur: *Ὡς κέδρος ἀνυψώθην ἐν τῷ Λιβάνῳ, καὶ ὡς κυπάρισσος ἐν ὄρεσιν Ἑρμών.* Meminit Plinius *Hist. Nat.* L. XII. §. 39. arboris cupresso similis, cui *bratum* nomen, quod forsan ipsum hebraicum vel aramaeum בְּרוֹשׁ. Plura videbis in libro nostro *Bibl. Naturgesch.* P. I. p. 249. sqq. שְׂנִיר *De Senir*, monte Libano vicino, quem Sidonii שִׂרְיֹן, *Sirjon*, Emoraei *Senir*, Ebraei *Hermon* (חֶרְמוֹן) appellabant, uti Deuter. 3, 9. dicitur. Distinguuntur tamen *Senir* et *Hermon* Cant. 4, 8., ita ut nomen *Senir* aliquando latius, aliquando minus late usurpatum videatur. Appellatur etiam hic mons שִׂיאֹן *Sion*, Deut. 4, 48. (הַר שִׂיאֹן הוּא חֶרְמוֹן). אֵת כָּל־לְחוֹתַיִם *Omnia tabulata duplicia*, scil. quibus navium corpus compingitur; nam *tabulis multis* et *duplici ordine* dispositis, in duobus lateribus, constant naves. Neque enim de *aedium*, ut aliqui existimarunt, *assamentis* לְחוֹתַיִם capiendum esse (ut לָחוֹת 1 Reg. 7, 36.), sed de navibus, satis arguunt, quae sequuntur. Alii intelligunt duas navis extremitates, puppim et proram. Ita Dathius, qui *aplustria* vertit, i. e. ornamenta illa, quae solent esse in prora et puppi navis. Singularis est forma nominis לְחוֹתַיִם, terminationi plurali feminini, לָחָת, dualem terminationem junctam habentis, plane ut חֲמֹתַיִם *duo moenia*, 2 Reg. 25, 4. Jes. 22, 11. A. Schultens quidem in *Institutt. ad fundamm. L. H.* p. 174. talia comparat cum *pluralibus pluralium*, in dialecto Arabum nonnunquam occurrentibus. Conf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 541. אֶרֶז מִלְּבָנוֹן *Cedros de Libano* praestantissimas, de quibus vid. not. ad Ps. 29, 5. הֲדַר proprie *pinum* videtur notare, ut Chaldaicum תּוּרְנִיתָא, unde tam de arbore praealta in monte erecta, signi militaris causa, Jes. 30, 17., quam de *malo navis* h. l. et Jes. 33, 23. usurpatur. Praeter tria haec loca in codice Hebraeo non reperitur. J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 2375. sq. ea voce *pharum* significari putat, et nostro quidem loco intelligendum erectum in summo Tyri loco

aut aliquo promontorio sive malum, sive turrim, in cujus fastigio ignis nocturnus alebatur, navigantibus viae index *(Leuchtthurm)*, qualis fuit Pharus Alexandriae; cujusmodi pharus recte *supra Tyrum* posita [עָלַיִךְ] dicatur, potueritque sive abiete, sive etiam cedro aedificari. Pharus tamen quam parum idonea sit et huic loco, et alteri Jes. 33, 23., quo utroque manifesto de navi ipsa agitur, apparet. Neque est causa, cur discedamus a sententia veterum omnium et recentiorum consensu comprobata. עָלַיִךְ h. l. est pro לָךְ, *pro te, tibi*, ut supra 13, 18., ad quem loc. vid. not.

6. אַלּוֹנִים מִבָּשָׁן עָשׂוּ מִשּׁוֹטָיִךְ *Quercus e Basane fecerunt remos tuos*, i. e. quercubus Basaniticis usi sunt ad remos tibi conficiendos. Idem loquendi modus quem supra Vs. 5. in בְּרוֹשִׁים בָּנוּ לָךְ vidimus. De אַלּוֹן vid. *Bibl. Naturgesch.* P. I. p. 232. בָּשָׁן, *Βασανῖτις*, Theodoreto et Epiphanio appellata, regio erat trans Jordanem dimidiae tribui Manasse data, quae se porrigebat usque ad montem Hermon (שְׂנִיר Vs. 5.), id est, ultimos terrae Israeliticae fines septentrionem usque. Vid. Jos. 22, 7., coll. 21, 6. 13, 26. 30. 1 Chron. 5, 23. Cyrillus in *Commentar. in Jes.* L. 1. Orat. II. regionem Basan scribit *Βασαναίαν* vocatam postmodum, eamque fertilem esse et spissas maxime ac proceras cedros proferre (*φυτῶν ἀρίστη τροφὸς ταχείας τε καὶ εὐμηκεστάτους ἔχουσα τὰς κέδρους*). אַלּוֹנֵי הַבָּשָׁן memorantur etiam Jes. 2, 13. Cf. librum nostrum *Handbuch der bibl. Alterthumskunde* Vol. II. P. I. p. 127. מִשּׁוֹטַיִךְ a singulari מִשּׁוֹט, formae similis *τῷ* מִגְדּוֹל, מִזְמוֹר (nam a מָשׁוֹט esset pluralis מְשׁוֹטִים, מְשׁוֹטָיִךְ), pro מִנְשׁוֹט a radice נָשַׁט i. q. שׁוּט *remigavit*, unde מָשׁוֹט *remus*, quocum nostrum significatu convenit. Chaldaeus: *quercubus de Basan fecerunt remos navium tuarum.* קַרְשֵׁךְ עָשׂוּ־שֵׁן בַּת־אֲשֻׁרִים *Asserem tuum fecerunt ebur, filiam buxorum*, i. e. ad transtra navium tuarum adhibuerunt ebur buxo inclusum. Nomen קֶרֶשׁ, quod Exod. 26, 16. 17. 18. 26. 35. de *asseribus* s. tabulis tabernaculi dicitur, h. l. collective de tabulis transversis *(transtris)* in navi, quibus insident et nituntur remiges, intelligendum esse, arguit orationis series. Recte Vulgatus: *et transtra tua fecerunt tibi ex ebore Indico.* שֵׁן *Dentem* scil. elephanti, i. e. ebur, ut 1 Reg. 10, 18. 22. 22, 39. Amos. 3, 15. Ps. 45, 9. Plinius *Hist. Nat.* L. 8. §. 4. *Praedam ipsi* (elephanti) *in se expetendam sciant solam esse in armis suis, quae Juba cornua appellat, Herodotus tanto antiquior, et consuetudo melius, dentes.* Cf. infra ad Vs. 15. Nomen אֲשׁוּר, cujus Pluralem hic legimus videtur contracte pro תְּאַשּׁוּר dici, quo nomine Jes. 41, 19. 60, 13. *buxus*, aut cedri aliqua species designari videtur. Quod vero ebur hic *filia buxi* dicitur, verisimile est significare, esse ebur buxo inclusum, quemadmodum *pupilla* oculi *filia oculi* dicitur Ps. 17, 8. Thren. 2, 18., quia in oculo est, sagitta *filius*

pharetrae, cui inclusa est, Thren, 3, 13., servus *filius domus*, quia in domo habetur, Genes. 15, 3. *Ebur* autem h. l. feminino nomine בַּת dicitur, quia שֵׁן generis communis est. De ebore in buxo incluso canit VIRGILIUS *Aeneid.* 10, 137.: — — *Qualе per artem Inclusum buxo, aut Oricia terebintho Lucet ebur.* Transtris apta est buxus, quia gravis et spissa, nihilque ei noxae est a carie, vetustate et humore, paucissimique nodi insunt. Cf. *Bibl. Naturgesch.* P. I. p. 292. Buxo quoque convenit, quod nostro loco dicitur advecta מֵאִיֵּי כִתִּיִּם *ex insulis Citthaeorum*, quibus designantur hic insulae Italiae subjectae (nam כִּתִּים est vetus Italorum nomen, vid. not. ad Genes. 10, 4.), praesertim Sardinia et Corsica, contra Carthaginem sitae, a Carthaginiensibus, Tyriorum popularibus, frequentissimo commercio tritae, ad quas naves Tyriae, in Hispaniam tendentes, solitae erant appellere. *Buxum* vero nusquam crassior quam in Corsica, Italiae proxima, exstare, ut Plinii et Diodori testimoniis probavit Bochartus *Geogr. S.* L. III. Cap. 5. p. 179. Ceterum scriptio כִּתִּים, cum Jod simplici, tribuitur *Occidentalibus* (s. codicibus recensionis Palaestinensis), altera, cum gemino Jod, כִּתִּיִּים, *Orientalibus* (s. recensioni Babyloniae). R. SALOMO BEN MELECH in *Michlal Jophi* haec notat: „כִּתִּים, cum uno Jod, in textu scribitur, sed in margine cum duplici Jod legendum jubetur, quorum unum formationi nominis gentilitii inservit (כִּתִּי in singulari), alterum plurale est, ut sit כִּתִּיִּים, quemadmodum אֱלֹהֵי הָעִבְרִיִּים Exod. 3, 18.“ Finale Chirek longum in nominibus, quando ea in pluralem flectuntur, vel prorsus perit, vel Jod accepto Dagesch forti euphonico geminatur, posteriori mobili. Sic ab עִבְרִי, *Hebraeus*, pro הָעִבְרִיִּים dicitur non tantum הָעִבְרִיִּים, verum et הָעִבְרִים Exod. 2, 6. Similiter הַיְהוּדִיִּים et הַיְהוּדִים Esth. 8, 1. 13. 4, 7. 9, 15, 18. Plura exempla vid. in ALTING. *Fundamm. Punctat. L. S.* p. 126., et in HILLERI *Arc. Keri et Kethib* L. II. p. 278.

7. שֵׁשׁ בְּרִקְמָה *Byssus cum acupictura*, i. e. acupicta, versicolor. De שֵׁשׁ et רִקְמָה cf. not. supra ad 16, 10. מִמִּצְרַיִם *Ex Aegypto* allata, vid. not. ad Genes. 41, 42. מִפְרָשֶׂךָ *Expansio tua*, illud quod explicares vento, velum, ut statim additur. Nomen מִפְרָשׂ praeter hunc locum semel duntaxat Job. 36, 29., de *nubium expansione*, occurrit. לָהְיוֹת לָךְ נֵס *Ut esset tibi in velum.* נֵס, quod alias *signum*, *vexillum* notat, ut Jes. 11, 10. 12. h. l. de velo nautico, quod in malo expanditur, usurpari, docet res ipsa. Ita et Jes. 33, 23. כֵּן־תֹּרְנָם בַּל־פֵּרְשׂוּ נֵס *sic erit malus eorum, ut velum expandere nequeant.* „Byssus in Aegypto quam maxime nascitur, ex qua contextum est Tyriae navis velum, quod suspenditur malo.“ HIERONYMUS. תְּכֵלֶת et אַרְגָּמָן esse *marinae purpurae* duo genera, quorum illud, *coeruleum*, ex conchylii, hoc propric *purpureum* fuerit, ex purpurae propric dictae sanie factum, demonstravit BOCHARTUS *Hieroz.*

P. II. L. V. Cap. 21. T. III. p. 665. sqq. ed. Lips, cui jungendus Braunius *de Vestitu Sacerdotum Hebraeor.* P. I. Cap. 13. 14. Super variis purpurae generibus, Tyriorumque cum iis mercatura, docte disserait Heeren *Ideen über die Politik, den Verkehr und den Handel der Völker der alten Welt,* Vol. I. P. II. p. 97. sqq. edit. tert. (p. 89. edit. quart.), respectu quoque nostri vatieinii habito, cui insignem usum tribuit ad propius cognoscenda Tyriorum commercia. מֵאִיֵּי אֱלִישָׁה „*De insulis Elisae,* Jonii maris sic appellans insulas," ait Hieronymus. A quo non multum diversus Bochartus, cui אֱלִישָׁה est *Peloponnesus,* in qua *Elis* vetustissima est et amplissima regio, cujus una pars ab Homero vocatur *Alisium.* Purpura ex Peloponneso et vicinis insulis allata inter veteres celeberrima. Testimonia ex corum scriptis congessit Bochartus in *Geogr. S.* L. III. Cap. 4. p. 176. Cf. et not. ad Genes. 10, 4. Ceterum mirum videri possit, quod vates Tyrios dicit purpuram ab exteris emisse, non illis vendidisse; nam *Tyrium muricem, purpuram Tyriam,* a Graecis Latinisque laudari, omnibus notum. Michaelis in *Spicil.* P. I. p. 80. existimat, Ezechielis tempore aut primam illam et antiquam Tyrum sui maris divitias ignorasse, et emisse ab exteris, quod ipse haberet; aut, si id veri dissimile sit, angusta Tyriorum litora luxui urbis et mercaturae non suppetiisse, unde necesse fuerit, ab exteris quoque purpureas hyacinthinasque vestes emere. Ratione paulo alia Bochartus l. c. p. 177. illam dubitationem tollit. Vestes byssinae purpureum colorem haud raro imbiberunt, unde in V. T. toties *byssus et purpura,* vel *purpura et byssus* pro *purpurea bysso,* per figuram ἓν διὰ δυοῖν. Atque inde factum, ut *byssus* pro *purpura* sumeretur, et *byssinus* pro *purpureo.* Hesychius: *Βυσσός· χρῶμα ἀντὶ τῆς ὕσγης παραλαμβανόμενον.* Item *Βυσσινᾶ, πορφυρᾶ.* Suidas: *Βύσσινον· βύσσῳ βεβαμμένον.* Ut scias pro colore sumi. Itaque quum purpuram et byssum veteres promiscue sumere solerent, Bochartus in his Ezechielis, *hyacinthus et purpura de insulis Elisa fuit operimentum tuum,* purpurae nomine byssum ex Elide intelligendam conjicit, de qua Plinius *Hist. Nat.* L. XXI. § 4. *Proximus byssino mulierum maxime deliciis circa Elim in Achaja genito.* Pausaniae loca de bysso in Elide genita vide apud Bochartum l. l. Videtur ergo vates hoc significare, advexisse Tyrios ex Graecia ejusque insulis textilia byssina purpureo hyacinthinoque colore tincta. מְכַסֶּךָ *Tegumentum tuum* (Jes. 14, 11. 23, 18.), quo non vestimentum, cum Theodoreto, est intelligendum, sed, quum de re navali tota haec oratio decurrat, operimentum tentorii navis. Ita Kimchi: *tegumentum tentorii navis, quod operiebat superficiem navis a pluvia, imbribus et aestu.* Hieronymus: „Operimentum navis, quod in solis calore tranquillo nautis atque vectoribus praebet umbraculum, de hyacintho et purpura fit."

8. „Dixerat supra (Vs. 4.): *Finitimi tui, qui te aedificaverunt, impleverunt decorem tuum;* antequam veniat ad eos, qui longe habitant, proximarum provinciarum describit auxilia.“ Hieronymus. De צִידוֹן vid. not. infra ad 28, 21. אַרְוָד *Aradus*, insula jam Genes. 10, 18. memorata, olim celeberrima, aedificiis augusta, septem stadiorum ambitu in ora Phoenices, ad os Eleutheri fluminis, et partem vicinae continentis, ubi Antaradus, Marathus, Laodicea. Vid. librum nostrum *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. II P. I. p. 6. sqq. Hieronymus ad Vs. 11.: „Aradum insulam, quae tota sit civitas, et contra se positum oppidum Antaradum habeat, vicinaque sit Tyro, et praetendat in Phoenicis littore continentis terrae, usque hodie cernimus.“ Aradios maxime commendavit rei navalis peritia, de qua Strabo apud Bochartum l. c.: *Προσέθεσαν δὲ τῇ εὐτυχίᾳ ταύτῃ καὶ πρόνοιαν, καὶ φιλοπονίαν πρὸς τὴν θαλαττουργίαν. Huic vero felicitati etiam providentiam addiderunt, et studium rei navalis.* הָיוּ שָׁטַיִם לָךְ *Fuerunt remiges tibi.* Tanta erat Tyriorum opulentia, ut viliora ministeria externis delegarent. צוֹר h. l. esse Vocativum recte monet Kimchi, et ante הָיוּ subaudiendum pronomen relativum אֲשֶׁר, ut saepe. חוֹבְלַיִךְ *Naucleri tui*, rectores navium tuarum, sic dicti, ut vult Kimchi, a contrahentis aut laxandis *funibus* (חֶבֶל) veli ad suscipiendum ventum. Peritos rei navalis, quos classibus navibusque praeficeres, de te habebas, non petebas aliunde.

9. זִקְנֵי גְבַל *Senes*, i. e. peritissimi, *Gebal*, urbis et regionis Phoeniciae, ad mare mediterraneum sitae, in qua optimi erant fabri, vid. Jos. 13, 5. 1 Reg. 5, 32. (al. 18.), Graecis *Byblos* dictae. Hieronymus in Eusebiano libro Locorum: *Biblos, civitas Phoenicis, cujus meminit Ezechiel, pro qua in Hebraico continetur Gobel.* Arabibus prisco adhuc nomine *Dschibleh*, et diminutive *Dschobail* dicitur. Vid. *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 17. sqq. מְחַזְּקֵי בְדָקֵךְ *Roborantes*, i. e. instaurantes *rimas tuas* scil. navium tuarum; reficiendis et curandis navibus praefecti erant. בֶּדֶק, quod 2 Reg. 12, 6 — 13. pluries de fissuris et ruinosis aedium dicitur, h. l. non dubium esse potest de *navium scissuris* usurpari. כָּל־אֳנִיּוֹת הַיָּם וּמַלָּחֵיהֶם הָיוּ בָךְ *Omnes naves maris et nautae eorum erant in te*, מַלָּחִים et Arabibus voce harmonica dicuntur nautae a מֶלַח *sal*, propterea quod *mare* est *salsum*, quemadmodum Graeci ἁλιεῖς vocant *piscatores* et *nautas* ab ἡ ἅλς *mare* (salsum), quasi dicas *marinatores.* הָיוּ בָךְ עֹרְבִים מַעֲרָבֵךְ *Erant in te ad commiscendum commixtionem tuam*, i. e. ad commutandum mercimonia tua. *Negotiari* et *commercia* Hebraeis a *commiscendo*, i. e. commutando (עָרַב) dicuntur. Cf. Vs. 13. 17. 25. 27. Kimchi *negotiandi* significatum a *spondendi*, *fidejubendi* notione derivat (qua verbum hebraicum saepius, veluti Genes. 44, 32. Prov. 9, al. occurrit),

quod res saepe commutantur vadimonio, fidejussore aut pignore interposito.

10. Milites mercenarios, qualibus multum utuntur civitates mercatui deditae, jam describit. פָּרַס *Persae*, et infra 38, 5. Dan. 5, 28. memorati, sagittis ab omni aevo noti. De לוּד et פּוּט, populis, uti verisimile est, Africae septentrionalis et occidentalis, vid. not. ad Genes. 10, 13. et 6., coll. *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. III. p. 362. 366. הָיוּ בְחֵילֵךְ *Erant in exercitu tuo*, gentes longinquae et bellicosae stipendia apud te meritae sunt. אַנְשֵׁי מִלְחַמְתֶּךָ Tanquam *viri belli tui* (ut infra Vs. 27. Jer. 50, 30.), bellatores, s. milites mercenarii tui. מָגֵן וְכוֹבָע *Scutum et galeam* iisdem populis tribuit Jerem. 46, 9. תָּלוּ־בָךְ *Suspenderunt in te*, qui eorum ab excubiis vacabant, quas in aggere et munitionibus Tyrorum agebant. HIERONYMUS: „*Persas* [פָּרַס] fuisse fortissimos, quorum rex Cyrus, ut Jesajae vaticinio praedicatur [45.], subverso Astyage, rege Medorum, Babylonem ceperit, et sacra, et saecularis narrat historia. *Lydos* [לוּד] quoque illo tempore inter gentes robustissimos reputatos, quorum rex Crocsus ab eodem Cyro captus sit, Xenophon scribit plenissime. Et *Libyas* [פּוּט] cum Troglodytis et Aethiopibus venisse contra Jerusalem in Paralipomenon volumine legimus [2 Paral. 12, 2. sqq.], qui quia illis temporibus florentissimi erant, et famosi ad praelia pugnatores, Tyriae urbis defensores esse memorantur, et ad terrendos hostes scuta et galeas inter murorum propugnacula suspendisse." הֵמָּה נָתְנוּ הֲדָרֵךְ *Illi dederunt* tibi *decorem tuum*, fuerunt tibi ornamento. Magnificum erat tibi, tot gentes habere conductas.

11. De אַרְוָד vid. not. ad Vs. 8. וְחֵילֵךְ עַל־חוֹמוֹתַיִךְ סָבִיב *Et* reliquus *exercitus tuus*, s. cum exercitu tuo (בְּחֵילֵךְ Vs. 10.), *super muros tuos circum.* Permixti erant urbano militi. וְגַמָּדִים בְּמִגְדְּלוֹתַיִךְ הָיוּ *Et Gammadaei in turribus tuis erant.* גַּמָּדִים esse nomen proprium gentis alicujus etsi nobis ignotae (forsan Phoeniciae), ex tota orationis serie colligitur, quum in Versu praecedente et initio nostri milites mercenarii e peregrinis populis adsciti recenseantur. FULLERUS in *Miscellan. SS.* L. VI. C. 3., *Gammadaeos* hosce Ezechielis incolas urbis *Gammades*, in Phoenicia, Plinio, *Hist. Nat.* L. V. §. 14. memoratae, esse contendit; Plinium quidem urbem hanc vocare *Gamalen*, sed hoc fieri vitio codicis sui, in quo *Λ* pro *Δ* mendose scriptum fuisset. Verum recte se habere scripturam *Gamale*, apparet ex iis, quae RELANDUS in *Palaest.* p. 784. de ea urbe habet. *Gamadae* autem mentio quamvis apud nullum veterum scriptorum hodie superstitum reperiatur, minime tamen inde nullam urbem istius nominis exstitisse sequitur. Judaeorum sententia, גַּמָּדִים denotare *pygmaeos*, *nanos*, a גֹּמֶד *spithama*, aut, ut alii volunt, *cubitus*, dictos, quasi *spithamae*, vel *unius cubiti virunculos* diceres,

defensorem nacta est J. D. Michaelem, in *Supplemm.* p. 326., qui tamen non pygmaeos intelligi vult qui vere tales sunt, sed, qui praealtis in turribus stantes *pygmaei videntur.* Sed scopus prophetae non est, ut Tyrum tanquam munitam quandam et excelsis turribus ornatam urbem describat, sed ut egregios potius praesidiarios laudet, et diversas ad hoc electas gentes recenseat, quas inter etiam *oi* גַּמָּדִים reperiebantur. Praeterea in eam sententiam eadem fere cadunt, quae Michaelis ipse opponit sententiae Ludov. de Dieu in *Crit. S.* ad h. l. *fortes*, *audaces* intelligentis, a Syriaco גּוּמְדָּא *audacia*, גּוּמְדָנָא *audax*, גְּמוּרָא *ferox*, ex analogia praecedentium esse gentis nomen exspectandum, aut, si illo carendum sit, aliquid certe turrium custodibus magis proprium, quod eos a reliquis militibus distinguat. Ludovici Dei sententiam, collato etiam arabico جَمَدَ *duro animo et immiti fuit* (proprie *congelavit*), commendavit J. E. Faber in *Archaeolog. Hebraeor.* p. 200. not. comprobavit Gesenius in *Thesauro L. H.* p. 292. Verum Hebraeis, quod jam Fullerus l. c. monuit, vir fortis et robustus גִּבּוֹר aut אִישׁ חַיִל dicitur, nusquam גַּמָּד; nec ulla apparet ratio, cur propheta nostro loco magis vocabulo rarioris significationis (si unquam hebraca dialectus eam agnoverit), quam vulgaris, uti voluerit. Simonis in Lexico coll. arab. عَمَدَ s. جَمَدَ *texit*, *protexit*, custodes portarum, aut milites praesidiarios. Conjecturas plures alias reperies apud Michaelem l. c. שִׁלְטֵיהֶם תָּלוּ עַל־חוֹמוֹתַיִךְ סָבִיב *Pharetras suas suspenderunt ad moenia tua circum.* שֶׁלֶט alii *scuta*, alii *pharetras* significare putant. Has tamen flagitare videtur locus Jer. 51, 11.: *polite sagittas*, מַלְאוּ הַשְּׁלָטִים, quae verba simplicissime et commodissime *implete pharetras* redduntur. Reliquis quoque locis, quibus שֶׁלֶט legitur, *pharetrae* bene conveniunt, veluti 2 Sam. 8, 7., ubi שִׁלְטֵי הַזָּהָב *pharetrae auri* sunt *pharetrae deauratae*, s. auro ornatae. Sed Cant. 4, 4. שֶׁלֶט latius patere videtur, et *arma* in universum significare.

12. תַּרְשִׁישׁ סֹחֲרֵתֵךְ *Tharschisch* fuit *negotiatrix tua.* Intelligitur *Hispania Baetica*, a *Tartesso* (quod est ipsum nomen hebraeum, altero שׁ in ת mutato, sicut אַתּוּר pro אַשּׁוּר *Assyria*, בַּתָּנָן, *Batanaea*, pro בָּשָׁן dicitur), nobilissimo olim portu et insula in Bactis ostio, dicta; vid. *Bibl. Alterthumsk.* Vol. III. p. 408. Metallis a nostro vate hoc Vs. enumeratis Hispaniam abundasse, veteres uno ore testantur. *Metallis plumbi*, *ferri*, *aeris*, *argenti*, *auri tota ferme Hispania scatet*, ait Plinius *Hist. Nat.* L. III. §. 4. מֵרֹב כָּל־הוֹן *Ob multitudinem omnium opum*, „quae fuit in te; sperabantque mercatores, se reperturos apud te mercem, quae ipsis conveniret.“ Jarchi. בֶּסֶף *Argentum in Hispania reperiri pulcherrimum*, idem Plinius testatur L. XXXIII. §. 31. בַּרְזֶל *Haec alibi atque alibi utilior nobilitavit loca gloria ferri*, *sicut Bilbilin in Hispania et Tu-*

riassonem. Plinius l. c. L. XXXIV. §. 41. בְּדִיל Diodorus Siculus *Biblioth.* L. V. p. 217. ed. Rhodom. *Γίνεται δὲ καὶ κασσίτερος πολλοῖς τόποις τῆς Ἰβερίας. Gignitur autem etiam stannum in multis Iberiae locis.* וְעוֹפֶרֶת Plinius l. c. L. IV. §. 36. *Ex adverso Celtiberiae complures sunt insulae, Cassiterides dictae Graecis, a fertilitate plumbi.* נָתְנוּ עִזְבוֹנָיִךְ *Dederunt*, suppeditarunt Tartessenses, *permutationes tuas*, i. e. merces a te cum aliis permutandas. Nomen עִזְבוֹן quod apud nostrum tantummodo, et hoc quidem solo Capite legitur, (praeter hunc Versum infra Vs. 14. 16. 19. 22. 27. 33.), idem quod מַעֲרָב (supra Vs. 9.) valere videtur; certe verbo נָתַן, ut illud (Vs. 13. 17.), jungitur hoc Versu, et Vs. 14. 16. 19. 22., et in tota hac commercii Tyriorum descriptione nomina מַעֲרָב et עִזְבוֹן manifeste sibi invicem respondent; vid. inprimis Vs. 19. A verbo עָזַב, quod, cum ל personae constructum, alicui aliquid *permisit*, tradidit, denotat, videtur עִזְבוֹן proprie *mercem alicui permutandam* et *vendendam traditam* significare.

13. יָוָן *Graeciam* esse, dubio caret, quum et Danieli 8, 21. Alexander M. sit מֶלֶךְ יָוָן, et *Graeci* Syriace יוניא, Arabiceque יוּנַאנִיאן dicantur, in quibus *Jonum* nomen facile agnoscas. LXX ἡ Ἑλλάς et Vulgatus *Graecia* reddiderunt. תּוּבַל וָמֶשֶׁךְ *Thubal* et *Meschech* plerumque junguntur tanquam populi cognati (infra 32, 26. 38, 2. 3. 39, 1. Genes. 10, 2.). Et nomine quidem תּוּבַל (quod Jes. 66, 19. soli יָוָן jungitur) designari *Tibarenos* (R et L permutatis, ut Graeci scribunt *Φιχὼρ* pro *Picol*, *Σαρὰδ* pro *Saled*, *Βελιὰρ* pro *Belial*), Ponto Euxino vicinos, מֶשֶׁךְ autem *Moschos*, qui habitabant montes Moschicos, qui Iberiam dividunt ab Armenia et utramque a Colchide, ostendit Bochartus *Geogr. S.* P. I. L. III. Cap. 12. p. 205. sqq. *Moschi* et *Tibareni* apud Graecos eodem modo junguntur, ut apud Hebraeos *Thubal* et *Meschech;* loca attulit Bochartus l. c. Cf. *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. I. p. 248. הֵמָּה רֹכְלַיִךְ *Illi institores tui fuerunt*, tecum negotiabantur, Vs. 15. supra 17, 4. Nah. 3, 16. בְּנֶפֶשׁ אָדָם *Cum animabus hominum*, i. e. mancipiis, ut 1 Paral. 5, 21. cf. Num. 31, 34. 40. 46. et Apoc. 18, 13. Mancipia ex *Javan*, i. e. Graecia et Jonica, in toto Oriente maximo in pretio fuisse, docet Bochartus l. c. Cap. III. p. 175. Idem Cap. XII. p. 206. sq. ostendit, e Ponticis regionibus multa educta esse mancipia, maxime e Cappadocia, cujus pars *Tibarenis* (תּוּבַל), ibique servos olim venales fuisse quatuor drachmis. Cf. Heeren *Ideen* Vol. I. P. II. p. 140. edit. tert. וּכְלֵי נְחֹשֶׁת *Et vasa aenea.* Fit ex hoc loco verisimile, Graeciam, quae paulo post aeris fabricandi solertia, et statuarum pulchritudine omnes terrarum gentes superavit, jam ante Nabuchodonosorem ejusdem artificii rudimenta superasse, non in statuis quidem, sed in vasis et supellectile domestica, ut aere pulchre fabricata ab hac potis-

simum gente, Moschisque et Tibarenis Tyrii peterent. Nomine נְחֹשֶׁת et *cuprum* comprehenditur (vid. *Bibl. Naturgesch.* P. I. p. 56.), cujus fodinas Caucasus, cui Moschorum et Tibarenorum regio confinis est, in hunc usque diem habet. In Caucaso sita est et Kubescha, vicus elegantia vasorum aeneorum nobilitatus (*Sammlung Russischer Geschichte*, T. II. p. 2. 3. 4.). Arzeni [s. Arzeri, *Erzerum*] praeterea, quae est urbs Armeniae montanae, adeoque in vicinia montium Moschicorum sita, plurima vasa aenea fieri, cuprique fodinas tridui inde itinere abesse, auctor est Büschingius, *Geograph.* T. XI. p. 179. edit. tert. Cf. Heeren l. c. p. 141. נָתְנוּ מַעֲרָבֵךְ *Dederunt commercium tuum*, i. e. interprete Chaldaeo: *adducebant mercimonia in medium tui.*

14. מִבֵּית תּוֹגַרְמָה *E domo*, i. e. regione (ex Syriaco loquendi usu, vid. J. D. Michaelis ad Castelli Lexic. Syriac. p. 96.) *Thogarmae*, i. e. Armenia, vid. not. nostr. ad Genes. 10, 11. et *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* p. 250. Hieronymus *domum Thogarmam* ait *Phrygiam* esse, quae provincia equorum, equituni et mulorum quondam maximam habuerit copiam. Theodoretus quoque nomine hebraeo ex interpretum sententia *Phrygiam* significari testatur. LXX cod. Rom.: *Θογαρμά*, sed in cod. Alex.: *Θοργαμά* (ita quoque Arabs: תרגאמא), quod hebraice est תּוֹרְגָּמָה (*Gimel* et *Resch* transpositis), uti etiamnum in cod. Kennic. 150. legitur. Ita et Targum cod. Ross. 737., et cod. SH., nec aliter LXX legunt Genes. 10, 3. Quae eadem variatio occurrit infra 38, 6., ubi cod. antiquissimus Reuchlinianus (Kennic. 154.) literis transpositis iterum legit תורגמה. Cf. Michaelis *Spicil. Geogr. Hebr. exterae*, P. I. p. 68., qui per *Thorgema* (תְּרְגֵמָה), aut *Throgma* (תְּרָגְמָה) intelligi posse conjicit *Trocmos* Gallicum populum, qui in Galatia Asiatica consedit. Chaldaeus: גַּרְמַמְיָא, quod Bochartus et latinus interpres in Polyglottis falso pro nomine *Germaniae* habuere, quum potius interior Assyriae pars, Syris: *regio Garamaeorum* dicta, nomine illo Chaldaico significetur. סוּסִים וּפָרָשִׁים *Equos et equites*, i. e. mancipia, quae idonei essent equites. Alii nomino סוּסִים *equos communes* s. curules, et פָּרָשִׁים *equos militares* notari volunt. Etsi enim פָּרָשׁ plerumque *equitem* denotet; haud pauca tamen sunt loca, quibus aperte pro *equo* usurpatur (ut פַּרַס Arabibus Aethiopibusque *equum*, פארס *equitem* notat), ut 2 Sam. 1, 6. *Et ecce currus* וּבַעֲלֵי הַפָּרָשִׁים *et domini equorum assequuti sunt eum;* ita et 1 Sam. 8, 11. Jes. 21, 7. 28, 28. Quibus locis hebraeum פָּרָשׁ *eques καταχρηστικῶς* pro *equo* dicitur. Armeniam ab equorum copia et praestantia laudat Strabo L. XI. p. 529. וּפְרָדִים *Et mulos*, de quibus vid. Bochartum l. c. C. 18. p. 219. sqq. Conf. *Bibl. Naturgesch.* P. II. p. 54.

15. Quae hic memoratur *Dedan*, דְּדָן, non est eadem, cujus mentio facta supra 25, 13. infra Vs. 20. Jer. 25, 23. 49, 8., urbs

Idumcae mediterraneae, cujus incolae דְּדָנִים Jes. 21, 13., et conditor *Dedan*, Abrahami nepos, Genes. 25, 3.; sed intelligenda est alia *Dedan*, quam condidit *Dedan*, Regmae filius, Genes. 10, 7., quae hodie *Daden*, Arabicc דאדן, ad sinum Persicum, unde in Indiam commoda fuit navigatio; Indicae enim sunt merces, quas noster statim memorat, a Dedanitis Tyrum advectae. אִיִּים רַבִּים סְחֹרַת יָדֵךְ *Regiones* s. *insulae multae negotiatio manus tuae*, quod nonnulli sic capiunt: mercatrices mercium manus tuae fuerunt. Ita GROTIUS: Veniebant emtum manus tuae opera." Alii: quia cum insulis s. regionibus multis negotiationem *pro arbitratu tuo* habebas. KIMCHI verba ita exponit: *multae insulae* s. *orae ex parte Dedanitarum negotiatae sunt per manum tuam*, i. e. insulae, quarum merces in te importabantur, operâ et ministerio tuo utebantur ad eas divendendas. Quod simplicissimum fuerit. Similis phrasis infra Vs. 21. קַרְנוֹת שֵׁן *Cornua dentis* vocari videtur *ebur*, quod mediam inter dentes et cornua naturam obtinet, observante BOCHARTO *Hieroz.* P. I. L. II. C. 24. T. I. p. 243. ed. Lips., qui pluribus docuit, elephantum dentes exsertos laniarios, qui ebur sunt, a multis veterum haberi pro cornibus, tum quod cornuum instar e cranio oriuntur, deciduntque et renascuntur, ut solent cornua cervis, quum alioqui homini soli dentes decidant; cum quod facile secantur, poliuntur, et in quamvis formam effinguntur, quod de aliorum animalium dentibus frustra coneris. Quare Plinius, quamvis *Hist. Nat.* L. VIII. §. 4. ebur rectius *dentes* vocari dicat (cf. not. supra ad Vs. 6.), ipse tamen L. XVIII. §. 1. scribit: *Atque cum arbore exacuant limentque cornua elephanti et uri.* Hinc Aethiopes ebur קַרְנַ נַג *karna nage*, i. e. cornu *elephanti*, vel simpliciter אקרנות *akronoth*, *cornua*, nominare solent. LUDOLFUS *Hist. Aethiop.* L. I. C. 10. no. 29. *Cornua, non dentes esse, ex quibus ebur fit, apud populos illos non ambigitur: et ipsa materia et situs id docent; ex cranio enim, non ex maxilla, proveniunt; solisque maribus competunt, feminae, ut cervae, illis carent.* Contra alii veterum et Arabes arma elephanti *dentes* appellant. Cf. *Bibl. Naturgesch.* P. II. p. 105. הַבְנִים sive הוֹבְנִים, ut est in textu, notare *ebenum*, pluribus docuit BOCHARTUS *Hieroz.* P. II. L. I. Cap. 20. T. II. p. 714. sqq. edit. Lips. Primo enim *hebonim* et *hebenus* voces sunt eaedem, permutatis tantum in prima syllaba vocalibus O et E, quod frequens est. PRISCIANUS L. I. *O transit in E, ut tutor, tutela, bonus, bene, γόνυ genu, ποῦς pes. Antiqui compes pro compos. In quo Aeoles sequimur. Illi enim ἐδόντα pro ὀδόντα dicunt.* Hinc iidem Ὀσσηνοὶ et Ἐσσηνοί. Deinde ebur et ebenus quum in iisdem regionibus nascantur, a veteribus in mercium Indicarum et Aethiopicarum descriptione fere conjunguntur, ut multis locis probavit Bochartus l. c., et a nostro quoque vate utrumque jungi, jam per se est verisimile. Kimchi quoque,

post Symmachum et Hieronymum, nomine hebraeo eam designari ait arborem, quae arabice אֶבְנוּס dicitur. Cf. *Bibl. Naturgesch.* P. I. p. 254. Quod autem Hebraei in plurali dicunt הַבְּנִים, id Bochartus fieri observat ex more illorum, quo hujusmodi pretiosa ligna vix aliter quam plurali voce nominare solent. Sic arbor, ex qua arca foederis fabricata est, singulari numero semel שִׁטָּה dicitur, sed plurali שִׁטִּים in Exodo plus vigesies. Et arbor alia, ex qua tigna et fulcra facta sunt in templo Salomonis, citharaque et nablia cantorum, nonnisi plurali voce dicitur אַלְגּוּמִּים 2 Paral. 9, 10. 11., vel אַלְמֻגִּים 1 Reg. 10, 11. 12. Ceterum minime opus erat, ut Dedanitae mercimonia illa procul ex India peterent, per oceanum coum, quum ad laevam Arabiam sinumque Arabicum praetervecti, tam ebur, quam ebenum in Aethiopia haberent. Et ebenum quidem Aethiopicum praestantiorem esse Indico, testatur Dioscorides 1, 130. Cf. J. H. Vossii not. ad *Virgilii Georgic.* 2, 116. הֵשִׁיבוּ אָשְׁכָּרֵךְ *Reddiderunt tibi munus* s. pretium *tuum*, i. e. ad repensanda illa opera Tyriorum (סְחֹרַת יָדֵךְ). De nomine אָשְׁכָּר vid. not. ad Ps. 72, 10. Bene Hieronymus: „Afferentes dentes eburneos ex India, et ligna hebenina, quae nigri coloris pretiosissima sunt, et commutaverunt cum aliis Tyrii mercibus.“

16. אֲרָם סֹחֲרַתֵּךְ *Syria* est *negotiatrix tua*, eadem loquendi formula quae Vs. 12. „Usque hodie autem permanet in Syris ingenitus negotiationis ardor, qui per totum mundum lucri cupiditate discurrunt, et tanti mercandi habent vaesaniam, ut occupato nunc orbe Romano, inter gladios et miserorum neces quaerant divitias, et paupertatem periculis fugiant.“ Hieronymus. Pro אֲרָם LXX habent *ἀνθρώπους*, legerunt אָדָם, quod etiamnum in codicibus haud paucis legitur. Hieronymus: *Syrus* quoque fuit negotiator Tyri, pro quo in Hebraeo positum est *Aram*, in cujus loco Septuaginta *homines* interpretati sunt, pro *Aram* legentes *Adam*, et *Res* et *Daleth* literarum, sicut supra [Vs. 15. in דדן], decepti similitudine.“ Syriacus quoque interpres legit nomen hebraeum cum *Daleth*, sed pronunciavit אֱדֹם, vertit enim nomen hebraeum cum proximo סֹחֲרַתֵּךְ: *Edom locus negotiationis tuae.* Eandem illam lectionem in versione teutonica expressit Michaelis probante J. H. Pareau in *Commentat. de immortalitatis notitiis in Jobo* p. 322., quod negotiationis Syriacae infra Vs. 18. sub *Damasci* nomine mentio fiat. Ego tamen cum Hieronymo אדם pro mendoso habeo. Chaldaeus: *ex Aram adducebant mercimonia in medium tui.* מֵרֹב מַעֲשַׂיִךְ *Ob multitudinem operum tuorum*, ut sibi compararet opera a te copiose et miro artificio facta. נֹפֶךְ gemmae nomen esse, quum inter eas recenseatur Exod. 28, 18. et infra 28, 13. (praeter quae loca in V. T. non occurrit) vix dubium. Antiquissimi Graeci Alexandrini interpretes utroque loco Exod. 28, 18. et infra 28, 13.

(hic enim nomen illud hebraicum non expresserunt) ἄνθρακα, *carbunculum*, interpretantur, quam interpretationem commendavit Braunius *de Vestitu Sacerdotum Hebraeorum* Lib. II. Cap. 11. p. 526. sqq., hoc maxime ductus argumento, quod נֹפֶךְ significatione non differre sumit a פּוּךְ, quod alias quidem *stibium, antimonium* notat (vid. 2 Reg. 9, 30. et Jer. 4, 30. et cf. not. supra ad 23, 46.), sed Jes. 54, 11. 1 Paral. 29, 11. gemmae alicujus nomen est, quam uti nomine, ita colore stibio convenire existimat. Jam quum antimonium praeparatum sit rubrum, פּוּךְ et נֹפֶךְ verisimile est denotare *rubinum*, qui veteribus *carbunculus* appellatur. Theophrastus in Libro de Lapidibus: *Carbunculus, e quo sigilla sculpunt, rubens quidem colore, soli autem expositus ardentis carbonis facit colorem.* Cf. *Bibl. Naturg.* P. I. p. 34. אַרְגָּמָן *Purpura*, vid. supra Vs. 7. De רִקְמָה vid. not. ad 16, 10. בּוּץ *Byssus*, linum xylinum, subtilissimum et pretiosissimum. „Synonyma sunt שֵׁשׁ (supra Vs. 7.) et בּוּץ, sed illud, Aegyptium lini xylini nomen, antiquum, atque a Mose usurpatum, hoc, ante exsilium Babylonicum non obvium, primus quippe eo usus Ezechiel, qui ipse in exsilio scripsit [praeter hunc locum solis in Estheris et Paralipomenῶν libris occurrit, et in illo quidem bis, 1, 6. 8, 15., in his quinquies, 1 Paral. 4, 21. 15, 27. 2 Par. 2, 13. 3, 14. 5, 12.] Phoenicium nomen puto, cumque merce ipsa ad Graecos migrasse. Ab *albedine* dictam byssum arbitror, collato Arabico אַבְרַץ *albus, candidus*," Michaelis *Supplemm.* p. 161. רָאמוֹת *Corallia rubra*, vid. not. ad Job. 28, 18. et cf. *Bibl. Naturgesch.* P. II. p. 462. כַּדְכֹּד „*Chodchod* quid significet," ait Hieronymus, „usque in praesentiarum invenire non potui. Ajunt Hebraei, omnes pretiosissimas merces hoc nomine significari, vel speciem quandam esse pretiosarum mercium, quam Romanus sermo non resonet, vel communi vocabulo scruta vendentium." Sed idem Hieronymus Jes. 54, 12., quo solo loco praeter hunc nomen illud hebraicum occurrit, *Jaspidem* interpretatur, Graecos Alexandrinos sequutus, quibuscum Syrus convenit. Verum quum dicto Jesajae loco כַּדְכֹּד ad fenestras adhiberi dicatur, non tam gemma, quam lapis pretiosus intelligendus videtur, forsan *crystallus*, cui a *scintillando* (כִּידוֹד *scintilla*, Job. 41, 10.) nomen inditum esse possit. Sunt, qui *rubinum* interpretantur, coll. arabico כَدْكَدَة *ingens rubedo*, parum apte loco Jesajano. Cf. *Bibl. Naturgesch.* P. I. p. 46. De נָתְנוּ בְעִזְבוֹנֵךְ vid. supra ad Vs. 12.

17. מִנִּית — יְהוּדָה *Juda et terra Israel, illi institores tui erant*, tecum negotiabantur *cum tritico Minnithico.* Tyrum annonam petiisse maxime ex Judaea, patet quoque ex 1 Reg. 5, 9. 11. et Actor. 12, 20. Nam etsi Phoenicia et ipsa tritici ferax fuit, Tyriae civitatis territorium tamen angustius fuit, quam ut incolarum multitudini proventus ille sufficeret. Terram Israeli-

ticam tritico et hordeo affluxisse, diserte dicitur Deut. 8, 8. מִנִּית nomen est proprium urbis trans Jordanem sitae, cujus et Jud. 11, 33. mentio facta. De ea Eusebius in libro de *Locis S. Script.* ex interpretatione Hieronymi: *Mennith, ubi Jephte praeliatus est; nunc autem ostenditur Mannith villa in quarto lapide Esbus pergentibus Philadelphiam.* Quibus verbis videri possit insinuari, eam urbem in ditione Israelitica sitam fuisse, quum, ut recta via ab Esbus Philadelphiam iretur, fere totum iter esset per Gaditarum regionem. Sed Ammoniticam urbem illam fuisse, Bonfrerius ad illum Eusebii locum ex eo colligi observat, quod et urbs altera, cujus in narratione Judic. 11, 33. fit mentio, *Abela vinearum*, (אָבֵל כְּרָמִים), in regione esset Ammonitarum, et quod nusquam tutius refugere poterant Ammonitae, quam in suam regionem, quae praelii loco vicina erat. Ammonitarum autem regionem tritici optimi feracem fuisse, inde patet, quod Ammonitae a Jothamo rege victi ei praeter centum argenti talenta, et *tritici decem cororum millia* pendere debuerunt, ut refertur 2 Paral. 27, 5. Neque quo minus h. l. illam Ammonitarum urbem intelligamus, illud vetat, quod vates merces ex Judaea et terra Israelitica Tyrum advectas enumerat (Vid. MICHAELIS *Supplemm.* p. 1524.). Quidni enim triticum ab Ammonitis vel emtum vel tributi loco acceptum Hebraei Tyris vendere potuerunt? Cf. *Bibl. Naturgesch.* P. I. p. 78. et *Bibl. Geogr.* Vol. III. p. 47. פַּנַּג, quod hoc solo loco legitur, videtur genus aliquod *operis dulciarii* denotare, coll. aramaeo פְּנַק, *deliciari* (literis palatinis ג et ק inter se permutatis) unde תַּפְנוּקָא sunt *delicatiores cibi ad venerem stimulantes*, in EPHREMI *Opp.* T. I. p. 48. Simile quid Chaldaeus interpres h. l. videtur indicare voluisse suo קַלְוִיָא, quod est graecum *κολία*, quod Hesychius *τὰ ἐκ μέλιτος τρωγάλια*, *bellaria ex melle* esse dicit. Quod sequitur, דְּבַשׁ, *mel* denotat non solum *apiarium*, verum et *sylvestre*, i. e. succum dulcem, ex quibusdam arboribus, palmis, ficubus, aliis, certo tempore stillantem, atque *arte factum ex uvis*, Arabibus hodienum *Dibs* vocatum, quale et h. l. intelligendum. Cf. not. ad Gen. 43, 11. Illius mellis quanta copia terra Judaica olim suppeditarit, colligi inde potest, quod Shavius, qui decennio tertio seculi decimi octavi oras illas adiit, ex solo tractu Hebronico trecentos quotannis camelos merce illa oneratos Aegyptum mitti narrat; vid. ejus *Itinerar.* p. 293. vers. germ. Quartum mercimoniae genus, quod ex Judaea ad nundinas Tyrias allatum fuisse vates noster dicit, erat שֶׁמֶן, *oleum.* Olearum feracissimam fuisse Judaeam, non solum ex Deut. 8, 8. 28, 40., verum etiam inde patet, quod Salomon Hiramo, Tyriorum regi, quamdiu servis ejus ad paranda ligna uteretur, dedisse legitur vicies mille bathos olei, 2 Paral. 2, 10. צֳרִי esse *medicam aliquam resinam*, vulneribus praecipue curandis adhibitam, donum a natura Palaestinae, maxime Gileaditidi, datum, eique ab antiquissimis inde

Jacobi et Josephi temporibus peculiare, patet ex Genes. 37, 25. 43, 11. Jer. 8, 22. 46, 11. 51, 8. Speciatim vero videtur *oleum e nuce myrobalani (Elaeagni angustifolii* Linn.), arboris circa Jerichuntem frequentis, expressum, vulneribusque sanandis aptissimum, denotare; vid. *Bibl. Naturgesch.* P. I. p. 168.

18. דַּמֶּשֶׂק סֹחֶרְתֵּךְ בְּרֹב מַעֲשַׂיִךְ *Damascus erat negotiatrix tua cum multitudine operum tuorum,* vid. ad Vs. 16. מֵרֹב כָּל־ הוֹן Vid. Vers. 12., et cf. Vs. 33. בְּיֵין חֶלְבּוֹן *Cum vino Chelbonis*, seu *Chalybonis*, quomodo Graeci efferunt, loci cujusdam Syriae, ea in regione, ubi nostro tempore nobilissima Syriae totius metropolis, *Hhaleb*, *(Aleppo)* sita; vid. *Bibl. Geographie* Vol. I. P. II. p. 266. Michaelis *Supplemm.* p. 746. seqq. Ejus regionis vinum olim fuit tam eximium, ut Persarum regibus allatum fuerit, ut testatur Strabo L. XV. p. 1068. (al. 735.). De hodierno vino Hhalebico vid. Thevenot *Itinerar.* P. III. p. 112. (edit. Amstelod. 1727. in octon.), s. P. II. p. 48. vers. teuton. (Frcof. 1693. in quatern.), et Russel *Histor. Natur. urbis Hhaleb.* P I. p. 104. vers. teuton. צֶמֶר צָחַר *Lana summe candida,* collato arabico אצחר, quod *colorem album in rubrum vergentem* denotat, nam candor summus, quodam errore visus, videtur in rubrum vergere. Unde Horatius *Od.* IV. 1. 10. *olores* vocat *purpureos.* Michaelis in *Supplemm.* p. 2085. צֶמֶר צַחַר collato arabico צַחְרָא *desertum,* vertit *lanam deserti.* „Damasceni," inquit, „lanam magni deserti Arabici coëmebant Tyrumque devehebant: quod desertum innumeri Nomades cum gregibus pererrabant. Lana autem ovium, quae Nomades pascunt, semper sub dio manentium, melior, quam illarum, quae stabula subeunt." Hanc Michaelis sententiam sequutus est Heeren *Ideen*, l. l. p. 133. Ceterum Damascenae lanae fama durabat adhuc aevo Hieronymi, cujus haec sunt verba ad h. l.: „Ad nundinas ejus de Damasco deferebatur vinum pinguissimum, et lana praecipua, quod usque hodie cernimus." Sed sericum et gossypium, quorum hodie Damasci maximus est proventus, lanae famam obscuraverunt.

19. וְדָן וְיָוָן מְאוּזָל בְּעִזְבוֹנַיִךְ נָתָנוּ *Vedanitae et Javanaei Usalitici in mercatibus dederunt* scil. merces. וְדָן et יָוָן מְאוּזָל esse nomina propria locorum Arabiae, vix dubium. Quod enim illorum nominum prius, וְדָן, attinet, illud non esse nomen tribus *Dan*, cui copula וְ sit praefixa, sed וְ esse primum nominis elementum, recte observavit J. D. Michaelis in *Spicil. Geogr. Hebr. ext.* P. II. p. 168. sqq., quum in toto hoc Capite nuspiam Vau copulativum primo nomini proprio in initio aut Versus aut sententiae praeponatur. Sed pro וְדָן conjicit וְדָן legendum, quod nomen proprium sit urbis aut regionis, et quidem Arabicum, וְאֵדָן scribendum, dualis numerus nominis וְאֵדִי, *rivus, torrens.* Jam quum in Arabia felici, s. Jemen, urbs גִּבְלָה *(Dschoblah)*

exsistat, quae, quod ad duos fluvios sita est, et מְדִינַת אַלְנַהֲרַיִן i. e. *urbs duorum fluminum* vocatur; perquam verisimile est Michaeli, *Vadan* locum esse haud diversum ab illo, qui hodie *Dschoblah* nuncupatur. Nostro vero loco non ipsam Dschoblam, sed regionem circa eam urbem, duobus fluminibus inclusam, intelligendam esse, monet in *Supplemm.* p. 578., ubi nonnulla ad confirmandam illam sententiam addidit. Nomine יָוָן h. l. non designatur Graecia, ut supra Vs. 13., sed urbs vel regio Arabiae australis, cujus Lexicographi Arabici mentionem faciunt. Additur מֵאוּזָל, ut in codicibus et libris editis plerisque hodie scribitur. Sed legendum videtur מֵאוּזָל, cum Zere sub מ, et ז sine Dagesch, quomodo hodienum in pluribus codicibus scriptum reperitur, *ex Usal,* quod Aquila et Syrus exprimunt. אוּזָל vero, Genes. 10, 27. inter Joktanis posteros memoratus, esse antiquum nomen *Sanaae*, Arabiae felicis metropoleos, demonstrarunt Bochartus *Geogr. S.* P. I. L. II. Cap. 21. p. 130. sqq., et J. D. Michaelis in *Spicil. Geogr. Hebr. ext.* T. II. p. 164. sqq., qui et ipse non dubitat, מֵאוּזָל pro genuina scriptura habendum esse. Argumentis, quibus duumviri illi demonstrant, אוּזָל esse *Sanaam*, addidimus in Scholiis uberioribus testimonia duo alia e Lexicis ab Arabibus conditis. Cf. *Bibl. Geogr.* Vol. III. p. 171. De עִזְבוֹנַיִךְ vid. ad Vs. 12. Pro נְתִנָה in codicibus aliquot נְתִנּוּ, Nun sine Dagesch scribitur; sed esse illud euphonicum propter accentum pausantem, notat Salomon Ben Melech in *Michlal Jophi* ad h. l. Ceterum merces, quae ex utroque loco Vedane et Javane Uzalitico, Tyrum allatae a vate dicuntur, sunt Arabicae. Earum quae primum locum obtinet est בַּרְזֶל עָשׁוּת *ferrum fabricatum* in laminas gladiorum puta. עָשׁוּת nomen adjectivum a verbo עָשַׁת *fabricavit*, ex qua notione altera *cogitandi* et *moliendi aliquid* orta videtur, nec non nomen עֶשֶׁת Talmudicis usitatum, *laminas ferreas* significans. Cf. Buxtorfii *Lexic. Chald.* p. 1683. Vulgatus: *ferrum fabrefactum.* Chaldaeus: *laminas ferreas.* Fuisse olim nobilissimos in Arabia gladios Jemenenses, ut vel nullo addito substantivo יְמָנִיִּי *Jemenensis*, pro *gladio* diceretur, apparet e carmine veteris cujusdam poëtae Arabici, quod inter Excerpta ex *Anthologia, Hhamasa* dicta, ab A. Schultens ad calcem Grammaticae Erpenianae edita p. 428. legitur. Verba arabica attulit Michaelis in *Spicil. Geogr. Hebraeor. exter.* P. II. p. 173., de nostro loco disserens; additque, etsi nostro tempore minus celebres sint gladii Jemenenses, esse tamen in provincia Sahan ferri fodinas, licet ob penuriam ligni, inscitiamque Sahanensium et carum nimis sit Sahanense ferrum, nec bonum, testante Niebuhrio *Descript. Arab.* p. 271. Verum quemadmodum hodie celeberrimae sunt laminae s. gladii, quibus a Damasco est nomen, non quod ferrum, e quo sunt fabrefacti, prope eam urbem foditur, (illud enim ex India Damascum adferri solet), sed quod Damasceni cudendi artem optime callent;

ita et mercatores Arabici a vate nostro memorati laminas ferreas a suis artificibus paratas Tyrum advehere potuere, etsi ipsorum regio ferri fodinis careret. In ipsa Jemena (verbis utor Michaelis l. c.) acinaces majores non amplius cudi audiit Niebuhrius (l. c. p. 217.), sed cultros incurvos majores, lamina lata, acutos, quibus Arabes accingi solent; major autem horum cultrorum vis ex Hhadramaut in Jemenam importatur. קִדָּה וְקִנָּמָה Exod. 30, 24. inter aromata, ex quibus unguentum sacrum praeparandum erat, nominantur. *Casiam* et *calamum aromaticum* illis nominibus significari, verisimile est; cf. not. ad Exodi l. c., et *Bibl. Naturgesch.* P. I. p. 177. et 268. Utrumque hic in Arabum computatur mercibus, quia, si non in Arabia nascitur, sed in India, cui soli proprium esse multi volunt, tamen ex India per Arabes in Syriam convehebatur.

20. דְּדָן רֹכְלָתֵךְ *Dedan* Idumaeae (vid. not. supra ad Vs. 15.) *negotiatrix tua*, cf. supra Vs. 3. 23. בִּגְדֵי חֹפֶשׁ plurcs *vestes libertatis* interpretantur (coll. חָפְשִׁי *manumissus*, *libertus*, Exod. 21, 2. 26. 27. Job. 3, 19.), quibus nobilissimas et magnificas, quae decent ingenuos et liberos, indicari volunt. Cui interpretationi Michaelis in *Supplemm.* p. 882. recte opponit, quamvis *liberi*, *ingenui*, nobiles dici possint, multarum linguarum usu concinente, itemque vestis pretiosa, *vestis nobilium;* multum tamen interesse inter *manumissum* et *ingenuum*, seu *nobilem*, *vestesque manumissorum* legentem non sane de splendidis vestibus cogitaturum esse, aegriusque adco assequuturum, quid illae ad equitandum (לִרְכָבָה). Sed חֹפֶשׁ illustratur arabico حَفَشَ *humi stravit*, בְּגָדִים autem non solum de *vestibus*, verum et omnino de *velis majoribus* usurpari (veluti Num. 4, 6. 7. 8. 9. 11. cet. de velo, quo res sacrae involvuntur), notum. Quare בִּגְדֵי חֹפֶשׁ erunt *tapetia humi sternenda*, לִרְכָבָה *ad insedendum*, s. *ad sessionem*, Infinitivus nominascens formae לִגְרָאָה Deut. 4, 10., vel בְּחָטָאָה (cf. Buxtorfii *Thesaur. Grammat.* p. 233.). Eandem interpretationem Latinus Vulgatus s. Hieronymus pracivit *(in tapetibus ad sedendum)*, quae sane perquam commoda est. Nam orientales tapetibus humi stratis sedere, quis nescit? Alii לִרְכָבָה ad *vehendum* s. *equitandum* vertunt, ut significentur *tapetia equis instrata*, quibus insideat eques, s. opercula ephippiorum.

21. עֲרַב וְכָל־נְשִׂיאֵי קֵדָר הֵמָּה סֹחֲרֵי יָדֶךָ *Arabia*, Arabes, *et omnes principes Kedar* i. e. Arabum Cedreorum, Nomadum (vid. not. ad Jes. 42, 11. edit. sec.) *erant negotiatores manus tuae*, tuo ministerio utebantur in distrahendis mercibus suis, cf. not. supra ad Vs. 15. Recte LXX: *οὗτοι ἔμποροί σου διὰ χειρός σου.* Chaldaeus pro קֵדָר posuit נְבָט, *Nabataeos* significans, tribum Arabum, ab Ismaelis primogenito *Nebajot* (vid. Genes. 25, 13.), oriundam. בְּכָרִים וְאֵילִם וְעַתּוּדִים בָּם סֹחֲרָיִךְ *Cum agnis*, *et arietibus*, *et hircis*, *cum iis*, inquam, erant *ne-*

gotiatores tui. „Arabia, et principes Cedar, quae hodie Saracenorum regio est, sicut in Jeremiae sermone [49, 18.], qui adversus Cedar scribitur, plenissime demonstratum est, abundant his animantibus, agnis videlicet et arietibus, et hoedis, et Tyri nundinas hac illatione multiplicant.“ Hieronymus.

22. רֹכְלֵי — רֹכְלַיִךְ *Mercatores Schebae et Raghmae illi* sunt *mercatores tui.* שְׁבָא *Sabaeos* illos videtur indicare, quos Pomponius Mela L. III. Cap. 8. dicit Arabiae felicis partem tenere ostio maris Persici proximam, et Caramanis, qui Genes. 10, 7. *Raghma*, qui apud nostrum statim sequitur, orti dicuntur. Et in illo ipso ostio Caramanis proximo Arrianus in Periplo recenset ὄρη μέγιστα λεγόμενα Σαβώ, *montes maximos Sabo dictos*, tanquam a Saba. Cf. Bocharti *Geograph. S.* P. I. L. IV. Cap. 7. p. 249. רַעְמָה *Raama*, inquit Hieronymus, „sive juxta Septuaginta *Rhegma*, in nullo alio Scripturarum loco invenire potui [nominatur tamen Genes. 10, 7. inter *Cuschi* filios], nec quae regio sit, quidque significet; nisi quod manifestum est, et ex eo, quod jungitur Saba, vicinam huic provinciae esse regionem.“ Urbem *Rhegmam* ad ostium maris Persici sitam memorat in suis tabulis Ptolemaeus, quam ipsam nostram רַעְמָה esse, Bocharti opinio est valde probabilis, l. c. C. V. p. 247. בְּרֹאשׁ כָּל־בֹּשֶׂם *Cum capite* i. e. praecipuo (ut Exod. 30, 23. Cant. 4, 14.) *omnium aromatum*, praestantissimo quoque aromate. נָתְנוּ עִזְבוֹנָיִךְ Quae *fecerunt mercatus tuos*, Vs. 12. Merces hic commemoratas, aromata, gemmas, et aurum, Sabaei et Rhegmaei, sinus Persici accolae, trans mare ex India vicina petebant, et jumentis Tyrum deferebant, quemadmodum hodienum quotannis aliquoties mercatorum simul iter facientium turmae *(Caravanae)* a Bassora, haud procul a sinu Persico sita, per deserta Hhalebam proficisci solent. Vid. Niebuhrii *Itiner.* P. II. p. 236. sqq.

23. חָרָן *Hharan*, Syris ܚܪܢ Arabibus حَرَّان dicta, urbs et regio Mesopotamiae, ex qua Abrahamus, patre ibi considente, Dei jussu in Palaestinam migravit, Genes. 11, 31. (ad quem locum vid. not.) 32. 12, 5. Actor. 7, 2. Romanis *Carrae* dicta, Crassi postea clade nobilitata. Vid. librum nostrum *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* P. I. Vol. II. p. 149., Assemani *Biblioth. Orient.* T. III. P. II. p. 755. et Michaelis *Supplemm.* p. 930. sqq. Uterque tamen, et Assemani et Michaelis, nostro loco aliam *Hharan* intelligendam volunt, Arabiae felicis urbem, recentioribus Arabiae Geographis *Hharan elkorin* dictam, vid. Assemani l. c. p. 563. sq. Cetera quoque loca, hoc Versu commemorata, excepto *Assur*, vel in vicinia maris Persici, vel in Arabia quaerunt; unde non tantum duplicem חָרָן, verum quoque duplicem עֵדֶן (Michaelis adeo quadruplicem) fingunt, aliam, quae 2 Reg. 19, 12. Jes. 37, 12., aliam, quae h. l. memoratur, quam Arabiae urbem emporiumque ad oceanum Indicum celeberrimum, *Aden*

opinantur; vid. MICHAELIS *Supplemm.* p. 1840. Verum quum 2 Reg. 19, 12. חָרָן et עֵדֶן non diu ante Hiskiam a rege Assyriae subacta dicantur, eademque loca a nostro hoc Versu una cum אַשּׁוּר nominentur, utroque loco easdem regiones aut urbes significari credibile est. כַּנֵּה eandem, quae Genes. 10, 10. Amos. 6, 2. כַּלְנֵה, et Jes. 10, 9. כַּלְנוֹ vocatur, Graecis *Ctesiphon*, ad Tigrim ab oriente, esse putant, caput *Chalonitidis*. Vid. libr. nostr. laudat. Vol. I. P. II. p. 27. Verisimilius sane illi, quam Assemani (T. III. P. II. p. 562.), et Michaelis (*Supplemm.* p. 1198.), qui *Canen*, emporium felicis Arabiae, Ptolemaeo sub Hadramautae regione memoratum, intelligendum arbitrantur. Sed vatem, relictis Arabiae regionibus aliisque locis mari Persico vicinis (Vs. 21. 22.), hoc Versu ulterius, septentrionem versus, ad regiones Euphrati et Tigridi vicinas, progredi, arguit Assyriae, locorumque sub ejus ditione *(Charanis* et *Edenis)* sitorum mentio. Qua de causa שְׁבָא quod h. l. nominatur, diversum judico ab eo, quod Vs. 22. recensetur, et nostrum quidem in Arabia deserta quaerendum non dubito, ut idem sit cum שְׁבָא, cujus Job. 1, 15. fit mentio (de quo vid. Prolegomm. ad Job. §. 5.). Pro וְכַנֵּה exhibent וְכַלְנֵה unus codex Rossianus a prima manu. Ita Grotius et Hubigantius; et כַּנֵּה esse h. l. ex diversa scriptione ipsam כַּלְנֵה, i. e. Ctesiphontem, conjecit BOCHARTUS *Geogr. S.* P. I. L. IV. C. 18. p. 270., cui tamen MICHAELIS in *Spicil.* P. 229. consensum omnium veterum interpretum, nomen sine Lamed exprimentium, opponit. De כִּלְמַד, nomine loci plane ignoti, variae sunt interpretum conjecturae. HIERONYMUS: „*Chalmad*, sive, ut in quibusdam exemplaribus continetur, *Cherma*, transfertur in *vineas*.“ Fuerunt igitur codices, in quibus כרמה scriptum, quod ipsum LXX expresserunt, qui *Χαρμὰν* habent, quod Theodoretus *τὴν λεγομένην Καρμαήνην* esse ait, quae regio ubi sit quaerenda nos quidem ignoramus. BOCHARTUS conjicit *Geogr. S.* P. II. L. I. C. 18. p. 480., כִּלְמַד esse Syris כלמדא *Chalmadda* pro כלמנדא *Chalmanda*, Xenophonti *Charmande*. Pro רֹכֶלְתֵּךְ *negotiatrix tua* legitur רְכֻלָּתֵךְ *negotiatio tua*, in codice uno Rossiano, et in alio a prima manu.

24. מְכֻלָּלִים cum Pathach sum מ hoc solo loco legitur, quum alias מִכְלָלִים, cum Chirek, scribi soleat, quomodo et h. l. codices haud pauci habent. Cum Pathach tamen illud jam legit Theodotion, qui *ἐν Μαχαλὶμ* reddidit. Sed significatione videtur non differre a מִכְלָלִים, supra 23, 27. et infra 38, 4., quod utroque loco de vestimentis usurpatum *perfectissima*, s. *vestes perfecta pulchritudine* notat. Alii h. l. res quasque absolutissimas et perfectissimas intelligunt. גְּלוֹמֵי תְכֵלֶת *Involucra*, pallia *hyacinthi*, hyacinthina. גְּלוֹם a verbo גָּלַם, quod 2 Reg. 2, 8. de pallio Eliae convoluto dicitur, Hebraei fere מַלְבּוּשׁ i. e. vestimentum, quo homo se ipsum operit et involvit, interpretantur.

Ita et Vulgatus: *involucris hyacinthi.* De וְרִקְמָה vid. supra Vs. 7. 16. גִּנְזֵי בְרוֹמִים *Thesauri vestium pretiosarum.* גִּנְז *Gazam*, *thesaurum*, notare, vix dubium, vid. Esth. 3, 9. 4, 7.; בְּרוֹמִים autem est nomen generale, quo vestes quaeque pulcherrimae comprehenduntur, Kimchio auctore, qui se a patre audivisse narrat, vestes pulchras et honoratas arabice dici תאב מברומא. בַּחֲבָלִים חֲבֻשִׁים LXX vertunt *δεδεμένους σχοινίοις*. Vulgatus: *quae obvolutae et adstrictae erant funibus.* Syrus: *constrictae funibus.* אֲרָזִים plerique adjectivum nominis אֶרֶז *cedrus* existimant, ut significentur *cistae cedrinae*, quibus vestium volumina inclusa fuerint. Sed magis congruit, collato Arabico אָרַז *contraxit se in unum, collegit firmavitque se*, vocabulum hebraeum *firmiter constricta et compacta* interpretari, quomodo חֲבֻשִׁים וַאֲרָזִים significatione cognata apte juncta erunt. בְּמַרְכֻלְתֵּךְ Erant *in mercatu tuo*, in nundinis tuis.

25. אֳנִיּוֹת תַּרְשִׁישׁ שָׁרוֹתַיִךְ מַעַרְבֵךְ *Naves Tartessi* sunt *catervae commeantes in commercio tuo.* In priori hujus Versus hemistichio negotium facessit interpretibus שָׁרוֹתַיִךְ. Nomen שָׁרוֹת ceteris, quibus in V. T. occurrit, locis, 2 Sam. 19, 36. 2 Paral. 35, 25. Cohel. 2, 8., cum שָׁרִים, *cantores*, junctum, *cantatrices* significat. Quae notio tamen h. l. aptum sensum vix fundat. Nam Coccejii interpretatio: *naves Tarschisch* habent *cantatrices tuas* et *mercem tuam*, i. e. laetitia Tyriorum in totum mare se effudit, et voluptas eorum ex toto orbe venit, illis arbitrium omnis negotiationis habentibus; vel, quod alii volunt: *naves Tarschisch decantantes*, laudantes *te erant ob commercium tuum*, nemini facile, nisi auctoribus harum interpretationum, placuerit. Verum non dubito vidisse Kimchium, שָׁרוֹת significatu haud differre a Chaldaico שִׁירָה *turma*, *caterva commeantium*, quod ipsum Onkelos Genes. 37, 25. pro hebraeo אֹרְחָה posuit, a שׁוּר, arab. סאר *abiit, profectus fuit.* Erunt igitur שָׁרוֹת *turmae euntes ad negotiationem*, sive per terram, sive per mare; nam et per mare simul eunt multae naves mercibus onustae *(Handelsflotten).* Quare verborum nostrorum sensus hic erit: naves Tarsenses turmatim ad te ibant negotiandi causa. Ante מַעַרְבֵךְ subaudiendum est ב vel ל, *in negotiatione tua* s. *ad negotiationem tuam.* וַתִּמָּלְאִי *Unde impleta es* opibus et hominibus, cf. 26, 2. וַתִּכָּבְדִי *Et honorata*, *gloriosa* (Jes. 66, 5. Job. 14, 21.), vel *dives* et opulenta, sive mercibus quasi *gravis* et *onusta facta es*, quo sensu כָּבֵד Genes. 13, 2. 31, 1. 50, 9. usurpatur. De בְּלֵב יַמִּים vid. supra Vs. 4. Tum suâ, tum illorum industriâ, qui ad Tyrium emporium confluebant, portabantque quicquid in rerum natura putabatur pretiosum et pulchrum, quum esset medio in mari, id est, in loco maxime convehendis distribuendisque mercibus opportuno, repleta est et decorata Tyrus rerum omnium abundantia et gloria.

26. Adhuc de potentia et gloria Tyri, cujus descriptio latius deducta fuit, ut calamitas, quae illam sequutura est, eo magis exaggeretur. בְּמַיִם רַבִּים Sed *in aquas multas* (Ps. 77, 20.) scil. calamitatum, et in naufragii quasi excidiique periculum, הֹבִיאוּךְ הַשָּׁטִים אוֹתָךְ *deduxerunt te qui remis agebant te*, i. e. gubernatores tui. Bellum maris fluctibus, civitatem Tyriam navi, ut Horatius (Od. L. I. Od. 15.), rempublicam Romanam, comparat, proceresque remigibus et naucleris. JARCHI: „Sicut fieri solet navibus magnis, quas summa diligentia in altum ducunt, et postquam tu (o navis) repleta et onerata fuisti, ortus ventus Orientalis fregit te in medio mari, et quoad comparationem urbis (Tyri); sensus hic est: postquam repleta fuisti divitiis, extulit se animus tuus, et venit super te poena." Similiter apud APPIANUM *de bello Punico* Cap. 51. Romanus Consul Censorinus Hannoni, extremum Carthaginis excidium deprecanti: *Ὅλως τε μοὶ δοκεῖ πόλις ἡ μὲν ἐν τῇ θαλάσσῃ ναῦς τις εἶναι μᾶλλον ἢ γῆ, πόλλὺν τὸν σάλον πραγμάτων ἔχουσα καὶ τὰς μεταβολάς. Omnino mihi civitas maritima navis potius videtur, quam terra, magnis obnoxia quod ad statum et negotia sua jactationibus et mutationibus.* שָׁטִים, quod nos cum veteribus plerisque *remiges* intelligimus, uti supra Vs. 8. (coll. שַׁיִט, *remus*, Jes. 33, 21.), qui infra Vs. 29. תֹּפְשֵׂי מָשׁוֹט, alii a *flagellandi* notione, quam verbum שׁוּט obtinet, *flagellantes*, *praedantes* (vid. Chaldaeum infra), interpretantur, alii iidem quod infra 28, 24. הַשָּׂאטִים notare volunt, ut Dathius, qui nostra verba sic vertit: *qui tibi invident*, et in nota subjecta שָׁטִים ait pro שָׂאטִים scriptum esse, a שָׂאַט *contemsit*, *vilipendit*, ut Chaldaicum et Syriacum שׁוּט. Chaldaeus: *sicut aquae multae ascenderunt contra te et diripuerunt te.* Legit כְּמַיִם, quod etiamnum in uno codice Rossiano a prima manu reperitur; et pro הַשָּׁטִים legit הַשָּׂאטִים (a verbo שָׂאַט *depopulari*), quod itidem multi codices exhibent. Reliqui veteres verba ita exprimunt uti hodie in plerisque codicibus scripta leguntur. רוּחַ הַקָּדִים, *Ventus orientalis*, h. l. procellosum atque impetuosiorem *eurum*, nautisque timendum indicat, in Arabia, Palaestina et Archipelago, Anglis proprio nomine *Levanteer*, Gallis *Levanté* dictum, Actor. 27, 14. *Εὐροκλύδων*, seu ex alia lectione, *Εὐρακύλων*. Idem ventus Ps. 48, 8., ubi itidem naves Tarschisch ejus violentia frangi dicuntur, intelligendus. Kimchi et Grotius *orientalis venti* mentionem eo referunt, quod Chaldaei, ex Oriente venientes, illo significentur. Chaldaeus: *rex qui fortis est sicut ventus orientalis.* שְׁבָרֵךְ *Franget* et merget *te*, ut navem, Vs. 34. „Continuatur metaphora: *remis* et *vento* fucrat Tyrus facta gloriosa; tanquam vento et remis in mare deturbatur." COCCEJUS.

27. הוֹנֵךְ וְעִזְבוֹנַיִךְ *Unde opes tuae et negotiationes tuae*, i. e. quae tibi tuis negotiationibus acquisita fuerunt. LXX: *καὶ*

ὁ μισθός σου. Vulgatus: *et thesauri tui.* Syrus: *et merces tua.* Chaldaeus: *et opes tuae.* מַעֲרָבֵךְ *Mercatus tuus*, Vs. 9. 17. מַלָּחַיִךְ *Nautae tui*, Vs. 9. וְחֹבְלַיִךְ *Et naucleri tui.* LXX: καὶ οἱ κυβερνῆται σου. Vulgatus: *et gubernatores tui.* מַחֲזִיקֵי בְדֻקֵּךְ *Confirmantes*, reparantes, *rupturam tuam*, qui scissuras tuas sarciunt, et muros ab hoste ruptos reparant, Vs. 9. וְעֹרְבֵי מַעֲרָבֵךְ *Et negotiantes negotiationem tuam.* Chaldaeus: *et inferentes negotiationes in tabernas tuas.* וְכָל־אַנְשֵׁי מִלְחַמְתֵּךְ אֲשֶׁר־בָּךְ *Et omnes viri belli tui, qui in te* sunt, milites tui, ut Vs. 10. וּבְכָל־קְהָלֵךְ אֲשֶׁר בְּתוֹכֵךְ *Et cum omni congregatione quae in medio tui* est. „*Multitudinem*, exceptis principibus, vulgus significat, qui absque nomine dignitatum simili judicio conterentur. Mixtaque prophetia est inter urbem et navem, ut ex altero alterum intelligas.“ Hieronymus. Cf. not. supra ad Vs. 5. Pro וּבְכָל־קְהָלֵךְ habent וְכָל־קְהָלֵךְ (sine ב) multi codices et libri typis expressi, consentientibus LXX, Syro et Chaldaeo. יִפְּלוּ בְלֵב יַמִּים *Cadent*, bellica clade concident *in cor marium.* בְּיוֹם מַפַּלְתֵּךְ *Tempore casus*, excidii *tui*, ut supra 26, 15. 18.

28. לְקוֹל זַעֲקַת חֹבְלַיִךְ *Ad sonitum clamoris*, quem edent *naucleri tui*, ob ruinam suam et tuam; i. q. Jes. 15, 5. זַעֲקַת־שֶׁבֶר *clamor* ob *confractionem* s. excidium editus. Quum naucleri animum abjiciunt et ejulant, actum est de salute vectorum. יִרְעֲשׁוּ מִגְרָשׁוֹת *Contremiscent suburbana*, non insula tantum, sed et proxima continens, ut Grotius notat. Nomen מִגְרָשׁוֹת cum feminina pluralis terminatione hoc solo loco occurrit, nam alias a singulari מִגְרָשׁ (vid. infra 45, 2. 48, 15. 17.), pluralis est מִגְרָשִׁים, vid. Num. 35, 3. 4. 5. Significatu tamen מִגְרָשׁוֹת nihil differre videtur a masculino, quo *suburbia* indicari, loca excitata non sinunt in dubium vocare. A verbo גָּרַשׁ, *ejecit, expulsit* (Exod. 34, 11.), *suburbanum*, seu *villam extra urbem* nuncupatam volunt Hebraei, quod sit tanquam ex urbe expulsum. Sunt qui nostrum מִגְרָשׁוֹת *classes* exponant, ita dictas, quod in mare propelluntur; conjectura perquam lubrica, quam tamen jam vetus Latinus interpres sequutus est. Cf. not. supra ad 26, 15.

29. וְיָרְדוּ מֵאֳנִיּוֹתֵיהֶם *Et descendent de navibus suis*, „in scaphas se daturi, ut terram quam primum arripiant, et sic malum evadant.“ Grotius. כֹּל תֹּפְשֵׂי מִשּׁוֹט מַלָּחִים *Omnes tenentes remum* (cf. ad Vs. 26.) *nautae*, cf. ad Vs. 9. כֹּל חֹבְלֵי הַיָּם *Omnes nautae maris;* cf. Vs 8. אֶל־הָאָרֶץ יַעֲמֹדוּ (pro עַל) *Super terra stabunt*, velut ejecti e mari s. navibus. „Dicentes: quid nobis amplius opus est navibus? quorsum deducemus amplius merces?“ Jarchi.

30. וְהִשְׁמִיעוּ עָלַיִךְ בְּקוֹלָם *Et audire facient*, scil. קוֹל, clamorem edent, *super te cum voce sua*, quemadmodum Ps. 68, 34. dicitur יִתֵּן בְּקוֹלוֹ קוֹל עֹז *dabit cum voce sua vocem fortem;*

eodem modo verbum הִשְׁמִיעַ cum ב construitur 1 Chron. 15, 16. 28. 16, 5. 42. Alias simpliciter dicitur הִשְׁמִיעוּ זְעָקָה *audire fecerunt*, ediderunt, *clamorem*, Jer. 48, 4.; הַשְׁמִיעַ קוֹלָךְ *audire facias vocem tuam*, Ps. 51, 10.; הַשְׁמִיעוּ אֶת־קוֹלְכֶם *audire facietis vocem vestram*, Jos. 6, 10. וַיִּזְעֲקוּ מָרָה *Et clamabant* scil. זְעָקָה *clamorem acerbum*, ut Genes. 27, 34. וַיִּצְעַק צְעָקָה, גְּדֹלָה וּמָרָה, et Esth. 4, 1. וַיִּזְעַק זְעָקָה גְדוֹלָה וּמָרָה. — וַיַּעֲלוּ עָפָר עַל־רָאשֵׁיהֶם *Et ascendere facient pulverem super capita sua*, ea pulvere conspergent (וַיִּזְרְקוּ עָפָר עַל־רָאשֵׁיהֶם Job. 2, 12.), maximi doloris indicium, vid. Jos. 7, 6. 1 Sam. 4, 12. 2 Sam. 13, 19. Ita VIRGILIUS *Aeneid.* 10. Vs. 844. describit Lausi patrem, filium deflentem: *Canitiem immundo deformat pulvere.* Cf. GEIERUM *de luctu Ebraeorum* Cap. 9. §. 3. et not. ad Jobi loc. citat. Verbis בָּאֵפֶר יִתְפַּלָּשׁ Kimchi ait *volutationem in cinere ut eo involvaris* significari, et Jarchi quoque יִתְפַּלָּשׁ per יתגלל, *volutare se*, explicat. Cognatae quidem dialecti eam notionem ignorant, neque tamen propterea est repudianda. Ter, praeter hunc locum, verbum illud et sola in forma Hithpaël occurrit, bis (Jer. 6, 26. et h. l.) cum בָּאֵפֶר, semel (Mich. 1, 10.) *τῷ* עָפָר junctum, et Jer. 25, 34. alterutrum illorum nominum est subaudiendum. Cunctis hisce locis dicitur de iis, qui luctus significandi causa pulvere aut cinere sese conspergunt, aut involvunt. Quomodo apud HOMERUM *Odyss. Ω.* Vs. 315. Laërtes, Ulyssis pater:

Ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν
Χεύατο κὰκ κεφαλῆς πολιῆς, ἀδινὸν στεναχίζων.

Ambabus manibus sumens cinerem fuliginosum fudit in capite cano, graviter suspirans. Ita matres lugentes interfectos filios in Euripidis *Supplicibus* dicunt: *ἀμφὶ δὲ σποδὸν κάρα κεχύμεθα, cinerem vero circa caput fudimus.*

31. וְהִקְרִיחוּ אֵלַיִךְ קָרְחָה *Inducentque sibi* lugentes *propter te* (pro עָלַיִךְ, ut saepe apud Nostrum) *calvitiem* (pro קָרְחָא, forma Chaldaica, plures codices habent קָרְחָה), more Phoenicum, ut Grotius notat, nam Israelitis divina lege interdictum erat in luctu crines tondere, Levit. 19, 27. Deut. 14, 1. Nihilominus tamen serioribus temporibus eum morem et inter Israelitas invaluisse, patet ex pluribus prophetarum locis, vid. supra 7, 18. Jes. 22, 12. Jer. 7, 29. 16, 5. 41, 5. Amos. 8, 10. Mich. 1, 16. וְחָגְרוּ שַׂקִּים *Et accingent se ciliciis*, cf. supra 7, 18. et Geieri l. c. Cap. 22. §. 7. sqq. וּבָכוּ אֵלַיִךְ בְּמַר־נֶפֶשׁ *Et flebunt super te cum amaritudine animae*, ut Job. 7, 11. 10, 1. מַסְפֵּד מָר *Planctu amaro;* cf. 21, 11.

32. וְנָשְׂאוּ אֵלַיִךְ בְּנִיהֶם קִינָה *Attollentque ad te*, s. *super te in lamento suot hrenum.* בְּנִיהֶם contracte pro בְּנֹהֵיהֶם, nam a radice נָהָה est נְהִי *lamentum*, Jer. 9, 17, 18. Mich. 2, 4. Alii, quemadmodum a רָוָה fit רִי *irrigatio*, Job. 38, 11., ita נִי putant esse

a נוּהַ, cui ceterum eandem quam נָהָה, *questus est*, obtinet, significationem tribuunt. Pro בְּנֵיהֶם exhibent בְּנֵיהֶם *filii eorum* undecim codices Rossiani, et quatuor alii a prima manu, et editiones aliquot veteres. Eodem modo legerunt LXX, Arabs, Theodotion et Syrus. וְקוֹנְנוּ עָלָיִךְ *Et lamentabuntur super te*; cf. 32, 16. Ante מִי כְצוֹר *quis sicut Tyrus* est, vel: *quae* unquam fuit urbs *sicut Tyrus?* subaudiendum est כָּאֲמֹר, ut Jes. 14, 8. 58, 2. et saepius; nam loquentes inducuntur gentes aliae. דְּמָמָה alii vertunt *sicut excisa*, formae כְּלָמָה (2 Reg. 2, 10), a דָּמַם, unde נִדְמֵיתִי *excisus sum*, Jes. 6, 5. cf. 15, 1. Jer. 14, 17.; alii, ut Kimchi, qui Ps. 94, 17. שָׁכְנָה דוּמָה נַפְשִׁי *habitat in silentio*, i. e. in sepulchro, *anima mea*, confert, a radice דּוּם, *siluit*, vertunt: *sicut ad silentium redacta*, i. e. excisa; sensu igitur non diverso a priore interpretatione. Sic jam Hieronymus. Sed quum Versu demum 34. quos vates Tyrii casum lamentantes inducit, tempus excidii illius commemorent, Versu 33. vero in descriptione pristinae opulentiae urbis versentur, nostra quoque verba de feliei Tyri statu intelligenda arbitror (cf. not. ad Vs. 26. init.). Quare nostra dictio a דָּמַם, *siluit*, *conticuit*, et metaphorice *quievit*, *substitit*, vel *sicut quieta in medio maris* vertenda erit (ita Michaelis in versione teutonica: *Wer war wie Tyrus? wie die mitten im Meer ruhige Stadt?*), vel, quod malim: *sicut stabilita medio in mari*, a דָּמַם, *substitit* (Jos. 10, 12. 13., ubi ut synonymum ei respondet עָמַד), unde דְּמָמָה *constituta*, *stabilita*, ut חֻקָּה *statutum* a חָקַק *statuit*. Eundem sensum Syrus expressit; *et dicent: quaenam erat sicut Tyrus, quae habitabat in medio maris?*

33. בְּצֵאת עִזְבוֹנַיִךְ מִיַּמִּים *Per hoc, quod exiverunt negotiationes tuae ex maribus*, i. e. eo quod longinquis navigationibus ex omnibus maribus merces tibi adveherentur, הִשְׂבַּעַתְּ עַמִּים רַבִּים *satiasti populos multos*, abunde prospexisti illis mercibus tuis. עִזְבוֹן *Negotiatio* h. l. merces significat, quae negotiationi subjectae sunt (ut saepius *actio* pro *subjecto*, seu *objecto actionis*, veluti *auditio* pro *sermone*), quae de mari celeberrimoque illo emporio egrediebantur populosque, quibuscum aliquid erat commercii, locupletabant. בְּרֹב הוֹנַיִךְ וּמַעַרְבַיִךְ הֶעְשַׁרְתְּ מַלְכֵי־אֶרֶץ *Multitudine opum tuarum et mercatibus tuis ditasti reges terrae.* Quod Grotius ad vectigalia refert, quae Tyrii mercatores ex mercibus advectis pendebant. Nos tamen alterum hemistichium sensu haud multum differre putamus a priore, ut hoc tantum dicatur, reges terrae a mercatoribus Tyriis abunde mercimoniis pretiosis instructos fuisse.

34. עֵת נִשְׁבָּרַת מִיַּמִּים בְּמַעֲמַקֵּי־מָיִם *Tempore contrita a maribus in profunditates aquae*, i. e. tempore, quo fluctibus maris confracta et submersa es, instar navis, Vs. 26. Verba עֵת נִשְׁבָּרַת dicta sunt pro בְּעֵת אֲשֶׁר תִּהְיֶה נִשְׁבֶּרֶת; similis phrasis

Jer. 49, 8. עֵת פְּקַדְתִּיו, *tempus quo eum visitabo;* ibid. 50, 31. עֵת פְּקַדְתִּיךָ *tempus quo visitabo te;* et 51, 33. עֵת הְדְרִיכָהּ *tempus calcandi eam.* מִיַּמִּים, quod nos *a maribus*, i. e. a fluctibus maris (fracta) vertimus, KIMCHI constructione quam vocant praegnantem sic intelligit: tempore, quo fracta es, *ita ut non exirent merces tuae e maribus* (שֶׁלֹּא יִצְאוּ לָךְ עִזְבוֹנַיִךְ מִיַּמִּים, cf. Vs. 33.), i. e. ut non adveherentur amplius tibi merces e maribus, ut antea. מַעֲרָבֵךְ idem Kimchi pro אַנְשֵׁי מַעֲרָבֵךְ, *negotiatores tui*, positum notat. — וְכָל־קְהָלֵךְ בְּתוֹכֵךְ נָפָלוּ *Et omnis congregatio tua*, quae *in te*, *cadent;* cf. Vs. 27.

35. כֹּל־יֹשְׁבֵי הָאִיִּים *Omnes incolae* maritimarum regionum et *insularum*, Vs. 3. 7. 15. שָׁמְמוּ עָלַיִךְ *Obstupescent super te*, ut supra 26, 16. cf. ad rem Zachar. 9, 3—5. שָׂעֲרוּ שַׂעַר *Horrescent horrorem*, ut infra 32, 10. Verbum שָׂעַר, quod proprie *horripilare* (a שַׂעַר *pilus*) significare videtur, praeter duo haec Nostri loca, bis tantummodo, Deut. 32, 17. et Jerem. 2, 12., nomen vero, *horroris* significatu, semel, Job. 18, 20., legitur. Uno loco, Jes. 28, 2. nomen שַׂעַר *turbinis* notione usurpatur, qua alias (Jon. 1, 4. Ps. 83, 10.) cum *Samech* scribitur, et eodem significatu h. l. cepit illud Hieronymus, qui *tempestate perculsi* vertit. רָעֲמוּ פָנִים *commoti erunt vultibus* turbatis. Verbum רָעַם, quod proprie *commotionem*, seu *concussionem*, quae tonitru comitatur, denotat (cf. Ps. 96, 11. 98, 7.), transfertur ad animi commotionem, hoc est, fremitum et indignationem, quae externa commotione apparet, non absimili tonitruo, estque intransitivum, ut non sit vertendum *commoverunt faciem*, sed, *commoti sunt vultu.*

36. סֹחֲרִים בָּעַמִּים *Mercatores inter populos*, aliarum gentium mercatores, Vs. 21. שָׁרְקוּ עָלַיִךְ *Sibilabunt super te*, sive, ut alii: frendent prae stupore, coll. 1 Reg. 9, 8. *Omnis qui transierit juxta eam* יִשֹּׁם וְיָשֹׁרֵק *obstupescet et sibilabit.* HIERONYMUS ad h. l.: „Stuporis magnitudinem admiratione et sibilo testabuntur.“ De בַּלָּהוֹת וגו vid. supra 26, 21. et ibi not. Recurrit eadem formula infra 28, 19.

CAP. 28.

Argumentum.

Quum praecedenti Capite vates contra Tyrum civitatem egisset, nunc seorsum contra Tyri regem vaticinium convertit. Et primum ejus superbissimum stuporem exagitat, qui eo progressus est insaniae, ut se Deum esse, aut Deo quam simillimum existimaret (Vs. 2—5.), cui propterea exitium indicit ab externa et potentiori manu (6—10.). Deinde pulchritudinem ejus et majestatem describit et amplificat sumta similitudine a Cherubo, qui erat in interiori templi secessu, et expansis alis arcam obumbrabat, ubi aureus erat, et e pretioso lapide mirificus splendor (11—15.); ex eo tamen loco et majestate casurus esse dicitur cum aliarum gentium stupore et sibilo (16—19.). Denique Sidoniis eundem, quem praecedenti capite Tyriis, interitum praedicit (20—24.). Ad extremum Judaeis reditum in patriam promittit, et ibi seeuros et tranquillos dies, quum sublatis populis, quos habuerunt infensos, nullus deinceps futurus sit, qui illorum paeem interpellet ac turbet (25. 26.).

2. אֱמֹר לְנָגִיד צֹר *Dic principi*, i. e. regi *Tyri*, qui infra Vs. 12. מֶלֶךְ צֹר voeatur. Nomen נָגִיד, quod a *ducendi* significatione Aramaeis usitata, proprie *ducem*, et vero *bellicum* notat (Arabibus נَجَد est *animosus*, *strenuus fuit*, et نَجِيد *strenuus*, *fortis*), deinde ad omnes viros *primarios* ac *principes* refertur, nec raro, ut nostro loco, pro *rege* ponitur, vid. 1 Sam. 9, 16. 10, 1. 5, 2. 6, 2. 7, 8. al. Noster alias nomine נָשִׂיא pro מֶלֶךְ uti solet, vid. supra 21, 30. et ibi not. Regem autem Tyri, in quem hoc vaticinium directum est, Grotius Ithobalem II. intelligendum notat; sub eo enim Nebucadnezar Tyrum tredecim annis obsedit, ut ex Phoenicum annalibus refert Josephus L. I. *contra Apionem*, §. 21., vid. not. ad 26, 1. Illum regem ex prophetae diris periisse putat Marshamus *Can. Chronic.* p. 579., de *Palaetyro* intelligens omnia, quae nos ad illam ex parte tantum, cetera ad *novam* s. *insularem* quoque referenda arbitramur, ut in notis ad C. 26. pluribus diximus. יַעַן גָּבַהּ לִבְּךָ *Propterea quod extulit se cor tuum*, ut infra Vs. 5. 17. 2 Paral. 26, 16. Cf. Jer. 48, 29. Dan. 5, 20. Proverb. 16, 18. וַתֹּאמֶר אֵל אָנִי *Ita ut dicas*, cogites (ut infra Vs. 9. 29, 3.): quasi *Deus* quidam

ego sum, ut rex Babyloniae Jes. 14, 14. אֶדַּמֶּה לְעֶלְיוֹן *Supremo me similem geram.* Vel, ut Herodi regali vestitu induto et de solio orationem habenti populus acclamavit (Act. 12, 22.): *Θεοῦ φωνὴ, καὶ οὐκ ἀνθρώπου.* אֵל אֲנִי Chaldaeus reddit: *terribilis ego sum.* מוֹשַׁב אֱלֹהִים יָשַׁבְתִּי *In sede Dei sedi*, i. e. in loco inaccessibili, cincto et munito mari, cui nemo nocere potest. Ita GROTIUS: „Sicut Deus ab omni injuria tutus est in arce coeli, sic me defendit mare.“ בְּלֵב יַמִּים ut supra 27, 4. 25. 26. וְאַתָּה אָדָם *Quum tamen sis homo*, et omni humanae sorti obnoxius, cf. Jes. 31, 3. וּמִצְרַיִם אָדָם וְלֹא־אֵל *Nam Aegyptius homo est, non Deus.* וְלֹא־אֵל *Et minime Deus*, aut inexpugnabilis. Vehementior fit adfirmatio, quando simul contrarium negatur, ut Deut. 9, 7. זְכֹר אַל־תִּשְׁכַּח *memento neque obliviscaris.* 33, 6. יְחִי רְאוּבֵן וְאַל־יָמֹת *Vivat Ruben, nec moriatur.* Verba וְלֹא־אֵל Chaldaeus reddit: *nec est in te utilitas*, facultas. Eodem modo et 2 Reg. 5, 7. verba hebraica הַאֱלֹהִים אֲנִי *num Deus ego sum?* Chaldaeus vertit: *num facultas est in me?* וַתִּתֵּן *Etsi tu dedisti*, reputasti, ut Genes. 42, 30. וַיִּתֵּן אֹתָנוּ כְּמְרַגְּלִים *dedit*, tractavit, reputavit *nos ut exploratores.* לִבֶּךָ *Cor tuum*, animum tuum superbum, ut Obad. Vs. 3. זְדוֹן לִבֶּךָ *fastus animi tui.* Et 2 Paral. 25, 19. וְנִשְׂאֲךָ לִבְּךָ לְהִתְכַּבֵּד *extollit te cor tuum ad gloriandum.* כְּלֵב אֱלֹהִים *Sicut cor Dei*, animum geris quasi Dei, ut Vs. 6., dum existimasti, te esse Deo parem sapientia, potentia, imperio in omnes; quasi omnia tibi parere debeant. Regis Tyri imagine Hieronymus et Theodoretus existimant exagitari malum spiritum, de felici statu, in quo olim constitutus fuerat, deturbatum. Sed quamvis Vss. 14. 15. 16. quaedam occurrant, quae ad eam opinionem adducere nos possint; sunt tamen multo plura, quae malo spiritui vix et ne vix quidem accommodari possunt. Quin hoc ipso Versu nostro ille, in quem hoc vaticinium directum est, vocatur אָדָם, *homo.* Conf. et Vs. 7. 9. 10.

3. הִנֵּה חָכָם אַתָּה מִדָּנִיֵּאל *Ecce Daniele sapientior tu es*, ex tua scilicet opinione. Alii, ut Alexandrinus, interrogative: *num tu sapientior Daniele?* cujus fama ob dona sapientiae a Deo accepta tunc celebris erat, vid. supra 14, 14. et cf. Dan. 2, 48. 4, 6. 6, 27. כָּל־סָתוּם לֹא עֲמָמוּךָ *Omnia abscondita non latuerunt te*, nihil tam abstrusum est, ut te fugiat. Verbum עָמַם, praeter hunc locum bis tantummodo, infra 31, 8. et Thren. 4, 1. in V. T. obvium, collato Chaldaico אִתְעַמַּם *caligare, obscurari*, et עַמְעֵם, *obscurare*, nec non Arabico عمم *texit*, et عمي *obscurum, opertum fuit illi negotium*, h. l. *occultare*, et Thren. 4, 1. *obscurare* denotat. A. SCHULTENS in *Animadverss. philologg.* in subsidium vocato Arabico عمم *vilis, communis fuit*, verba nostra ita interpretatur: *omne reconditum vilem non reddet te*, aut *plebejum*, i. e. non imperitum te et plebejum ostendet, sed ejus solutio sapientem te et supra vulgus solertem demon-

strabit. Quam quidem interpretationem a Dathio vulgo receptae immerito praelatam esso arbitror.

4. בְּחָכְמָתְךָ וּבִתְבוּנָתְךָ *Sapientiâ tuâ et prudentiâ tuâ*; utrumque junctum legitur et 1 Reg. 5, 9. Jer. 10, 12. עָשִׂיתָ לְךָ חָיִל *Fecisti*, comparasti *tibi opes*. חַיִל, quod proprie de *robore* et viribus *corporis* usurpatum videtur, tam late patet, ut complectatur ea omnia, quorum auxilio effici aliquid et parari facile possit, cujus generis res Latini significare *opum* nomine solent, et de *divitiarum* quidem *copia* hoc Versu et proximo diei (ut Genes. 34, 29. Num. 24, 18. Deut. 8, 17. Ps. 49, 11.), res ipsa docet. Verbum עָשָׂה notione *comparandi* junctum nomine חַיִל et Num. 24, 18. Deut. 8, 17., uti nominibus רְכוּשׁ et נֶפֶשׁ, *facultates et mancipia*, Genes. 12, 5.

5. בְּרֹב חָכְמָתְךָ בְּרכֻלָּתְךָ הִרְבִּיתָ חֵילֶךָ *Per copiam sapientiae tuae in mercatura tua multiplicasti facultates tuas.* חֵילֶךָ et hic et postea in fine Versus Chaldaeus interpretatur *exercitus tui*. Sed non est, cur חַיִל hic alio, quam quo Versu antecedente aderat, significatu capiamus. Recte Syrus *divitias tuas* transtulit. וַיִּגְבַּהּ לִבְּךָ בְּחֵילֶךָ *Et* sic *se extulit animus tuus per opes tuas*, quibus tibi potentiam comparasti.

6. יַעַן תִּתְּךָ אֶת־לִבְּךָ כְּלֵב אֱלֹהִים *Propterea quod dedisti cor tuum sicut cor Dei*, vid. ad Vs. 2.

7. לָכֵן הִנְנִי מֵבִיא עָלֶיךָ זָרִים *Ideo ecce! adducens* ero *contra te alienos*, extraneos hostes, ut infra Vs. 10. Jes. 1, 7. Hos. 7, 9. 8, 7. עָרִיצֵי גוֹיִם *Violentissimos gentium*, quales tunc erant Chaldaei (vid. supra 26, 7.), qui eodem nomine infra 30, 11. 31, 12. nuncupantur. וְהֵרִיקוּ חַרְבוֹתָם *Qui nudabunt*, evaginabunt, *gladios suos*, eadem phrasis Lev. 26, 33. עַל־יְפִי חָכְמָתֶךָ *Super pulchritudinem sapientiae tuae* (Vs. 5.), i. e. in te, qui tibi tam sapiens videris, et contra omnia, quae videris tua sapientia tibi comparasse, pulcherrima aedificia, ingentem exercitum, et res quaseunque alias magna arte paratas. וְחִלְּלוּ יִפְעָתֶךָ *Et profanabunt* (ut supra 7, 21. 22.), obscurabunt et abolebunt, *splendorem tuum*, i. e. regiam tuam dignitatem.

8. לַשַּׁחַת יוֹרִידוּךָ *In foveam*, interitum (Job. 33, 22.) *dejicient te*, cf. supra 26, 20. וָמַתָּה מְמוֹתֵי חֲלָלִים *Et morieris mortibus confossi*, ut moriuntur confossi. Multis vulneribus (quod ex mente Kimchii per pluralem significatur) confossus morieris. מְמוֹתֵי est instar מְבוֹאֵי (supra 26, 10.), cujus singulare est מָבוֹא, et plurale מָבוֹאִים, in regimine מְבוֹאֵי; sic מָמוֹת, מָמוֹתִים, מְמוֹתֵי. Alii חָלָל *profani* significatu, ut supra 21, 30., capiunt, ut sensus sit: instar plebeji trucidaberis. Sed aptius nomen illud adjectivum *vulnerati*, *confossi* notione, ut supra 21, 19, sumitur. Similis phrasis Jer. 16, 4. מְמוֹתֵי תַחֲלָאִים יָמֻתוּ *mortibus morborum*, variis morbis confecti *morientur*. בְּלֵב יַמִּים *In corde maris*, ubi extra omne periculum te putabas, et de hoc gloriabaris, Vs. 2.

9. הֲאָמֹר תֹּאמַר *Num ergo dicendo dices?* He interrogativum per Segol praefigi solet Gutturali cum Camez instructae. אֱלֹהִים אֲנִי Vid. Vs. 2. לִפְנֵי הֹרְגֶךָ *Coram occisore tuo* (21, 16. Jerem. 4, 31.). An tunc jactabis te esse Deum, cum hostes te invadent? וְאָתָּה אָדָם *Immo tu homo* agnosceris, conf. Vs. 2. וְלֹא־אֵל בְּיַד מְחַלְלֶךָ *Nec Deus* eris, s. videberis tibi, *in manu te interficientis.* מְחַלְלֶךָ h. l. non est *profanantis te*, ut supra 24, 21., sed *perfodientis te* vertendum; nam respondet הֹרְגֶךָ, et infra 32, 26. legitur passivum מְחֻלְלֵי חֶרֶב *confossi gladio.*

10 מוֹתֵי עֲרֵלִים תָּמוּת *Mortibus praeputiatorum morieris*, incircumcisorum carne et corde (Kimchio interpretante, cf. Act. 7, 51. ἀπερίτμητοι τῇ καρδίᾳ), i. e. impiorum, i. e. truculentissima morte (id enim plurali מוֹתֵי indicari videtur, vid. Glassii *Philol. S.* p. 59. ed. Dath.), qua impii exstingui merentur. Cf. infra 31, 18. 32, 19. 21. 24. Non erat, cur dubitaret Dathius, num עֲרֵלִים nostro loco et ceteris modo indicatis usitata notione recte capiatur, an vero cum Hubigantio collato Arabico רַעَلَ *hasta confodit*, sit *confossos* explicandum. Illum scrupulum tamen sibi evulsum esse in not. ad h. l. Dathius fatetur literis Schnurreri, ipsi rescribentis, minime a vero abhorrere, Judaeos pro fastu suo, quo nationes alias despiciebant, eas per contemtum עֲרֵלִים vocasse, ut olim Graeci et Romani alios, qui non suae gentis essent, *barbaros.* Quam Schnurreri observationem Dathius commendat loco 1 Sam. 17, 36., ubi David cum Goliatho congressurus Saulo dixisse narratur: *Talis erit* (qualis leo et ursus, quos interfectos a se dixerat) *iste Philisthaeus,* הָעֲרֵל *iste praeputiatus.* Poterat et 1 Sam. 31, 4. adducere, ubi Saulus vulneribus confectus et de vita desperans armigero suo imperat, ut se stricto ense transadigat, פֶּן־יָבֹאוּ הָעֲרֵלִים הָאֵלֶּה *ne veniant praeputiati isti, et me obtruncent atque illudant.* Attamen et nostro loco et ceteris Nostri locis supra indicatis nomen עֲרֵלִים *impietatis* notionem adjunctam habere (ut Kimchi interpretatus est, qui ipse antiquiorem Chaldaeum interpretem sequutus), res ipsa videtur flagitare. Etenim non tale mortis genus, quale *barbari*, verum quale *impii* merentur, vatem minari consentaneum est. Nec sunt probandi, qui Grotium sequuti עֲרֵלִים sola *barbarorum* notione pro genitivo efficientis habent, ut sensus sit: vulneribus per manus incircumcisorum tibi illatis peribis. Quale illud Virgilianum *(Aeneid.* 2, 435.): *Vulnere tardus Ulixi*, id est, explicante Gellio (9, 12.), *vulnus, non quod accepisset Ulyxes, sed quod dedisset.* Nam quum nostro loco statim sequatur בְּיַד זָרִים, ingrata ex illa interpretatione tautologia prodiret.

12. שָׂא קִינָה Cf. supra 27, 2. 32. et infra 32, 2. Quemadmodum Jesajas, quum Cap. 13. durum in Babylonem vatici-

nium edidisset, jussus est Cap. 14. seorsim contra regem Babylonis canticum insonare lugubre; sic nunc, quum Capite quod praecessit multa esset contra Tyrum vaticinatus propheta, nunc contra illius regem seorsim tristem et quasi funebrem lamentationem aggreditur. אַתָּה חוֹתֵם תָּכְנִית *Tu* fuisti *obsignans*, i. e. perficiens (nam solemus sigillo munire quae perfecta et rata sunt) *concinnam dispositionem*, i. e. tantam tibi acquisivisti molem opum, sapientiae, et omnis felicitatis, ut nihil accedere posse videatur; tam perfecte et consummate omnia possides. Nomen תָּכְנִית, praeter hunc locum semel duntaxat, infra 43, 10., obvium, *summam*, *numerum*, notare ajunt, a תָּכַן, *ponderavit*, *numeravit*. Sed idem verbum et *direxit*, *paravit* (ut תָּקַן) notare constat, unde תָּכְנִית *quicquid apte et concinne dispositum et elaboratum est*, *exemplar*, notare potest, et altero quidem vatis nostri loco modo indicato, ubi תָּכְנִית de *forma domus* dicitur, significatu parum aut nihil differre videtur a nominibus תְּכוּנָה et צוּרָה, Versu, qui illic proxime sequitur, usurpatis. Pro חוֹתֵם in pluribus codicibus et libris editis scribitur חוֹתָם *sigillum*, *annulus signatorius*, et ex veteribus Graecus Alexandrinus, Vulgatus et Syrus idem nomen exprimunt. Id qui adsciscunt interpretantur vel sic: *tu es sigillum*, i. e. perfectio, *dispositionis*, i. e. omnibus numeris absolutus. In te est quicquid in Rege desideratur; perfectissima idea principis potentis et sapientis. Vel, ut Grotius: *tu es annulus signatorius optime figuratus* (uti תָּכְנִית et Chaldaeus interpretatur, vid. infra), i. e. diligentissime custodiebaris, sicut annulus splendidus multae artis; ut Jer. 22, 24. Deus Jechoniam חוֹתָם עַל־יַד יְמִינִי *annulum signatorium in manu dextera* appellat. Equidem malim, si חוֹתָם legatur, *sigillum*, *signaculum passive* h. l. sumere, ut Job. 38, 14., pro imagine, quam sigillum exprimit e cera, quae sigillo quam simillima est. Ut igitur sigillum in cera relinquit sui ipsius imaginem, sic rex Tyri Deum in se expressum sui similitudinem reliquisse sibi persuaserat. Cf. supra Vs. 2. Ita sensus hic erit: o rex, sic de te vane atque superbe cogitabas, ut te tam esse similem Deo crederes, quam est sigillo similis effigies, quae ab illo in cera expressa relinquitur. In quo vero maxime spectari similitudo potuerit, statim declarat: מָלֵא חָכְמָה וְכָלִיל יֹפִי *plenus sapientiâ*, *et perfectus decore* (conf. 27, 3.), id est, qui sapiens est ut sciat (cf. supra Vs. 3.), et potens ac locuples, ut possit sapienter cogitata praestare, ac praeterea eximio quodam decore conspicuus (Vs. 13. seqq.). Potest tamen חוֹתָם et *active* sumi pro sigillo, quod formam exprimit talem, qualem ipsum incisam habet ab artifice, quae quia plures alias informat, ea perfectissima sit necesse est. Ut igitur imago eo magis absoluta, quo propius ad prototypi exemplaris perfectionem adspirat; ita rex Tyri *sigillum exemplaris* (vid. quae supra de nomine תָּכְנִית observavimus), dici potuit, quia ad illum, tan-

quam ad exemplar perfectionis adduci poterat et expendi id, quod in eo genere perfectum videri voluit.

13. בְּעֵדֶן גַּן־אֱלֹהִים הָיִיתָ Quasi *in Edene, horto Dei, fuisti*, omnia tibi abunde affluebant, quae vel ad necessitatem, vel ad utilitatem, aut voluptatem etiam pertinebant, ut olim Adamo in horto Edenis, quem Deus ei concesserat, Genes. 2, 8. Potuit tamen Tyrus et ipsa *Eden*, *hortus Dei*, vocari ob amoenitatem eximiam, vel loci natura *(situ multum amoenam Tyrum* dicit COTOVICUS *Itiner.* p. 120.), vel opulentissimorum hominum, qui voluptates et luxum omni studio captabant, sumtibus et industria. Cf. Jes. 50, 3. *Reddet desertum ejus* כְּעֵדֶן *Edenis instar, et solitudinem ejus* כְּגַן־יְהוָה *instar horti Domini.* Vid. et infra apud nostrum 36, 35. Joel. 2, 3. Quibus locis omnibus per Edenem et *hortum divinum* locus amoenitatis eximiae, atque ad voluptates capiendas idoneus significatur. כָּל־אֶבֶן יְקָרָה מְסֻכָתֵךְ *Omnis lapis pretiosus* erat *operimentum tuum*, quibus verbis indicatur, regem illum non solum vestes pretioso lapide habuisse distinctas, sed etiam regiae suppellectilis instrumenta et vasa, ut opertus dici potuerit pretiosis lapidibus tam in veste, quae regium ornat et operit corpus, quam in veste stragula, sive illa lectum, sive parictes, sive triclinia sternat. Sic Nero, ut prodit PLINIUS *Hist. Nat.* L. XXXVII. §. 6. *cubicula amatoria unionibus construebat.* Cf. supra 27, 22., ubi inter alias merces ad Tyrias nundinas advectas et *lapides pretiosi* memorantur. Quae jam sequuntur novem gemmarum nomina, eadem leguntur quoque in descriptione pectoralis summi pontificis, Exod. 28, 17. sqq. et 39, 10. sqq.; ubi tamen tria alia h. l. non commemorata adducuntur. אֹדֶם lapidem *rubrum* esse, ex ipso nomine colligitur. Talis est *Sardius*, quem nomine hebraeo significari satis verisimile fecit BRAUNIUS in *Vestitu Sacerdott. Hebraeor.* L. II. C. 8. §. 478. sqq., qui et locum PLINII *Hist. Nat.* L. XXXVII. C. 7. affert, ubi inter tria Sardorum genera, quae in India reperiuntur, unum illorum *Demium* vocari ait *a rubore.* „En ergo," inquit Braunius (p. 507.), „*Demium* ipsissimum *Odem* אֹדֶם, id est, *rubrum.*" Recentioribus *Carneol* dicitur. Vid. de hoc pretioso lapide, et ceteris, qui hic commemorantur, libr. nostr. *Bibl. Naturgesch.* P. I. p. 30. sqq. De פִּטְדָה, praeter hunc nostrum locum, et duo Exodi loca supra indicata et Job. 28, 19. obvio, docte disseruit J. H. PAREAU in notis philologicis et criticis, quibus modo memoratum Jobi Caput illustravit ad calcem *Commentat. de immortalitatis ac vitae futurae notitiis a Jobi scriptore in suos usus adhibitis* p. 333. sqq., Brauniique sententiam (l. c. C. 2. C. 9. p. 508. sqq.), voce hebraea significari *topazium* veterum Graecorum et Latinorum, qui nobis *chrysolithus*, novis argumentis firmavit. יַהֲלֹם Graeco Alexandrino et Josepho est *onyx*, chalcedonis species. De תַּרְשִׁישׁ vid. not.

ad 1, 16., שֹׁהַם *beryllus*, uti videtur, sive *prasius*, lapis pellucidus coloris viridis pallidioris; cf. not. ad Job. 28, 16. יַשְׁפֵּה esse *Jaspidem*, סַפִּיר vero *sapphirum* veterum, quem hodie *lapidem Lazuli* vocant, nominum similitudo non dubitare sinit. De נֹפֶךְ vid. not. supra ad 28, 16. בָּרְקַת *smaragdi* nomen esse, satis probabile redditum iis, quae Braunius de eo vocabulo disputavit l. c. C. 10. מַעֲשֵׂה תֻפֶּיךָ וְנֻקְּבֶיךָ בָּךְ בְּיוֹם הִבָּרְאֲךָ כוֹנָנוּ *Opus*, opera, *tympanorum tuorum* et foraminum tuorum *in te die quo conditus es parata erant.* In quibus verbis difficultatem creant nomina תֻפֶּיךָ וְנֻקְּבֶיךָ, quorum prius, תֻּפִּים, quod pluries in V. T. legitur, *tympana* signare, non dubium quidem esse potest, quae tamen huic loco non satis apta videtur, alterum autem, נְקָבִים, hoc solo loco obvium, quod proprie *foramina excavata* notat, Hebraei recentiores *fistulas* denotare ajunt, quae ita nuncupentur, quod ad varios sonos per eas producendos varie sunt perforatae. Hinc loci sensum hunc esse volunt: exceptus es in hanc lucem plaudente tota familia prae laetitia, et propter regium partum per regiam domum strepente symphonia. Alii cum Junio per תֻּפִּים et נְקָבִים *operosissima* et *artificiosissima instrumenta* intelligunt, quae synecdochice h. l. describantur per duas species, q. d. et *ψηλαφητὰ* et *πνευματικὰ*, *et quae manu pulsantur, et quae inflantur;* illa igitur jam in regiae prolis ortu ad futurum regem oblectandum parata fuisse. Verum a descriptione regii splendoris in vestibus vasisque gemmis et auro distinctis conspicui, ad organa musica Nostrum delabi, mihi vix persuadeo. נְקָבִים autem *tibiarum* sive *fistularum* nomen fuisse, mera est Rabbinorum conjectura, quae neque cognatarum dialectorum, neque veterum interpretum consensu confirmari potest. *Tympana* et *tibiae* in V. T. alias תֹּף וְחָלִיל appellantur, vid. 1 Sam. 10, 5. Jes. 5, 12. Quae quum ita sint, equidem, quemadmodum Latini suum *tympanum* ad res alias ob qualemcunque similitudinem transferunt, veluti ad tabulam januae ornatioris mediam inter scapos et impages conclusam (apud Vitruvium 4, 6.), vel ad quoddam vasorum genus (vid. Plinii *Hist. Nat.* 33, 11. §. 52.), ita et nostro תֹּף, opus quoddam artificiosum tympano quodammodo simile indicari existimo, quale vero, hodie vix certo aliquis definiat. Et Hieronymus *tympanum* vocari ait, *in quo infixi sunt lapides.* נְקָבִים forsan sunt *cavitates*, quibus gemmae supra memoratae continentur, quales sunt, quae in annulis dicuntur *palae.* Eae autem cavitates jam *tempore ortus sui* regi Tyrio *paratae* dicuntur, ut significetur, ipsi ab ortu suo destinata fuisse tot illa ornamenta. Hunc, inquit, splendorem proprium tibi et naturalem esse putabas, quia his ab initio quasi cavitatibus ac sinubus perforatus es, quibus lapides illi pretiosi suo tempore illigari possent et includi. Non indigna, quae commemoretur, Grotii est sententia, *tympana* h. l. vocari margaritas, quibus *una tantum est facies, et ab ea rotunditas,*

inversis planities, teste Plinio 9, 35., *foramina* autem, sive *forata*, esse margaritarum lineas.

14. Pronomen femininum אַתְּ pro masculino אַתָּה, ut Num. 11, 15. Deut. 5, 24. Quemadmodum *primae personae* pronomina communis generis esse solent, sic etiam cetera olim de utroque sexu videntur usurpata fuisse. Ita ךָ suffixum *masculinum*, quod servarunt Aramaei, etiam Jes. 30, 19. 55, 1. Jer. 23, 37. et infra apud nostrum 38, 16., nec non Deut. 28, 14. 48. reperitur. Conf. N. G. SCHROEDERI *Institutt. ad fundamm. Ling. Hebr.* Syntax. Reg. 34. et STORRII *Observatt.* p. 116. Nomen כְּרוּב SPENCERUS *de Legibus Hebraeor. ritualibus* L. III. Dissert. V. Cap. 3. p. 232. edit. Hag. Comit. nostro loco simpliciter *fortem, potentem*, interpretandum censet, ut voce illa ea significetur potentia et magnitudo, qua rex ille vicinos, imo et semetipsum superavit, collato Syriaco כְּרוּבָא *magnus, potens*, et כְּרוּבוּתָא *fortitudo.* Sed quum ceteris omnibus, quibus כְּרוּב in V. T. occurrit locis, id nomen de *angelis* usurpetur, qui Ps. 103, 20. גִּבֹּרֵי כֹחַ *robore pollentes*, et in Novi quoque Foederis libris δυνάμεις (1 Petr. 3, 22.) et ἀρχαὶ (Ephes. 1, 21. Col. 1, 16.), propter illam potentiam atque potestatem, qua alios spiritus creatos superent, appellantur; nec hoc loco pro alio, quam *angeli* nomine, כְּרוּב capiendum est, praesertim quum ille statim in *monte sancto Dei* constitutus esse dicatur. מְמֻשָׁח (nomen formae מְכֻתָּב, מְמֻסָּךְ, מְפֻרָּשׁ) plures *unctionem* notare volunt, ut vertendum sit: tu es *Cherub unctionis*, i. e. unctus, unctione rex consecratus. Ita Chaldaeus: *tu rex unctus in regnum, et dedi tibi magnitudinem.* Alii eo alludi existimant, quod omnis tabernaculi sacri apparatus, et proinde Cherubi quoque, arcam obumbrantes, divino jussu oleo sacro inungerentur, Exod. 30, 26. Ego tamen mallem a *dimetiendi* significatu, quem praeter *ungendi* notionem verbum מָשַׁח apud Aramaeos, ut מסח apud Arabes habet, nostrum nomen *extensionem, expansionem* interpretari, quod magis convenit proximo הַסּוֹכֵךְ. Jarchi quoque nostrum מְמֻשָּׁח *magnitudinem* notare ait, quemadmodum אַנְשֵׁי מִדָּה (Num. 13, 33.) proprie *viri mensurarum*, quod Chaldaeus אֲנָשִׁין דְּמִשָּׁחָן vertit, viros magnos indicat. Ita et HIERONYMUS verba nostra interpretatus est: „*tu Cherub extentus et protegens*, subauditur: arcam Dei et propitiatorium.“ Haec Cherubi appellatio nonnullis persuasit, non de rege Tyrio, sed de angelo apostata, qui Tyriae civitati praefectus sit, capiendum esse oraculum, quia Cherub aliquid sonat coeleste, et humana conditione sublimius. Verum sicut angelus in *Edene*, *horto divino* (Vs. 13.), non fuit antequam laberetur; ita neque *extentus*, sive *unctus*, et *protegens* fuit, quocunque velis interpretari modo, nisi admodum verba contorqueas. Comparat igitur vates regem illum cum Cherubis, qui arcam sacram extentis alis obumbrabant, ut

dicitur Exod. 25, 20. *Erant Cherubi expandentes alas superne* סֹכְכִים בְּכַנְפֵיהֶם עַל־הַכַּפֹּרֶת *obumbrantes cum alis suis operculum* arcae. Est autem nostro loco subaudienda ante כְּרוּב similitudinis particula כ, quae saepe alias omittitur (vid. Noldii *Concordant. Particular.* p. 358.), quasi dicas: *tu eras sicut Cherub extentus et protegens.* In quo regis illius praeter ornatum splendentem et pulchrum (erant enim illi Cherubi aurei, Exod. 25, 18.), observantia quaedam et nonnulla religionis species proponitur. Quemadmodum enim Cherubi ab hominum oculis remoti erant, utpote in sacratiori oraculi secessu cum arca saera collocati, quo nonnisi sacerdoti summo, idque semel quotannis, patebat accessus; ita reges superbi qualis rex Tyri describitur, non facile se videndos offerunt, neque alii audent eorum oculos subire, quia in regiis penetralibus sese tanquam aliquid divinum continent. וְנַתְתִּיךָ בְּהַר קֹדֶשׁ אֱלֹהִים הָיִיתָ *Et posui te* quasi *in monte sanctitatis Dei esses*, i. e. similem te feci Cherubo, qui est in monte sancto meo, i. e. in templo, quod in monte Moria exstructum erat (2 Paral. 3, 1.), unde ille הַר בֵּית יְהוָה *mons domus Dei*, sive הַר יְהוָה *mons Dei* (Jes. 2, 2. 3. 2 Paral. 33, 15. Ps. 24, 3.), et *mons sanctus Dei* (Jes. 11, 9. 56, 7. 57, 13. 65, 11.) appellari solebat. Grotius: „Sicut illi Cherubini super monte sancto Zion in templi adyto erant, ita tu in loco, qui videbatur ad vim omnem inaccessus.“ בְּתוֹךְ אַבְנֵי־אֵשׁ הִתְהַלָּכְתָּ *In medio lapidum ignis*, i. e. lucidorum instar ignis, intelligit lapides pretiosos Vs. 13. memoratos, qui scintillare videntur, et igneum aliquid ex se ipsis vibrare, *ambulasti*, omnia in palatio tuo non auro tantum, sed gemmis etiam lucidissimis refulgebant. Quemadmodum Martialis *Epigr.* 12, 50. de aliquo, qui amoenas aedes incolebat: *Calcatusque tuo sub pede lucet onyx.* Et Lucianus *Pharsal.* L. X. Vs. 112. sqq. de Cleopatrae palatio: — — *Laqueataque tecta serebant Divitias, crassumque trabes absconderat aurum, Nec summis crustata domus sectisque nitebat Marmoribus, stabatque sibi non segnis Achates, Purpureusque lapis, totusque effusus in aula Calcabatur onyx.* Alii nostra verba ita capiunt: *ambulasti* indutus veste ornata *lapidibus lucidissimis*, instar summi sacerdotis Israelitarum. Grotius: „Sicut pontifex cum duodecim lapidibus micantibus accedebat Cherubinum, ita et qui circum te erant intrabant pari ornatu.“ Sed non dubium, germanum sensum esse eum, quem primo loco indicavimus.

15. תָּמִים בִּדְרָכֶיךָ *Integer in viis suis* alias quidem dicitur ille, qui vitam et omnia quae agit, probe et recte instituit, ut Prov. 28, 18. הוֹלֵךְ תָּמִים *qui ambulat, integer est*, qui virtuti studet, unde Genes. 6, 19. תָּמִים cum צַדִּיק jungitur. Cf. Ps. 101, 2. 84, 12. Hoc loco tamen sensu paullo diverso dici videtur, *regem Tyri perfectum fuisse in viis* s. institutis *suis inde a die quo conditus fuerit*, quo hoc significari putem: illi

a prima inde actate omnia successisse pro votis, nihil ad felicitatem et usum illi umquam defuisse. הִבָּרְאָךְ pro הִבָּרֵאךְ, ut legitur Vs. 13., affixo secundae personae masculinae accedente, Chaldaeorum more, ךָ per *Camez*, ut Deut. 28, 24. 45. עַד־ הִשָּׁמְדֶךָ *usque tum perdi te.* עַד־נִמְצָא עַוְלָתָה בָּךְ *Donec inventa iniquitas in te*, i. e. donec tandem eo perversitatis progressus, et ex rerum successu impotenter inflatus, ut Deum te esse diceres (Vs. 2.), hostium potestati traditus es, qui poenas exigerent cogitationis illius arrogantissimae. Nomen עַוְלָתָה (i. q. עָוֶל infra Vs. 18.), quod proprie *improbitatem* notat, h. l. ejusdem poenam comprehendere videtur, ut עָוֹן et חַטָּאת. Femininum nomen jungitur verbo masculino נִמְצָא per archaismum, ut 2 Reg. 3, 26. חָזַק הַמִּלְחָמָה, *invaluit bellum*, et 1 Chron. 2, 48. מַעֲכָה יָלַד שֶׁבֶר *Maucha peperit Scheberum.* Cf. N. G. Schroederi *Syntax.* Reg. 56. et Gesenii *Lehrgeb.* p. 716.

16. בְּרֹב רְכֻלָּתְךָ מָלְאוּ תוֹכְךָ חָמָס *Per multitudinem negotiationis tuae repleta sunt interiora tua iniquitate*, amplitudine mercimonii, opumque ex ea partarum abundantia inflatus ad illud insolentiae culmen pervenisti, ut te Deo non minorem putares, quod grave peccatum et addito וַתֶּחֱטָא, *et peccasti*, significatur. Alii מָלְאוּ *transitive* capiunt, et תוֹכְךָ pro accusativo, *impleverunt* cives, aut mercatores *medium tui*, i. e. urbis tuae, *iniquitate*, hac sententia: ex multitudine negotiationis, et ex negotiatorum frequentia, qui, quicquid erat in orbe deliciarum et opum, in celeberrimum illud emporium convexere, tu eum tuis in omne genus scelerum adductus es. Sed quum totum hoc lugubre carmen ad solum regem spectet, prior interpretatio, qua verbum מָלְאוּ *intransitive*, ut alias saepe, accipitur, praeferenda. Ceterum מָלְאוּ pro מָלְאוּ est positum, ut infra 39, 26. וְנָשׂוּ pro וְנָשְׂאוּ, et 1 Sam 6, 10. כָּלְאוּ pro כָּלְאוּ, mutuata forma a verbis quiescentibus tertia *He*. In codicibus aliquot legitur מָלְאוּ, in pluribus codicibus ad marginem notatur, א deficere. וָאֲחַלֶּלְךָ מֵהַר אֱלֹהִים *Ideo profanavi te* et ejeci *de monte Dei*, concise dictum pro: dejeci te de summo dignitatis gradu, in quo collatus eras instar Cherubi in sacrario meo super monte Moria exstructo, Vs. 14. Verbum חִלַּל sensu praegnante usurpatur, ut Ps. 89, 40. חִלַּלְתָּ לָאָרֶץ נִזְרוֹ *profanasti ad terram* dejiciendo *coronam ejus*, cf. not. ad eum locum. וָאַבֶּדְךָ *Disperdidi te*, pro וָאֲאַבֶּדְךָ, cliso primo radicali Aleph, ex more Syrorum, apud quos Aleph numquam ante se fert Schva, sed in ejus locum suam vocalem transfert et in ea quiescit, ut וְאֵכֶל *et comedit* pro וְאֶאֱכֹל, aut ipsa plane excidit, ut נָלֶךְ pro נֶאֱלֶךְ *docebit*, מָלֵךְ pro מֶאֱלֵךְ, *docens*, quemadmodum Job. 35, 11. מַלְּפֵנוּ pro מְאַלְּפֵנוּ *docens nos.* De כְּרוּב הַסּוֹכֵךְ וגו׳ vid. Vs. 14.

17. גָּבְהָה לִבְּךָ בְיָפְיֶךָ *Extulit se animus tuus* (Vs. 2. 5.) *ob pulchritudinem tuam* (Vs. 7. 12.), elevatus fuit ex rerum abun-

dantia ac regio decore animus tuus. שִׁחַתָּ חָכְמָתְךָ עַל־יְפְעָתֶךָ *Corrupisti sapientiam tuam super splendorem tuum*, s. *una cum splendore tuo*, i. e. insolens tuus fastus te infatuavit, et in causa fuit, cur dignitate tua et regio splendore excideres. Simili sensu verbum שִׁחֵת Amos. 1, 11. usurpatur, שִׁחֵת רַחֲמָיו, *corrupit miserationes suas*, omnem misericordiae sensum exuit. עַל־אֶרֶץ הִשְׁלַכְתִּיךָ *Ad terram projeci te*, de sublimi regiae dignitatis gradu deturbatum. Alii indicari volunt, regem interemtum inhumatum in terra jacturum, ut denunciatur Jojakimo Jer. 22, 19. לִפְנֵי מְלָכִים נְתַתִּיךָ *Ante faciem regum dedi te*, prostitui te; ignominiae notio enim huic phrasi subjecta est, vid. 1 Sam. 1, 16. אַל־תִּתֵּן אֶת־אֲמָתְךָ לִפְנֵי בַת־בְּלִיָּעַל *ne prostituas ancillam tuam coram improbis mulieribus.* Cf. 1 Reg. 8, 46. לְרַאֲוָה בָךְ *Ad contemplandum te* deformatum et regno exutum, et quidem plaudentibus illis, nam verbum רָאָה hum ב constructum indicare cum contemplatione conjunctam oblectationem observavimus ad Ps. 22, 18. et 27, 4. Similis phrasis Nah. 3, 6. נִבְלָתִיךָ וְשַׂמְתִּיךָ כִּרְאִי *contumelia te adficiam, et spectaculi instar te reddam.* לְרַאֲוָה Infinitivus cum ה paragogico, et tertia radicali ה mutata in Vau mobile, quomodo ingreditur formam nominum, ut לְאַהֲבָה *ad diligendum*, Deut. 9, 19. לְרַאֲבָה *moerere*, Jer. 31, 12.

18. מֵרֹב עֲוֹנֶיךָ *Propter multitudinem impietatis tuae*, ut Jer. 30, 14 15. Hos. 9, 7. Plures codd. עֲוֹנְךָ in Singulari exhibent. Singularem Syrus quoque expressit. בְּעָוֶל רְכֻלָּתֶךָ *Per iniquitatem negotiationis tuae*, ea maxime peccata intelligit, quae sunt a negotiatione, avaritiam, injuriam, fraudem, superbiam, quam generant aluntque divitiae. חִלַּלְתָּ *Profanasti*, i. e. causam praebuisti, ut per Chaldaeos profanarem, Vs. 16. מִקְדָּשֶׁיךָ *Sanctuaria tua*, illum tuum quasi sanctum montem, in quo tanquam Cherub esse videbaris, inque eo palatium tuum, templo Hierosolymitano, qua magnificentiam, respondens, quod proinde divinum tibi videbatur. Tunc autem *polluta* sive *profanata est* regia domus, adyto cuidam similis, quando Chaldaeorum furori et rapinae patuit. Singularem מִקְדָּשְׁךָ habent codices plures, eumque expressere Vulgatus, Syrus et Chaldaeus. וָאוֹצֵא־אֵשׁ מִתּוֹכְךָ הִיא אֲכָלַתְךָ *Et educam ignem ex medio tuo, ille te consumet*, quibus verbis alii simpliciter hoc significari volunt, incendio periturum esse regium palatium, alii vero hoc: excitaturum esse Deum aliquot e civibus Tyriis, qui a rege suo deficiant ad Nebucadnezarem. Neutri tamen sensum phraseos accurate exprimunt, quae adagialis quicquam habet, et hoc innuit, regem Tyri cum suis civibus ipsos sibi illud malorum agmen peperisse, quod eos oppressit. Peccata comparantur aridae incendii materiae, qua ignis excitatur, qui peccatorem hominem, aut peccatricem civitatem absumit. Ita Jes. 50, 11. *Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis; ambulate in lumine*

ignis vestri, et in flammis, quas succendistis. Cf. et Jes. 1, 31. וְאֶתְּנֵךְ לֵאֵפֶר עַל־הָאָרֶץ *Et reddam te, cinerem super terra,* ignis ille a me accensus, cujus materiam tu ipse praebuisti, ita te consumet, ut nihil sit reliquum praeter cinerem. Alii cum Grotio sensum hunc esse arbitrantur: hostes non pluris te facient, quam cinerem sparsum humi (coll. Mal. 3, 21.), quod oppositum ei, quod Vs. 14. dicitur.

19. כָּל־יוֹדְעֶיךָ בָעַמִּים שָׁמְמוּ עָלֶיךָ *Omnes,* qui antehac *te noverunt inter gentes, obstupescent super te,* ut supra 26, 16. Venerant ad Tyrias nundinas, ut vidimus Cap. 27., ex toto terrarum orbe mercatores, qui viderunt, quanta prius fuisset regis Tyrii majestas et potentia. Illi igitur, qui majestatem divinae aemulam in Tyrio rege admirabantur, dum floreret illa luculenta civitas et regina maris, subitam illam conversionem intuiti, quasi ad rem insperatam obstupescent, cum contigisse videant id, quod nullo unquam tempore fieri posse sibi persuaserant. בַּלָּהוֹת הָיִיתָ Vid. supra 26, 21. 27, 36. *Praeterita* hic sunt *prophetica,* loco futuri, ut in prophetis maxime est frequens, cf. not. ad 7, 12.

21. Haetenus de Tyro; nunc ad Sidonem, vicinam urbem, propheticae convertuntur minae, quia, sicut vicina loco, eadem quoque tractabat mercimonia, in quibus eisdem se cum Tyro flagitiis implicuerat. „Consequenter post Tyrum sermo fit ad Sidonem. Unius enim utraque urbs provinciae est, et in Evangelio (Matth. 11, 21.) Tyrus et Sidon pariter nominantur. Praedicit autem sermo divinus, quod a Babyloniis et ipsa capienda sit.“ Hieronymus. De Sidonis ortu et appellatione haec habet Justinus 18, 3. *Phoenices terrae motu vexati, relicto patrio solo, Assyrium stagnum* (i. e. locum asphaltiten) *primo, mox mari proximum litus incoluerunt, condita ibi urbe, quam a piscium ubertate Sidona appellaverunt; nam* pisces *Phoenices* Sidon *appellant. Piscatum* vocant Syri צַיְדָא, unde et nomen urbis *Bethsaidae* ad mare Tiberiadis. Eusebius in *Onomastico* ex Hieronymi interpretatione: *Sidon urbs Phoenices insignis, olim Chananaeorum terminus ad aquilonem respiciens, et postea regionis Judaeae. Cecidit autem in sortem tribus Aser, sed eam non possedit, quia hostes nequaquam valuit expellere.* Vid. Jos. 19, 28. Judic. I, 31. Rex Sidonis memoratur Jer. 27, 3. Hodie appellatur צַיְדָא *Saida;* vid. Abulfedae *Tab. Syriae* p. 93. edit. Koehler., ubi *parvum oppidum arce munitum* esse dicitur. Cotovicus *Itiner.* p. 116. *Est* Sidon, Sait *hodie, sive* Saida *Turcis, Mauris Italisque appellata, urbs Phoenices, quondam opulentissima et celeberrima, ac Tyri aemula, ad radices Antilibani, a quo vix mille passibus abest juxta mare in rupe quadam, longitudine ab aquilone sese in austrum extendente, sita; cujus utrumque cornu castris olim validissimis, sed collapsis hodie et neglectis, munitum fuisse cernitur. Latronum*

speluncam, non urbem, dixeris, adeo suis ruinis horrida est, habitatore omni pene vacua, paucissimis Mauris Turcisque exceptis. Portu quidem ditata insigni et capaci, sed infrequenti. Solo gaudet optimo et ubere. Agri circumjacentes aquarum rivulis et fontibus irrigui, mira fertilitate exuberant; incultos tamen plerosque nostra hac tempestate conspicias. Vid. et librum nostrum *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 20. De phrasi Nostro peculiari *ponere faciem contra rem aliquam* (שִׂים פָּנֶיךָ אֶל־צִידוֹן) vid. not. ad 13, 17.

22. הִנְנִי עָלַיִךְ Vid. 13, 8. 20. 26, 3. 29, 10. Chaldaeus: *ecce ego mitto furorem meum super te.* וְאִכָּבְדָתִי בְתוֹכֵךְ *Glorificabor in medio tui; glorificari* Deus dicitur, cum de peccatoribus supplicium sumit, maxime cum superbos deprimit, quique videbantur praesidio abunde comparato nulli subesse mutationi. Quum enim hi a vindice Deo facile sternantur et pereant; vulgus hominum imperitum aut impium, quod in Deo providentiam desiderabat, aut robur, illius potentiam agnoscit, eamque laudibus celebrat. Sic Deus Pharaone, qui saepe Deo praecipienti restiterat, in mari demerso *glorificatus* dicitur Exod. 14, 4. 17. 18. Accommodate ad hanc sententiam noster addit: וְיָדְעוּ כִּי־אֲנִי יְהוָה וגו׳ *et scient me esse Dominum, cum in ea exercuero judicia.* Mutatur per affectum *secunda* persona cum *tertia*, ut in prophetis saepissime. Pro בַּעֲשׂוֹתִי בָהּ habent בַּעֲשׂוֹתִי בָךְ codices aliquot. Personam secundam LXX quoque et Chaldaeus exprimunt. Pauci codices בָּם. וְנִקְדַּשְׁתִּי בָהּ *Et* cum *sanctificatus fuero in ea*, i. e. cum in suppliciis, quibus eos affligam, sanctum et justum judicem me ostendero. Cf. Lev. 10, 3.: בִּקְרֹבַי אֶקָּדֵשׁ וְעַל־פְּנֵי כָל־הָעָם אֶכָּבֵד *in propinquantibus mihi sanctificabor, et coram toto populo glorificabor*, quorum posterius declarat prius, quod videlicet sit gloriam et sanctitatem suam illustraturus, puniendo coram omnibus etiam intimos suos ministros, unde reliqui omnes possent cognoscere, quam sit honorandus et colendus hic tantus Deus. Vid. et Lev. 22, 32., et infra apud nostrum 36, 29. sq. Pro וְנִקְדַּשְׁתִּי בָהּ iterum וְנִקְדַּשְׁתִּי בָךְ habent pauci aliquot codices; secundam personam et LXX expresserunt.

23. וְשִׁלַּחְתִּי־בָהּ דֶּבֶר *Immittam ei pestem* (14, 19.), „quae obsidiones comitari solet, ex corruptis alimentis infectoque aëre," notante Grotio. וְדָם *Et sanguinem*, caedes cruentas, ut supra 5, 17. בְּחוּצוֹתֶיהָ *In plateis ejus* urbis, cf. supra 11, 6. Jer. 51, 4. וְנִפְלַל חָלָל בְּתוֹכָהּ *Et projectus est confossus in medio ejus* urbis, intra eam. נִפְלַל Niphal verbi נָפַל, geminata tertia radicali, pro נָפַל, uti Chaldaeus interpres cepit. Alii ad radicem פָּלַל referunt, verbaque nostra ita vertunt: *et judicabitur* quisque *confossus.* Ita GUSSETIUS: *et reputati sunt mortui*, i. e. languentes, cadaveribus simillimi, ut Gen. 48, 10.

Visurum me faciem tuam לֹא פִּלַּלְתִּי *non putassem.* Sed h. l. profecto parum apte de iis, qui vere *confossi* (חָלָל) sunt, diceretur, eos pro *confossis reputari.* A. Schultens in *Institutt. ad fundamm. Ling. Hebr.* et in *Animadverss. philoll.* ad h. l. p. 313. פָּלַל, quod arabice *secuit* denotat, נִפְלַל *concidetur* vertit. J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 2018. coll. Syriaco פְּלַל unde quadriliterum פלפל ortum, quod *conspergere, inquinare, cruentare* denotat, verba nostra ita explicanda arbitratur: *cruentus et in sanguine suo volutatus jacebit confossus in medio ejus,* cui sententiae faveat praecedens: *sanguis in plateis ejus.* Verum quod me movet, cur נִפְלַל ad נָפַל referendum existimem, eo sensu, quem supra indicavi, illud est, quod חָלָל cum נָפַל ut h. l. junctum video et infra 30, 4. בִּנְפֹל חָלָל *cum ceciderint vulnerati,* et 32, 20. חַלְלֵי־חֶרֶב יִפְּלוּ *confossi gladio cadent,* nec non supra 6, 7. וְנָפַל חָלָל בְּתוֹכְכֶם *cum ceciderit confossus in medio vestri.* בְּחֶרֶב עָלֶיהָ מִסָּבִיב *Gladio* hostium *contra eum* stricto *circumcirca,* undique. „Credibile est" inquit Grotius, „Sidonios, unde orta est Tyrus, Tyriis auxilium praebuisse, et postea Chaldaeis dedisse poenas. Nam domum veterem Sidoniorum regum ad plebejam sortem depressam jam olim fuisse, discimus ex scriptoribus rerum Alexandri. Redacti ergo et hi, non minus, quam Tyrii, sub potestate Chaldaeorum primum, deinde Persarum."

24. Sublatis gentibus nomini Judaeorum infensis לֹא־יִהְיֶה עוֹד לְבֵית יִשְׂרָאֵל סִלּוֹן *non existet amplius domui Israel spina,* seu potius *aculeus spinae;* סִלּוֹן collato cum Chaldaico סִלְוָא et Arabico סֹלְאַל et סוֹלָא, quibus nominibus vocantur *aculei adnascentes palmarum ramis.* מַמְאִיר Particip. Hiphil verbi מָאַר, quod arabice *irritavit, inimicitiam* excitavit denotat, valet *irritans,* acerbe pungens. וְקוֹץ מַכְאִב *Et spina dolorem inferens.* Eadem imagine hostes Israelitarum describit Moses Num. 33, 55., ubi Cananaeos exterminandos praecipit, quod ni facturi sint, *illos fore ipsorum oculis quasi aculeos, et lateribus spinas.* De הַשָּׁאטִים vid. not. supra ad 16, 57. Ceterum hic Versus non tam ad Sidonem spectat, quam ad civitates omnes, quae Israeliticos fines attingebant, quae Judaeorum rationes saepe turbabant. Quales fuerunt Palaestini, Moabitae, Ammonitae et Idumaei, quibuscum Israelitarum assiduae pene contentiones. Hi autem omnes eodem fere tempore, imo eadem expeditione subacti sunt a Chaldaeis et a patriis finibus expulsi.

25. בָּם — בְּקַבְּצִי *Cum congregabo domum Israelis ex omnibus populis inter quos dispersi fuerint.* Congregaturum se Israelitas in patrios fines ex omnibus populis, ad quos varia illos fortuna dispersit, Deus promittit et supra 11, 17. 20, 41. Jer. 31, 8. 10. Zephan. 3, 19. 20. נָפֹצוּ בָם LXX reddidere οὗ διεσκορπίσθησαν ἐκεῖ, quasi נָפֹצוּ שָׁם legissent, quod ipsum plures

codices et editiones aliquot veteres exhibent. De sensu formulae וְנִקְדַּשְׁתִּי בָם לְעֵינֵי הַגּוֹיִם vid. not. ad 20, 41. Eadem leguntur infra 39, 27. וְיָשְׁבוּ עַל־אַדְמָתָם אֲשֶׁר נָתַתִּי לְעַבְדִּי לְיַעֲקֹב Cf. infra 37, 25. Vid. promissionem Genes. 28, 13.

26. וְיָשְׁבוּ עָלֶיהָ לָבֶטַח *Habitabunt super*, in *ea*, terra (עַל־אַדְמָתָם Vs. 25.) *secure*. Cf. infra 34, 25. 27. 28. 39, 26. וּבָנוּ בָתִּים וְנָטְעוּ כְרָמִים *Et aedificabunt domos, plantabuntque vineas.* Eadem verba leguntur Jes. 65, 21. Quando evenerint, quae hic promittuntur, jam Hieronymi tempore discrepantes erant sententiae. Ille enim, postquam verba nostra attulisset, haec addit: „Quod multi referunt ad tempus Zorobabel, Esdrae et Neemiae, quando reversus est populus Israel, et habitavit in terra Judaea. Alii vero in ultimo tempore, et in mille annis sperant esse complendum. Porro secundum intelligentiam spiritualem hic nobis sensus esse videtur," et quae deinceps sequuntur. Ipse igitur Hieronymus nil definire ausus est. Ad ea tempora, quae reditum deportatorum e Babylone sunt sequuta, quibus Israelitae diu illacessiti vixerint, has promissiones et Grotius refert. Verum illis temporibus neque *ex omnibus populis*, per quos dispersi erant Israelitae, *congregati sunt* in patrias terras, nec, qui redierunt, ea tranquillitate fruebantur, qualis h. l. et ceteris locis supra indicatis illis promittitur. Quod quum perspectum haberent plures superioris aetatis interpretes, alii magnifica illa promissa futuro aliquo tempore implenda existimarunt (qui tamen non cogitasse videntur, num ingentem illam undique congregandorum Judaeorum multitudinem una Palaestina, terra Jacobo promissa [Vs. 25] capere possit), alii vero, eaque potior pars, sensu spirituali ad ecclesiae Christianae, eorumque, qui ei civitati sunt adscripti (quos sensu figurato *Israelitas* appellari volunt, per Evangelii doctrinam ex omnibus gentibus congregandos), felicitatem atque propagationem illa referenda esse arbitrati sunt. Quae interpretandi ratio quantum habeat arbitrarii atque ambigui, neminem sanioris artis hermeneuticae praeceptis imbutum latere existimo. Nobis quidem oleum et operam perdere videntur, qui hujusmodi oracula ad certos eventus referre student, aut poëtica ornamenta ad factorum fidem explorant.

XXII.

Vaticinia in Aegyptum.

CAP. 29—32.

Cap 29.

Argumentum.

Duplex hoc Capite vaticinium continetur contra Pharaonem et Aegyptum. *Priori*, quod Versibus 2—16. comprehenditur, Pharaoni, vane de se ac superbe cogitanti, et populo, a quo sibi pollicebatur omnia, interitum praedicit, et nullam partem tam spatiosi regni futuram esse dicit immunem a clade (Vs. 2—16.). Quae regni tanta vastitas ad quadragesimum usque annum producenda traditur (Vs. 13.), et quamvis post illud tempus Aegyptus instauranda sit, numquam tamen ad antiquam gloriam et amplitudinem assurget (Vs. 14. 15. 16.). *Altero* vaticinio, alio, quam prius, tempore edito (Vs. 17.), Deus Nabuchodonosoris operam, quam in Tyri oppugnatione longam assumsit, Aegyptiis spoliis compensandam dicit (Vs. 18. 19. 20.). Et sub illud tempus ad extremum, educto e vinculis Jechonia, excitanda dicitur Judaici nominis oppressi gloria (Vs. 21.).

1. בַּשָּׁנָה הָעֲשִׂרִית *Anno decimo* transportationis Jechoniae 1, 2., *duobus mensibus* ante vaticinia de Tyro, quae Cap. 26—28. praecesscre, et *sedecim annis* ante illud, quod infra Vs. 17. sqq. ob argumenti vicinitatem huic connectitur. Nam vaticinia haec, ut recte Grotius observat, non per tempora, sed per gentes sunt ordinata, et a propinquioribus terrae Israeliticae incipiunt. „Hoc autem contra Aegyptum vaticinium," ait LIGHTFOOT in *Chron. Tempor. et Ord. Textuum V. T.* Oper. Vol. I. p. 125., „prolatum est tempore maxime opportuno, utpote quando fastus illius ad summum pervenerat, et Hierosolyma in ea posuerat fiduciam. Nunc enim prodierat cum omnibus suis viribus, ut Hierosolymam obsidione liberaret, ipsaque Hierosolyma tota spe in illam recumbebat, ideoque ipso hoc tempore destructionem Aegypto denunciat, spei vero in illa frustrationem Judaeis." Cf.

Vs. 6. Cur vero post vaticinia adversus Tyrum collocata sit haec prophetia, rationem indicavimus ex eodem Lightfooto supra ad 26, 1. בֶּעָשׂרִי *Decimo* mense, בִּשְׁנֵים עָשָׂר *Duodecimo die*, vid. de his ellipsibus not. ad 1, 1.

2. שִׂים פָּנֶיךָ Vid. de hac formula not. ad 13, 17. 21, 2. עַל־פַּרְעֹה מֶלֶךְ מִצְרַיִם „Illud vel maxime requirendum est, utrum [qui hic memoratur] ipse sit *Pharao*, qui in Exodo, et Esaja et Hieremia, et Ezechiel, multisque aliis in locis nominatur, an alius atque alius? Videturque mihi non esse unus, sed apud Aegyptios hoc vocabulo demonstrari regiam dignitatem, sicut apud Romanos *Caesares* et *Augusti* reges eorum appellantur, a primo, Cajo Caesare, et secundo, adoptivo ejus, Octaviano, qui postea Augustus est nominatus; et apud Syros Antiochi, apud Persas Arsacidae, apud Philistim Abimelech, et post Alexandrum in Aegyptum Ptolemaei usque ad Cleopatram, qua victa apud Actium Aegyptus Romana est facta provincia. Ergo in praesentiarum adversum unumquemlibet regem Aegypti sermo fit Domini." Hieronymus. Hieronymi sententia confirmatur Josephi testimonio, qui *Antiqq.* 8, 6. 2., omnes Aegyptiorum reges per annos amplius trecentos et mille *Pharaones* dictos esse narrat, additque, nomen *Pharao* apud Aegyptios regem significare [ὁ *Φαραὼν κατ' Αἰγυπτίους βασιλέα σημαίνει*]. Recte; nam *ΟΥΡΟ* Coptice est *rex*, et cum articulo *ΠΟΥΡΟ* et *ΦΟΥΡΟ*. Vid. P. E. Jablonskii *Opuscula* P. I. p. 374. sq., et quae ibi notavit doctissimus editor *Te Water* not. g., et P. II. p. 129. not. Cf. quae de hoc more pluribus Asiae regibus etiamnum communi observavit Chardin *Voyages en Perse*, T. III. p. 382. edit. in quatern., s. T. VI. p. 2. edit. Langles. Sunt interpretes, qui cum Pharaonem, contra quem nostrum vaticinium directum est, eundem existiment, qui Jer. 44, 30. *Hophra* (חָפְרַע), ab Herodoto L. II. c. 161. sqq. *Ἀπρίης* dicitur. Verum etsi aliqua hujus oraculi effata regi illi accommodari possint, sunt tamen alia, quae in eum minus quadrant. Quare *Pharaonis* nomen hoc nostro et iis, quae sequuntur, vaticiniis cum Hieronymo (vid. supra) *sylleptice* est capiendum. וְהִנָּבֵא עָלָיו וְעַל־מִצְרַיִם כֻּלָּהּ *Et vaticinare contra eum et contra Aegyptum totam.* Pro כֻּלָּהּ plures libri manu scripti, nonnulli etiam typis excusi, legunt כֻּלָּהּ, alii כֻּלּוֹ, cum suffixo masculino, quum nomen אֶרֶץ ad מִצְרַיִם subaudiendum, feminei generis suffixum poscat. Neque tamen illud כֻּלָּהּ, quod in antiquissimis et accuratissimis codicibus reperitur, tanquam aperte falsum, plane est repudiandum. Possit enim מִצְרַיִם hic *populum Aegyptium* significare; nomina autem populorum ut singularia masculina tractari, notum; e. c. Exod. 14, 30. וַיַּרְא יִשְׂרָאֵל אֶת־מִצְרַיִם מֵת *videbat Israel*, i. e. populus Israeliticus, *Aegyptum*, Aegyptium populum, *mortuum*. Vid. et Jer. 48, 11.

3. Nomine תַּנִּים s. תַּנִּין, ut in codicibus aliquot legitur, quod proprie quamlibet *belluam immanem et terribilem* vel *terrestrem*, vel *aquatilem*, *draconem*, ut arabicum תַּנִּין significat (vid. not. ad Ps. 44, 20.), *crocodilum* intelligendum esse, iis in locis, quibus de Aegypto agitur, monuimus ad Ps. 74, 13. Cf. Jes. 27, 1.; ubi Aegyptus non solum תַּנִּין, verum et לִוְיָתָן appellatur, quo nomine *crocodilum* indicari, apparet ex iis, quae Job. 40, 20. sqq. ea de bellua legimus. *Crocodilo* autem rex Aegypti comparatur h. l, atque locis indicatis (quibus adde Jes. 51, 9. et infra 32, 2.), quod eas regiones incolit, in quibus crocodili habitant, qui terrori aliis atque exitio sunt. Crocodilum veteribus emblema regni Aegyptii fuisse, inde colligi potest, quod in numis devicta ab Augusto Aegyptus sub emblemate crocodili, palmae alligatae sistitur. Vide *Thesaur. Morell.* (Amstelod. 1752.) T. I. p. 386. sq. et T. III. sub numis Augusti, Tab. 36, 26. 27. 37, 1. Bochartus *Hieroz.* P. II. L. V. C. 18. T. III. p. 774. ea comparatione et ad ipsum *Pharaonis* nomen alludi existimat. Nam Arabibus פַּרְעוֹן et *crocodili* nomen est. „Itaque (verba sunt Bocharti) cum dicit Ezechiel: *Pharao, magne* thanuin, *qui cubas in medio rivorum tuorum*, idem est, ac si diceret: O qui Pharaonis, seu crocodili nomine gloriaris, idem te manet casus, qui crocodilum, qui ferreo hamo capitur, atque ita e flumine ad necem trahitur.“ Verum recte jam Noldius in *Annotatt. et Vindicc.* ad *Concordantt. Particular.* not. 1306. p. 886. ed. Tymp. Bocharto obvertit, *Pharaonem* notare *regem*, et commune fuisse regibus Aegypti nomen, ut apud Persas *Schah*, et *Sultan* ad Turcas. „Videtur autem,“ addit, „vox *Pharao*, regibus propria, translata ad *crocodilum*, quod hic quasi rex esset inter aquatilia, quae in fluviis Aegypti degerent.“ הָרֹבֵץ *Qui recubat*, supra 19, 2. Genes. 4, 7. 49, 9. Ammianus Marcellinus L. XXII. Cap. 15. de crocodilo: *Noctibus quiescens per undas, diebus humi vescitur.* בְּתוֹךְ יְאֹרָיו *In medio fluminum suorum*, Nilum intelligit, quem flumina vocat, seu quia ad irrigandos Aegyptios agros varii ex alveo ducebantur rivi, seu quod fluvius Nilus in septem distrahebatur ostia, per quae tandem in mare mediterraneum se exonerabat. Quare et Martialis (de Spectac. 3.) *Nili flumina*, et Ovidius *Metamorph.* 15, 153. *Septemflua Nili* dicit. יְאֹר, quod in V. T. solo de Nilo usurpari solet (vid. Genes. 41, 1. Exod. 1, 22. 7, 19. Jes. 7, 18.), nomen Aegyptiacum est; IAPO dialecto Memphitica, Sahidica autem IEPO, *fluvium* denotat. „Et quia Nilus unicus et solus est in Aegypto fluvius, antiquissimis temporibus aliud quam *fluvii*, IAPO, nomen non habuisse videtur. Succedente aevo, quum Aegyptii aliorum insignium fluviorum notitiam acquisivissent, ut fluvium suum ab aliis distinguerent, *Nili* nomen eidem imposuere.“ Verba Jablonskii sunt in *Opusc.* P. I. p. 93., ubi et cf. editoris notam, et eundem p. 144. Cum Nilo autem

intelligenda Aegyptus, quae eo fluvio tota alluitur. Coccejus: „Non intelligitur tam fluvius, quam *populus Nilum bibens*, ut per *Euphratem* (הַנָּהָר) *Babylonii* intelliguntur Jes. 8, 7. Tralatitium est, populum cum fluento comparare; cf. Apoc. 17, 15.“ לִי וְיֹאֹרִי *Mihi*, meus est *fluvius meus*, omnia mihi abunde suppeditans, quem et nemo mihi adimere, et sibi vindicare poterit. Plurimum Aegyptii suo Nilo tribuebant, a quo omnia vitae sustentandae subsidia sperabant. Quum enim statis temporibus e suo alveo excedens fluvius ille agros irrigaret oblimaretque, non admodum, si pluvia deficeret coelestis, agrorum maciem metuebant. Plinius *Panegyr.* C. 30.: *Aegyptus alendis augendisque seminibus ita gloriosa est, ut nihil imbribus coeloque deberet; siquidem proprio semper amne perfusa, neque alio genere aquarum solita pinguescere, quam quas ipse devexerat, tantis segetibus induebatur, ut cum feracissimis terris quasi numquam cessura certaret.* Hinc ortum insolens illud verbum superbi regis: *meus est fluvius,* quasi diceret: quum a domestico flumine omnia mihi rato atque indubitato proventu suppetant subsidia; non est, cur ab irato Deo quicquam metuam, qui eripere mihi non potest perpetuos ac familiares usus, quos a flumine capio. Verba וַאֲנִי עֲשִׂיתָנִי sunt, qui vertant: *et ego feci mihi* scil. fluvium illum, ut alluere meam regionem, idque mea industria ac sapientia, multis ex illo diductis rivis. Ita Syrus: *et ego feci eum.* Verum וַאֲנִי commodius pro *Nominativo absoluto* (vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 723.) capitur, *et me quod attinet, feci me*, quomodo Vulgatus reddidit: *et ego feci memetipsum.* De se ipso ita magnifice cogitasse dicitur rex ille superbus, quasi non esset a superiori aliqua potentia productus, sed sibimet ipsi deberet suam potentiam et suum regnum, quod satis sibi a flumine, cujus ipse sit Dominus, facultates haberet ad beate vivendum. Hieronymus: „Loquitur juxta situm provinciae, quasi ad regem, quod in Nili inundatione confidat, et pluvias de coelo non magnopere desideret, auctoremque sui se ipsum putet; vel *fluvios*, hoc est *διώρυχας* et rivos Nili a se factos jactitet.“ Chaldaeus verba לִי וְיֹאֹרִי וַאֲנִי עֲשִׂיתָנִי sic interpretatus est: *meum est regnum et ego subjugavi* illud. Qui nostrum vaticinium contra *Pharaonem Hophram*, sive *Apriem* (vid. not. ad Vs. 2) directum arbitrantur, ad suam sententiam commendandam hic afferunt Herodoti e L. II. c. 169. verba, quibus narratur, regem illum, quum per plures annos omnia pro votis ipsi successissent, fastu ita inflatum fuisse, *ut nullum neque deorum neque hominum posse sibi adimere regnum, sibi persuaderet (Ἀπρίεω δὲ λέγεται εἶναι ἥδε ἡ διάνοια, μηδ' ἂν θεόν μιν μηδένα δύνασθαι παῦσαι τῆς βασιληΐης· οὕτω ἀσφαλέως ἑωϋτῷ ἱδρύσθαι ἐδόκεε).* Sed vid. not. ad Vs. sq.

4. Supplicium minatur vesanae superbi regis cogitationi debitum. Quum autem illum in superioribus sub emblemate cro-

codili proposuisset, jam in coepta metaphora persistens ita pergit: וְנָתַתִּי חַחִים בִּלְחָיֶיךָ *Injiciam hamos maxillis tuis*, quibus e flumine s. regno tuo extrahendus, ut in arido eo facilius occidi possis. Nomen חַח, quod supra 19, 4. significatione *uncini* per nares transfixi aderat, h. l. pro *hamo* est capiendum, ut חוֹחַ Job. 40, 26. (al. 21.). In textu חַחִים, cum duplici Jod scribitur, tanquam a singulari חַחִי (ad normam nominis לְחִי), forma ex quiescentibus tertia radicali He petita. Crocodilus jam HERODOTI tempore (L. II. c. 70.) capi ingenti *hamo ferreo* solebat, cui caro suilla esca imposita, ut hanc devorans et hamum deglutiat bestia, quae tum ex aqua extrahitur. Eodem modo crocodilorum capturam describit MAILLET *Description de l' Egypte* T. II. p. 127. ed. Hag. 1740. 8. *(On les prend quelquefois avec des hameçons, en leur mettant pour appas un quartier de cochon, ou de lard, dont ils sont fort friands).* Cf. OEDMANN *Vermischte Sammlungen*, P. III. p. 6. vers. germ et MICHAELIS *Supplemm.* p. 715. וְהִדְבַּקְתִּי דְגַת־יְאֹרֶיךָ בְּקַשְׂקְשֹׂתֶיךָ *Et adhaerere faciam pisces fluminum tuorum squamis tuis.* Ut draco hic magnus, s. crocodilus, dominum se putabat fluminum, sic etiam piscium, qui fluviales sinus habitabant. Hi vero sunt Aegyptii, quorum armis regnum sibi tutabatur incolume, et quorum opibus atque industria regios alebat fastus, et opimis fruebatur deliciis, quae sibi nec decssent, illorum non solum facultates, sed etiam sanguinem exsugebat, sicut belluae aquatiles minorum piscium carnibus se sustentant. Hos igitur pisces, qui draconi illi stipatores sunt, et quasi satellites, eodem Deus extrahet hamo, ut simul in litore a belluis volucribusque cocli lacerentur, ut pluribus hoc infra 32, 4. declaratur. Chaldaeus haec ita explicat: *et interficiam principes fortitudinis tuae cum potentibus tuis.* וְהַעֲלִיתִיךָ מִתּוֹךְ יְאֹרֶיךָ *Faciamque ascendere*, i. e. extraham *te* (quo ipso significatu de piscibus extrahendis idem verbum Habac. 1, 15. usurpatur) *ex rivis tuis*, ejiciam et exuam te regno. Ita Chaldaeus: *et cessare faciam te a regno tuo.* וְאֵת כָּל־דְּגַת יְאֹרֶיךָ בְּקַשְׂקְשֹׂתֶיךָ תִּדְבָּק *Et omnem piscem*, s. *et cum omni pisce fluminum tuorum* qui *squamis tuis adhaeret.* Ante בְּקַשְׂקְשֹׂתֶיךָ est Pronomen relativum אֲשֶׁר subaudiendum, ut alias saepe. Qui hoc oraculum ad Pharaonem Hophram s. Apriem referunt, hoc Versu cladem, quam ille a Cyrenaeis in desertis Lybicis accepit, spectari putant. Rem ex HERODOTO L. IV. c. 159. et DIODORO SICULO L. I. c. 68. his verbis narrat JUNIUS: „Cyrenaei, auxiliaribus Graecorum copiis freti, finitimam Libyam occupaverant, et regem Ariciam s. Adricanum ditione sua exuerant. Is in fidem Pharaonis Apriei se confert, qui amplum collegit exercitum, non exterorum, sed Aegyptiorum, adeoque ditionem suam ferme exhausit hominibus suis, quos in agrum Cyrenaicum deduxit, ubi omnes ferc perierunt, rege cum pauculis foeda fuga vix effugientibus. Quare offensi Aegyptii, tanquam si rex iste

infausto consilio, exstinctis Aegyptiis, gravissimam tyrannidem in reliquam plebem moliretur, in illum rebellarunt.“ Atque nostro quidem Versu qui illam sententiam sequuntur hoc innui volunt, regem in toto regno suo exercitum conscripturum et contra hostes educturum, sed infelici eventu. Haec illi, quibus nos minime adstipulari possumus. Nam ad cladem Aegypto a *Chaldaeis* inferendam, omnia haec oracula quatuor Capitibus inde a 29. usque ad 32. comprehensa, pertinere, non solum inde patet, quod infra Vs. 18. Deus *Nebucadnezaris* operam, quam in Tyri oppugnatione longam assumsit, Aegyptiis spoliis compensandam promittit; verum et ex iis, quae Cap. 30, 10. 25. 32, 11. leguntur. Et in eo vaticinio, quod duobus tantum mensibus serius nostro editum est (30, 20—26.), diserte per *regem Babylonium* Aegyptus vastanda et incolae per omnes gentes dispergendi dicuntur. Stragem autem, Aegyptiis in desertis Libyeis a Cyrenaeis illatam, causam fuisse tanta vastitatis, quantam toti Aegypto inde a Vs. 10. vates minatur, ne verisimile quidem est, nec veteris alicujus scriptoris testimonio demonstrari poterit. Neque Apriei conveniunt, quae Versu proximo regi Aegyptio denunciantur, fore, ut in deserto interfectus ibi inscpultus jaceat. Nam Apries in Aegyptum reversus et carceri inclusus, ac tandem strangulatus est. Vid. Herodot. L. II. c. 169. Quare istius sententiae defensores eo confugiunt, ut illam comminationem vel synecdochice de Apriei exercitu capiendam, vel ad ejus successorem et aemulum, Amasin, qui sepultura caruit (Herodot. 3, 16.), extendendam esse dicant. Verum ne synecdochice intelligantur, quae propheta Vs. 5. regi Aegyptio minatur, vetant verba: *te* et *omnes pisces fluminum tuorum in desertum projiciam*; *in campo cades*, et quae sequuntur. Si quis vero, quae vates diserte uni eidemque regi minatur, divellere, atque duobus diversis viris accommodare velit, nonne is planissima contorquere atque pervertere dicendus erit?

5. וְנָטַשְׁתִּיךָ הַמִּדְבָּרָה *Relinquam te* abductum et projectum (cf. infra 32, 4.) *in desertum* siccum (respondet מִדְבָּר Jes. 41, 18. *terrae aridae*, אֶרֶץ צִיָּה), ubi pisces vivere nequeunt. Significatur, ab hoste Chaldaeo abducendum esse Pharaonem cum aliis Aegyptiis, illis praesertim, qui meliori erant ordine et loco *(qui draconis squamis*, i. e. regio lateri, *sese adglutinarant)* in Babylonem, quae Aegyptiis, captivis abductis, aeque ingrata esse oportebat, quam aquatilibus ex aquarum gurgite in litus protractis, aridum solum. עַל־פְּנֵי הַשָּׂדֶה תִּפּוֹל „*Et cades super faciem campi*, vel, *terrae* tuae, eo quod Aegyptus campestris provincia sit,“ inquit Hieronymus. Sed eadem prorsus verba leguntur infra 39, 5., ubi Gogo vates minatur, eum cum exercitu in terra Israelitica (montosa, ibid. Vs. 4.) *super facie terrae casurum*, feris videlicet volucribusque pascendis, quod ibi

Vs. 4. praecesserat, et nostro loco statim subjicitur. Verba, quae sequuntur, לֹא תֵאָסֵף וְלֹא תִקָּבֵץ *non colligeris, neque congregaberis*, et rei, quae comparationi inservit, i. e. piscibus, et rei comparatae, i. e. regi Aegypti cum suis, aeque sunt apta. Neque enim tanquam pisces pro lautorum hominum mensis expetitos colligendos, sed tanquam ingratos noxiosque pisces abjiciendos illos dicit. Qua similitudine usus est Christus Matth. 13, 47. *Simile est*, inquit, *regnum coelorum sagenae missae in mare, et ex omni genere piscium congreganti, quam, quum impleta esset, educentes, et secus litus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.* Ad regem ipsum vero si verba illa referas, significatur, eum insepultum jaciturum. *Congregari* enim et *colligi*, ubi de cadaveribus agitur, est, in sepulchrum inferri. Vid. 2 Reg. 22, 20. וְנֶאֱסַפְתָּ אֶל־קִבְרֹתֶיךָ *et colligeris ad sepulchra tua.* Jer. 8, 2. לֹא יֵאָסְפוּ וְלֹא יִקָּבֵרוּ *non colligentur*, scil. in sepulchra, *neque sepelientur*, quae ipsa verba et Jer. 25, 38. leguntur, cf. et 9, 21. Cujus loquutionis ea videtur esse caussa, quod jam tum totae familiae haberent unum commune monumentum, quo posteri ad suos majores aggregabantur. Cf. J. H. Pareau *Commentat. de immortalitatis notitiis* etc. p. 48. Sensum nostri loci recte expressit Chaldaeus: *super faciem agri projicietur cadaver tuum, non colligetur nec sepelietur.* Pro תִקָּבֵץ in codicibus nonnullis Kennicottianis legitur תִקָּבֵר, quod ipsum et Chaldaeum legisse putat De-Rossi. Quasi vero non תִקָּבֵץ legere potuisset, cujus verum sensum in sua interpretatione expresserit. לַחַיַּת הָאָרֶץ וּלְעוֹף הַשָּׁמַיִם נְתַתִּיךָ לְאָכְלָה *Bestiis terrae et volucribus coeli dabo te in escam.* Ita Homerus statim in principio Iliados (A, 4.) occisos fuisse canit Graecos eosque canibus atque volucribus datos esse in escam: — *αὐτοὺς δ' ἐλώρια τεῦχε κύνεσσιν Οἰωνοῖσί τε πᾶσι. . . . .* Et Virgilius *Aeneid.* 9, 485. matrem Euriali filii ab hostibus interemti casum hoc modo deplorantem inducit: *Heu, terra ignota canibus date praeda Latinis Alitibusque jaces!*

6. וְיָדְעוּ כָל־יֹשְׁבֵי מִצְרַיִם כִּי אֲנִי יְהוָה *Ut cognoscant omnes incolae Aegypti, me esse Jovam*, qui solus omnia efficere possit, Pharao vero nihil. Formula nostro familiaris. Vid. supra 17, 24. 21, 10. 25, 10. 17. 28, 22. 24. 26. et infra hoc Capite Vs. 10. 16. יַעַן הֱיוֹתָם מִשְׁעֶנֶת קָנֶה לְבֵית יִשְׂרָאֵל *Quoniam domui Israelis fuerunt baculus arundinis*, infirmior, quam ut posset eos sustinere et juvare. Grotius: „Loquutio proverbialis in eos conveniens, qui nocent eis, quibus prodesse deberent. Sic rex Aegypti praelidenti illa gloriatione Vs. 3. in ipso acquiescentes fallebat, ut scipio arundineus eos, qui in illum incumbunt.“ Chaldaeus vertit: *sustentaculum arundineum conquassatum*, coll. 2 Reg. 18, 21. Jes. 36, 6.: בָּטַחְתָּ לְךָ עַל־מִשְׁעֶנֶת הַקָּנֶה הָרָצוּץ הַזֶּה עַל־מִצְרַיִם *confidis baculo isti arundineo conquassato, Ae-*

gypto. Kimchi: „Non fuerunt Aegyptii Israelitis auxilium nisi ad breve tempus, coll. Jerem. 37, 5. seqq., eoque noeuerunt eis potius; nam ex fiducia in Aegyptiis rebellarunt in regem Babelis.“ Comparatur autem Aegyptus et hoe loco, et a Sanheribo locis antea indieatis *arundini* non solum propter communem rationem, quia arundo nihil habet solidi, atque adeo ab illa sperari nihil firmamenti potest; sed propter aliam etiam, et Aegyptio solo familiarem. Ad ripam quippe Nili et in locis palustribus aruudo naseitur multa, praesertim illa arundinis speeies, quae *Donax* dicitur, descripta a Forskalio *Flora Aegypt. Arab.* p. 23. et 24. addit: *Donax et Saccharum Ganesj ripas Nili non solum vestiunt, sed prorsus impediunt, ut* Alnus *in Septentrione.* Cf. Oedmanni *Vermischte Sammlungen* P. I. p. 52. sqq. vers. germ. et Celsii *Hierobot.* P. II. p. 317. sqq. Pro וַיְעַן הֱיוֹתָם, *quod fuerint illi* scil. Aegyptii, LXX, Syrus ac Vulgatus vertunt *pro eo quod fuisti*, quasi וַיְעַן הֱיוֹתְךָ legissent, sermone tantum ad regem Aegypti converso, ad quem etiam in Versu proximo est conversus. Reete vero Dathius monet, non esse, quod in textu legitur, וַיְעַן הֱיוֹתָם, sollicitandum, quum hujusmodi personarum permutationibus nil sit frequentius in prophetis. Se ipsum tamen ob faciliorem cum Versu sequente connexionem et in hoc hemistiehio verba tanquam ad regem dicta vertisse; qua ipsa de caussa forsan et antiqui interpretes ita verterint.

7. Verba בְּתָפְשָׂם בְּךָ בַּכַּפְּךָ fere sic vertunt cum Vulgato: *quando apprehenderunt te manu* (τὸ Keri sequuti, בַּכַּף), scil. sua, quasi scriptum esset בְּכַפָּיהֶם (ita LXX: ὅτε ἐπελάβοντό σου τῇ χειρὶ αὐτῶν); quod vero in textu legitur, בַּכַּפְּךָ efferendum, i. e. *manu tua* prorsus repudiandum judicant. Ita Dathius, qui leetionem textualem בכפך, *plane ineptam*, et De-Rossi, qui eandem *mendosam* vocat, simulque notat, quod in margine legendum praecipitur, בַּכַּף, in pluribus codicibus in ipso textu legi. Mihi vero בַּכַּפְּךָ, utpote difficilius, primo saltem adspectu, praeferendum videtur, quod nil tamen difficultatis habebit, si nomen כַּף h. l. de *clavo* seu *manubrio* scipionis, quocum Aegyptius comparatur, intelligas. De *incurvis manubriis serae* pluralis כַּפּוֹת dicitur Cant. 5, 5. Verbo תָּפַשׂ, quod proprie *circumplicare manum rei* denotat (vid. Jo. Guil. Schroederi *Commentar. in Psalmum* 10. p. 42. sqq) nomen, quod rem apprehendendam significat, jungi solet praefixo ב. Sic infra 30, 21. לְתָפְשׂ בְּחֶרֶב *ad prehendendum gladium.* Jes. 3, 6. כִּי־יִתְפֹּשׂ אִישׁ בְּאָחִיו *nam apprehendet vir fratrem suum.* Deut. 9, 17. וָאֶתְפֹּשׂ בִּשְׁנֵי הַלֻּחֹת *apprehendebam tuas illas tabulas.* Quare nostra verba ita reddenda erunt: *quando apprehenderunt te, manubrium* videlieet *tuum*, s. *manubrio tuo.* A quo sensu jam parum aut nihil discrepabit, quod in margine legendum praecipitur, בַּכַּף, *quando apprehenderunt te manubrio.* Neque tamen

absonum foret, nomen כַּף h. l. propria significatione capere, quasi Israelitae sistantur manus Aegyptii regis apprehendere, qui labentes fulciret suaque ope sustineret. Non infrequens enim est nostro, propria figuratis miscere, veluti supra 19, 7., vid. Vol. I. p. 509. תֵּרוֹץ *Confractus es*, non praestitisti eis promissum auxilium (cf. 2 Reg. 18, 21.), sed potius deteriorem rem illorum fecisti, quod his verbis exprimit: וּבָקַעְתָּ לָהֶם כָּל־כָּתֵף *et perfodisti eis totum latus*, s. *humerum* (ut infra Vs. 18.), i. e., ut GROTIUS notat, synecdochice *totum brachium*. „Scipioni arundineo si nimium fidenter incumbas, fieri potest, ut frangatur, simulque vulneret, imo perforet manum. Fissile enim est hoc genus arundinis, et, ubi maturuerit, praedurum. Unde varia hinc parantur instrumenta, subularum ritu acuta et pungentia. De Daphnidis digito arundine vulnerato canit THEOCRITUS *Idyll.* 8, 24.: — — Ἔτι καὶ τὸν δάκτυλον ἀλγῶ Τοῦτον, ἐπεὶ κάλαμός με διασχισθεὶς διέτμαξεν. *Et adhuc digitus dolet iste, illum enim calamus scissus sauciavit.* Apud THEODORETUM *Hist. Eccles.* L. V. c. 39. lego, *inter cruciamenta martyrum fuisse, ut eos arundinibus semisectis circumdarent, et incisiones corporibus applicarent.* Et mox idem ille narrat, Isdegerdem, Persarum regem, istis hominibus *arundines praeacutas per ungues manuum et pedum trajici jussisse.*“ CELSIUS *Hierobot.* P. II. p. 320. Ideo ausi sunt Judaei opponere sese Chaldaeorum armis, quia satis se virium ad resistendum habituros putabant a Pharaonis auxilio. Quare si ad falsam spem non essent ab Aegyptiis adducti, solvissent tributum, quod debebant ex pacto, nec fuisset eorum respublica a Chaldaeis exterminata. Chaldaeus hemistichium hoc prius ita explicavit: *quum nomen dederint tibi* Israelitae, *in manum regis robusti traderis, et peribit domus confidentiae eorum.* Eandem rem Noster eâdem metaphorâ, sed verbis diversis usus, altero hemistichio repetit: וּבְהִשָּׁעֲנָם עָלֶיךָ *et quando innixi sunt* toto corpore *super te*, cf. Jud. 16, 26. Jes. 10, 20. 31, 6. Job. 8, 15. In ultimis hujus Versus verbis, וְהַעֲמַדְתָּ לָהֶם כָּל־מָתְנַיִם, sensum tolerabilem vix reperies, si ea vertas: *statuisti*, s. erexisti *omnes lumbos*, utrumque lumbum, *eorum.* Quod enim quidam Hebraeorum explicandi causa afferunt, cum aliquis baculo innitatur, eum incurvari, at remoto sustentaculo, stare sine curvitate, sensumque esse hunc: coëgisti illos (Judaeos), ut suis solis lumbis starent, quum non inniti infra possent tibi, nihil est. MICHAELIS in *Supplemm.* p. 1927. collato Arabico עמד *immittere gladium in vaginam* nostra verba ita verti posse arbitratur: *intrabas in lumbos eorum.* Sed verbum עָמַד cum suis derivatis creberrime in V. T. obvium, nusquam alia nisi *standi, erigendi* significatione occurrit. Mihi quidem non est dubium, verum vidisse Hebraeorum illos, a Jarchio et Kimchio commemoratos, qui וְהַעֲמַדְתָּ per metathesin pro וְהַמְעַדְתָּ, *et vacillare fecisti*, positum ob-

servarunt. Cui sententiae plurimum roboris accedit eo, quod illa adscita eandem plane, quam h. l., formulam habemus Ps. 69, 24. וּמָתְנֵיהֶם תָּמַעַד, *et lumbos eorum fac vacillare.* Veteres similem sensum expresserunt. LXX: *καὶ συνέκλασας αὐτῶν πᾶσαν ὀσφύν.* Vulgatus: *et dissolvisti omnes renes eorum.* Syrus: *et concussisti lumbos eorum.* Chaldaeus: *nec eris eis in domum s. locum praesidii.*

8. וְהִכְרַתִּי מִמֵּךְ אָדָם וּבְהֵמָה Iisdem verbis totius terrae vastatio supra 14, 13. 17. describitur.

9. וְהָיְתָה אֶרֶץ־מִצְרַיִם לְשַׁמָּמָה וְחָרְבָּה *Eritque terra Aegypti in vastitatem et solitudinem;* cf. infra 36, 35. — וְיָדְעוּ כִּי אֲנִי יְיָ עָשִׂיתִי *Et cognoscent me esse Jovam, propterea quod dixit: fluvius* est *mihi, et ego feci* eum. Quum saepe Deus tam in hoc Propheta, quam in aliis, post intortas minas verba haec, *ut cognoscant, me esse Dominum*, aut his quam simillima subjecerit, ut homines impii, sibique plus satis arrogantes intelligant, vim aliquam esse superiorem, quae audaces frangat spiritus; hic tamen praecipua quaedam ratio est, cur illa verba propositis minis attexi debuerint, quia quum rex ille superbus suum esse fluvium affirmasset (Vs. 3.), neque sibi ab illius abundante atque foecundo influxu quicquam defuturum cogitasset, addidit Deus: quia tu, o draco magne, tuum esse fluvium affirmabas, re ipsa edoctus me illius esse dominum intelliges, quando eo redigam res Aegyptias, ut neque Nilus, neque ulla res alia, cum ego contra steterim, tibi possit esse subsidio. Erit enim terra vastata, peribunt homines et jumenta, quibus propter mille fluminis opportunitates neque cibum, neque pascua defutura credebas. Ad עָשִׂיתִי, pro quo supra Vs. 3. עָשִׂיתָנִי legitur, subaudiendum est vel יְאֹר, quod proxime praecessit, vel pronomen primae personae ex לִי. Chaldaeus eodem modo, quo Vs. 3., et hic vertit.

10. הִנְנִי עָלַיִךְ pro הִנְנִי עָלַיִךְ, ut supra Vs. 3. cf. infra 30, 22. לְחָרְבוֹת *In vastitates*, constructum h. l. est, ut in חָרְבוֹת עוֹלָם Jes. 61, 4. Jer. 49, 13. חֹרֶב שְׁמָמָה *vastitatis desolationis* (ut Jes. 61, 4.), i. e. maximam et horrendam desolationem. *Superlativus* per constructionem synonymorum exprimitur, ut supra 21, 15. Verba מִמִּגְדֹּל סְוֵנֵה וְעַד־גְּבוּל כּוּשׁ Hieronymus sic vertit: *a turre Syenes usque ad terminos Aethiopiae*, ad quae in Commentario haec habet: „Pro *turre*, quae hebraice *Migdol* dicitur, LXX loci nomen posuerunt, ut *Μαγδαλὸν* scriberent [Graeca Alexandrina interpretatio in codice Alexandrino et Romano, quibuscum Arabs et versio Syriaca Hexaplaris consentiunt, ita sonat: *ἀπὸ Μαγδωλοῦ καὶ Σοήνης καὶ ὁρίων Αἰθιοπίας*]. *Turris* autem *Syene* usque hodie permanet, castrum ditioni Romanae subditum, ubi sunt Nili cataractae, et usque ad quem locum de nostro mari Nilus navigabilis est. Totam igitur Aegyptum dicit esse depopulandam usque ad terminos Ae-

thiopiae, quibus extrema Aegypti regio jungitur.“ Sed ea ipsa sententia flagitat, ut Syene, quae ipsa prope extremus est Aegypti limes australis, borealem aliquem terminum sibi oppositum habeat. Habebit autem, si מִגְדֹּל non pro nomine appellativo, sed cum LXX pro nomine proprio loci alicujus accipiamus. Nam *Μαγδαλόν*, quod illi posuerunt, quodque est ipsissimum Hebraeorum מגדל, civitas Aegypti est, a Pelusio, propter Nili ostia ad mare mediterraneum sito, 12 mill. passuum distans, ut in *Antonini Aug. Itinerario* p. 171. ed. Wesseling. habetur (conf. Cellarii *Notit. Orbis antiqui* T. II. p. 804.), terminus igitur Aegypti aquilonaris, ut Syene meridionalis. Vid. *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. III. p. 260. Est vero מִגְדֹּל ex Aegyptiaco loci nomine *Meschtol* ab Hebraeis in vernaculae vocis similitudinem corruptum. Sunt igitur verba hebraca ita reddenda: *a Magdolo ad Syenem, id est, ad terminum usque Aethiopiae.* סְוֵנֵה pro Accusativo est capiendum, qui ad locum quo quis tendit designandum ponitur, veluti 2 Chron. 20, 36. לָלֶכֶת תַּרְשִׁישׁ *ad eundum Tartessum.* Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 685. סְוֵנֵה Arabibus hodie *Asvan* (cum Eliph prosthetico) dicitur, ex Aegyptio *COTAN*, *Sovan;* vid. Jablonskium l. c. p. 329. sq. et quos de ea urbe laudat *Te Water* in Not. p. 331. Quibus adde Cellarii *Notit. Orb. ant.* T. II. p. 764. 827. sq. et Champollion *l' Egypte sous les Pharaons* T. I. p. 161. sqq., qui nomen Aegyptium *eum qui aperiendi potestatem habeat* significare ait, quod loco illi inditum esset, quod claustrum Aegypti in finibus Aethiopiae fuerit. De כּוּשׁ, *Aethiopiam* significante, vid. not. ad Genes. 10, 6.

11. לֹא תַעֲבָר־בָּהּ — תַּעֲבָר־בָּהּ *Non transeat per eam* terram *pes hominis, nec pes jumenti transeat per eam.* Quod *nullum in Aegypto jumentorum hominumque vestigium* fore dicit, maximam terrae solitudinem indicare, vix monitu opus est. Spectat ad illud, quod supra Vs. 8. dixerat Deus: *interficiam de te hominem et jumentum.* וְלֹא תֵשֵׁב אַרְבָּעִים שָׁנָה *Nec habitabitur per quadraginta annos.* De תֵּשֵׁב intransitive capiendo vid. not. ad 26, 20. Quod vero hic minatur Deus, *Dei misericordia remissum fuisse, neque unquam contigisse, certissimum est,* inquit Scaliger in *Canone Isagog.* p. 312., *quemadmodum neque Niniven delevit, ut per Jonam et Nahum interminatus erat. Et multa sunt ejusmodi apud Ezechielem, Esajam et Jeremiam.* Cf. ad Vs. 19. Ceterum Hieronymus observat, „quadragenarium numerum semper afflictionis et poenae esse. Unde et Moyses [Exod. 34, 18.], et Elias [1 Reg. 9, 8.], et ipse Salvator [Matth. 4, 2.] *quadraginta diebus jejunaverunt et noctibus.* Et per quadraginta annos populus erat in solitudine [Num. 14, 34.], ut postea circumcisus in Galgalis opprobrio et ignominia Aegypti liberetur. In cujus numeri sacramento hic Idem propheta

[supra 4, 6.] pro tribu Juda quadraginta diebus dormit in dextro latere; et quadringentis annis populus serviturus in Aegypto nunciatur [Genes. 15, 13.], qui faciunt quadraginta decadas, sive quatuor ἑκατοντάδας. Pluviae quoque diluvii quadraginta diebus inferunt orbi naufragium [Genes. 7, 17.]." Cf. not. ad 4, 6.

12. שְׁנָה — וְנָתַתִּי *Reddamque terram Aegypti vastationem*, vastitatem, *in medio terrarum vastatarum, et urbes in medio urbium destructarum erunt vastitas per quadraginta annos.* „Quod dicit, *dabo terram Aegypti desertam in medio terrarum desertarum*, Palaestinos significat, Idumaeos et Moabitas, omnesque alias regiones, adversum quas supra Prophetae vaticinium est." Hieronymus. Sed potest et haec generalis sententia esse: Aegyptum accensendam fore illis provinciis, quae sic eversae sunt, ut nullum antiquae sive frequentiae, sive gloriae vestigium supersit. Eadem verba leguntur infra 30, 7. וַהֲפִצֹתִי אֶת־מִצְרַיִם בַּגּוֹיִם וְזֵרִיתִים בָּאֲרָצוֹת *Dispergam Aegyptios inter gentes et disseminabo eos in* varias *regiones*, in quas cum ab hostibus captivi abripientur, tum belli metu ipsi se recipient. Repetuntur haec verba infra 30, 23. 26.

13. שְׁמֹה — מִקֵּץ אַרְבָּעִים שָׁנָה *A fine quadraginta annorum*, absolutis quadraginta illis annis, de quibus Vs. 11. 12., *congregabo Aegyptios ex populis quo dispersi fuerunt.*

14. וְשַׁבְתִּי אֶת־שְׁבוּת מִצְרַיִם *Et reducam captivos Aegypti*, vid. de hac phrasi not. ad 16, 53. וְהֲשִׁבֹתִי אוֹתָם אֶרֶץ פַּתְרוֹס *Reducam eos* ad *terram Pathros.* Particula אֶל, ante אֶרֶץ subaudienda, in duobus codicibus expressa legitur. Unus De-Rossii codex habet בְּאֶרֶץ, quod bene convenit ei quod LXX, Vulgatus et Syrus expresserunt, וְהֹשַׁבְתִּי (pro וַהֲשִׁבֹתִי), *habitare faciam*, vel *collocabo in terra Pathros.* „Bochartus [*Geogr. S.* P. I. L. IV. Cap. 27. p. 315.] ex situ locorum, qui cum *Pathros* conjunguntur, acute collegit, eo nomine designari *Thebaidem*, vel *Aegyptum superiorem.* Et hanc Viri Doctissimi observationem ipsum Aegyptiacum nomen *Pathros* egregie confirmat. Senserunt id interpretes Alexandrini in Aegypto scribentes. Itaque Jerem. 44, 1. et alibi nomen hoc פַּתְרוֹס reddiderunt *Παθούρης.* Id enim totidem literis Coptice scriptum *ΠΑΘΟΥΡΗС*, vel, quod eodem redit, *ΦΑΤΟΥΡΗС*, nihil aliud potest significare, quam *regionem Meridiei*, id est, *Thebaidem.*" Haec Jablonskius in *Pantheo Aegyptior.* L. V. C. 3. §. 5. p. 122. sqq. et in *Opusc.* P. I. p. 198., ubi et editoris, *Te Water*, not. vide. בְּכֹל־אֶרֶץ מְכוּרָתָם *Ad terram effossionis*, i. e. originis *eorum.* De מְכוּרוֹת, quod supra 16, 3. cum מוֹלֶדֶת, *natales*, tanquam synonymum, aut cognatae saltem significationis conjungitur, vid. not. ad eum loc., cf. et 21, 35. Dicitur itaque hic Phature antiqua Aegyptiorum patria; forsan quod Thebais prima fuerit habitata, antequam inferior Aegyptus satis ex mari emergeret. Verbis, quae in fine

Versus addit, וְהָיוּ שָׁם מַמְלָכָה שְׁפָלָה, *et erunt ibi* scil. in solo suo natali, Thebaide, *regnum humile* significat, restituendum quidem regnum Aegyptium, sed numquam ad pristinam dignitatem, aut eam potentiam assurecturum, ut ad coelum usque efferre superbum caput, aut sibi deinceps nomen assumere divinum audeat, quippe quod solis Thebaidis finibus sit circumscribendum. Id vero ut speraret propheta, consentaneum erat opinioni illi de rerum omnium ἀποκαταστάσει, de qua ad 16, 53. diximus. Contigisse unquam, quae vates nostro loco futura esse praedicit, demonstrare frustra laborant, qui singula prophetarum effata certis rebus gestis accommodare student.

15. מִן־הַמַּמְלָכוֹת תִּהְיֶה שְׁפָלָה *Prae regnis* aliis *humile erit;* מִן h. l. comparationi exprimendae inservit, ut Job. 1, 3. Habac. 1, 8. Cf. Storrii *Observatt.* p. 252. וְלֹא תִתְנַשֵּׂא *Neque efferet sese*, ut supra 17, 14., ubi iisdem loquendi formulis de regno Judaico Noster utitur. וְהַמְעַטְתִּים לְבִלְתִּי רְדוֹת בַּגּוֹיִם *Diminuam enim eos, ut non dominentur in gentibus* s. *in gentes.*

16. וְלֹא יִהְיֶה־עוֹד יִשְׂרָאֵל לְמִבְטַח *Neque erit ultra domui Israel in confidentiam.* Antiqua Pharaonis potentia, assiduaque in promittendo prolixitas, audaces reddebant ad frangendam fidem et violanda foedera Judaeos. Neque enim ausi fuissent negare Babyloniis, quod reddere debuerunt ex pacto, nisi adjunctis Aegyptiorum viribus, quas sibi paratas arbitrabantur, parcs se, aut etiam superiores existimarent. At restitutum quidem, sed angustioribus finibus circumscriptum regnum nihil ultra aliquid grande polliceri audebit. מַזְכִּיר עָוֹן *Quae commonefacit me iniquitatis*, quae causa sit, ut aliorum scelerum Israelitarum memor sit Deus. Eadem formula aderat supra 21, 28. Vulgatus vertit: *docentes iniquitatem*, quia Aegyptii, dum vires suas tantopere commendant auxiliumque venditant Judaeis, quos ad se in rerum angustiis confugere jubent, fecerunt, ut iniquis abducti consiliis a Chaldaeorum rege deficerent, quod sane aequitas et religio prohibebat. Sed Hieronymus, magis presse verba hebraea sequutus: „*Nec redigat eos in memoriam iniquitatis*, quod, deserto Dei auxilio, Aegypti quaesierunt adminiculum.“ בְּפָנוֹתָם אַחֲרֵיהֶם *Dum convertunt se*, respiciunt *ad eos*, auxilium ab eis exspectantes, cf. Ps. 40, 5.

17. Hinc jam aliud instituitur vaticinium, priori quidem non dissimile, licet longo post tempore propositum. Ut enim ex principio liquet hujus Capitis, vaticinium, de quo proxime, edidit Ezechiel anno deportationis *decimo*, istud vero anno *decimo septimo:* quare inter utramque prophetiam anni intercessere septendecim. Huc tamen coacta est a propheta, quia, longis licet disclusa temporibus, in eodem tamen argumento versatur. Hieronymus: „Quaeritur, quomodo post decimum annum superioris sermonis statim *vicesimus et septimus* ponatur annus, et

in consequentibus *undecimus*, *duodecimusque*, et in extrema descriptione templi *vicesimus quintus*. Sed facilis solutio est. Quia enim de Aegypto et superior, et haec, quae nunc dicitur, prophetia contexitur, licet diversis sit facta temporibus, tamen, quia de una provincia prophetantur, junctae sibi sunt. Quod et in Hieremia crebro legimus, ut praepostero ordine tempora describantur. Prius enim Sedechiae in quibusdam gesta referuntur, et postea Jojakim, qui ante eum fuit.“ Hisce similia habet Hieronymus ad Cap. 30, 20., ubi praeterea addit: „Cum haec dixerimus, manet nihilominus quaestio, cur in hoc eodem loco primum factus sit sermo Domini ad Pharaonem anno *decimo*, et postea *vicesimo septimo*, et deinceps anno *undecimo?* quum utique juxta ordinem primo *decimus*, secundo *undecimus*, tertio *vicesimus septimus* annus singulis prophetiis debuerint praenotari. Ad quod illud possumus respondere: *O profundum divitiarum sapientiae Dei, quam inscrutabilia judicia ejus, et investigabiles viae ejus!* (Rom. 11, 33.). Et in alio loco (Eccles. 1, 4.): *Abyssum et sapientiam quis investigabit?* Possumus autem hoc dicere, quod et in prophetis nequaquam historiae ordo servetur, duntaxat non in omnibus, sed in quibusdam locis; neque enim narrant praeterita, sed futura praenunciant, prout voluntas Spiritus Sancti fuerit.“ Nos quidem in collocandis his contra Aegyptum vaticiniis hunc servatum ordinem existimamus, ut ea vaticinia, quae devastandi atque evertendi regni Aegyptiaci *causas* exponunt, praemittantur ceteris, in quibus Aegypti strages pluribus describitur. Causa vero, cur Deus Aegyptum evertere decreverat, traditur triplex: primo, quod regis Aegyptii fastus insanus erat deprimendus (Vs. 2 — 5.); tum, quod Aegyptii vanis auxilii promissionibus Judaeos in falsam spem, adeo ipsis perniciosam, adduxerunt (Vs. 6 — 16.); denique, quod Nebucadnezaris operam, quam in Tyri oppugnatione longam assumsit, Deus spoliis Aegyptiis compensare voluit (Vs. 17 — 21.). בְּעֶשְׂרִים וְשֶׁבַע שָׁנָה *Anno vigesimo septimo* a deportatione Jechoniae, ut propheta noster supputare solet; cf. not. ad Vs. 1. et ad 1, 2. Interpretes quidem ex Hebraeis plerique, sequuti Chronicon vetus, a R. Jose, seculo, ut ferunt, post Christum natum, secundo, conscripto, cui epigraphe est סדר עולם רבא *Seder Olam rabba* (i. e. *Series rerum gestarum major*, quo posteriore vocabulo discernitur ab alio breviori Chronico, סדר עולם זוטא), edit. a Jo. Meyero Amstelod. 1699. curatae, p. 77., annum intelligengum volunt *vicesimum septimum* a principio regni Nebucadnezaris; nam quum propheta supra Vs. 11. sqq. Aegypti solitudinem ad annum usque quadragesimum producendam comminatus esset, non vero indicasset, unde quadraginta illi anni exordium capiant, ideo hoc loco vatem significare, Nebucadnezarem regni sui anno vicesimo septimo Aegyptum vastaturum esse. Quod plane pro lubitu sumitur. Solum enim tempus editi oraculi indicari, patet;

quando vero contigerint, quae illo denuntiantur, nusquam legimus. Ac ne verisimile quidem est, vatem hoc solo loco computandi ratione plane alia, quam locis ceteris omnibus, uti solere, nec ejus rei admonuisse lectores suos. בָּרִאשׁוֹן *Primo* scil. mense, ut 45, 18. 21.; cf. not. supra ad Vs. 1.

18. הֶעֱבִיד אֶת־חֵילוֹ עֲבֹדָה גְדוֹלָה אֶל־צֹר *Servire fecit exercitum suum servitute magna adversus Tyrum*, longam imposuit et molestam operam exercitui suo in obsidenda atque expugnanda Tyro. Nam per tredecim annos Tyrum Nebucadnezar oppugnasse fertur; vid. supra ad 26, 7. Ad phrasin cf. Exod. 1, 13. 14. 6, 5. כָּל־רֹאשׁ מֻקְרָח וְכָל־כָּתֵף מְרוּטָה „*Omne caput decalvatum et humerus depilatus est*, gestantium cophinos terrae et lapides, quibus raduntur humeri, et decalvatur caput," ait Hieronymus ad h. l. Quum enim Tyrus undique cingeretur a mari, spatium illud, quod erat a littore ad urbem usque, constravit aggere, reddiditque solidum Nebucadnezari, ut ad ipsos usque muros milites pedestri itinere procurrerent. Quare necesse videbatur, ut comportandis cophinis, et gravi lignorum lapidumque vectura depilarentur humeri, et dum tamdiu milites armati sunt in castris, galearum pondere defluerent e capite capilli ad calvitiem usque. וְשָׂכָר — אֲשֶׁר־עָבַד עָלֶיהָ *Nec tamen merces fuit* s. contigit *ei et exercitui ipsius de Tyro pro labore, quem impendit adversus eam;* vel quod obsidione absistere coactus esset, vel quod Tyrii sponte sese dederint sub ea conditione, ut civium opes intactae et inviolatae relinquerentur. Cf. not. supra ad 26, 7. Alii Nebucadnezarem perhibent Tyrum occupantem vacuatam invenisse. Rem narrat Hieronymus his verbis: „Nabuchodonosor quum oppugnaret Tyrum, et arietes, machinasque, vineasque, eo quod cincta esset mari, muris non posset adjungere, infinitam exercitus multitudinem jussit saxa et aggeres comportare, et expleto medio mari, imo freto angustissimo, vicinum litus insulae fecit continuum. Quod quum viderent Tyrii, jam jamque perfectum, et percussione arietum murorum fundamenta quaterentur, quicquid pretiosum in auro, argento, vestibusque et varia suppellectili nobilitas habuit, impositum navibus ad insulas asportavit, ita ut capta urbe nihil dignum labore suo inveniret Nabuchodonosor." Quae unde hauserit Hieronymus, haud constat. Quum vero eorum a nullo alio veterum scriptorum mentio fiat, sublestae sunt fidei.

19. לָכֵן — הִנְנִי *Ecce ego dabo Nebucadnezari, regi Babelis, terra Aegypti, auferetque turbam ejus, manubias depraedabitur, et spolia rapiet, quae erunt merces exercitui ejus.* „Quum in hoc, inquit Deus, mihi servierit Nabuchodonosor, et meam contra Tyrum impleverit voluntatem, idcirco dabo ei terram Aegypti. Quod quidam dicunt sub Nabuchodonosor esse completum; alii sub Cambyse, filio Cyri, qui Aegyptum usque

ad Aethiopiam vastavit, ita ut Apim interficeret, et omnia illorum simulacra deleret. Quam ob causam putant eum versum in amentiam, casu equi et proprio pugione confossum. Plenissime hanc historiam narrat Herodotus [3, 27 — 38.]; ubi et omnis Aegyptus per pagos, et castella, et vicos describitur, et Nili origo, gentisque illius populi, et mensura terrae per circuitum usque ad desertum Aethiopiae, et littora magni maris, Libyaeque et Arabiae confinia demonstrantur [L. II. toto]." HIERONYMUS. Sed Nebucadnezarem Aegyptum expugnaturum esse flammaque et ferro vastaturum, praedicit et Jeremias 43, 8 — 13. Nullus tamen veterum Graecorum et Romanorum scriptorum qui supersunt expeditionis a Nebucadnezare in Aegyptum factae mentionem faciunt. Solus Megesthenes, qui Seleuci Nicatoris tempore, circa annum 280 ante Christum natum, de rebus Indicis scripsit, teste Josepho (*Antiqq.* 10, 11. 1.) tradit, Nebucadnezarem ducto in Libyam et Iberiam (i. e. Hispaniam) exercitu eas regiones vastasse, et in suam potestatem redegisse. Praeterea, testantibus Arabibus, constans est fama inter Aegyptios de sua regione olim devastata a Nebucadnezare, qui quum aegre ferret, quod rex Aegypti Judaeos, qui e patria Aegyptum aufugerant, in suam tutelam receepisset, eum exercitu in illam terram irruperit, eamque ita devastaverit, ut quadraginta annos desolata jacerct. Vid. ABDOLLATIPHI *Memorabilium Aegypti Compend.* L. I. Cap. 4. p. 116. edit. White, s. p. 65. edit. Paulus in octon., et in translat. gall. a Silv. de Sacy facta p. 184., collatis notis p. 247., ubi plures Arabum scriptores indicantur, qui idem tradunt.

21. בַּיּוֹם הַהוּא אַצְמִיחַ קֶרֶן לְבֵית יִשְׂרָאֵל „*In illo*, inquit, *die*, quo Aegyptus capta fuerit, *pullulabit cornu domus Israel*, haud dubium, quin regium genus significet. Quod quidam ad Zorobabel, filium Salathiel, qui per Jechoniam de David stirpe generatus est, alii ad ultimum tempus referunt, quando putant et Heliam esse venturum. Nos autem *cornu Domini* super Christo intelligentes praesentem carpimus historiam." HIERONYMUS. Chaldaeus: *afferam liberationem domui Israel. Cornu*, quadrupedum quorundam et ornatus praecipuus, et roboris exserendi sequc defendendi instrumentum, ad potentiam, virtutem, fortitudinem significandam a scriptoribus Hebraeis frequenter adhiberi notum; vid. e. e. 1 Sam. 2, 1. Job. 16, 15. Ps. 75, 6. 11. 89, 18. 25. Quare Dan. 6, 2. 3. 7, 7. 8. 21. *regna* cornubus significantur. Phrasis igitur *germinare faciam cornu domui Israel* hoc indicabit: restituam regni Israelitici pristinam potentiam, florem et vigorem. Ut Ps. 132, 17. אַצְמִיחַ קֶרֶן לְדָוִד *germinare faciam cornu Davidis*, i. e. faciam ampliari et propagari vires regni ejus. Vid. not. ad eum loc. Quam quidem exoptatissimam rerum vicissitudinem noster tam prope affuturum credebat, ut et suis oculis eam percepturum speraret. Hoc enim a Deo sibi promissum ait:

וְלְךָ אֶתֵּן פִּתְחוֹן־פֶּה בְּתוֹכָם *et dabo tibi apertionem oris in medio eorum*, i. c. tunc ex rerum praedictarum eventu collectis viribus audacior eris ad loquendum; nam qui timide ac dubitanter loquuntur, illi aut mutire et mussitare, aut ore clauso loqui existimantur. Cf. supra 24, 27., et phrasin eandem supra 16, 63. Ceterum quae noster de restituendo regno Israelitico praedicit, contigisse quidam volunt, ubi Jechonias, postquam triginta septem annis jacuisset in carcere, post mortem Nebucadnezaris emersit e tenebris, et quasi ex arido stipite pullulavit. Sed Evilmerodach Jojachinum e carceris quidem squalore protraxit, et summo in honore habuit (2 Reg. 25, 27 — 30. Jer. 52, 31 — 34.), minime vero in patrium regnum restituit. Prudenti autem lectori vix dubium erit, nostrum hoc loco spectasse magnum illum regem, e stirpe Davidica oriundum, quem res suas ad summum potentiae et splendoris fastigium evecturum, aureumque seculum reducturum, profligatis prius et perditis populi Israelitici hostibus omnibus, Judaei ab antiquissimis inde temporibus sperarunt, sperantque etiamnum.

CAP. 30.

Argumentum.

Duplex hoc Capite continetur, ac diversi temporis, ejusdem tamen argumenti, prophetia. Prima tam in genere contra Aegyptum et foederatos ejus (Vs. 2 — 9.), Nebucadnezari tradendos (Vs. 10 — 12.); qam in specie contra deos, munimenta et certas urbes ejus (Vs. 13 — 19.) directa est. Altera, anno undecimo edita, itidem strages alia post aliam Pharaoni inferenda, et dispersio Aegyptiorum per regem Babylonium praedicitur (Vs. 20 — 26.).

1. Quod inde ab hoc Versu usque ad Vs. 19. decurrit vaticinium sunt qui jungendum existiment illi, quod priore parte Capitis superioris (Vs. 1 — 16) continetur. Ita HIERONYMUS: „Post vicesimum et septimum annum captivitatis regis Joakim, revertitur ad praesens tempus, quando contra Aegyptum coeperat prophetare, id est, ad annum decimum et decimum mensem, undecima mensis die [29, 1.], et dicit sibi praeceptum a Domino, ut loquatur ad omnes nationes, et cum omnibus specialiter ad Aegyptum." Nil tamen est, quod primam hujus Capitis partem (Vs. 1 — 19.) ab eo vaticinio, quod Vs. 17. Capitis superioris inchoatur, divellere nos jubeat.

2. הֵילִילוּ *Ejulate!* vos Aegyptii, aliique, quorum clades hic praedicitur. Jes. 13, 6. הָהּ *Vae!* idem quod אֲהָהּ 4, 14. 9, 8. לְיוֹם *Diei*, funesto illo, quo ea mala, de quibus mox pluribus, vobis impendent. Cf. Joel. 1, 15.

3. קָרוֹב יוֹם Vid. supra 7, 7. Zephan. 1, 7. יוֹם לַיהוָה *Dies Jovae* ille vocatur, in quo Jova edit animi sui utcunque vehementer affecti documentum aliquod illustre, sive suam ostendendo gloriam, sive aliquod imponendo supplicium. Hinc ea loquendi formula saepius significantur calamitates et infortunia populis ob malitiam a Deo puniendis immissa, vid. Jes. 2, 12. 13, 6. Joel. 1, 15. 2, 1. 2. Amos. 5, 20. Chaldaeus: *Dies, qui venturus est a Domino.* Quidque intelligat *die Domini*, vates statim ipse declarat, dum addit: יוֹם עָנָן *dies nubis*, nubila procellis rerum adversarum, *dies atra*, ut Latini dicunt. Quemadmodum *luce* prospera significatur fortuna, sic contra *tenebris coeloque obnubilato* et turbido aerumnosa fortuna indicari solet;

cf. infra Vs. 18. 34, 12. Joel. 2, 2. Zephan. 1, 14. sqq. Chaldaeus: *dies nubilus tremoris.* עֵת גּוֹיִם *Tempus gentium* sunt, qui existimcnt significare illud tempus, quo gentes, i. e. Chaldaei superabunt et vastabunt Aegyptios. Sed passive est intelligendum, de tempore eo, quo gentes, Aegyptii cum foederatis, erunt plectendae, ut infra Vs. 9. *dies Aegypti* est dies excidii ejusdem, et supra 22, 3. 4. *tempus Hierosolymae*, est tempus, quo Hierosolyma vastanda est. Ita et Chaldaeus: *tempus interitus gentium erit.*

4. וּבָאָה חֶרֶב *Veniet enim gladius*, ut infra 33, 3. 6. חַלְחָלָה, quod ter praeter hunc locum in V. T. legitur, infra Vs. 9. Jes. 21, 3. Nah. 2, 11., non tam *dolorem*, ut plerique h. l. vertunt, quam potius *tremorem*, spasmosque totius corporis indicare, colligitur ex Nahumi loco, ubi inter plura alia *pavoris* signa, חַלְחָלָה בְּכָל־מָתְנַיִם *tremor in omnibus lumbis* memoratur. Ita h. l. et LXX ταραχή. Vulgatus: *pavor.* בְּכוּשׁ *In Aethiopia*, Aegypto vicina (29, 10.), ideo merito aliquid mali a vicino malo timere poterant Aethiopes. Experti namque fuerant, cum vires et studium cum Aegyptiis antea conjunxissent, cum iisdem se male fuisse mulctatos ab Assyriis, Jes. 20. Quid vero a Chaldaeis passuri sint Aethiopes, statim dicitur Vs. 9., ubi eodem, quo Aegyptii, tempore cecidisse dicuntur. Quum autem duplices sint Cuschaei, stirpe tamen iidem, Felicis Arabiae, quae prima illorum sedes, atque in qua seculo adhuc post Christum natum sexto Cuschaei indigenae, et Habessiniae, illorum coloni, qui ex Arabia, trajecto mari rubro ultra desertae Africae vasta et arenosa, circa fontes Nili magnam in gentem excreverunt (vid. Bochartı *Geograph. S.* P. I. sive *Phaleg.* L. IV. C. 2. et Michaelis *Spicileg. Geogr. Hebraeor. ext.* P. I. p. 143. sqq.); h. l. quidam interpretes nomine *Cusch*, non solum *Aethiopiam*, verum etiam *Arabiam* intelligendam existimant, quippe quae Chaldaeis in Aegyptum tendentibus vicina, maxima subire incommoda cogeretur. Cf. not. ad Vs. 9. בְּנָפֹל חָלָל *Cum cadent confossi*, cf. infra 32, 20. וְלָקְחוּ הֲמוֹנָהּ *Auferentque* hostes *multitudinem ejus*, i. e. incolas universos, ut supra 29, 19.; *turbam ejus*, vertit Chaldaeus. וְנֶהֶרְסוּ יְסֹדֹתֶיהָ *Et evertentur fundamenta ejus*, opes et vires, quibus institui solet atque conservari respublica, auferentur et perdentur.

5. כּוּשׁ Vid. not. ad Vs. 4. LXX, qui *Πέρσαι* verterunt, videntur de כּוּשׁ, regione ad Gihonem sita, cujus Genes. 2, 13. mentio facta, cogitasse. Monet autem Theodoretus, Persas intelligendos esse non eos, qui e Perside Aegyptiis auxilio venerint, nequaquam enim fieri potuisse, ut Assyrii et Chaldaei cum Aegyptiis bellantes, socios Persas haberent; sed eos, qui inde coloni deducti in Aegypto inquilini essent. Qua de causa et Babylonem Aegyptiacam Persicae cognominem fuisse, utpote quam

Persae incoluissent. פוּט *Libyes*, vid. not. ad Genes. 10, 6. לוּד *Lydii*, h. l. intelligendi non illi videntur, de quibus Gen. 10, 22. et supra 27, 10., Asiae populus, sed Afri, natalibus Aegyptii, sive corum colonia, quorum Genes. 10, 13. mentio fit; vid. not. ad eum loc. Memorantur quoque Jer. 46, 9. cum כּוּשׁ et פוּט. *Aethiopiam*, et vero illam ejus partem, quae nobis *Habessinia* dicitur, nomine לוּד et Geneseos loco, modo memorato, et nostro Ezechielis significari, ostendere studuit Bochartus *Geogr. S.* P. I. L. IV. Cap. 26., „decem argumentis usus, sed ex quibus vix unum refutatione dignum est," inquit Michaelis in *Spicil.* P. I. p. 257., additque: „ac si vel ei dederim, quod dari per Ezech. 27, 10. non licet, in intima Africa Ludaeos habitasse, non tamen apparet, cur Habessinii potius, quam alii sint Africae mediterraneae habitatores." Nostro autem loco Michaelis non integros populos, Aegypto vicinos et foedere junctos, sed milites mercenarios Aegyptiorum, ut supra 27, 10. Tyriorum, intelligendos observans in *Spicil.* P. II. p. 117. haec scribit: „Nihil de illis [לוּדִים] certi habens, non tamen negaverim, Lydos esse posse, qui eo tempore Asiae fortissimi habebantur. Nec mirum, Lydos in Aegyptiorum exercitu esse, solitum enim eo tempore Aegyptiis, exterum militem conducere, et vero maxime ex Asia minore [quemadmodum recentioribus temporibus principes Aegypti Mohammedani Circassios et Turcomannos milites conduxerunt, *Mamlucorum* i. e. mancipiorum nomine etiamnum noti]. Jones quidem et Cares, Lydiae vicini (hi quidem forte et Lydorum nomine comprehensi) non solum stipendia Psammeticho et Aprii fecerunt, sed et agris in Aegypto donati. Vid. Herodotum, L. II. §. 152. 154. 163. L. III. §. 11. Ergo de Ludaeis, Aegyptiorum mercenariis adhuc incertus sum, Lydi fuerint, an Aegyptiorum colonia, a Mose Genes. 10, 13. memorati." וְכָל־הָעֵרֶב sunt qui vertant *et omnis Arabia*, quam hoc nomine, *mixturam* significante, appellatum volunt a variarum gentium colluvione; sedem enim praebuit posteris Joctani (Genes. 10, 26.), Lothi (Genes. 19, 36. 37.), Ismaëlis (Genes. 21, 21. 25, 12. seqq.), Nachoris (Genes. 22, 21.), et Abrahami ex Cetura (Gen. 25, 1. sqq.), item Esaui s. Edomi (Genes. 36, 6. sqq.), nec non Midianitis et Amalekitis. Sed ex Jer. 25, 24., ubi מַלְכֵי עֵרֶב a מַלְכֵי הָעֵרֶב diserte distinguuntur, colligere licet, *Arabiae* nomen proprium Hebraeis usitatum esse עֵרֶב, ut Jes. 21, 13. et supra apud nostrum 27, 21., nec non 2 Paral. 9, 14., quare horum locorum nullo He articuli habet praepositum, עֵרֶב vero, cui septem illis, quibus legitur, locis (videlicet praeter nostrum locum Exod. 12, 38. 1 Reg. 10, 15. Jer. 25, 20. 24. 50, 37. Nehem. 13, 3.), utpote nomini appellativo, articulus est praefixus, *turbam admixtam* populo illi, de quo agitur, significare. Sic Exod. 12, 38. et Nehem. 13, 5. designantur *exteri*, *Israelitis admixti*, et loco quidem posteriore Ammonitae et Moabitae, quorum Vs. 1.

mentio facta. Jer. 50, 37. vero *peregrinorum colluvies*, quae Babyloniis sese aggregavit, eo nomine indicatur. Jer. 25, 20., ubi de Aegypto, ut nostro loco, sermo est, intelligendos esse nomine הָעֶרֶב *exteros in Aegypto habitantes*, *ac stipendia facientes*, recte observat MICHAELIS in *Supplemm.* p. 1967., quomodo et ibi Hieronymus, a Michaele adductus in Commentario, interpretatus est: *Cunctusque, qui non est Aegyptius, sed in ejus regionibus commemoratur, quos LXX συμμίκτους, i. e. mixticios, vulgus, non Aegyptiae originis, sed peregrinum et adventitium, interpretantur.* Similiter ad nostrum locum HIERONYMUS: *Ita ut si quis in Aegypto reperiatur de Aethiopia, et Libya, et Lydia, et in commune de variis populis — cum illis gladio cadat.* Graeci Alexandrini Interpretes, et hic, et Exodi, Nehemiae atque Jeremiae locis ἐπιμίκτους, s. συμμίκτους vertunt, quos Theodoretus ad Jer. 25, 20. μετοίκους, *advenas*, esse ait. Chaldaeus Exod. 12, 38. *peregrinos*, nostro autem loco, et Jer. 25, 20. et 50, 37. *auxiliares* interpretatus est, recte quidem, si sensum spectes. כּוּב, *Cubaeos*, BOCHARTUS *Phal.* L. IV. C. 33. p. 334. habitasse existimat circa *Paliurum*, oppidum in Marmarica, regione Africae septentrionalis maritima, situm; nulla alia ratione permotus, nisi quod כּוּבָא Syris praeter alia et *paliurum*, fruticem, denotat. Quodsi soni aliqua similitudo rem conficeret, posses de *Cobe*, Aethiopiae olim emporio, cogitare. Vid. CELLARII *Geogr. Antiq.* L. IV. C. 8. §. 39. Vatablus *Cobii* (*Κωβίου*) vicum, in Mareotide, extrema Aegypti regione, Alexandriae contigua, huc refert. LXX hoc nomen non expresserunt. Sed Arabs habet אַהֶל אַלְנוּבָה *Nubienses.* Et exstitisse olim codices, in quibus וְנוּב scriptum fuerit, non incredibile inde fit, quod in eo bibliothecae suae codice, quem De-Rossi numero 409. designavit, ineunte seculo 13. scripto illo, et hic illic duntaxat Masora parva instructo, a prima manu וכנוב legitur. *Nubienses* ceterum, utpote Aegyptiis contermini, huic loco egregie aptos esse, vix est quod moneam. וּבְנֵי אֶרֶץ הַבְּרִית *Filiis terrae foederis* Hieronymus intelligendos ait *qui de populo Judaeorum* in Aegypto reperti fuerint. Ita et THEODORETUS: *Filios vero foederis Judaeos ipsos vocat, qui post obsidionem Hierosolymae in Aegyptum, assumto secum Jeremia propheta, descenderunt. Et his similiter poenas minatur, quandoquidem Judaea praeter ejus voluntatem relicta contenderunt in Aegyptum.* Vid. Jer. 42. 43. et 44., quibus ex locis constat, Judaeorum reliquias, excisa Hierosolyma, abiisse in Aegyptum, ibique eandem, quam Aegyptii, fortunam subiisse. LXX, qui ἀπὸ τῶν υἱῶν τῆς διαθήκης μου verterunt (quasi וּבְנֵי בְרִיתִי legissent), et ipsos quidem illo nomine *Judaeos* nuncupatos putasse apparet, sed hac de causa, quod Deus pollicitus est Abrahamo, se illi terram Canaatidem daturum esse, quae ideo *terra promissionis* (ἡ γῆ τῆς ἐπαγγελίας, Hebr. 11, 9., cf. Genes. 13, 15. Actor. 7, 5.) dicta,

quod idem est, ac *terra foederis.* Unde Petrus Act. 3, 25. Judaeos *υἱοὺς τῶν προφητῶν καὶ τῆς διαθήκης*, et Paulus Galat. 4, 28. *ἐπαγγελίας τέκνα* appellat. Alii *filios terrae foederis* gentes esse putant cum Aegyptiis foedere ac societate conjunctas, quam sententiam illud commendat, quod statim Versu proximo additur, וְנִפְלוּ סֹמְכֵי מִצְרַיִם: *et corruent fulcientes Aegyptum*, quae explicatio videtur esse illius בְּנֵי אֶרֶץ הַבְּרִית. Foederati enim populi fulciebant Aegyptum, quod sane facere non poterant Judaei viribus atque opibus exhausti.

6. סֹמְכֵי מִצְרַיִם *Suffulcientes Aegyptum*, socii et auxilia, vid. not. ad Versum superiorem sub fine. Alii intelligunt principes, proceresque Aegypti, qui viribus et opibus ejus regni potentiam sustentabant. וְיָרַד גְּאוֹן עֻזָּהּ *Descendetque superbia gloriae ejus* (גְּאוֹן עֻזְּכֶם vid. supra 24, 21., cf. infra Vs. 18.), deturbabitur ab eo, quem nunc obtinet, potentiae gradu, opprimeturque imperii ejus majestas, qua tantopere gloriabatur. Eadem figura vid. Jer. 48, 18. Jes. 5, 14. 47, 1. et infra 31, 15. מִמִּגְדֹּל סְוֵנֵה Vid. supra 29, 10.

7. וְנָשַׁמּוּ בְּתוֹךְ אֲרָצוֹת נְשַׁמּוֹת *Devastabuntur in medio terrarum vastatarum*, i. e. desolabuntur ut qui maxime, vid. supra 29, 12. עָרִים נֶחֱרָבוֹת Vid. supra 26, 19.

8. בְּתִתִּי־אֵשׁ *Cum dedero ignem*, quo omnia quidem perditionem et exitium inferentia indicantur, ut cum Deo, justo judici et hostium suorum ultori *ignis* adesse dicitur, Ps. 50, 3. 97, 3. Jes. 26, 11. 29, 6. al. (hinc Jarchi ad nostrum locum: *incandescentiam meam instar ignis immittam*); praesertim vero hostes irrumpentes et bella desolantia, vid. Ps. 78, 63. Jes. 42, 25. Jer. 48, 45. 50, 32. Quare et nostro loco (et infra Vs. 14. 16.) Chaldaeus ita vertit: *cum dedero populus, qui fortes sunt ut ignis.* Quidam synecdochen subesse existimant, quum bella, maxima ex parte, igne et flammis gerantur. וְנִשְׁבְּרוּ כָּל־עֻזְרֶיהָ *Et frangentur omnes auxiliares ejus.* Quum et eos, qui ad illam auxiliares copias adduxerunt, immani caede contrivero.

9. בְּיוֹם הַהוּא — אֶת־כּוּשׁ בֶּטַח In explicando hoc loco, qui in Vulgata latina ita sonat: *In die illa egredientur nuncii a facie mea in trieribus ad conterendam Aethiopiae confidentiam*, in duas potissimum partes discedunt interpretes. Alii *nunciis* (מַלְאָכִים) Chaldaeos intelligunt, qui *a facie Dei* dicantur *egressi* (יְצִאוּ מִפָּנַי), quia a Deo missi datum sibi negotium brevi atque secundo successu peregerunt. מִפָּנַי vero idem esse quod מִמֶּנִּי, *a me*, ut Jes. 20, 6. מִפְּנֵי מֶלֶךְ אַשּׁוּר valet *a rege Assyriae*, vid. et Genes. 16, 8. al., notum. Quare *egredientur a me* idem valere potest, quod: *ego mittam.* Illi vero Chaldaei *in navibus* (בַּצִּים) missi dicantur, adverso videlicet Nilo, ad cujus caput spectabat Aethiopia, ut sic tractarent et vexarent Aethiopes, sicut Aegyptios paulo ante vexabant. Illud enim signi-

ficat לְהַחֲרִיד אֶת־כּוּשׁ בֶּטַח *ad terrendum Aethiopiam secure*, confidenter, existentem, nam ita adverbialiter pro בְּבֶטַח s. לָבֶטַח (Jer. 23, 6.) nomen istud h. l. capiendum est, ut Deut. 12, 10. 23, 28. Vulgatus verba illa per hypallagen posita existimavit pro אֶת־בֶּטַח כּוּשׁ; vertit enim: *ad conterendam Aethiopiae confidentiam*, activam nempe, quam Judaeorum animis solebant injicere, cum illis omne militare praesidium promittebant. Alii *nuncios* intelligunt, qui aut ab Aegyptiis mittebantur, ut inflictae a Chaldaeo stragis admonerent, aut qui fuga elapsi triste attulerunt nuncium de Aegyptiorum clade. Atque hi terrorem injiciebant Aethiopibus, qui adjunctis Aegyptiis viribus nihil sibi ab hoste metuendum putabant. Cui explicationi etsi nonnihil incommodare videtur, quod nuncii illi *a facie Dei egressi* dicuntur, id est, a Deo missi; in alteram tamen explicationem magis inclinat animus, quia cum illa aptius cohaerent, quae sequuntur; neque quae modo obstare dicebamus vehementer urgent. Ut enim aliquis *egressus esse* s. *fugisse* dicitur *a facie gladii*, quia fugiendo consequutus est, ne gladio caderet; sic etiam fugisse dici potuit *a facie Dei*, quia elapsus e caede, quae grassabatur in Aegyptios, auctore Deo, et Chaldaeorum manus confirmante, ad populos vicinos evasit, quos Aegyptiae calamitatis admonuit, sibique a successu simili, ut caverent, edixit, quia victor Chaldaeorum exercitus ad Aethiopum exitium et praedam aspirabat. צִים pro צִיִּים, quod Dan. 11, 30. legitur; nam nomina, quae ־י terminantur, quando flectuntur in pluralem, finale Chirek longum saepe amittunt, sic ab עִבְרִי, *Hebraeus*, dicitur הָעִבְרִים Exod. 2, 6. et הָעִבְרִיִּים Exod. 3, 18.; a יְהוּדִי, *Judaeus*, הַיְהוּדִים, Esth. 3, 6. 8, 3. al., et הַיְהוּדִיִּים Esth. 8, 1. 13. Nomine צִיִּים *naves* significari, jam Hieronymi aetate Hebraei docuerunt. Sic enim ille ad h. l.: „צִיִּים, quos Symmachus transtulit *festinantes*, nos in *trieres* vertimus, ita enim ab Hebraeis accepimus.“ Vindicavit eum significatum ceteris, quibus nomen illud occurrit, V. T. locis, Num. 24, 24. Jes. 33, 21. Dan. 11, 30. Marc. Meibomius in libro *de Fabrica Triremium*, Amstelod. 1671. in quatern. (qui et Graeviano *Thesaur. Antiquitat. Romann.* T. XII. p. 570. sqq. insertus est) p. 95., unde excerpta dedit Pet. Zornius in *Biblioth. Antiquar. et Exeget.* T. I. P. V. p. 385. sqq. כּוּשׁ h. l. non *Aethiopiam* sed *Arabiam* indicare, Bochartus in *Phaleg.* L. IV. C. 2. p. 239. hac ex causa existimat, quod in Arabiam Aegyptii navibus per mare rubrum saepe commeent, in Aethiopiam vero nequaquam, in quam ne per Nilum quidem adversum navigetur, ob catarrhactas propter Syenem. Atque omnino ex Aegypto in Aethiopiam navigari constat, recte observante Michaele in *Spicil. Geogr. Hebr. ext.* P. I. p. 152., nec obstare catarrhactas; namque aut rates terra portant, ubi ad catarrhactas ventum est, aut illis superatis pedestre unius diei iter emensi alia trans catarrhactas navigia con-

scendunt. „Legant, ait Michaelis, qui volunt, Nordenii commentarios itineris per Aegyptum, nec mihi credere opus habeant, sed viro, qui ipse cis et trans catarrhactas inferiores, Aegyptum petens, navigavit, donec feritas illum incolarum Nubiae reverti cogeret.“ וְהָיְתָה חַלְחָלָה בָהֶם כְּיוֹם מִצְרַיִם *Eritque tremor in iis juxta diem*, s. *sicut in die Aegypti*, quod alii sic explicant: qualis Aegyptiorum terror fuit eo die, quum Deus per Mosen eos olim percussit; *diem* enim fatum significare et supplicium, notum; vid. not. ad Vs. 2. Alii rectius: terror consentaneus excidio Aegypti eos corripiet. Non absimiliter adhibetur particula similitudinis Jes. 23, 5. כַּאֲשֶׁר־שָׁמַע לְמִצְרַיִם יָחִילוּ כִּשְׁמַע צֹר *sicut* olim ob *famam de Aegypto* populi (Exod. 15, 14.), sic *dolore corripientur secundum famam de Tyro*, simile metuentes excidium. Hieronymus: „Et quando fuerit vicina provincia desolata, pavor teneat proximam.“ Kimchi: „Sicut pavor eos incessit ob devastationem Aegypti (Vs. 4.), ita nunc trepidabunt ob semetipsos.“ Alii: passuri sunt diem illum calamitosum, quem Aegyptii in sua eliminatione sustinuerunt. Pro כְּיוֹם in codicibus a Kennicotto et De-Rossio inspectis plus quam quadraginta legitur בְּיוֹם, quod ipsum, praeter Chaldaeum, veteres omnes expresserunt. In margine codicis 440. Rossiani notatur, juxta Masoram legendum esse בְּיוֹם *in die*. „Ita sane,“ addit De-Rossi, „codices multi hispanici et masorethici, et Hillelianus 413.“ Ego tamen כְּיוֹם, cujus explicatio paullo plus difficultatis habet, eam ipsam ob causam, alteri בְּיוֹם praeferendum arbitror. כִּי הִנֵּה בָאָה *Nam* ecce! etiam ipsis *superventurum est* idem malum (רָעָה, vid. supra 7, 10). Cf. 7, 5. 6. 33, 33.

10. וְהִשְׁבַּתִּי *Tum cessare faciam*, Vs. 13, 18. 26, 13. אֶת־הֲמוֹן מִצְרַיִם *Multitudinem*, s. *strepitum*, *Aegypti*, Vs. 21. 29, 19. Multum eos imminuam, paucis tantum in terra relictis. בְּיַד נְבוּכַדְנֶאצַּר Cf. Vs. 24. 25. et not. ad 29, 19.

11. עָרִיצֵי גּוֹיִם Vid. supra 28, 7. et ibi not., nec non infra 31, 12. מוּבָאִים *Abducendi* sunt, ut supra 23, 42. לְשַׁחֵת הָאָרֶץ *Ad terram depopulandam*, ut Jud. 6, 5. Jes. 14, 20. וְהֵרִיקוּ חַרְבוֹתָם 12, 14. וּמִלְאוּ אֶת־הָאָרֶץ חָלָל Cf. supra 11, 6.

12. וְנָתַתִּי *Tum dabo*, reddam, ut supra 25, 5. 29, 10. יְאֹרִים *Rivos*, fossas, ex Nilo hinc inde per terram ad agros rigandos derivatas, *Nili διώρυχες* (ut ad h. l. Hieronymus), unde pendent divitiae atque fertilitas Aegypti. Vid. not. ad 29, 3. חָרְבָה *Siccitatem*, siccam, ut Jes. 19, 5. de Nilo: וְנָהָר יֶחֱרַב וְיָבֵשׁ *et fluvius exarescet et exsiccabitur*. Metaphoricum plures existimant hunc sermonem esse, quo propheta significet, diripiendas esse omnes opes, quas e Nili foecunditate capiebant Aegyptii. Quasi dicat: tam erit inops Aegyptus, cum illam Chaldaeorum pervaserit furor, veluti si numquam illac interfluxisset Nilus, aut illius alveus multis antea seculis aruisset. Alii hoc

sensu: sternam Chaldaeis tam facilem viam etiam per flumina et canales, ac si, rivis arefactis, terra ubique complanata esset. Quod et Michaeli in Notis ad versionem vernaculam placuit, ubi observat, tam septem illa ostia, per quae Nilus in mediterraneum pelagus se exonerat, quam canales innumerabiles, e Nilo derivatos, quibus tota fere Aegyptus secatur, magno impedimento esse hostili exercitui tempore praesertim crescentis fluvii. Nil tamen obstat, quo minus haec propria accipi possent, ut vates re ipsa minetur exsiccandum Nilum, ita ut ad hostilis incursionis mala, et famis accessura sit miseria. מָכַרְתִּי אֶת הָאָרֶץ *Tradam more vendentis terram.* מָכַר semper sensu malo usurpatur, quum res aut persona, de qua agitur, hostis alicujus arbitrio et potestati a Deo permitti significantur, sicut apud homines res venditae in aliorum jus arbitriumque transire solent, vid. Deut. 32, 20. Jud. 2, 14. 3, 8. 9, 2. 9. 10, 7. Ps. 44, 13., ad quem loc. vid. not. בְּיַד־רָעִים *In manum malorum*, quo nomine Chaldaei nuncupari videntur non tam ideo, quod moribus essent profligati et perditi; sed quia immites erant, atque inexorabiles, quique neque prece, neque pretio, ad misericordiam flectebantur, quomodo Jer. 6, 23. Thren. 4, 16. describuntur. וְהַשְׁמֹתִי אֶרֶץ וּמְלֹאָהּ Vid. not. ad 19, 7. Conf. Levit. 26, 32. בְּיַד זָרִים Cf. 11, 9. 31, 12.

13. Tantam fore calamitatem, quam divino jussu Aegyptus sit subitura, hoc Versu et iis, quae proxime sequuntur, Noster minatur, ut nulla pars Aegypti, ne munitissima quidem, vel per religionem, vel per opera humana vel per multitudinem, aut maxime longinqua, effugere, aut Chaldaeis resistere possit. Et primo quidem vana Deorum simulacra dicit abolenda: וְהַאֲבַדְתִּי גִּלּוּלִים וְהִשְׁבַּתִּי אֱלִילִים *tum perdam idola, et cessare faciam vanos deos*, pro quibus Chaldaeus posuit: *colentes idola*, et *colentes simulacra.* מֹנְף *E Noph*, quo nomine *Memphis* appellatur Jes. 19, 13. Jer. 2, 16. 44, 1. 46, 14. 19. Ita LXX h. l. et ceteris locis, quibus nomen illud legitur. Hieronymus: „Illucque proficiet indignatio (Domini), ut simulacra Aegypti disperdantur, et cessent idola de *Memphis*, quae usque hodie metropolis est superstitionis Aegyptiae.“ Chaldaeus מַמְפֵס, et Syrus מַמְפֵס, quod utrumque nomen e Graeco *Μέμφις* factum esse apparet. Nomen *Noph* autem, sive, ut Hos. 9, 6. scribitur, מֹף, *Moph*, originem ducit ex antiqua urbis Memphiticae appellatione Aegyptiaca *Mehnuphi* (unde Coptis hodie *Menph*, et Arabibus مَنُف, quod ὅρμον ἀγαθῶν, *portum bonorum*, significare ait Plutarchus *de Iside et Osir.* p. 639. edit. Steph., quam interpretationem veram esse asserit Jablonskius in Dissertat. IV. *de terra Gosen* §. 4. in *Opusculis* T. II. p. 131., ubi observat, *Meh* Aegyptiis dici *plenum*, *nuphi* vero *bonum.* Cf. Ejusd. *Opuscul.* T. I. p. 137. 150. 179., et quae ibi editor doctissimus notavit. Cf. libr. nostr.

Bibl. Alterthumsk. s. *Bibl. Geogr.* P. III. p. 290. Verba, quae sequuntur, וְנָשִׂיא מֵאֶרֶץ־מִצְרַיִם לֹא יִהְיֶה־עוֹד, non satis accurate reddidit Vulgatus: *et dux de terra Aegypti non erit amplius.* Nam ad נָשִׂיא est *ἀπὸ τοῦ κοινοῦ* וְהִשְׁבַּתִּי *et cessare faciam*, subaudiendum, hoc sensu: *cessare faciam principem ex Aegypto*, ita ut *non amplius exsistat;* efficiam ut Aegyptus principe s. rege (vid. supra 21, 30. 12, 10. et ibi not.) careat, de genere videlicet regio Aegyptio, a peregrino quippe principe armis subigenda, et ejus imperio adjungenda. LXX נָשִׂיא recte ceperunt in Accusativo, sed collective: *Καὶ* (scil. *καταπαύσω*, quod praecesserat) *ἄρχοντας Τάνεως ἐκ γῆς Αἰγύπτου, καὶ οὐκ ἔσονται οὐκέτι.* Post נָשִׂיא expresserunt צֹעַן, de quo Vs. seq. וְנָתַתִּי יִרְאָה בְּאֶרֶץ מִצְרַיִם Terror regnum Aegypti occupabit. Conf. Deut. 2, 25.

14. De פַּתְרוֹס vid. not. ad 29, 14. וְנָתַתִּי אֵשׁ Vid. not. ad Vs. 8. Pro צֹעַן et h. l. et ceteris, quibus id nomen legitur, locis, Num. 13, 22. Jes. 19, 11. 13. 30, 4. Ps. 78, 12. 43., Graeci Alexandrini ponunt *Τάνις*, quod nomen est urbis et nomi Aegypti inferioris, *Delta* nuncupatae, ad illud Nili ostium, quod ab ea *Taniticum* appellabatur. Vid. Cellarii *Geograph. antiq.* T. II. L. IV. Cap. 1. Sect. IV. p. 785. 799. 807. Urbem *Tanin* olim fuisse Pharaonum regiam, patet e Ps. 78, 12. 45., ubi prodigia divina auctoritate a Mose perpetrata, dicuntur facta בְּשָׂדֵה צֹעַן, *ἐν πεδίῳ Τανέως*, ut Graeci ibi vertunt. Nomen nacta est a situ; nam *ΘΑΝΑ* in lingua Aegyptia denotat *planum*, *depressum*, *humile*, *molle*. Vid. Jablonskii *Opusc.* T. I. p. 304., ubi postquam vocis illius significatum docuisset, haec addit: „Totam hanc Aegypti partem humilem et depressam fuisse, omnes testantur. Ex multis tantum laudabo *Herodotum* L. II. c. 4. et *Diodorum Siculum* L. I. c. 31. et 36., qui *τὴν ταπεινότητα τῆς χώρας* Aegyptiacae commemorat. Idem igitur nomine *Tanes* significaretur, quod *Sallustius* de Italia dixit apud *Servium* in *Aeneid.* 3, 522. *Italia plana ac mollis.*“ Cf. *Bibl. Geogr.* P. III. p. 280. וְעָשִׂיתִי שְׁפָטִים Vid. 5, 8. 14, 21. 16, 41. Exod. 12, 12., quibus locis et aliis pluribus שְׁפָטִים in malam partem dicitur de *poenis;* מִשְׁפָּט autem etiam in bonam partem usurpatur. נֹא praeter hunc locum et Versibus duobus proximis, nec non Jer. 46, 25. et Nahum. 3, 8. memoratum, „Alexandrini hoc Versu et infra Vs. 16. *Διόσπολιν* verterunt, i. e. ut alio nomine dicuntur, *Thebas Aegypti*, ingentem olim urbem, et jam Homero celebratam (Il. K. 286. Odyss. Δ. 126. Δ. 262. 274.), et in Nahumo *μερίδα Ἀμμών*, *portionem Ammonis*, nempe quod urbs Jovi Ammoni sacra, a quo et Graece *Διόσπολις* vocatur, et qui Diodoro Siculo L. I. §. 52. *ὁ θεὸς ὃ μάλιστα ἐν Θήβαις τιμώμενος*, et §. 62. *ὁ ἐν Θήβαις θεὸς* vocari creditur.“ Haec Michaelis in *Supplemm.* p. 1578. 1579., quibuscum cf. Bocharti *Geogr. S.* P. I. s. *Phaleg.* L. I. C. 1. p. 6. 7., Cellarii *Geograph. antiq.*

T. II. p. 806., inprimis vero quae erudite disseruit de nomine הָמוֹן־נא (ut plene vocatur Versu 15.) P. E. Jablonsky in *Opuscc.* P. I. p. 162—168., qui postquam observasset, nomen Aegyptium *Noh* significare *sortem* et *possessionem* (propr. *funiculum mensorium*), הָמוֹן vero, sive ut Nahum 3, 8. scribitur, אָמוֹן, esse nomen numinis Aegyptiorum sanctissimi, *Amun* seu Graecis *Ammon* nuncupati, unde הָמוֹן־נא s. אָמוֹן designet *portionem, possessionem Ammonis*, addit: „Nam uti homines in Aegypto agros suos habebant definitos, et limitibus suis circumscriptos, ita universa etiam Aegyptus inter deos gentis hujus erat distributa. Unusquisque enim Nomus uni alicui deo peculiariter erat consecratus, a quo et nomen habebat. — Nomus Thebaicus, illiusque civitas princeps Thebae, erant in tutela *Ammonis*, Aegyptiorum Jovis. Hujus urbs illa censebatur pars, possessio et peculium. Hoc significat nomen ejus Aegyptiacum *No-Ammon*, quod Graeci postea reddiderunt *Διόσπολιν*, *Jovis urbem.*“ Alias interpretationes recenset eruditissimus Te Water in Not. ad illum Jablonskii locum, p. 168. Cf. Champollion *l' Egypte* T. I. p. 199. et *Bibl. Geogr.* P. III. p. 299.

15. וְשַׂמְתִּי חֲמָתִי Vid. 7, 8. 9, 8. 14, 19. 21, 36. 22, 31. סִין „*Pelusium*, ut recte interpretatur Hieronymus. Nam Pelusio nomen fecit *πηλός*, *lutum*. Strabo (L. XVII. p. 802.): *Ipsumque adeo Pelusium cinctum est lacubus, quae nonnulli Barathra vocant, et paludibus.* Et paulo post: *ὠνόμασται δὲ ἀπὸ τοῦ πηλοῦ πηλός. A luto autem nomen habet.* Merito ergo Pelusium סִין *Sin* appellatur a Syris, quibus סִין id ipsum est, quod Graecis *πηλός*. Sic Ps. 18, 43. [pro hebraeo חוּצוֹת טִיט] Graeci habent *πηλὸς πλατειῶν*, *lutum platearum*, et Chaldaeus סִינָן, אַשְׁקְקֵי, et Syrus סִינָא דְּשׁוּקָא [Adde, Arabibus etiam eam urbem טִינָה *lutum*, s. *luteam* dici]. Rursus Ezechiel dicit, *Sin* esse מָעוֹז מִצְרַיִם *robur Aegypti*, quia ex illa parte Aegyptus est aditu maxime difficilis. Strabo: *Ταύτη δὲ καὶ δυσεισβολός ἐστιν ἡ Αἴγυπτος.* Suidas: *Πηλούσιον — κλεὶς τῆς Αἰγύπτου, καὶ εἰσόδου καὶ ἐξόδου, Pelusium — clavis Aegypti tam in ingressu et in exitu.*“ Haec Bochartus in *Phaleg.* L. IV. C. 27. p. 311., quibus junge, quae Cellarius de Pelusio observat ex veteribus scriptoribus in *Geogr. antiq.* T. II. L. IV. C. 1. Sect. V. p. 789. et 804. Cf. *Bibl. Geogr.* P. III. p. 243. *Claustrum Aegypti* dictum Pelusium ab Hirtio *Bell. Alexandr.* c. 27. Hinc urbs illa saepe obsessa et multo labore expugnata legitur, utpote a Persis apud Diodorum L. XVI. c. 47. sq., et ab Antonio, Gabinii auspiciis, quum pulsum Ptolemaeum reduceret, et a Mithridate Pergameno pro Caesare, apud Hirtium l. c. c. 26., quia hac urbe potiti, patentem in Aegyptum interiorem aditum habebant. Ad ostium Nili ultimum, quod *Pelusiacum* denominatum, sita erat urbs, viginti stadiis a mari reducta, Strabone observante. Hiero-

nymus urbem eam h. l. *robur* appellari *Aegypti* existimat, „quod portum habeat tutissimum, et negotiationes maris ibi vel maxime exerceantur. Unde et Poeta [Virgilius *Georg.* 1, 228.] *Pelusiacam* appellat *lentem*, non quod ibi genus hoc leguminis gignatur vel maxime, sed quod e Thebaide et omni Aegypto per rivum Nili illic plurimum deferatur.“ סִינִים autem, quod Jes. 49, 12. memoratur, plane diversum esse a nostro סִין, vix dubium. Alexandrini Graeci interpretes pro סִין hoc Versu *Σαΐς*, Versu proximo autem *Συήνης* posuerunt, soni, uti videtur, similitudine ducti. Vel, ut Michaelis in *Supplemm.* p. 1726. conjicit, quod סון legerent (vid. not. ad 29, 10.), aut quod utroque modo (סין et סון) nomen urbis Syene Hebraicum scribi possit. Ceterum pro מָעוֹז legitur מָעוֹן, *habitaculum*, in duobus codicibus Kennicottianis, et in alio a manu emendatrice, nec non in sex codicibus Rossianis, et in tribus aliis a prima manu. Sed versiones omnes מָעוֹז exprimunt. Possit tamen et מָעוֹן commode hic locum habere, si eo significatu accipias, quem Arabum מָעוֹן habet, *auxilium*, *adjumentum*, quemque loco Ps. 90, 1. vindicare studet Michaelis in *Supplemm.* p. 1865. וְהִכְרַתִּי אֶת־הָמוֹן נֹא *Et exscindam possessionem Ammonis*, i. e. Diospolin; vid. ad Vs. 14. Cf. Jer. 46, 25. Nah. 3, 8.

16. וְנָתַתִּי אֵשׁ בְּמִצְרַיִם Hieronymus: „*Et dabo ignem*, id est, regem Babylonis, *in Aegypto*, qui instar ignis cuncta depopulatur.“ Cf. not. ad Vs. 8. et Vs. 14. חוּל תָּחוּל *Tremendo contremiscet.* Verbum חוּל, quod sicut Arabum חול, proprie *gyrare*, *circumagi*, *circumverti*, valet, hinc, ad *perturbationem animi dolore* aut *pavore correpti* indicandam transfertur, vid. Deut. 2, 25., ubi verbo רָגַז *tremuit*, et nominibus פַּחַד *terror*, et יִרְאָה, *timor*, jungitur; et Zachar. 9, 5. *Videbit Ascalon*, וְתִירָא *et timebit*, *et Gaza*, וְתָחִיל מְאֹד *et valde pavebit*, conf. 1 Sam. 31, 3. Jes. 23, 5. Jer. 5, 22. Ps. 55, 5. et ad eum loc. not. Pro תָּחוּל, ut in margine legi praecipitur, in textu exstat תָּחִיל (ut in Zachariae loco supra indicato), ex usitata literarum י et ו permutatione, vid. et Jer. 5, 22. Jes. 23, 5. Joel. 2, 6. al. Salomon Ben Melech in *Michlal Jophi* תָּחוּל habet pro Futuro formae *Cal*, תָּחִיל vero pro forma *Hiphil.* סִין esse *Pelusium*, vidimus ad Vs. 15. וְנֹא Vid. not. ad Vs. 14. תִּהְיֶה לְהִבָּקַע *Erit ut perrumpatur*, i. e. expugnabitur. Nam de murorum perruptione urbisque adeo expugnatione verbum בָּקַע usurpatur supra 26, 10. (ad quem loc. cf. Chaldaei interpretationem), 2 Reg. 25, 4. Jer. 39, 2. Hillerus in *Onomast.* p. 572. alludi opinatur ad *frangendi*, *disrumpendi* significatum, qui verbo הִנִּיא insit, ad quod nomen נֹא referri possit, per paronomasiam, quae saepius non tam ad sensum vocis, quam ad sonum ejus refertur, ut in illo Zephan. 2, 4. כִּי עַזָּה עֲזוּבָה תִּהְיֶה *nam Gaza derelicta erit*, וְעֶקְרוֹן תֵּעָקֵר *et Accaron exstirpabitur.* Ceterum

תִּהְיֶה לְהִבָּקֵעַ est pro תִּבָּקַע, nam Infinitivus cum verbo substantivo periphrasin facit Futuri, ut וְהָיוּ לַעֲבֹד et *erunt ad servire*, i. e. servituri sunt, Num. 8, 11.; וַיְהִי הַשֶּׁמֶשׁ לָבוֹא *et erat sol ad occidere*, i. e. occasurus erat, Genes. 15, 12. וְנֹף Vid. not. ad Vs. 13. צָרֵי יוֹמָם *Hostes interdiu* eam occupabunt. Nomen adverbio in regimine junctum, ut 1 Reg. 2, 31. דְּמֵי חִנָּם *sanguines immerito*, i. e. sanguines non merentium, innocentium, et Proverb. 26, 2. קִלְלַת חִנָּם *maledictio gratis*, i. e. immerito in hominem innocentem conjecta. Cujusmodi in formulis adverbia obtinent vim suam nativam nominum, vid. N. G. Schroederi *Institt.* L. H. Syntax. Reg. 93. 94. Storrii *Observatt.* p. 309. Recte Salomo Ben Melech nostra verba ita explicat: וְאֶל נֹף יָבֹאוּ צָרֵי יוֹמָם *et ad Noph veniunt hostes interdiu;* „innuit, hostes aperte, nec noctu, furum instar, contra urbem illam venturos.“ Sed Abendana in Additamentis ad *Michlal-Jophi* צָרֵי יוֹמָם eodem sensu capiendum existimat, quo Job. 3, 5. כִּמְרִירֵי יוֹם, explicant *dura fati*, ut haec sit loci hujus sententia: dies, qui illis superveniet et fatum eorum, erit angustia et anxietas. Male vero צָרִים *angustiae* redditur, eae enim vocantur forma feminina, צָרוֹת (a singulari צָרָה) vid. Job. 5, 19. Ps. 25, 17. 71, 20. al., צָרִים vero ubique sunt *hostes*, vid. Jes. 9, 10. Jer. 45, 4. Esra 4, 1. al. Chaldaeus vertit: *hostes circumdabunt eam quotidie.* Nec tamen satis accurate יוֹמָם vertit *quotidie* (unde Dathius eum לַיָּמִים legisse suspicatur, rectius יוֹם יוֹם conjecisset); nam illud *interdiu* notare constat, vid. Exod. 13, 21. Ps. 1, 2. Jer. 33, 20.

17. Nomine אָוֶן vix dubium est, eandem Aegypti urbem indicari, quae Genes. 41, 45. 50. 46, 20. אֹן dicitur, h. l. vero illud vel a propheta ipso, vel ab iis, qui puncta vocalia addiderunt, ita pronunciari praecipitur, ut ad cultum superstitiosum, qui ea in urbe viguit, alludatur, nam אָוֶן *vanitatem* denotare, et saepe de vano et superstitioso simulacrorum cultu dici constat, vid. Amos. 5, 5. coll. Hos. 4, 15. 5, 8. 10, 5. אוֹן, ut Grotius, Michaelis et Dathius h. l. legendum esse censuerunt, in nullo codice a se repertum diserte testatur De-Rossi in *Varr. Lectt.* ad h. l. Graeci Alexandrini interpretes et h. l. et Geneseos locis commemoratis Ἡλιούπολιν posuerunt, et Hieronymus tam in *Quaestionibus Hebraicis in Genesin*, quam in Commentario ad h. l. pro certo et explorato habet, *On* esse *Heliopolin.* Sed majus accedere argumentum, omnem dubitationem eximens, monet Michaelis in *Supplemm.* p. 44., quod ipse verbis Jablonskii in *Pantheo Aegypt.* P. I. p. 137. exponit: „Observatione non indignum est, Aegyptios interpretes, etsi sermonis Hebraici ignari essent, et solam Alexandrinorum versionem prae oculis haberent, voci Graecae Ἡλιούπολις, substituisse antiquum et vere Aegyptiacum urbis nomen, *ΩN*, cujus proinde vetustis-

simi nominis memoria inter Aegyptios seculo IV. post C. N., quo versio Aegyptiaca Pentateuchi videtur confecta esse, adhuc superstes erat.“ Cyrillus in Commentario ad Hoscam p. 145. testatur, dicere Aegyptios, Apin esse filium lunae, progeniem vero solis, additque, Ὧν δέ ἐστι κατ᾽ αὐτοὺς ὁ ἥλιος. Observatque Jablonskius l. c. et in *Opusc.* P. I. p. 185. *OYEIN* sive *OEIN* dialecto superioris Aegypti *lucem* significare, unde *sol* nomen accepisse videatur. Esse ergo *On*, *urbem lucis*, i. e. *solis*, vel *soli consecratam.* Nomine hebraco Jeremias 63, 13. בֵּית שֶׁמֶשׁ, *domum* s. *templum solis*, eam urbem appellat. Conf. Cellarii *Geograph. antiq.* T. IV. Cap. I. Part. I. Sect. V. §. 8. no. 18. p. 794. et p. 802. Arabibus vocatur עֵין שֶׁמֶשׁ *fons solis*, vide *Abulfedae Aegyptum* no. 67. et Michaelis notas 275—282. Heliopolim Strabo p. 1158. suo jam tempore *παλαίρημον* urbem dicit, sed magna ostentare antiquitatis monumenta. Ejusdem rudera aliqua supercresse prope vicum Matarie, duabus Cahira horis orientem et septentrionem versus, narrat Niebuhr *Itiner.* P. I. p. 98. sqq. Cf. *Bibl. Geogr.* P. III. p. 274. פִּי־בֶסֶת *Bubastus*, Aegypti urbs ad brachium Nili orientale, Bubasticum ab urbe dictum. LXX, *Βουβάστου*, quos et in Vulgata sequitur Hieronymus. In Hexaplis Syriacis בובסטו exprimitur. פִּי est articulus determinatus Aegyptiorum s. Coptorum *III*, praemitti nominibus solitus; Bubastis urbs vero nomen traxit ab Aegyptiorum dea *Bubasti*, quam Herodotus 2, 138. eandem, quae Graecis Ἄρτεμις, esse ait. Templum huic deae splendidum in urbe Bubasti erat aedificatum, cujus idem Herodotus l. c. mentionem facit. Vid. Cellarium l. c. p. 787. et 805. Jablonskii *Pantheon* L. III. C. 3. P. II. p. 56. et 64. (§. 5.), et Ejus *Opuscc.* P. I. p. 53. et quae editor addidit p. 461. Nomen Aegyptiacum *P-ho-bast* denotat, Jablonskio auctore l. l. p. 82., *vultum nudans* vel *retegens*, quod dici potest de luna, quando faciem, in conjunctione cum sole, absconditam aut velatam, id est, contemplationi hominum subductam, jam rursus retegit, oculisque nostris conspiciendam praebet. Nomine itaque hoc satis clare designaretur *luna nova*, cum a sole modo recessit, aut ex radiis ejus emersit. Cf. Et. Quatremere *Mémoires sur l' Egypte* T. I. p. 98. et Champollion l. l. T. II. p. 63. Ceterum cf. de hac urbe *Bibl. Geogr.* P. III. p. 271. בַּחֻרִים יִפָּלוּ ut supra Vs. 5. 6. 6, 11. 12. וְהֵנָּה *Ipsae vero* urbes, i. e. reliqui earum incolae. Alii: *ipsae vero* puellae; cf. Vs. 18. Ita LXX: *καὶ αἱ γυναῖκες.* Unde tamen nequaquam recte colligitur, eos aliter, atque nos hodie, legisse, uti suspicatus est Dathius, qui postquam graecam interpretationem attulisset, addit: „Quae *lectio* propter oppositionem ad *juvenes* in priori membro placet, nisi forte legendum est בְּנוֹתֶיהָ *filiae* h. e. coloniae *ejus*, quod est in sequenti Versu.“ בַּשִּׁבְיָ תֵּלַכְנָה *In captivitatem ibunt*, ut infra Vs. 18. supra 12, 1. Hieronymus: „Ita ut ipsae urbes, hoc est, habitatores, sive

mulieres earum, ducantur in captivitatem, qui sexus injuriae subjacet." Sunt, qui hanc sententiam hoc Versu exprimi putent: non solum qui in Heliopoli et Bubasti sunt juvenili robore, gladio sternentur, sed ipsae quoque civitates ab hoste captae servilem ignominiam non effugient.

18. תַּחְפַּנְחֵס, uti Jer. 43, 7. 8. 9. 44, 1. 46, 14. scribitur, seu תַּחְפַּנֵס, uti est Jer. 2, 16. (de qua scripturae diversitate vid. CAPPELLI *Crit. S.* T. I. p. 219. ed. Vogel.), loci nomen, unde est תַּחְפְּנֵס, nomen reginae Aegyptiae, 1 Reg. 11, 19, 20., Graeci interpretes constanter *Τάφνη* sive *Τάφναι* reddunt. MICHAELIS in *Supplemm.* p. 2365. vix dubitandum existimat, esse eandem urbem, quam Graeci *Δάφνας Πηλουσίας* appellant. Erant in hac urbe valida adversus Syriam praesidia (vid. Herodotum 2, 30. et ad eum locum Wesselingium, eundemque ad *Antonini Itinerar.* p. 163.), unde Jer. 2, 16. inter praecipuas Aegypti urbes memoratur. Cf. CELLARII *Geogr. antiq.* T. II. p. 805. Nomen תַּחְפַּנְחֵס JABLONSKIUS in *Opusc.* P. I. p. 343. Aegyptium esse putat, „*Taphe-eneh*, id est, *caput* vel *principium seculi.* Nos diecremus *initium mundi* vel *terrae:* sic responderet urbi *Syenae*, quae Aegyptum claudit versus Aethiopiam [vid. not. ad 29, 10.], quemadmodum Taphnae Aegyptum claudebant versus Syriam et Arabiam. Tota Aegyptus porrigitur a Taphnis usque ad Syenen. Quocirca Psammetichus, teste Herodoto 2, 30. praesidia collocabat, Elephantinae quidem adversus Aethiopes, Taphnis vero adversus Syros et Arabes." Cf. *Bibl. Geogr.* P. III. p. 278. חָשַׁךְ הַיּוֹם *Cohibebit*, retinebit, *dies* apud se lucem suam, quod dicit ad exaggerandam angustiae illis supervenientis descriptionem. Sed in libris pluribus, et calamo, et typis exaratis, pro חָשַׁךְ, cum *Sin*, legitur חָשַׂךְ eum *Schin*, ut vertendum sit: *obtenebratus erit dies*, sensu parum aut nihil discrepante, q. d. dies vertetur in noctem et obscurabitur prae nimio luctu. Ita veteres omnes. LXX: *συσκοτάσει ἡ ἡμέρα.* Vulgatus: *nigrescet dies.* Syrus: *obtenebrescet dies.* Chaldaeus: *et super Tachpanches tenebras inducam interdiu.* Eadem imagine ad describendas gravissimas calamitates utitur Jes. 13, 10.: *Stellae et sidera luce sua non splendebunt, sol in ortu suo obscurabitur, et luna luce sua non fulgebit.* Cf. Matth. 24, 29. Sed חָשַׂךְ, cum *Sin*, h. l. legendum jubet Masora impressa ad Genes. 39, 9., eodemque modo scriptum se reperisse in omnibus, quos ipse vidisset, codicibus, testatur Norzius, celeberrimus inter Judaeos Criticus, in Commentario critico in Scripturae S. Libros. Codices, in quibus חָשַׁךְ legitur, recensuit De-Rossi in *Scholiis Critt.* ad h. l., qui tamen ipse חָשַׂךְ (cum *Schin*) praeferre videtur. בְּשָׁבְרִי *Cum fregero* Vs. 21. 22. 24. 34, 27. Jes. 14, 25. שָׁם *Ibi*, scil. *Taphnis.* Eo vocabulo eadem *regis Aegypti* innui recte inde colligitur, quod *Taphnis* sedes regia fuit. Vid. Jer. 43, 9. Pharaonem Hophram hostibus se traditurum minatur Deus apud Jeremiam 44, 30. Hieronymus

quoque ad h. l. Taphnin *regiam civitatem* vocat. אֶת־מֹטוֹת וָאֶשְׁבֹּר מֹטֹת עֻלְּכֶם מִצְרָיִם *Vectes* scil. jugi (cf. Levit. 26, 13. *frangam vectes jugi vestri*, unde מוֹטָה atque מוֹטוֹת et solum de *jugo* dicitur Jer. 28, 13. 14.) *Aegypti*, i. e. imperium tyrannicum, quo Aegyptii premunt alios. Cum asseruero in libertatem quos Aegyptii tenent in servitute. Donantur enim libertate captivi urbe expugnata. Etsi autem sententia haec minime sit incommoda, fateor tamen sensum prodituram multo concinniorem, si pro מֹטוֹת legas מַטּוֹת, quod veteres omnes expresserunt. LXX: *Τὰ σκῆπτρα Αἰγύπτου.* Vulgatus et Hieronymus: *sceptra Aegypti.* Syrus: *scipionem* s. sceptrum *Aegypti.* Chaldaeus: *fortitudinem Aegypti.* De *sceptro regio* מַטֶּה a Nostro usurpatur supra 19, 11. 14., et ejusdem h. l. multo aptior erit mentio quam jugi, quum de abolenda regali potestate sit sermo. Hieronymus: „*In Taphnis* vero, quae est regia civitas, *conterentur sceptra Aegypti*, id est, omne regium genus.“ Cui jam apte subjungitur: וְנִשְׁבַּתָה־בָּהּ גְּאוֹן עֻזָּהּ *et cessabit in ea* (Niphal, *ter* praeter hunc locum, obvium, supra 6, 6. infra 33, 28, Jes. 17, 3.) *superbia potentiae ipsius*, ut supra Vs. 6. infra 32, 12. 33, 28. הִיא עָנָן יְכַסֶּנָּה Ad *hanc* ergo quod attinet, *nubes*, calamitas, *teget eam*, vid. Vs. 3. 32, 7. Hieronymus: „Cumque potentia ejus, interfectis principibus, defecerit, tunc nigrescet dies, et caligine ac tenebris omnia complebuntur, ita ut ipsa urbs operiatur nube moeroris ac luctus.“ Sed Chaldaeus: *rex cum exercitu suo operiet eam sicut nubes, quae ascendit et operit terram.* Verba postrema, וּבְנוֹתֶיהָ בַּשִּׁבְיָ תֵּלַכְנָה Hieronymus sic interpretatur: „*Et filiae ejus*, id est, oppida reliqua, *ducantur in captivitatem.*“ Chaldaeus quoque בְּנוֹתֶיהָ vertit *habitatores villarum ejus.* Cf. not. ad Vs. 17., et vid. supra 16, 27. 31. 46. 26, 6.

19. וְעָשִׂיתִי שְׁפָטִים Vid. Vs. 14. et supra 5, 10. Hieronymus: „Ut postquam fecero judicia in Aegypto, et me cunctis judicem demonstravero, tunc sciant Aegypti, quod ego sum Dominus.“ Cf. Vs. 8. 26.

20. Quod jam sequitur oraculum haud longo post illud, quod 29, 1. sqq. perscriptum est, tempore, et duobus fere mensibus ante illud, quod sequitur 31, 1. sqq. est consignatum. De ratione ordinis, quo haec oracula sunt collocata, vid. not. ad 29, 17. בָּרִאשׁוֹן *Primo* mense (חֹדֶשׁ), ut supra 29, 17. בְּשִׁבְעָה *Septimo* scil. die, ut 2 Reg. 25, 8.

21. אֶת־זְרוֹעַ *Brachium*, i. e. תְּקוֹף *fortitudinem*, ut Chaldaeus vertit. Hieronymus: „*In brachio* robur accipe et fortitudinem, dicente Scriptura (Ps. 10, 15.): *contere brachium peccatoris et maligni.* Quod conteritur in adversariis nostris, quando nos persequuntur quidem, sed opprimere nequeunt.“ Cf. 1 Sam. 2, 31. Job. 35, 9. 38, 15. Dan. 11, 6. Praeteritum שָׁבַרְתִּי quidam pro futuro positum existimant, ut dicat vates, immittendo quamprimum Chaldaeorum exercitu Aegyptias vires esse frangendas.

Sed quae proxime subjiciuntur, suadent, esse illud verbum tempore praeterito accipiendum, ut debilitatas jam superiore aliqua clade Aegypti vires esse et attritas dicat Noster. Theodoretus: *Mediocre, inquit, ipsi supplicium intuli, neque poenitentiae remediis uti voluit, ut pristinam rursus potentiam recuperaret.* Ita et Jarchi Kimchique, qui hic respici putant ad insignem plagam, quam Pharaonis Nechonis exercitus a Nebucadnezare ad Euphratem prope Circesium, anno quarto Jojakimi accepit, de qua vid. Jer. 46, 2. Sed indicari potest aliud praeterea tempus, quod antecessit proxime nostrum oraculum, in quo regnum Aegyptiacum iterum magnum videtur accepisse detrimentum. Nam, ut ex Jeremiae Cap. 37, 5, sqq. liquet, quo tempore obsidebatur Hierosolyma, egressus est Pharao, ut subsidium ferret obsessis, quem ita dure accepit conciditque Chaldaeus, ut totam illi Syriam ademerit. Vid. 2 Reg. 24, 7. וְהִנֵּה h. l. adseverandi vim habet, ut supra 25, 8. 15, 4. Jerem. 31, 8. לֹא־חֻבְּשָׁה *Non ligatum est.* Metaphoram persequitur, quae plane convincit, sermonem hic esse de jam accepta plaga. Sumitur autem illa a chirurgis, qui luxatum aut comminutum brachium fasciolis ligare solent, et ad illum statum revocare, ut obire possit consuetum opus. Quodsi nemo vulnus obliget aut medicamenta adhibeat, actum est de spe recuperandae sanitatis et roboris. Hunc eundem statum in Judaeorum populo eadem metaphora expressit Jesajas 1, 6. *Vulnus, et livor, et plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* Cf. et infra 34, 4. Ait ergo Deus, confractas esse vires Aegyptias superioribus bellis a Chaldaeis, neque tamen aut externis auxiliis, aut novo aliquo supplemento renovatas. Neque vero, ut maxime cuperent Aegyptii, sanare potuerunt recentem plagam, quam paullo ante hanc prophetiam a Babyloniis acceperant. Hoc namque vaticinium consignavit Ezechiel anno undecimo transmigrationis, mense primo. Capta vero fuit Hierosolyma eodem anno mense quarto, paullo post debellatos atque contritos Aegyptios, qui auxilio venerunt Hierosolymae; hoc vero perpusillo spatio non potuerunt recuperare pristinum robur. לָתֵת רְפֻאוֹת *Ita ut dentur*, adhibeantur, *curationes*, medicamina, ut Jer. 30, 13. 46, 11. Vulgatus: *ut restitueretur ei sanitas.* לָשׂוּם חִתּוּל *Imponendo fasciam*, ligamen. Vid. radicem supra 16, 4., et cf. Job. 38, 9. LXX: *τοῦ δοθῆναι μάλαγμα.* Vulgatus: *ut ligaretur pannis.* Proximum vero לְחָבְשָׁהּ vertit: *et fasciaretur linteolis.* לְחָזְקָהּ *Ad confirmandum illud*, ut convalescat et valeat. 22, 14. Kimchi: „לְחָבְשָׁהּ cum Mappik literae He indito, q. d. לַחֲבוֹשׁ אוֹתָהּ *obligando illud* (brachium). Ita et לְחָזְקָהּ He habet Mappikatum, estque verbum *intransitivum*, sic explicandum: *ut confirmet se*, vires resumat. Vel est *transitive* capiendum: *ad firmandum illud* (brachium), quemadmodum forma *Cal* ejusdem verbi חָזַק transitive usurpatur 2 Chron. 28, 20. *Et angustavit eum* וְלֹא חָזְקוֹ *nec firmavit eum.*“ Transitivus

illius verbi usus Chaldaeis videtur familiarior esse, vid. Dan. 10, 19. לְתִתֹּשׂ בֶּחָרֶב *Ad tenendum*, s. prehendendum *gladium*, ut bellum prosequi possit. Vulgatus: *ut recepto robore posset tenere gladium.* Chaldaeus hemistichii hujus Versus posterioris (inde a וְהִנֵּה) sensum hoc modo expressit: *et ecce non confirmabitur, ut sanetur, ut det consilium, quo sapienter agat, ut roboretur ad regnum tenendum.*

22. אֶת־הַחֲזָקָה וְאֶת־הַנִּשְׁבֶּרֶת הִנְנִי אֶל־פַּרְעֹה ut supra 29, 10. Tam illud confringam brachium, quod *validum* adhuc est, quam *confractum* jam, Vs. 21., quod amplius atteram. Omnes Pharaonis vires enervabo. Brachio Pharaonis *confracto* Hebraei intelligunt illam regni Aegyptiaci partem, quam abstulit ab illo Babylonius, de qua 2 Reg. 24, 7., quod nempe spatii erat a rivo Aegypti usque ad fluvium Euphratem. Altero vero brachio intelligitur, quod proprie dicitur Aegyptus, ex quo nihil dum detractum erat, *forte* illud vocari recte poterat. Hoc igitur brachium aeque ac illud conterendum esse minatur vates. Coccejus duplici brachio *duas* indicari censet *domus regias*, illam, quae tum erat, in qua *Apries* s. *Pharao Hophra*, et aliam successuram, cujus regnum futurum sit humile, 29, 15. Vulgatus: *comminuam brachium ejus forte, sed confractum.* וְהִפַּלְתִּי אֶת־הַחֶרֶב מִיָּדוֹ *Et faciam cadere,* i. e. excutiam (ut infra 39, 3.) *gladium e manu ejus.* Chaldaeus: *et projiciam fortitudinem de eo.*

23. Eadem, quae supra 29, 12. Aegyptiis comminatus fuerat, h. l. repetit.

24. חִזַּקְתִּי אֶת־זְרֹעוֹת מֶלֶךְ בָּבֶל Contra *confortabo* (ut Hos. 7, 15.) *brachia regis Babel.* Chaldaeus: *et roborabo regnum regis Babylonis.* אֶת־חַרְבִּי idem Chaldaeus bene רַת תּוּקְפִּי *fortitudinem meam* exposuit. וְנָאַק נַאֲקוֹת חָלָל *Ut ingemiscat gemitibus confossi*, i. e. ut gemere solet vulneratus ad mortem. Chaldaeus: *et gemet gemitu eorum, qui confossi sunt gladio.* Verbum נָאַק, quod in cognatis dialectis cum ה scribitur (נָהַק), atque de *ruditu* asinorum dicitur, Hebraei de gemitu s. singultu morientium usurpare solent, et verbum quidem, praeter hunc locum, semel, Job. 24, 12., nomen vero ter (Exod. 2, 24. 6, 5. Jud. 2, 18.) occurrit. לְפָנָיו *Coram eo*, victore Babylonio.

25. וְנָטְתָה אוֹתָהּ אֶל־אֶרֶץ מִצְרָיִם *Ut extendat illam* manum, vel, *eum* gladium; nam pronomen affixum femininum vel ad חֶרֶב, vel ad יָד, quod utrumque praecessit, referri potest. Ad *gladium* retulerunt LXX et Vulgatus, nec non Syrus, qui verba hebraea sic vertit: *et strinxerit eum contra terram Aegypti.* Sensum expressit Chaldaeus: *et ultionem sumserit de terra Aegypti.*

26. וְהֵפִיצוֹתִי אֶת־מִצְרַיִם בַּגּוֹיִם Vid. Vs. 23. 29, 12. וְזֵרִיתִי Vid. supra 5, 10. בָּאֲרָצוֹת Vs. 23. 36, 19.

CAP. 31.

Argumentum.

Regni Aegyptiaci excidium hoc vaticinio in Assyrio rege ejusque populo a Nebucadnezare concisis tanquam in vivo quodam exemplari Noster divino jussu Pharaoni proponit. Et primum quidem Assyrii principis celsitudinem, potentiam, splendorem ducta a cedro Libani similitudine, miris modis amplificat (Vs. 2—9.). Neque statim minus eleganter ac graviter ruinam ipsius et sepulchrum ignobile describit (Vs. 10—17.). Ad extremum jubet Pharaoni, cujus gratia inducta fuerat longa illa et tragica narratio, ut in Assyrio, sublimi prius, deinde vero vehementer abjecto, tanquam in speculo suam ipsius vivam imaginem agnoscat (Vs. 18.).

1. בְּאַחַת עֶשְׂרֵה שָׁנָה *Undecimo anno* transmigrationis Jojachini, regis, vid. 1, 2. 29, 1. בַּשְּׁלִישִׁי *Tertio* mense, ergo duobus mensibus post superiorem prophetiam 30, 20., et uno mense antequam a Chaldaeis exscinderetur Hierosolyma. בְּאֶחָד *Primo* scil. die, 29, 17.

2. וְאֶל־הֲמוֹנוֹ *Et ad multitudinem*, i. e. populum *ejus*, ut infra Vs. 19. 32, 31. 32. Usurpat autem id nomen de Aegyptio populo, quod terra illa admodum erat populosa. אֶל־מִי דָמִיתָ *Cui similes es?* Vs. 18. 33, 2. בְּגָדְלֶךָ *In magnitudine tua*, בְּתֻקְפֶּךָ *in fortitudine tua*, vertit Chaldaeus. Cf. Vs. 7. 18. Cui te poterimus comparare? adeo tibi magnus videris. Sunt, qui גֹּדֶל h. l. *fastum* et *arrogantiam* indicare existiment, ut idem sit, quod גֹּדֶל לֵבָב *elatio animi*, quae regi Assyrio, quocum Aegypti rex Vs. 3. sqq. comparatur, Jes. 10, 12. tribuitur. Jarchi: „Dum temet extollis contra me, ait Deus, cuinam putasti te esse similem?“

3. הִנֵּה אַשּׁוּר וגו׳ „Dicturus contra Pharaonem, regem Aegypti, et populum ejus sermo divinus, tali adversum illum est usus exordio: *Cui similis factus es in magnitudine tua? Ecce Assur quasi cedrus in Libano*, et reliqua. Et est sensus: non mireris, si a Babyloniis sis vincendus atque periturus, et tuum perditurus imperium, omnesque opes Aegyptiorum devastandae sint, quum Assur, multo te fortior, eodem Chaldaeo superante, deletus sit.“ Hieronymus. Cum eo consentit Kimchi, qui nostri loci

sensum hoc modo explicat: „Cui tu aequiparandus es, qui potentia tua tuisque opibus gloriaris, neque de tuae celsitudinis fastigio te deturbari posse opinaris? En! rex Assyriae, qui te potentior erat, manu mea cecidit; ita et tu cades.“ Eodem modo nostra verba capienda esse, JARCHI indicat hac ad אַשּׁוּר apposita glossa: שהפלותי כבר, *quem jam prostravi.* Quemadmodum Jes. 52, 4. Aegyptus et Assyria Israelitas oppressisse dicuntur; ita Noster utrumque regnum idem fatum manere dicit. Cf. infra 32, 22. MARC. MEIBOMIUS in *Specim. III. vanarum in Cod. Hebr. interpretationum* p. 70. אַשּׁוּר h. l. pro nomine adjectivo *rectum* significante, a radice אָשַׁר, *recta incessit* s. *processit*, habendum arbitratus, verba אַשּׁוּר אֶרֶז ita vertenda jubet: *similis factus es rectae cedro*, recto caudice maxime proccrac. Verum cam sententiam vates haud dubie sic enuntiasset: הִנֵּה אֶרֶז אַשּׁוּר אַתָּה, nam substantivo quando jungitur adjectivum illud fere praecedit, nisi in adjectivo, quod constituit praedicatum, praecipua quaedam vis dicti aut emphasis posita sit; ut Genes. 4, 15. גָּדוֹל עֲוֹנִי *magnum* est *crimen meum.* אַשּׁוּר praeterea ceteris omnibus, quibus in V. T. occurrit, locis, nomen proprium est *Assyriae*, nec veterum interpretum alicui in mentem venit, aliter illud h. l. capere. *Cedro Libani*, אֶרֶז בַּלְּבָנוֹן, *arbori* procerissimae, speciosissimae, opacissimae (vid. not. ad Ps. 29, 5.), conferri solent principes magni et potentes, vid. Jes. 2, 13. Jer. 22, 15. et supra 17, 3. sqq. Eandem plane, quam h. l., regni potentissimi imaginem vid. Dan. 4, 7. 8. 9. 17. 18. 19. LXX hoc Capite ut supra 27, 5. pro hebraeo אֶרֶז constanter κυπάρισσος posuerunt. וְיָפֵה עָנָף *Pulchra frondibus*, cf. 17, 8. 19, 10. חֹרֶשׁ *Virgultum densum* et implexum, faciendae umbrae commodum notare, Kimchi in Commentar. ad h. l. scribit. Cf. Jes. 17, 9. הַחֹרֶשׁ וְהָאָמִיר *virgulti et rami summi;* ubi cum *Tsere* scribitur, sed Kimchi nomen formae חֹרֶשׁ esse ait. Hinc חֹרְשָׁה 1 Sam. 23, 15. 16. 18., et pluralis חֳרָשִׁים 2 Paral. 27, 4. *sylvam* indicat; quam ipsam notionem MICHAELIS in *Supplemm.* p. 964. nec huic loco ineptam esse judicat, ut cedrus dicatur חֹרֶשׁ מֵצַל, *sylva obumbrans.* „Sub cedro qui est, late ramos extendente, in sylva sibi esse videtur.“ Significationem verborum hebraeorum accurate expressit Chaldaeus: *et cujus rami umbram faciunt.* Ceteri interpretes sensum magis reddiderunt. מֵצַל Participium Hiphil, quod Kimchi עוֹשֶׂה צֵל *umbram faciens* explicat, pro מַצְלִיל s. מַצְלַל, formae מַסַּב 1 Reg. 6, 29., pro quo Jer. 21, 4. est מֻסָּב. וּגְבַהּ קוֹמָה *Et excelsae statura*, cf. Vs. 5, 10. 14. Verba וּבֵין עֲבֹתִים הָיְתָה צַמַּרְתּוֹ Vulgatus reddidit: *et inter condensas frondes elevatum est cacumen ejus*, rectius quam LXX: καὶ εἰς μέσον τῶν πεφελῶν ἐγένετο ἡ ἀρχὴ αὐτοῦ, sententia quidem elegans, sed quae verbis non inest. Ceperunt עֲבֹתִים significatione nominis עָב, cujus pluralis עָבִים et עָבוֹת, *nubes*, vid. Job. 22, 14. Ps. 77, 18. Sed nostrum עֲבֹתִים, quod a verbo עָבַת *complicare*, *contorquere* (Mich.

7, 3.), in universum *intricatum*, *implicitum* denotat, tam de *funibus complicatis*, vid. Exod. 28, 14. 39, 15. Jes. 5, 18., quam de *ramis frondibusque implexis et condensis* usurpatur, veluti Levit. 23, 40. *Et capiatis ramos palmarum*, וַעֲנַף עֵץ־עָבֹת *et ramum arboris habentis folia ramosque complicatos.* Cf. supra 19, 11. 20, 28. et Nehem. 8, 15. De צַמֶּרֶת *cacumen cedri* denotante, vid. not. ad 17, 3.

4. מַיִם *Aquae*, ingens aquarum abundantia, qualis in Tigride et Nilo. Alluditur ad aquas *Tigridis*, si ad Assyrium, vel *Nili*, et rivorum ejus, si ad Aegyptium haec et quae sequuntur usque ad Vs. 17. referas. Ad *Assyrium* referunt plerique interpretum, quibus favere videntur frequentia illa Praeterita in iis quae sequuntur, quibus praeterita Assyriorum fata, potentia, divitiae, superbia, et subsequuta tandem clades et poena severissima describantur tanquam jam facta. Neque tamen ignotum est, *Praeterita* Hebraeorum saepe, praesertim a prophetis, usurpari de *re futura*, ut passim monuimus. Cf. N. G. Schroederi *Syntax. Verbor.* Reg. 46., d. Et ipse Propheta infra Vs. 10. et maxime Vs. 18. ad Pharaonem et multitudinem ejus diserte applicat; quae fusius in praecedentibus dixerat. Ipsa etiam Praeterita non sunt constanter retenta, sed cum Futuris mixta, c. g. Vs. 11. 13., ut partim ad praeteritas, partim ad decretas a Deo, et certo futuras Aegyptiorum clades propheta respiciat. Cf. 30, 21. 22. גִּדְּלוּהוּ *Crescere fecerunt*, nutriverunt, *eam* cedrum, quomodo idem verbum Jes. 44, 14. usurpatur. תְּהוֹם de laticibus subterraneis, fontibusque, qui plantas alunt, dicitur et Genes. 49, 25. Deut. 8, 7. 33, 13. Nec aliud quicquam exprimit Graecorum interpretum ἄβυσσος, quod ubique pro hebraeo תְּהוֹם ponunt, et Vulgatus Latinus retinuit. Suidas: Ἄβυσσον καλεῖ τὴν ὑγρὰν οὐσίαν ἡ θεῖα γραφή — ἄβυσσος ὕδάτων πλήθος πολύ. רוֹמְמַתְהוּ *Altam fecerat eam.* Eodem modo verba גָּדַל et רוֹמַם junguntur Jes. 1, 2. אֶת־נַהֲרֹתֶיהָ הֹלֵךְ סְבִיבֹת מַטָּעָהּ *Cum fluminibus suis* s. *quoad flumina ejus ibat* illa aquarum multitudo *circa locum plantationis ejus.* Nomen תְּהוֹם, utpote generis communis, tam ut masculinum tractatur, Participio הֹלֵךְ ad illud referendo, quam ut femininum ob suffixum femininum ad נַהֲרוֹת, ad idem illud trahendum. Nec desunt similis variationis generis in praedicato s. suffixo post nomen commune exempla, vid. 1 Reg. 19, 11. Jes. 14, 9. 35, 8. Hos. 4, 19. Job. 20, 26., ad quem loc. conf. not. סְבִיבֹת מַטָּעָהּ *Circa plantationem ejus* scil. aquae (תְּהוֹם), i. e. circa arboretum ad ripas fluminum plantatum. מַטָּע, quod proprie *locum*, *quo quid plantatur*, denotat, h. l. ut supra 17, 7. infra 34, 29. Mich. 1, 6. *plantarium* indicare patet. Suffixum autem femininum ad idem nomen תְּהוֹם, ad quod suffixa ad נַהֲרוֹת et תְּעָלֹת pertinent, est referendum. LXX: τοὺς ποταμοὺς αὐτῆς ἤγαγε κύκλῳ τῶν φυτῶν αὐτοῦ. וְאֶת־תְּעָלֹתֶיהָ *Et rivos*, canales,

suos, תְּעָלָה enim est *aquaeductus*, vid. 1 Reg. 18, 32. 35. 58. 2 Reg. 18, 17. Jes. 7, 3. 36, 2. שִׁלְחָה *Emisit* (pro שִׁלְּחָה, Dagesch e litera Schvata ejecto, ut supra 17, 7.) lacus ille, תְּהוֹם. Cf. Ps. 104, 10. מַעְיָנִים (תְּהוֹם Vs. 6.) הַמְּשַׁלֵּחַ *Emittens* abyssus *fontes*. Ceterum aquis et rivis, quibus arbores nutriuntur et crescunt, h. l. fomenta atque subsidia indicari, quibus auctum erat et ornatum Aegyptium regnum, cedro comparatum, vix monitu opus. Chaldaeus quae hoc Versu tropice sunt enuntiata, verbis propriis expressit: *populis multiplicatus est*, *auxiliis roboratus est*, *reges subjecit regno suo*, *et principes suos constituit super omnes provincias terrae*. Similiter Theodoretus, qui *aqua* et *abysso* infinitas gentes a rege vel Assyrio vel Aegyptio in servitutem redactas significari existimat, quae vectigal et tributum, quasi quandam irrigationem, exercitui afferrent.

5. גָּבְהָא *Extulit se*, ex Aramaeismo pro גָּבְהָה, quod ipsum in codicibus nonnullis legitur, ut שֶׁיֹּצָא, Participium femininum, pro שֶׁיּוֹצָה, *quae egrediens*, Cohel. 10, 5., דָּשָׁא *triturans*, Jer. 50, 11. קוֹמָתוֹ *Statura*, caudex, *ejus* (cedri), ut supra 19, 11. וַתִּגְבַּהּ קוֹמָתוֹ, cf. 17, 6. Verborum מִכָּל עֲצֵי הַשָּׂדֶה sensum expressit Chaldaeus: *elatus est fortitudine sua super omnes reges terrae*. Ita et supra 17, 24. reges *arborum* imagine sistuntur. וַתִּרְבֶּינָה סַרְעַפֹּתָיו *Et multiplicati sunt rami ejus* minores; ii enim videntur nomine סַרְעַפּוֹת significari (cf. not. mox ad פֹּארוֹת), quod ipsum Syrus interpres h. l. retinuit, atque Eccles. 14, 26. pro Graeco κλάδους posuit, videturque illud Aramaeis potius, quam Hebraeis, usitatum fuisse. Syriacum verbum סַרְעֵף a Castello exponitur *germinavit*, *pullulavit*, et סוּרְעָפָא *propagatio stirpium*. Id favet Latinae Vulgatae, *et multiplicata sunt arbusta ejus*, quibus novella germina, in pingui atque irriguo solo ex arborum stirpibus pullulantia, intelligenda videntur, quae frequentes et densae truncum amplectuntur vestiuntque, atque arbustorum et fruticum similitudinem referant. Kimchi significatione haud a סְעָפוֹת differre judicat. Chaldaeus: *et multiplicati sunt exercitus ejus*. וַתֶּאֱרַכְנָה פֹּארֹתָיו *Et prolongati sunt*, in longitudinem creverunt (cf. Vs. 7.), *rami ejus* fructiferi s. majores, ut aliqui explicant, quasi a פָּרָא, *foecundus fuit*, *fructus produxit*, descenderet, scribitur enim et פֹּרְאוֹת, vid. infra Vs. 8. et supra 17, 6.; vel collato Syriaco פארא *fructus*. Rectius alii ad פְּאֵר, *ornatus capitis*, *corona*, referunt. Ita Michaelis *Supplemm.* p. 1989.: „פֹּארֹת sunt *rami arborum*, ipsi quoque, uti videtur, a coronae similitudine dicti. Nostris etiam hortulanis vertices arborum, et sylvarum cultoribus nova ramorum propago *corona* (*Crone der Bäume*) dicuntur.“ Vulgatus: *et elevati sunt rami ejus*. בְּשַׁלְּחוֹ *Dum emitteret* germina s. propagines suas (qua de re verbum שִׁלַּח et supra 17, 6. 7. dicitur); dum se prae humoris abundantia (מִמַּיִם רַבִּים) late diffundit. Ita Vul-

gatus (qui ceterum בְּשַׁלְּחוֹ Versui proximo jungit): *cumque extendisset umbram suam. Umbram* pro *ramis* usurpat, qui umbram efficiunt, et locum opacum arbori subjectum. Ut VIRGILIUS *Aeneid.* 12, 20. de ramo decorticato: *Numquam fronde levi fundet virgulta nec umbras.* Quare *umbram extendere* h. l. idem est, atque ramos diffundere. Alii vocem hebraeam referunt ad תְּהוֹם Vs. 4. (nomen generis communis), ut ita sit vertendum: *cum* s. quia emisit abyssus aquas multas circa eam, cf. Vs. 4. אֶת־תְּעָלָתֶיהָ שִׁלְּחָה. Veterum interpretum praeter Vulgatum nullus בְּשַׁלְּחוֹ expressit. Chaldaeus posterius hujus Versus hemistichium (inde a וְתֶאֱרַכְנָה) sic explicat: *et praevaluerunt auxiliatores ejus super populos multos per victoriam ejus.*

6. בְּסַעֲפֹתָיו *In ramis ejus*, Vs. 8. Cf. Vs. 5. et Jes. 17, 6. Egit de hoc nomine pluribus MICHAELIS in *Supplemm.* p. 1782., qui et ambigit, utrum *cacumen arboris*, an vero *ramos* denotet, ipse tamen fatetur, obstare *cacumini*, quod loco Jesajano memorato a רֹאשׁ אֲמִיר *cacumine arboris*, singulariter posito, distinguuntur סעפים, pluraliter positi, i. e. *rami.* קִנְּנוּ כָּל־עוֹף הַשָּׁמָיִם *Nidificarunt volucres coeli*, quo significatur, multas gentes ad ejus tutelam confugisse, et in ejus ditione versatas esse. Cf. Vs. 13. 17, 23. Eadem imagine arboris patulis diffusae ramis, in quibus volucres suos sibi nidos construxere, et sub cujus umbra innumeri bestiarum coetus consedere, Ezechieli acqualis, Daniel, Nebucadnezaris amplitudinem et potentiam sistit 4, 7. 9. Chaldaeus: *cum exercitu suo subjugavit omnes arces fortissimas.* וְתַחַת פְּאָרָתָיו יָלְדוּ כֹּל חַיַּת הַשָּׂדֶה *Et sub ramis ejus parturierunt omnes bestiae agri*, ediderunt alueruntque catulos suos, i. e. explicante Grotio, crevere populi fausta sobole. Nimis subtiliter per *volucres* aliqui intelligunt magnates, *bestias* vero plebem, et gentes feroces barbarasque, quas rex Aegypti domuerit. Chaldaeus: *et sub principibus suis subjecit omnes provincias terrae.* וּבְצִלּוֹ *Et sub umbra* et protectione *sua;* בְּטַלַּל מַלְכוּתֵיהּ *in umbra regni ejus*, ut Chaldaeus vertit. Cf. Vs. 17. 17, 23. Jes. 30, 2. 3. Pro Futuro יִשְׁבוּ *habitabunt*, in aliquot codicibus legitur Practeritum יָשְׁבוּ, *habitarunt.* Quod sane verbis practeritis, quae hoc ipso Versu praecesserunt, קִנְּנוּ et יָלְדוּ magis congruit. כָּל־גּוֹיִם רַבִּים *Universitas*, coetus, *gentium plurimarum* et amplissimarum (ut Ps. 89, 51.), quae Aegyptio regi vel parebant, vel sacerdotes erant.

7. וַיְיִ֫ף בְּגָדְלוֹ *Et pulchra fuit* (Futurum per apocopen, ob praepositum Vau conversivum, contractum ex וַיִּפֶּה) cedrus illa (אֶרֶז Vs. 3.) *magnitudine sua* (Vs. 2.). Pro וַיְיִ֫ף in aliis codicibus legitur וַיִּיטֵב, ad formam וַיִּישַׁב Jer. 41, 10. Chaldaeus: *et invaluit auxiliatoribus suis.* בְּאֹרֶךְ דַּלְיוֹתָיו *Longitudine propaginum* s. ramorum *ejus*, וְתֶאֱרַכְנָה פְּאָרָתָיו Vs. 5. Chaldaeus: *multitudine fortium* s. heroum *suorum;* quomodo et infra Vs. 9.

בְּרֹב דָּלִיּוֹתָיו exposuit. Quae vero nostro Versu sequuntur, כִּי־ הָיָה שָׁרְשׁוֹ אֶל־מַיִם רַבִּים, sic est interpretatus: *nam erat terror ejus super populos multos.*

8. אֲרָזִים לֹא־עִמְּמֻהוּ *Cedri* aliae *non occultarunt eam*, non extenderunt ramos suos super eam, *non superarunt eam*, ut Syrus recte. Vulgatus: *cedri non fuerunt altiores illo.* De verbo עָמַם vid. not. supra ad 28, 3. Jarchi: „*Non obscurarunt formam*, s. speciem *ejus* (coll. Thren. 4, 1. יִזְעַם זָהָב *obscuratur aurum*); q. d. non exstitit inter illas arbores alia, quae magis decora fuit, quam illa.“ Chaldaeus: *reges fortes non praevaluerunt adversus eum.* Recte אֲרָזִים *reges* explicuit, quum supra Vs. 3. rex Assyrius diserte cedrus appelletur. Cf. not. ad Vs. 9. בְּגַן־אֱלֹהִים Vid. not. ad 28, 13. Quasi dicat: in horto quantumvis ubere et multarum arborum umbra et proceritate amoeno, non sunt inventae arbores neque procerae magis neque ambitiosa ramorum foliorumque luxuric magis decorae. Ceterum בְּגַן־אֱלֹהִים Jarchi explicat: *in toto mundo.* Nec aliter Theodoretus: *Nemo enim, inquit, ex iis, qui tunc per orbem terrarum regnabant, illustrior illo fuit; paradisum quippe hoc loco orbem terrarum nuncupavit.* De בְּרוֹשִׁים vid. not. ad 17, 5. עַרְמֹנִים Hebraei *castaneas* interpretantur. *Platanos* nomine illo significari, quomodo Vulgatus et Syrus verterunt, ostenderunt Hillerus in *Hierophyt.* P. I. Cap. 43. p. 402. et Celsius *Hierobot.* P. I. p. 512. Cf. *Bibl. Naturgesch.* P. I. p. 267. Ad pulcherrimam ramorum amplitudinem et proceritatem assurgere platanos notum. *Pinis* et *platanis* Theodorctus observat minorum gentium reges indicari, quibus satrapas praefecerit rex Assyrius, vel Aegyptius, quorum munus erat, ut hos obedire cogerent. Ait igitur, maximis regibus majorem illum fuisse, inferioribus autem non ipsum tantum, sed ejus praefectos potentiores nobilioresque exstitisse.

9. יָפֶה עֲשִׂיתִיו בְּרֹב דָּלִיּוֹתָיו *Pulchram* enim *feceram eam multitudine ramorum ejus*, Vs. 7. וַיְקַנְאֻהוּ כָל־עֲצֵי־עֵדֶן אֲשֶׁר בְּגַן אֱלֹהִים *Ita ut aemulatae sint eam omnes arbores voluptatis, quae in horto Dei*, omnes alii reges et principes inviderunt potentissimi illius regis felicitati. עֵדֶן h. l. delicias, voluptatem notat, unde Nehem. 9, 25. verbum וְיִתְעַדְּנוּ, *oblectarunt se.* עֲצֵי־עֵדֶן igitur erunt arbores, quae ad speciem et voluptatem expetuntur, *arboribus fructiferis*, עֲצֵי־מַאֲכָל Nehem. 9, 25., oppositae. Chaldaeus totum Versum sic explicavit: *speciosum feci eum multitudine fortium suorum, et tremuerunt a facie ejus omnes reges Orientis propter fortitudinem potentiae, quae erat cum eo, a Domino*, ei concessa.

10. יַעַן אֲשֶׁר גָּבַהּ בְּקוֹמָה *Propterea quod elatus es altitudine*, o Pharao! Alii: *caudice*, ut Vs. 3. 5. 14. וַיִּתֵּן צַמַּרְתּוֹ Et quia *dedit* Pharao *fastigium* s. *cacumen suum*, Vs. 3. 14. Mutatur persona per affectum, quod prophetis solenne, et oratio

in iis, quae sequuntur, partim ad cedrum, partim ad rem cedro significatam dirigitur. אֶל־בֵּין עֲבוֹתִים Vid. Vs. 3. et ibi not. atque Vs. 14. וְרָם לְבָבוֹ *Elatusque est animus ejus*, ut Deut. 8, 14. בְּגָבְהוֹ *Altitudine*, potentia et gloria, *sua*, ut 19, 11.

11. וְאֶתְּנֵהוּ *Ideo tradam eum*, ut supra 16, 27. Alii, ut Kimchi, pro Praeterito habent, quod de *Assyrio* intelligunt. Sed vid. not. ad Vs. 4. בְּיַד אֵל גּוֹיִם *In potestatem fortissimi* s. *potentissimi gentium.* Ita LXX: ἄρχοντος ἐθνῶν. Sane אֵלִים s. אֵילִים *principes, magnates* (collato Arabico אַוַّל *primus*) Ex. 15, 15. 2 Reg. 24, 14. 15., infra 32, 21. Mera scriptionis discrepantia est, quod in codicibus recensionis Palaestinensis אֵל, sine Jod, in codicibus vero recensionis Babylonicae plene, אֵיל, legitur. Sed De-Rossi אֵל גּוֹיִם *Dei gentium*, אֵיל גּוֹיִם vero *potentissimi* s. *ducis gentium* vertit. עָשׂוֹ יַעֲשֶׂה לּוֹ Qui *faciendo faciet ei* scil. quod volo, quod Jarchi subaudit, s. tractabit illum pro lubitu, quomodo verbum עָשָׂה absolute positum capiendum Dan. 8, 12. 24. 11, 28. 30., pro quo ibid. 8, 4. 11, 3. 36. עָשָׂה כִרְצֹנוֹ *fecit secundum lubitum suum*, dicitur. Cf. 1 Sam. 26, 25. Jes. 44, 23. Infinitivum verbo suo finito praemitti fortioris asseverationis causa, vel ad augendam et intendendam verbi significationem, notum; v. c. 1 Sam. 34, 21. מָלֹךְ תִּמְלֹךְ *regnando regnabis*, i. e. certissime regnabis. Vid. N. G. Schroederi *Syntax. Verbor.* Reg. 91. כְּרִשְׁעוֹ Nam *juxta impietatem ejus*, prout haec merita est. In codicibus pluribus legitur בְּרִשְׁעוֹ (praefixo *Beth*), *per* s. *propter impietatem ejus*, ut Deut. 9, 4. Proverb. 11, 5. Sensus idem. גָּרַשְׁתִּיהוּ *Expellam*, removebo *eum* de imperio, quomodo idem verbum de remotione ab officio 1 Reg. 2, 27. dicitur.

12. וַיְכָרְתֻהוּ *Quare exscindent eam* cedrum, s. eum Aegyptium; miscentur enim figurata propriis, vid. ad Vs. 10. Eadem hominis trucidandi cum arbore exscindenda comparatio Jer. 11, 19. Dan. 4, 11. זָרִים *Alieni*, barbari, i. e. Chaldaei, ut 30, 12. עָרִיצֵי גּוֹיִם *Violentissimi populorum* Chaldaei et 28, 7. 30, 11. 32, 12. a Nostro nuncupantur. וַיִּטְּשֻׁהוּ *Dimittentque eum* projectum, *projicient*, ut Vulgatus recte. Conf. verbum נָטַשׁ eodem sensu usurpatum supra 29, 5. infra 32, 4. אֶל־הֶהָרִים *Super montibus*, אֶל pro עַל, ut supra 18, 6. וּבְכָל־גֵּאָיוֹת *Et in omnibus convallibus*, montibus subjectis, conf. 35, 8. נָפְלוּ חָלָל דָּלְיוֹתָיו *Cadent rami ejus*, Vs. 9. וְהִשְׁבְּרוּ פַּרְאָתָיו *Et frangentur rami ejus* majores, Vs. 13. בְּכָל־אֲפִיקֵי הָאָרֶץ *In omnibus cavitatibus*, convallibus, terrae, ut supra 6, 3. infra 32, 6. Cf. not. ad Ps. 18, 16. Docet, quid acciderit cedro illae sublimi, quae ramos late quoquo versus diffudcrat. Statuit eam in praealto montium fastigio, quo magis esset ejus procceritas conspicua, ut quo in altiori loco sita fuerat, eo gravior esset illius ruina, et in ipso descensu affligeretur gravius, et dissiparetur

magis; et ideo addidit, convalles ex illius ruina fuisse constratas, diffractis ipsa descensus asperitate ramis. וַיֵּרְדוּ מִצִּלּוֹ כָּל־עַמֵּי הָאָרֶץ *Unde descendent*, recedent, *ex umbra sua omnes populi terrae*, vid. Vs. 6. וַיִּטְּשֻׁהוּ *Et deserent eum*, deficient ab eo populi, quibus imperabat, vicinaeque et foederatae gentes, quae in illius auxilio confidebant. Permiscet, notante Grotio, comparationis apodosin, ut saepe et hic, et alii scriptores.

13. עַל־מַפַּלְתּוֹ *Super cadivum ejus*, i. e. super cadivum truncum ejus, e terra evulsum, projectum, et ramorum frondiumque ornatu spoliatum. Jarchi et Kimchi מַפֶּלֶת pro *cadavere* accipiunt, ut Jud. 14, 8. מַפֶּלֶת הָאַרְיֵה, *cadaver leonis*, Chaldaeum sequuti, qui vertit: *super ruinam occisorum ejus*, i. e. super cadavera occisorum. יִשְׁכְּנוּ כָּל־עוֹף הַשָּׁמַיִם *Habitabunt*, i. e. requiescent ut devorent, *omnes volucres coeli*. Ut ad hominum jumentorumque cadavera accurrunt ferae, convolant vultures et corvi, ut suam sibi famem exsaturent; sic aves, quae prius in ipsius ramis nidos sibi construxerant (Vs. 6.), super arboris illius ruina sedes parabunt. Cf. infra 32, 4. וְאֶל־פְּרָאתָיו *Et ad ramos ejus majores*, vid. ad Vs. 5. Chaldaeus et Kimchi: *super cadavera exercitus ejus*. הָיוּ כֹל חַיַּת הַשָּׂדֶה *Erunt*, lustra sua facient, *omnes bestiae agri*, cf. Vs. 6. 10. Cf. 34, 5. 39, 17. Significatur, gentes, imperio Aegypti regis subjectas, eo profligato atque deturbato, ei insultaturas, et ex ejus interitu commoda percepturas esse.

14. לְמַעַן אֲשֶׁר לֹא־יִגְבְּהוּ בְקוֹמָתָם *Ut* (cf. 20, 26.) *non efferant se ob altitudinem suam*, Vs. 5. 10. 28, 2. 5. כָּל־עֲצֵי־מַיִם *Omnes arbores aquarum*, multa aqua gaudentes, i. e. principes, aliique qui opibus et divitiis abundant. Cf. Vs. 4. Jarchi *arboribus aquarum* tales intelligendas ait, quae ipsae quidem sint tenerae ac debiles, sed ramos habeant multos et longos, soli, in quo plantatae sunt, aquis irrigui ubertate. Eas igitur admonere prophetam exemplo cedri illius altae, sed jam excisae, ne extollant sese, ut robur suum aequiparent arboribus densos ramos habentibus. וְלֹא־יִתְּנוּ אֶת צַמַּרְתָּם אֶל־בֵּין עֲבֹתִים *Nec dabunt*, emittent *cacumen suum ad inter implexa*, implexos, densos ramos, vid. Vs. 3. 10. אֵלֵיהֶם alii interpretantur *fortes*, *potentes* s. *principes eorum* (cf. not. ad אֵל supra Vs. 11.), alii: *quercus* s. potius *terebinthi eorum*, coll. Jes. 41, 3. אֵלֵי צֶדֶק, *quercus justitiae*, et בָּאֵלִים *inter quercus* Jes. 57, 5. Sed verba וְלֹא יַעַמְדוּ אֵלֵיהֶם בְּגָבְהָם כָּל־שֹׁתֵי מָיִם vel ita vertas: *et ne perstent* s. *perseverent principes eorum in superbia sua, omnes bibentes aquam;* vel sic: *et ne stent quercus* s. *terebinthi eorum in sublimitate sua omnes bibentes aquam;* neutro modo sententia prodibit satis concinna. Quare nullus dubito, אֵלֵיהֶם h. l. notare *ad eos*, quod alias quidem אֲלֵיהֶם sonat (quod ipsum in pluribus codicibus h. l. legitur), sed quemadmodum Ps. 2, 5.

אֲלֵיהֶם *ad eos*, pro אֲלֵיהֶם, est positum, et אֲלֵינוּ *ad nos*, saepissime legitur, ita sane hic אֲלֵיהֶם pro usitatiore אֲלֵיהֶם positum esse potest. Nec aliter acceperunt LXX, qui πρὸς αὐτὰ verterunt. Reliqui veteres hoc vocabulum non expresserunt. Erunt igitur verba hebraica paullo antea adducta sic interpretanda: *nec stent ad eas*, i. e. iis sese per foedus adjungant vel assistant, *in altitudine sua*, cum in magnam altitudinem excreverunt, *omnes* ceterae arbores *bibentes aquam* (Vs. 16.), i. e. multo humore gaudentes, quibus principes alii opibus et divitiis affluentes intelligendos esse, ad hujus Versus initium monuimus. Quum Orientales *stantes* precari solcant, unde factum, ut קוּם *stare precando* Arabibus dicatur; MICHAELIS in *Supplemm.* p. 1926. observat, posse hac adscita notione nostrum locum ita verti: *non precabuntur ad illas*, non adorabunt illas, *omnes reliquae arbores bibentes aquam.* Praeplacere tamen sibi addit, hunc locum ex Syrorum usu explicare, quibus קוּם *stare*, cum ל constructum est *sperare*, hoc sensu: *non sperabunt amplius in has altas arbores reliquae humiliores, omnes bibentes aquam.* כִּי כֻלָּם *Nam omnes illae* superbae arbores, s. sensu proprio fastuosi reges et principes. נְתֻנוֹ לַמָּוֶת *Tradentur morti*, eadem phrasis Ps. 118, 18. אֶל־אֶרֶץ תַּחְתִּית *Ad terram inferiorem* (ut infra Vs. 16. 18.), i. e. in sepulchrum. Cf. supra 26, 20. et ibi not., atque Ephes. 4, 9. εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς. בְּתוֹךְ בְּנֵי אָדָם *Inter* alios *filios Adami*, i. e. homines, ut Jes. 56, 2. Num. 23, 19. Ps. 8, 5. etiam plebejos et vulgus. אֶל־יוֹרְדֵי בוֹר *Ad eos qui descenderunt in foveam* scil. sepulchri, ut supra 26, 20. Principes illi, qui propter opes et potentiam longe se eximebant a vulgo, tamen communem cum eo subibunt fortunam; nemo eorum communem illam mortis et sepulturae legem evitabit.

15. בְּיוֹם רִדְתּוֹ שְׁאֹלָה *Die quo descensurus est in infernum*, quo corruet regnum Aegyptiacum, cedro comparatum, quae Versu superiore hominis instar in orcum descendere dicitur. Cf. Jes. 14, 11. Jejuna est sententia, quam Grotius nostris e verbis exsculpsit: „*Quando ad inferos descendit* Sennacheribus, a filiis occisus. 2Reg. 19, 37.“ הֶאֱבַלְתִּי *Lugere faciam*, regionem quidam intelligunt, quae, arbore illa florente excisa, ornamento suo sit spoliata. Alii, qui proprie capiunt: *lugere faciam* omnes amicos ejus. Sed intelligendum potius אֶת־תְּהוֹם, suntque jungenda verba הֶאֱבַלְתִּי כִסֵּתִי עָלָיו אֶת־תְּהוֹם hoc sensu: *lugere faciam* et *operiam propter eam* (cedrum) *abyssum* s. *efficiam ut sese operiat abyssus* scil. sacco, more lugentium. Dicitur abyssus *lugere* et veluti saccum induere propter ruinam regni et regis Aegyptii, quod amplius illi aquas praebere prohibetur, unde illa, quacum comparatur, cedrus in tantum evectus fuit fastigium. Alludit ad illud, quod Vs. 4. dixit: *vorago* s. *abyssus exaltavit eam.* Ita Jarchi et Kimchi. Alii: *abyssum* malorum

super eum, Pharaonem, obducam, eumque obruam, coll. simili constructione supra 24, 7., et imagine 26, 19. Jes. 8, 7. 8. Sed prior sententia melius congruit iis quae sequuntur: וְאֶמְנַע נַהֲרוֹתֶיהָ *inhibebo flumina ejus*, abyssi, Vs. 4. (cf. Amos. 4, 7.), ne postea irrigent eam cedrum. Fontes opum illius exsiccabo. Theodoretus eo refert, quod gentes illi subjectae non amplius ei tributa sint pensurae. וְיִכָּלְאוּ מַיִם רַבִּים *Et occludentur aquae illae multae*, de quibus Vs. 5. 7. וְאַקְדִּר עָלָיו *Et atrabo super eo*, nigra et pulla veste, ut in luctu fieri solet, induam, quo significatu idem verbum infra 32, 7. 8. occurrit. Conf. Jer. 14, 2. Ps. 35, 14. לְבָנוֹן *Libanum*, in quo altissima illa cedrus fuit, Vs. 3. וְכָל־ עֲצֵי הַשָּׂדֶה *Et omnes arbores campi*, omnes circum principes, Vs. 4. 5. עֻלְּפָה *Deliquium patietur* unaquaeque illa arborum, emortuae quasi erunt moerore. עֻלְּפָה Participium formae Pyhal cum He paragogico, pro עֻלָּף, coll. Jes. 51, 20. עֻלְּפוּ *animo deficiunt*, proprie *obvoluti sunt*, sed ab *involvendo* Orientales *deliquium animi* nuncupare solent, quod tegi nobis oculi videntur, et nox illis induci. Sic manifeste verbum יִתְעַלָּף Amos. 8, 13. Jon. 4, 8. ponitur. LXX h. l. ἐξελύθησαν. Syrus: *elanguerunt*. Vulgatus: *concussa sunt* (omnia ligna) scil. naturali humore exsiccato. Chaldaeus hunc Versum ita exposuit: *Die, quo eum in infernum detrusi, luxerunt super eum; operuit orbem anxietas, et desertae sunt provinciae, et contremuerunt populi multi, ac denigratae sunt propter eum facies regum, omnesque reges populorum propter eum percusserunt humerum.*

16. מִקּוֹל מַפָּלָתוֹ *A sonitu*, propter *fragorem ruinae ejus*, Vs. 13. 26, 15. Meminit *fragoris ruinae*, quod comparat eum cedro altissimae. הִרְעַשְׁתִּי גוֹיִם *Contremiscere faciam*, attonitas reddam, *gentes*. Cf. Jes. 14, 16. בְּהוֹרְדִי אֹתוֹ וגו׳ *Cum descendere fecero eum* (Vs. 17. 18. 26, 20.), cum dejecero eum in sepulchrum cum sepultis. Conf. supra Vs. 14. et Jes. 14, 15. וַיִּנָּחֲמוּ *Unde consolabantur se*, ut supra 14, 22. 23. Consolationem ex illius interitu assument; nam solamen est miseris, socios habuisse malorum. בְּאֶרֶץ תַּחְתִּית Vs. 14. Jes. 14, 9. כָּל־עֲצֵי־עֵדֶן Vid. Vs. 9. et ibi not. Mortui laetitia perfundi dicuntur, quod tantus rex illis fuerit adaequatus. Pro quo Chaldaeus sic vertit: *consolatione perfusi sunt in terra inferiori omnes reges Orientis, potentes et opulenti.* מִבְחַר וְטוֹב לְבָנוֹן *Selectio et praecipuum Libani*, quaecunque arbores egregiae in Libano erant. Similiter Jes. 37, 24. מִבְחַר בְּרוֹשָׁיו sunt *selectissimae abietes* Libani. כָּל־שְׁתֵי מָיִם *Universae*que reliquae *humoribibae* arbores, Vs. 14.

17. גַּם־הֵם אִתּוֹ יָרְדוּ שְׁאֹלָה Nam *etiam hi cum illo descendentque in infernum*, Vs. 16. אֶל־חַלְלֵי־חָרֶב *Ad* alios multos *confossos gladio*, ad milites alios, qui in acie gladio ceciderunt. וּזְרֹעוֹ *Et brachium ejus*, i. e. exercitus, et foederati

populi, qui ei instar brachii erant, cf. supra 30, 21. Dan. 11, 6. 22. Alexandrinus Graecus interpres posuit *τὸ σπέρμα αὐτοῦ*, quasi זַרְעוֹ legisset, quod ipsum et Syrus expressit, unde tamen nullus commodus sensus oritur. Dathio non inepta videtur Hubigantii conjectura: וְגָוְעוּ *et exspirarunt*, i. e. *perierunt quicunque sub umbra ejus sedebant.* Quam conjecturam tamen se noluisse in versionem recipere addit, quod veteres omnes in lectione literarum recepta consentiunt. יֹשְׁבֵי בְצִלּוֹ בְּתוֹךְ גּוֹיִם Qui *habitarunt sub umbra ejus secure inter gentes* vicinas, cf. Vs. 6. et Thren. 4, 20. בְּצִלּוֹ נִחְיֶה בַגּוֹיִם *in umbra ejus vivemus* secure *inter gentes* vicinas.

18. אֶל־מִי דָמִית כָּכָה *Cuinam igitur similis es?* q. d. intelligisne, rex Aegypti, cui futurus sis similis? Exhibui tibi vivam fortunae tuae imaginem. בְּכָבוֹד וּבְגֹדֶל בַּעֲצֵי עֵדֶן *In gloria et magnitudine*, majestate *inter arbores voluptatis*, deliciosas, Vs. 9. 16. וְהוּרַדְתָּ אֶת־עֲצֵי־עֵדֶן אֶל־אֶרֶץ תַּחְתִּית *Et deturbaberis cum arboribus deliciosis ad terram inferiorem*, Vs 14. בְּתוֹךְ עֲרֵלִים תִּשְׁכָּב *In medio praeputiatorum*, inter incircumcisos, *jacebis*, in communem foveam descendes cum gentili et incircumcisa turba. Cf. not. ad 82, 10. הוּא פַרְעֹה וְכָל־הֲמוֹנֹה *Ipse Pharao, omnisque multitudo*, populus *ejus*. Talis erit sors Pharaonis populique ejus; talem inveniet exitum, qualem sub exemplo Assyrii, vel cedri excisae symbolo depinxi.

CAP. 32.

Argumentum.

Proferre iterum propheta jubetur ferale carmen, quo usurae sint vicinae gentes contra Pharaonem Aegyptumque totam, cui paratum est exitium a Chaldaeorum armis. Pharaonem primum draconi dicit esse similem, qui in fluminibus cubat, et volutatione sua turbidas reddit, atque limosas aquas, qui ex suo fluviali cubili extrahendus dicitur in alienum atque aridum locum, atque ibi a volucribus ac feris lacerandus. Tunc vero ea accidet Aegyptiae terrae vastitas a Chaldaeis, ut in ea non hominum tantum, sed etiam jumentorum solitudo futura sit (Vs. 2—16.). Deinde post decimam quartam diem iterum accipit mandatum a Deo ad Pharaonem et subditos illius imperio populos, quo denunciare jubetur, non aliam futuram esse conditionem atque exitum Pharaonis, quam illorum principum, quibus ille tam potentia, quam furore ac superbia simillimus fuit, quorum deinde nomina, ingenium, et ignobilem exitum pluribus commemorat et amplificat (Vs. 17—32.).

1. בִּשְׁתֵּי עֶשְׂרֵה שָׁנָה *Anno duodecimo* scil. deportati Ezechielis et Jechoniae, vid. 1, 1. 31, 1. Pro בִּשְׁתֵּי in *novem* codicibus legitur בְּעַשְׁתֵּי, i. e. *undecimo* anno, quod et LXX et Syrus exprimunt. Hieronymus: „In multis autem exemplaribus juxta LXX *duodecimus annus* et *mensis decimus* ponitur; juxta ceteros autem interpretes *decimus annus* et *duodecimus mensis*, ut jam vel capta sit Hierusalem, et gaudium Pharaonis malis sibi imminentibus auferatur; vel certe capienda, et suis magis miseriis doleat, quam aliorum captivitate laetetur.“ בִּשְׁנֵי־עָשָׂר חֹדֶשׁ *Mense duodecimo*, quum expugnata jam esset Hierosolyma a Chaldaeis, coll. 33, 21. 2 Reg. 25, 2. 3. Jerem. 39, 2. 52, 6. בְּאֶחָד לַחֹדֶשׁ *Primo* scil. die illius mensis, ut 31, 1. Est itaque hoc, quod inde a Vs. 2. usque ad Vs. 16. decurrit, oraculum, *quintum*, et quod sequitur hoc ipso Capite, Vs. 17—32. *sextum* contra Aegyptum vaticinium. *Septimum* vide supra 29, 17—20.; *primum* vero 29, 1—16., *secundum* 30, 1—19., *tertium* 30, 20—26., *quartum* 31, 1. sqq. *Septimum* cur junctum sit *primo*, diximus ad 29, 17.

2. שָׂא קִינָה *Tolle lamentationem*, lugubre carmen, vid. supra 19, 1. Quemadmodum descripto Tyriae civitatis et regis interitu (29, 18.), lamentum aut ferale carmen tollere jubetur vates, quod etiam fecit super Babylonis regem Jesajas Cap. 14.; sic nunc, postquam Assyriorum clade (Cap. superiore) exemplar proposuit Aegyptiae caedis et horribilis casus, jubet Deus, ut lugubre carmen super Aegyptum instituat, et quasi regio cadaveri et regni busto funereas impendat exequias. כְּפִיר גּוֹיִם נְדָמִיתָ *Leoni juveni gentium*, i. e. grassanti instar leonis inter gentes, et tyrannice imperanti, *similis factus eras.* Subaudiendum est אֶל ante כְּפִיר, ex proximo אֶלְיוֹ, cf. 31, 2. 8. 18. Pharaonem leoni comparat, qui in terra belluarum omnium potentissimus est, unde cum ejus rugitu et fremitu furor et terror regis confertur Proverb. 19, 12. 20, 2. Cf. Jes. 5, 29. Comparat item cum *dracone*, תַּנִּים, ut ipsius in mari potentiam ostendat. Draco vero ille, si ad Nilum spectes, *crocodilus* est illi flumini familiaris (cf. not. ad 29, 3.), qui non minus in suo regno dominatur et furit, quam in sylvis leo. Dum igitur regem Aegypti *leoni* et *draconi* confert, eum *terra marique* potentissimum fuisse significat. Quum vero rex ille inter Aegyptia flumina (בַּיַּמִּים) plerumque viveret, draconi magis, quam leoni similis fuit, ideo, quasi leonis immemor, draconis persequitur allegoriam. וַתָּגַח בְּנַהֲרֹתֶיךָ *Et prorupisti in fluminibus tuis*, per flumina cum impetu ferebaris, belluae aquatilis ferocis instar. Verbum גּוּחַ notat *cum vi et impetu prorumpere*, sive *sese proripere;* vid. Mich. 4, 10. Jud. 20, 33. Job. 38, 8. Kimchi וַתָּגַח exponit וַתֵּצֵא, *prodibas*, additque, esse Futurum formae Cal, ut Genes. 8, 4. וַתָּנַח *requievit*, sensum autem esse hunc: prodiisti, prorupisti, cum fluminibus tuis ad inundandam terram; *fluminibus* vero significari exercitus suos validos. Ita Chaldaeus: *proeliatus es exercitu tuo.* Pergit Kimchi, posse וַתָּגַח et pro Futuro formae *Hiphil* haberi, ut וַיָּרַח, Genes. 8, 21., significatione transitiva, *produxisti*, ut Job. 40, 23. כִּי־יָגִיחַ יַרְדֵּן אֶל־פִּיהוּ *quamvis producat Jordanem ad os suum.* Ita sensum fore: produxisti aquas fluminibus tuis, s. per flumina tua, in aridum, praefixum ב ante נַהֲרֹתֶיךָ notare *per*, ut Ps. 44, 5. בְּךָ צָרֵינוּ נְנַגֵּחַ *per te*, auxilio tuo, *hostes nostros ferimus.* LXX: καὶ ἐξεκράτιζες ἐν τοῖς ποταμοῖς σου. Quod Vulgatus sic vertit: *et ventilabas cornu in fluminibus tuis*, et Hieronymus sic explicat: „qui irrigatione fluminum erigebatur in superbiam, quae *cornu* vocatur, et multitudine exercitus sui omnes aquas transiens poterat conturbare.“ וַתִּדְלַח־מַיִם בְּרַגְלֶיךָ *Et turbasti aquas pedibus tuis*, statum rerum publicarum turbasti. Verbum דָּלַח praeter hunc locum bis tantummodo, infra Vs. 13., obvium, ut Syriacum דְּלַח *turbare, exagitare* notat. Chaldaeus: *commovisti populos auxiliis tuis. Aqua* imago gentium et populorum Jes. 17, 12. Apocal. 17, 15. וַתְּרַפֵּס *Et conculcasti*, conculcando turbasti, ut infra 34, 18.,

ubi cum *Sin* scribitur, ut et h. l. in pluribus codicibus, Prov. 25, 26. נַהֲרָתָם *Flumina eorum*, populorum, i. e. exercitus eorum, coll. Jes. 8, 7. Coccejus: „Exercitus contra te productos prosternebas, et pedibus subjicichas.“ Chaldacus: *et vastasti provincias eorum.* Grotius inde a וַתָּגָח Versum nostrum sic interpretatur: „*Et prodiens* e mari *in flumina turbabas aquas pedibus*, *quin et tota flumina conculcabas.* Sensus est: ex imperio tuo egressus vicinas civitates gentesque totas proterebas.“

3. Metaphoram persequitur belluae aquatilis, quae non aliter e suo domicilio extrahitur, nisi reti, aut sagena, piscatorum solertia. Ne igitur magnus iste draco securum se ab hominum artificio putaret, quia in medio fluminum cubabat, quo non videbantur perventurae piscatorum insidiae; ait Deus, piscatorium illud munus sibi esse susceptum, et habere ad eam curam paratum rete (וּפָרַשְׂתִּי עָלֶיךָ אֶת־רִשְׁתִּי), ut e gurgitis profunditate draconem extrahat in aridum littus, ubi cum suo regno vitam etiam amittat. Idem fere dixerat supra 29, 5., ad quem loc. cf. not. בִּקְהַל עַמִּים רַבִּים *In congregatione populorum multorum.* Ut solet frequens populus convenire ad leonem aut crocodilum capiendum, cf. supra 19, 8. וְהֶעֱלוּךָ בְחֶרְמִי *Et ascendere te facient*, extrahent te ex aquis tuis, *reti meo*, 26, 5. 14.

4. וְנָטַשְׁתִּיךָ בָאָרֶץ *Tum derelinquam te* velut piscem in terram tractum, et ibi projectum. Cf. 29, 5. et ad usum verbi נָטַשׁ 31, 12. עַל־פְּנֵי הַשָּׂדֶה אֲטִילֶךָ *Super faciem campi projiciam te*, ut 16, 5. 29, 5. וְהִשְׁכַּנְתִּי עָלֶיךָ כָּל־עוֹף הַשָּׁמַיִם *Et faciam ut habitent super te omnes volucres coeli*, וְהִשְׂבַּעְתִּי מִמְּךָ חַיַּת כָּל־הָאָרֶץ *et saturabo ex te bestias totius terrae.* Impingam tibi (cf. 31, 13.) omnes volucres carnivoras; et terrestres belluas, quarum famelica rabies tuis explebitur carnibus, id est, Grotio explicante, homines feri et rapaces Aegyptum invadent ac depraedabuntur.

5. וְנָתַתִּי אֶת־בְּשָׂרְךָ *Dabo carnes tuas*, i. e. hominum, militum tuorum, quos interficient Chaldaei. Ita Chaldacus interpres: *carnem occisorum tuorum.* Nam, ut recte Kimchi notat, prophetae oratio non contra solum Pharaonem, verum etiam contra populum suum directa est. עַל־הֶהָרִים *Super montibus*, q. d. etiam qui confugerint ad montes, illic interficientur. Cf. 31, 12. וּמִלֵּאתִי Cf. infra 35, 8. הַגֵּאָיוֹת Tantum ex te effundetur sanguinis, ut is impleturus sit *valles.* רָמוּתֶיךָ (sive, ut in nonnullis codicibus scribitur, רָמוֹתֶיךָ, plurali, quem sane innuere videtur et in defectivo רָמוּתֶךָ *Segol* sub Thau) quidam a רוּם, *altum esse*, interpretantur *altitudine tua*, i. e. acervo, s. acervis accumulatis cadaverum tuorum. Alii: *elationibus tuis*, i. e. exercitibus tuis, quibus elatus eras; cadaveribus copiarum, de quibus superbiebas. Similiter Coccejus, qui *praecellentiam tuam* vertit.

Idem videtur voluisse Lutherus: *und (will) mit deiner Höhe die Thale ausfüllen.* Magis placet Jarchii interpretatio, quam ipsam Kimchi et a R. Jona allatam ait, e qua nostrum nomen ad verbum רָמָה, *projecit*, refertur, ut haec prodeat sententia: *implebo valles prostratione tua*, i. e. prostratis tuis, q. d. vulnerati ex copiis tuis humi fundentur et prosternentur. Fuerunt jam Jarchii aetate, qui a רָמָה, *vermis*, *putredo*, unde Exod. 16, 20. verbum וַיָּרֻם, *vermiculavit*, nostrum locum sic interpretarentur: *implebo valles putredine tua*, putrefactis tuis cadaveribus. Ita Syrus: *implebuntur valles* מִן רִמְתָּךְ *putredine tua.* Id forsan et voluit Vulgatus Latinus, qui *sanie tua* reddidit, nisi is potius Graeci Alexandrini versionem, *ἀπὸ τοῦ αἵματός σου* (quod hebraice דָּמֶיךָ esset) expresserit. Verum si nostrum nomen ad radicem רָמַם referas, רִמְתְּךָ erit efferendum, aut, si lectionem רִמּוֹתֶיךָ sequaris, ex 28 codicibus a Kennicotto allatam, רִמּוֹתַיִךְ, Michaele notante (in *Supplemm.* p. 2246.), qui illud *vermibus tuis*, vertit, i. e. cadavera tua, vermibus plena et exesa, integras valles tenebunt.

6. וְהִשְׁקֵיתִי אֶרֶץ צַפָּתֵךְ מִדָּמֵךְ *Et irrigabo terram natationis tuae*, i. e. in cujus fluminibus tu, tanquam bellua aquatilis, natas, i. e. Aegyptum, tuo imperio subjectam, *sanguine tuo.* צָפָה *Natatio*, a צוּף, *natare*, 2 Reg. 6, 6. Thren. 3, 54., ut קָמָה *altitudo*, *statura*, a קוּם. Alii אֶרֶץ צָפִּתֵךְ vertunt *terram exundantem tuam*, s. *tibi*, in qua videlicet in commodum tuum exundare solent aquae Nili. Alii: *terram inundationis tuae*, eodem sensu. Kimchio צָפָה est Participium femininum, hoc sensu, *terram tuam*, *super quam natabant aquae*, i. e. terram tuam, quam prius a patrio flumine fluctus oppleverant, rigabo non jam aqua, sed sanguine tuo. Alii: *rigabo terram inundantem ex te*, *tuo* nimirum *sanguine*, i. e. efficiam, ut te, tuo cruore, aspersa inundet. Kimchi observat, posse צָפָתֵךְ ad צָפָה, *speculatus est*, referri, ut haec prodeat sententia: *terram speculationis tuae*, i. e. loca alta, ex quibus prospectari potest, *sanguine tuo irrigabo.* Simplicissimum videtur, quod primo loco posuimus. אֶל־הֶהָרִים *Ad montes usque*, quousque Nilus solet exundare. וַאֲפִיקִים יִמָּלְאוּן מִמֵּךְ *Et convalles replebuntur ex te*, i. e. tuis, s. tuo et tuorum sanguine, cf. not. ad Vs. 5.

7. וְכִסֵּיתִי שָׁמַיִם *Quin obtegam coelos* tenebris, atris nubibus (cf. 30, 18.), quasi vestibus lugubribus. בְּכַבּוֹתֵךְ *Cum te* et splendorem tuum, quo prius omnia collustrare videbaris, *exstinguam.* Eandem imaginem vid. Job. 18, 5. Chaldaeus: *et operiet te tribulatio*, *cum extinxero splendorem gloriae regni tui de coelis.* JARCHI: „Cum extinctum fuerit incendium tuum, ascendet fumus, et operiet coelos atque obscurabit lumina: ac si diceret: quicunque audiverint famam tuam (de casu tuo), lugebunt et obstupescent, quoniam singuli metuent sibi ipsis, di-

cendo: et nobis imminet exitium." וְהִקְדַּרְתִּי אֶת־כּוֹכְבֵיהֶם *Et atras reddam stellas eorum*, coelorum. Cf. Jes. 13, 10. seqq. Joel. 2, 10. Chaldaeus: *imminuentur populi exercitus tui, qui fuerunt multi sicut stellae.* שֶׁמֶשׁ בֶּעָנָן אֲכַסֶּנּוּ *Solem* quod attinet *cum nube eum operiam.* Cf. Apocal. 6, 12. sqq. Chaldaeus: *rex cum exercitu suo operiet te, sicut nubes, quae ascendit et tegit solem.* וְיָרֵחַ לֹא־יָאִיר אוֹרוֹ *Et luna non lucere faciet lumen suum.* Moestitiam haec significant luctumque ob calamitates et tempora angusta, in quibus dure conflictantur homines, ut ipse sol ipsis non videatur lucere, et tam inexplicabilia mala, ut ex his nulla ratione possint emergere.

8. כָּל־מְאוֹרֵי אוֹר בַּשָּׁמָיִם *Omnia luminaria lucis in coelo*, quod attinet, i. e. sidera lucem hominibus praebentia, Gen. 1, 14. 16. Ps. 148, 3., אַקְדִּירֵם עָלֶיךָ *obscurabo eas super te* (vid. Vs. 7.), sive, ut Vulgatus reddidit, *moerere faciam super te*, ut subtracto lumine regio cadaveri et provinciae busto quasi parentare videantur. וְנָתַתִּי חֹשֶׁךְ עַל־אַרְצֶךָ Cf. supra 30, 18. Chaldaeus: *operiet angustia instar tenebrarum terram tuam.* Theodoretus: *Non natura haec ait accidisse, sed propter eorum, qui cruciabantur, affectionem; siquidem calamitatibus oppressi nocte obscuriorem diem opinantur.*

9. וְהִכְעַסְתִּי לֵב עַמִּים רַבִּים *Tum moerore et aegritudine afficiam, cor*, animum, *populorum multorum*, ut supra 8, 17. 16, 26. Alii: *ad indignationem provocabo.* Verbum notat in genere fortem acerbamque animi commotionem, sive ex ira, sive dolore et tristitia. Sensu posteriore usurpatur 1 Sam. 1, 6. בַּהֲבִיאִי שִׁבְרְךָ בַּגּוֹיִם *Cum adduci faciam*, cum induxero, *confractionem tui*, i. e. nuntium de clade et excidio tuo *inter gentes*, עַל־אֲרָצוֹת אֲשֶׁר לֹא־יָדַעְתָּם *super terras quas non noveras.* Alii, cum Chaldaeo, שִׁבְרְךָ interpretantur homines *confractos et percussos* ex militibus sive subditis tuis; abstracto pro concreto posito. Grotius: „Ubi captivi Aegyptii in terras longinquas abducti, certum attulerint nuntium cladis." Ita Alexandrini Graeci: Ἂν ἀνάγω αἰχμαλωσίαν σου εἰς τὰ ἔθνη, εἰς γῆν ἣν οὐκ ἔγνως. Quae Theodoretus recte sic explicat: *Cum captus, inquit, fueris, alii quidem, pristinae tuae recordati audaciae, se immites erga te, et absque misericordia praebebunt; alii vero lugebunt cruciabunturque, ex iis, quae tibi acciderint, impendentia sibi mala conjicientes.*

10. וְהַשְׁמֹתִי עָלֶיךָ *Ita obstupescere faciam super te*, 28, 19. עַמִּים רַבִּים Vs. 7. Grotius: „Populos et reges Afros intellige, ad quos per Aegyptum venere Chaldaei." וּמַלְכֵיהֶם יִשְׂעֲרוּ עָלֶיךָ שַׂעַר *Et reges eorum cohorrescent super te horrore* 27, 35. Job. 18, 20. Quemadmodum cum de Tyri ruina loqueretur supra C. 26. induxit Vs. 15. nationes alias graviter illius contritione commotas, ita etiam nunc gentes alias horrore ingenti

dicit esse concutiendas, cum videant provinciam terra marique potentissimam, quae aliorum vires et conatus timendos non putabat, succubuisse jam Chaldaeorum potentiae, et late per alienas terras dissipari. בְּעוֹפְפִי חַרְבִּי עַל־פְּנֵיהֶם *Cum volare fecero*, i. e. celeriter vibravero, *gladium meum ad facies eorum*, illis spectantibus, ut 2 Reg. 13, 14. Cf. de verbo עוֹפֵף, cui *fulgurandi*, *splendendi* significatum quidam, Kimchio auctore, tribuerunt, MICHAELIS *Supplemm.* p. 1869. וְחָרְדוּ לִרְגָעִים *Ut trepident ad singula momenta*, ab uno momento ad alterum, ut Kimchi explicat, Jes. 27, 3. Job. 7, 18. אִישׁ לְנַפְשׁוֹ *Quisque propter animam*, s. vitam *suam*, propter se ipsum, ad Jerem. 51, 6. 45. בְּיוֹם מַפַּלְתֶּךָ *Die ruinae tuae*, 31, 16.

11. חֶרֶב מֶלֶךְ־בָּבֶל תְּבוֹאֶךָ *Gladius regis Babylonis veniet ad te.* תְּבוֹאֶךָ pro תָּבוֹא לָךְ, ut Ps. 35, 8. תְּבוֹאֵהוּ pro תָּבוֹא לוֹ *veniet ei.* Ad rem cf. Jer. 25, 19. 43, 9 — 13. 44, 13 — 26.

12. בְּחַרְבוֹת גִּבּוֹרִים אַפִּיל הֲמוֹנֵךְ *Gladiis fortium cadere faciam*, prosternam, *multitudinem tuam.* עָרִיצֵי גּוֹיִם כֻּלָּם *Formidabiles gentium* sunt *omnes illi.* Eo nomine Chaldaeos appellare Nostro solenne, vid. 31, 12. הֲמוֹנָהּ — וְשָׁדְדוּ *Et devastabunt gloriam*, decus *Aegypti, et delebitur omnis multitudo ejus.*

13. וְהַאֲבַדְתִּי אֶת־כָּל־בְּהֶמְתָּהּ *Et perdam omnia jumenta ejus*, quae hominibus ad rem sive bellicam sive rusticam magnos exhibent usus, praesertim vero equos spectare videtur, quorum in Aegypto foctura nobilis (vid. 1 Reg. 10, 28. 29.). Eorum multitudine fretus Aegyptius obsistebat Babylonio, et alios ad defectionem provocabat amplissimis promissis. Vid. Jes. 31, 3. מֵעַל מַיִם רַבִּים *Desuper aquis multis*, i. e. ne posthac pascantur in pratis ex Nilo irriguis. וְלֹא תְדַלָּחֵם — לֹא תְדַלָּחֵם *Nec turbabit eas pes hominis, neque jumenti ungulae turbabunt eas.* Quibus verbis significat, sublatis hominibus et jumentis limpidissimas mansuras aquas, utpote quae transitu hominum et jumentorum non amplius sint turbandae. Qua imagine quidam hoc innui existimant, fore, ut cessent expeditiones bellicae Aegyptiorum, per quae omnia fuerant confusa. Sicut enim homines (verba sunt Grotii) per vada transeuntes, et equi, ubi aquatum ducuntur, turbidas faciunt aquas, ita Aegyptiorum pedites et equites populos vicinos, qui sub *aquarum* significantur nomine (vid. supra Vs 2.) solebant conturbare.

14. אָז אַשְׁקִיעַ מֵימֵיהֶם *Tunc subsidere faciam*, i. e. quietas et limpidas reddam *aquas eorum*, scil. subsidente in illis luto, quo fuerant conturbatae. Cf. infra 34, 18. GROTIUS: „Quiescent illi populi a vi Aegyptia, ut bene hic explicat Chaldaeus, qui hunc Versum ita reddidit: *tunc quietem dabo populis, et reges eorum in requiem*, s. tranquille, *ducam.*“ כַּשֶּׁמֶן אוֹלִיךְ *Sicut oleum ducam te*, i. e. tranquille et inturbatum; oleum enim,

etiamsi iterum, et saepius moveas, nunquam turbatur, omniumque liquorum existimatur maxime tranquillum.

15. Illud vero, inquit Deus, tunc eveniet, בְּתִתִּי אֶרֶץ מִצְרַיִם שְׁמָמָה וְנִשַּׁמָּה *cum dedero terram Aegypti vastatam*, וְנִשַּׁמָּה אֶרֶץ מִמְּלֹאָהּ *et desolatam terram a plenitudine ejus*, i. e. incolis et opibus, quae replebant illam terram. Cf. supra 12, 19. בְּהַכּוֹתִי אֶת־כָּל־יוֹשְׁבֵי בָהּ *Cum percussero omnes incolas in ea*, cf. 9, 8.

16. Supra Vs. 2. jussus propheta fuerat, lamentum sustollere, quod ad hunc usque locum persequutus est; nunc vero iterat, aut explicat Deus, quod eo Versu dixerat, nempe hoc esse lamentum, quod eo versiculo institui atque plangi jusserat; docetque, non ab uno propheta, sed ab omnibus gentibus deplorandum esse Aegyptiorum interitum, vel quia nemo erit, qui tanti regni casum ignoret, vel quia ejusmodi fuit Aegypti clades, ut inimicos etiam ad misericordiam posset adducere. קִינָה הִיא וְקוֹנְנוּהָ *Planctus* hic *est*, *et plangent eam*; sensus est idem qui supra 19, 14. verborum קִינָה הִיא וְהָיְתָה לְקִינָה, ad quem loc. vid. not. בְּנוֹת הַגּוֹיִם תְּקוֹנֵנָּה אוֹתָהּ *Filiae gentium deplorabunt eam. Filiabus* civitates earumque incolae significantur, ut *filia Tyri*, Ps. 45, 13., *filia Babelis*, Ps. 137, 8., *filia Sidonis*, Jes. 1, 8. *Filiarum* mentio forsan eo respicit, quod quia ex gentium orientalium more *feminae* planctum facere et threnum mortuis canere solent. Cf. Job. 11, 31. et Niebuhrii *Itinerar.* T. I. p. 186. עַל־מִצְרַיִם וְעַל־כָּל־הֲמוֹנָהּ תְּקוֹנֵנָּה אוֹתָהּ *Propter Aegyptum et propter multitudinem ejus plangent eam*; quod Pronomen hic redundat.

17. Novum lessum instituit vates, in quo non tam de clade loquitur Pharaonis, quam de illius descensu ad inferos, sicut de rege Babylonis Jesajas Cap. 14. לַחֹדֶשׁ Alexandrinus vertit τοῦ πρώτου μηνός. Sed quum in hebraeo nullus mensis numerus additus sit, idem haud dubie mensis intelligendus est *duodecimus*, de quo Vs. 1., ut igitur decima quarta a priori vaticinio die novum hoc mandatum acceperit vates.

18. נְהֵה *Lamentare*, *plange*, ut Mich. 2, 4. Grotius: „Canc Aegypto velut mortuae carmen, quale cani solet iis, qui in sepulchrum demittuntur.“ וְהוֹרְדֵהוּ *Et descendere fac*, in sepulchrum demitte *eam* per prophetiam tuam; praedicito, Aegyptios perituros. Sicut poëtae, ita et prophetae *facere* dicuntur, quae canunt, aut praedicunt, cf. supra 13, 18. 19. infra 43, 3. Jes. 6, 10. Jer. 1, 10. אוֹתָהּ *Ipsam*, inquam, Aegyptum ita descendere fac. וּבְנוֹת גּוֹיִם אַדִּרִים *Et filias*, civitates (Vs. 16.) *gentium validarum*, quae aut Aegyptiorum suberant imperio, aut cum Aegyptiis foedus ac societatem inierant. Hi autem populi eidem se cum Aegyptiis bello atque fortunae implicuerunt. אֶל־אֶרֶץ הַתַּחְתִּיּוֹת *Ad terram inferiorum* partium s. regionum, i. e. ad inferos. Vid. 26, 20. et ibi not. et cf. Ps. 63, 10. אֶת־יוֹרְדֵי

בּוֹר *Cum iis qui descendunt in foveam*, orcum, 31, 14. 16. et infra Vs. 24.

19. Sequitur jam ipsa formula carminis, quo vates plangere jubetur triste Aegypti fatum. Subaudiendum igitur hujus versiculi initio: *dicendo* scil. plange (נְהֵה Vs. 18.). מִי נָעַמְתָּ *Quonam pulchrior es?* Cuinam te praefers, tanquam pulchriorem et fortiorem? aut in quo melior es aliis gentibus, quae pares clades accepere? Atqui multi, te ornatiores et potentiores, amisso imperio, periere; ita nec tibi proderunt pulchritudo, potentia et vires. רְדָה *Descende* de dignitate tua, Jes. 47, 1., ad sepulchrum, 31, 13. וְהִשָּׁכְבָה *Et jace*, *demitte te*, Imperativus Hophal, cf. infra Vs. 32. אֶת־עֲרֵלִים *Cum incircumcisis* s. barbaris aliis, qui eodem, quo rex ipse, tempore ac gladio occubuerunt, ut statim Vs. 20. sequitur. Cf. Vs. 21. 25. 31, 18.

20. בְּתוֹךְ חַלְלֵי־חָרֶב יִפֹּלוּ *Inter confossos gladio* alios *cadent* Aegyptii et socii eorum. Est in hoc carmine usque ad finem Capitis crebra personae, generis et numeri permutatio, per affectum, et pro diverso vocum respectu, vel ad regiones et terras, vel ad harum incolas. חֶרֶב נִתְּנָה *Gladius* jam *traditus est*, et ardor injectus Chaldaeis contra Aegyptum et foederatos populos. Alii, Chaldaeo interprete auctore, subaudito לְ ante חֶרֶב, vertunt: *gladio tradita est* Aegyptus. מָשְׁכוּ אוֹתָהּ וְכָל־הֲמוֹנֶיהָ *Trahite* igitur, s. *rapite eam*, Aegyptum, *omnesque ejus multitudines*, ad mortem et orcum. Loquitur quasi ad libitinarios, Grotio observante. Alii, ut Vulgatus, מָשְׁכוּ ceperunt pro tertia Praeteriti persona; et sane in pluribus codicibus etiamnum מָשְׁכוּ, cum *Metheg* ad *Camez* scriptum legitur.

21. יְדַבְּרוּ־לוֹ *Alloquentur eum*, Aegyptium, s. regem Aegypti gratulando adventum ejus. Imitatur noster Jesajam, qui 14, 10. sqq. introducit reges mortuos, qui apud inferos excipiant regem Babylonium adventantem. אֵילֵי־גִבּוֹרִים *Primi* s. principes *potentium*, Vs. 12. 31, 11. אֶת־עֹזְרָיו *Cum adjutoribus ejus*, 30, 8. Alloquentur ipsum et adjutores ejus. יָרְדוּ שָׁכְבוּ הָעֲרֵלִים חַלְלֵי־חָרֶב Nam *descenderunt* et *occubuerunt* etiam *praeputiati illi confossi gladio*, Vs. 19. 24.

22. Ad consolationem Pharaonis incipit enumerare socios et culpae et poenae, qui similiter ceciderint. Primo loco ponit אַשּׁוּר, *Assyrium*, cujus regnum, omnium antiquissimum, destruxerat Nebucadnezar, quod erat eminentissimum exemplum prostratae potentiae. Cf. supra 31, 3. Hic igitur Assur excipiet alloqueturque Pharaonem, quod etiam faciet multitudo illorum, qui aliquando sub imperio fuere regis Assyrii, quorum sepulchra non longe aberant a sepulchro regio, qui etiam cum Assyrio gladio ceciderunt. וְכָל־קְהָלָהּ *Et universus coetus illius*, terrae Assyriae, Vs. 23. 38, 7. 13. סְבִיבוֹתָיו קִבְרָתָיו *Circa eum* regem Assyrium *sepulchra illius* coetus s. multitudinis Assyriaeae sunt.

Grotius: „i. e. jacent in turba mortuorum. Sic et eadem verba repetita sume Vss. 23—26.“ כֻּלָּם חֲלָלִים *Omnes* etiam *confossi*, Vs. 23. 9, 7.

23. אֲשֶׁר *Cujus*, Assyriae gentis vel potentiae *posita sunt sepulchra* בְּיַרְכְּתֵי בוֹר *in lateribus foveae*, sive, ut Vulgatus reddidit, *in novissimis locis*, i. e. in infimo inferni loco, ut Jes. 14, 15. Sic יַרְכָתַיִם saepius *interiora* rei alicujus designat, ut יַרְכְּתֵי הַבַּיִת *interiores partes domus*, 1 Reg. 6, 16. Amos. 6, 10., יַרְכְּתֵי הַסְּפִינָה *interiora navis*, Jon. 1, 5. De *coelo* et *terra* usurpatum *extremam plagam* denotat, vid. Jer. 6, 22. 25, 32. al. אֲשֶׁר־נָתְנוּ חִתִּית *Qui* quondam *dederant* et incusserant orbi terrarum *terrorem* sui, Vs. 24. 25. 32. בְּאֶרֶץ חַיִּים *Quum* adhuc inter homines *in hoc mundo viverent*, nunc autem sunt in terra mortuorum. Cf. 26, 20. Jes. 38, 11. Chaldaeus: *in terra Israel.* Sed vid. quae infra ad Vs. 27. sub finem notanda erunt.

24. Eadem nunc de *Elam*, quae proxime de Assur. Ponitur autem hoc loco *Elam*, quia Assyrio coaetaneus et frater, Genes. 10, 22. Est autem עֵילָם Graecorum Latinorumque *Elymais*, Persiae Mediaeque vicina regio, quae proprios habuit reges, quorum praeter Jeremiam (25, 25.) et Strabo meminit L. XI. Vid. Bochartı *Geograph. S.* P. I. L. II. Cap. 2. p. 78. seqq. Cellarii *Geograph. antiq.* P. II. L. III. Cap. 19. p. 675. edit. sec. (p. 800. edit. vet.), Michaelis *Spicileg.* P. II. p. 68., et librum nostrum *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. I. p. 300. sqq. „Truces et bellicosos fuisse Elamitas, ex Esaja (21, 2. 22, 6.) et Jeremia (49, 35.) discere est, et ex Ezechiele inprimis, qui dicit Elamitas perculisse terram viventium terrore sui nominis 32, 24. Qui verus Elymaeorum character est, quos Strabo et Nearchus scribunt ex rapto vixisse, et vicinarum gentium solos Parthis semper obstitisse, atque adeo ex Persarum regibus ausos tributum exigere.“ Bochartus l. c. וַיִּשְׂאוּ כְלִמָּתָם *Portant* vero nunc *ignominiam suam*, superbiae pristinae poenam, quippe ab aliis superati. Sive: ignominiose perierunt. אֶת־יוֹרְדֵי בוֹר *Cum* aliis *qui descenderunt in foveam*, i. e. orcum, Vs. 18. 25. 29.

25. בְּתוֹךְ חֲלָלִים *Inter occisos*, confossos alios Vs. 22. נָתְנוּ מִשְׁכָּב *Dederunt cubile*, intelligunt lectum feralem, ut 2 Paral. 16, 14. לָהּ *Illi*, Elymaidi, Vs. 24. בְּכָל־הֲמוֹנָהּ *Cum omni multitudine ejus*, ut Vs. 24. 26. סְבִיבוֹתֶיהָ קְבֻרָתָהּ Ita ut *circa regem* s. principem essent *sepulchra* totius *multitudinis ejus*, Vs. 22. 23. 26. כִּי־נִתַּן חִתִּיתָם *Quia datus*, incussus aliis est *terror eorum*, Vs. 23. וַיִּשְׂאוּ כְלִמָּתָם *Ideoque* merito nunc *portant* poenam et *ignominiam suam*, Vs. 24. 16, 52. בְּתוֹךְ חֲלָלִים נִתָּן Ideo, inquam, *inter confossos* etiam ipse Elamita *datus* s. traditus *est.* Vel: *in medio confossorum*, inquam, *datum est* cubile ipsius (מִשְׁכָּב), ex initio Versus.

26. De מֶשֶׁךְ et תֻּבַל i. e. *Moschis* et *Tibarenis* vid. not. ad 27, 13. מֵחַלְלֵי חָרֶב, i. q. חַלְלֵי־חָרֶב *gladio confossi*, supra Vs. 21., Kimchio explicante, qui praeterea notat, esse מֵחַלְלֵי praeter normam scriptum sine Dagesch, quod literae Lamed priori imponendum erat, pro מֵחֻלְלֵי, quemadmodum et supra 28, 9. Participium activum, בְּיַד מַחַלְלֶךָ, *per manum confodientis te*, signo characteristico Dagesch caret.

27. וְלֹא pro הֲלֹא *nonne?* positum, ut Exod. 8, 22.: *Si palam sacra faceremus Aegyptiis abominanda;* וְלֹא יִסְקְלֻנוּ *annon lapidarent nos?* Loca plura alia, quibus לֹא affirmative pro הֲלֹא ponitur, vid. in Noldii *Concordantt. Particular.* p. 422. edit. Tymp. Ita verborum וְלֹא יִשְׁכְּבוּ אֶת־גִּבּוֹרִים sensus hic erit: *annon* enim *cubant* etiam hi *cum potentibus* aliis (supra Vs. 12. 21.)? ut, quum fortes essent, et se efferrent inter barbaros (עֲרֵלִים), cadcrent et decumbercnt una cum fortibus, qui e barbaris ceciderunt. Alii, ut Vulgatus, sine interrogatione: *et non cubant*, vel, *non jacent* seorsim in scpulchro cum heroibus aliis; scd in unam aliquam fossam congesti, ut victis fieri solet. Junius in Commentario posthumo: „*Quamvis nondum cubent* omnes *cum potentibus*, sed rerum adhuc potiantur in parte Asiae; cadent tamen ante, quam cadat Aegyptius.“ Sed concinnior erit sententia, si וְלֹא, uti diximus, *nonne?* vertas. Neque aliter illud videntur cepisse LXX et Syrus, quorum neuter negationem expressit, unde tamen minime recte colligitur, eos וְלֹא suis in codicibus non legisse, quae Dathii est conjectura, illis interpretibus auctoribus illud וְלֹא expungendum censentis, quod negandi particulae heic locus sit plane ineptus, nam prophetam exemplorum inductione uti ad probandum, omnes priorum temporum heroas virtute bellica famosos tandem morti succubuisse. Verum si וְלֹא cum interrogatione, ut fecimus, vertatur, sententia prodibit affirmativa, nihilque erit difficultatis. Idem Dathius verba, quae mox sequuntur, נֹפְלִים מֵעֲרֵלִים, in mendo cubare suspicatur, quod versionis Graecae ope tollendum existimat. In ea autem prius nostri Versus hemistichium ita sonat: *καὶ ἐκοιμήθησαν μετὰ τῶν γιγάντων τῶν πεπτωκότων ἀπ᾽ αἰῶνος.* Interpretem pro נֹפְלִים מֵעֲרֵלִים legisse נְפִלִים מֵעוֹלָם apparet, quod Dathius valde probat, quum, illa scriptura adoptata, vates respiciat heroas istos et gigantes, de quibus Moscs Gen. 6, 4.: הַנְּפִלִים הָיוּ בָאָרֶץ — *hi sunt isti heroes* אֲשֶׁר מֵעוֹלָם אַנְשֵׁי הַשֵּׁם *ab omni memoria celebres.* „Mirum fere esset,“ inquit Dathius, „si in enumeratione heroum, sive hominum ob virtutem bellicam celebrium propheta hos omisisset, quos Moses antiquissimis temporibus magnam nominis famam consequutos esse narrat.“ Ceteri tamen veteres eadem, quae nunc in codicibus nostris hebraeis leguntur, verba expresserunt. אֲשֶׁר *Qui*, Moschi et Tibareni, מֶשֶׁךְ תֻּבַל Vs. 26. vel גִּבּוֹרִים, *fortes* et magnanimi licet, יָרְדוּ

שְׁאוֹל in *infernum descenderunt*, Vs. 21. 30. 31, 15 — 17. בִּכְלֵי־ מִלְחַמְתָּם *Cum instrumentis suis bellicis*, i. e. cum armis suis, Deut. 1, 41. Jud. 18, 11., armati. Suffixum, quod pro nostrarum linguarum indole nomini priori addendum erat, Hebraei addunt posteriori nominum, in statu constructo positorum, quod ea tanquam *unum* nomen spectantur. Sic Deut. l. c. אֶת־כְּלֵי מִלְחַמְתּוֹ, *instrumenta belli sui*, i. e. arma *sua*. Cf. Jes. 2, 20. Dan. 9, 24. וַיִּתְּנוּ אֶת־חַרְבוֹתָם תַּחַת רָאשֵׁיהֶם *Et posuerunt*, positos habuerunt *gladios suos sub capitibus suis*. GROTIUS: „Victores non singula tantum habebant sepulchra, sed et, in virtutis honorem, cum armis suis sepeliebantur, 1 Macc. 13, 29. Sic Alexandri mortui arma feretro ejus imposita refert *Diodorus Siculus* L. XVIII. p. 608.“ Plura de hoc more e scriptoribus veteribus collegit DOUGTAEUS in *Analectis SS.* p. 281. Aliis *ponere gladios sub capitibus* idem est, quod abdicare eorum usum, uti solent milites cubitum ituri, Jud. 13, 5. Verborum וַתְּהִי עֲוֹנוֹתָם עַל־עַצְמוֹתָם sensus videtur hic esse: *ita tamen, ut sint maneantque iniquitates eorum super ossibus eorum* (licet pompose haec sepulta sint), ob quas futuro tandem judicio extremo poenas promeritas experiuntur. Alii: *ut esset eorum iniquitas*, i. e. arma, quibus exercuerunt *iniquitatem*, *super* s. apud *ossa eorum*. COCCEJUS: „Ut ita instrumentum culpae eorum, quo sibi attraxerant vindictam, maneret apud ossa eorum. Nam eos gladium sumsisse, et gladio periisse.“ KIMCHI: „Ossa eorum ferent mulctam debitam iniquitatibus, quas ipsi admiserunt, nam ossa eorum perfodientur ac conterentur, h. e. ipsi occidentur et peribunt propter scelera sua.“ Ita et Dathio עָוֹן, *iniquitas*, metonymice pro poena iniquitatis dicta videtur, sed עֶצֶם ei non est substantivum *os*, sed pronomen reciprocum, *ille ipse*. Sensum igitur horum verborum eundem esse, qui phraseos יִשְׂאוּ כְלִמָּתָם Vss. 24. et 30. Ceterum verbum singulare וַתְּהִי jungitur nomini plurali עֲוֹנוֹתָם, ut verba proprie ita sint capienda: *et erit unaquaeque iniquitatum eorum* etc. כִּי־חִתִּית גִּבּוֹרִים *Quia terror potentum fuit*, i. e. quia ipsi terribiles etiam fortissimis fuerunt. בְּאֶרֶץ חַיִּים Vid. Vs. 24. 25. 26. Chaldaeus: *quia traditi sunt in interitum fortes pro eo quod dominationem exercuerint in terram Israelis*. Eam igitur opinatur *terram viventium* appellari. Sed terra viventium est ubicunque homines vivunt, recte monente BOCHARTO *Geograph. S.* P. I. s. *Phaleg.* L. III. Cap. 12. p. 209., ubi et ex scriptis veterum ostendit, hos populos non immerito fuisse terrori.

28. וְאַתָּה Sic ergo *et tu*, Aegyptus, s. Pharao. Alii: Tu quoque, *Meschech*, *Tuba*, et cetera multitudo. Sed alloquitur Pharaonem, quem socium facit illorum, qui victi perierunt, neque sepulchrum nacti sunt gloriosum. בְּתוֹךְ עֲרֵלִים *In medio incircumcisorum*, pari cum illis supplicio adfectus. Cf. Vs. 22. 29.

תִּשָּׁבֵר *Frangeris*, pro הִשָּׁבֵר, ut הִזָּכֵר Exod. 34, 19., et וַתֵּעָצֵר Num. 25, 8., in quibus omnibus pro Zere Patach est positum propter literam gutturalem ר, quae proxime sequitur.

29. שָׁמָּה אֱדוֹם *Ibi*, in orco, etiam *Idumaea*, vel *Idumaeae* populus est, Judaeis infensus, 25, 12. 35, 2. sqq., socii itidem Assyriorum. אֲשֶׁר נִתְּנוּ *Qui dati*, traditi *sunt* neci Vs. 25. 31, 14. בִּגְבוּרָתָם *In fortitudine*, s. non obstante *fortitudine sua*, Vs. 30. Cf. Jer. 9, 22. אֶת־חַלְלֵי חֶרֶב *Cum* aliis *confossis gladio*, Vs 28. Grotius: „Qui et ipsi inter victos fuere, et inter eos, qui promiscue in communem foveam dejiciuntur.“

30. נְסִיכֵי צָפוֹן *Principes Septentrionis*, e. g. Tyrii, qui Aegyptiis et Judaeis ad Aquilonem et jungi fere solent *Sidoniis*, qui et nostro loco additi sunt. De eorum interitu vid. supra Cap. 26. 27. et 28. Alii praeter illos intelligunt *Damascenos* et Syros ceteros, ipsos etiam reges Babelis, coll. supra 26, 7. וְכָל־צִדֹנִי *Et omnes Sidonii*, nam et hi victi a Chaldaeis, vid. 28, 21. Kimchio צִדֹנִי est pro צִידוֹנִים, abjecto *Mem* characteristico Pluralis, ut לַכָּרִי 2 Reg. 11, 4. pro לַכָּרִים, *praefectis*, dictum sit. Sed potest צִדֹנִי, *Sidonius* Singularis collective capi pro *Sidoniis*. Nam apocope literae *Mem* suspecta est; vid. *Scholia uberiora* in *Psalmos* p. 637. edit. sec. Vulgatus vertit: *et universi venatores*, explicatio nominis proprii pro ipso nomine proprio posita, ut saepius. בְּחִתִּיתָם *In terrore sui*, Vs. 23. 24. 26., qui oriebatur מִגְּבוּרָתָם, *ex fortitudine* vel *potentia eorum* Vs. 29. Deest Dagesch in ג, ut in litera *Beth* vocis מִבְצִיר Jud. 8, 2. בוֹשִׁים *Pudefacti*, i. e. quum omnibus terribilis esset ipsorum fortitudo et potentia, et nihil molirentur contra alios, in medio conatu destituti sunt viribus et in pudorem dati. וַיִּשְׂאוּ כְלִמָּתָם Vs. 24. 25.

31. אוֹתָם יִרְאֵה פַרְעֹה *Eos* omnes *videbit* post mortem in orco *Pharao*. וְנִחַם *Et consolabitur se*, 31, 16., tot tantosque poenarum habere socios.

32. כִּי־נָתַתִּי אֶת־חִתִּיתוֹ *Quia dedi terrorem ejus*, i. e. permisi, ut Aegyptus terrori esset aliis. Haec patietur Pharao et illius populus, qui terrorem, dum viveret, meo permissu aliis affcrebat. Kimchi: „Terrori fuit Pharao, me ita volente, non sua ille ipsius potentia. Sed ad marginem legi jubetur אֶת־חִתִּיתִי, *terrorem meum*, quod Kimchi sic explicat: „nam ego terrorem incutio in terra viventium illis, qui aliis terrorem incusserunt s. incutiunt.“ Sicut ille potentia sua omnes adhuc terruit, ita nunc ego, Dominus, poena ei infligenda terrebo alios, ut rectius agere discant. בְּאֶרֶץ חַיִּים Vid. Vs. 24. 27. וְהֻשְׁכַּב *Dum cubare factus fuerit*, projectus fuerit, *Hophal*, ut supra Vs. 19. 2 Reg. 4, 32.

CAP. 33.

Argumentum.

Duae sunt in hoc Capite prophetiae, duae etiam utriusque partes. Et in priori quidem oraculo (Vs. 1 — 20.), postquam vates ab exteris gentibus revocatus esset ad Israelitas (Vs. 1.), similitudine sumta a speculatore, cui capitalis poena proponitur, nisi clangente buccina imminentis gladii populum admoneat (Vs. 2 — 6.), monet prophetam Deus, ut ipse quoque speculetur, et invigilet, et imminentem calamitatem denuncict, quo sibi mature caveat ab impendente malo (Vs. 7 — 11.). Deinde docet Judaeos, nihil eis, si a justo exciderint, profutura prius recte facta, ut gladium effugiant, quemadmodum neque futura noxia peccata priora, si poenitendo ab impietate resipiscant (Vs. 12 — 20.). Vaticinio altero, quod pridie quam veniret nuncius, qui de capta et vastata Hierosolymitana civitate exsules edocuit, spiritu divino tactus vates protulit (Vs. 21 — 23.), primo spem eripit repetendae possessionis antiquae impiis illis, cladi per Chaldaeos Judaeae illatae superstitibus, qui in urbium ruinis, in saltibus et agris, et in saxorum latebris praesidium sibi aut domicilium locaverant, quibus edicit, nullum futurum esse locum a periculo vacuum (Vs. 24 — 29.). Tum docet eos omnes, qui prophetica verba aliquid putabant esse nugatorium, excipiebantque cum sibilis, magno suo malo cognituros, propheticis verbis neque pondus neque fidem defuisse (Vs. 30 — 33.).

1. וַיְהִי *Porro factum est*, anno scil. duodecimo 32, 17., post excidium urbis Hierosolymitanae, paullo, ut videtur, ante vaticinium, quod infra Vs. 21. sqq. sequitur.

2. אֶל־בְּנֵי־עַמֶּךָ *Ad populares tuos*, Vs. 12. 17. Israelitas, Vs. 7. 10., tecum deportatos. Ut hactenus contra alias gentes te vaticinari jussi, ita nunc denuo ad tuos. אֶרֶץ כִּי־ תָבִיא עָלֶיהָ חֶרֶב *Ad terram* s. regionem aliquam quod attinet, *ubi introduxero super eam gladium*, quando super terram aliquam induxero gladium hostilem, 5, 17. 14, 17. Eandem Nominativi absolute positi constructionem, nec sententiam dissimilem vid. supra 14, 13. Grotius: „Ubi hostes regioni appropinquant, quod sine meo decreto aut permissu non fit. Cf. Amos. 3, 6.“ וְלָקְחוּ עַם־הָאָרֶץ *Et sumunt*, eligunt *populus terrae*, i. e. po-

pulares, cives, ut 2 Reg. 11, 18. 19. 20. אִישׁ אֶחָד מִקְּצֵיהֶם *Virum unum de extremitatibus suis*, pro quo Vulgatus posuit: *virum unum de novissimis suis*, q. d. licet ex infimis suis. Alii: *de extremis finibus suis*, i. e. de regione sua, quod certis quibusdam terminis ac finibus disterminctur. Sed recte Ludov. de Dieu in *Crit. S.* ad h. l. monet, קְצֵה, s. קָצֶה, *extremitatem*, haud raro pro universitate rei, quae tota intra suos fines et extremitates continetur, usurpari. Ita Genes. 19, 4. dicuntur Sodomitae domum Lothi circumdedisse a puero usque ad senem, deinde additur, כָּל־הָעָם מִקָּצֶה, *totus populus ab extremitate*, i. e. in universum. 1 Reg. 12, 31. *Fecit sacerdotes* מִקְצוֹת הָעָם *ex extremitatibus populi*, i. e. ex universo populo: neque enim culpatur Jeroboam, quod, negleetis magnatibus ex vulgo crearit sacerdotes, sed quod, quum sola tribus Levitica muniis sacerdotalibus a Deo esset destinata, ex universo populo eos desumserit. Eundem usum dictionis מִקָּצֶה de Dieu obtinere docet Genes. 47, 2. Num. 11, 1. Jud. 18, 2. Jes. 56, 11. Jer. 50, 26. Jer. 51, 31. „Sic ergo," pergit, „et hunc Ezechielis locum exponimus: *et sumserit populus terrae virum aliquem ex universitate sua.* Idem voluit Chaldaeus, quum vertit מִבֵּינֵיהוֹן, *e medio sui.* Et LXX: ἐξ αὐτῶν, *ex se.* Maluissem tamen, Chaldaice dixisse, מִבֵּין כֻּלְּהוֹן *e medio omnium sui.* Et Graece, ἐκ πάντων αὐτῶν, *ex omnibus se*, ut universitas, quae per קָצֶה denotatur, exprimeretur." His plane consentanea leguntur in Bochartı *Hieroz* P. I. L. II. Cap. 34. T. I. p. 370. edit. Lips. E litera ק nominis מִקְּצֵיהֶם excidit *Dagesch* forte, ut Jud. 18, 2. 1 Reg. 12, 31., quod aliis locis, ut Genes. 19. 4. Jes. 56, 11. Jer. 51, 31., literae ק in eadem loquutione inditum. וְנָתְנוּ אֹתוֹ לָהֶם *Et constituerint eum sibi*, ut infra Vs. 7. Deut. 1, 15. לְצֹפֶה *In speculatorem*, ut maxima fide et diligentia caveat publico. Prophetam confert speculatori militari, eum in finem constituto, ut de imminente hoste, aut impendente clade securos buccinae clangore admoneat. Eandem imaginem Noster supra 3, 17. sqq. usurpavit, quam pro necessitate temporis repetit.

3. וְרָאָה אֶת־הַחֶרֶב *Viderit autem* ille *gladium* s. hostes, vel aliud quoddam malum imminens, Vs. 6. 30, 4. וְתָקַע בַּשּׁוֹפָר *Et clanxerit buccina*, ad significandum hostium adventum. וְהִזְהִיר *Et admonuerit*, ut supra 3, 17.

4. וְשֹׁמֵעַ הַשֹּׁמֵעַ *Et* si *audiverit audiens* quis, ut 2 Sam. 17, 9. וְלֹא־נִזְהָר *Sed admoneri noluerit*, nec tamen admonitus caverit sibi, non admiserit admonitionem. וַתָּבוֹא חֶרֶב וַתִּקָּחֵהוּ *Ideo veniat gladius et tollat eum*, Vs. 6. דָּמוֹ בְרֹאשׁוֹ יִהְיֶה *Sanguis ipsius*, i. e. חוֹבַת קְטוֹלֵיהּ *reatus caedis ipsius*, ut Chaldaeus vertit, *super capite ejus erit*, i. e. ipsi, et quidem soli, imputabitur malum, quod ei evenit, sua ipsius culpa peribit, ut Levit. 20, 9. et mox Vs. 5. Metaphora videtur a victimis expia-

toriis desumta, quarum capitibus sacrificantes imponebant manus, et eo ritu imputabant eis reatum, vid. Levit. 1, 4. 24, 14. et cf. Matth. 27, 25. Dabit debitas sui stuporis atque inertiae poenas.

5. Ante אֶת־קוֹל subaudienda particula causalis כִּי, *nam vocem buccinae audivit.* וְלֹא נִזְהָר Vid. Vs. 4. דָּמוֹ בוֹ יִהְיֶה Ideo *culpa necis suae ipsi erit imputanda*, Vs. 4. וְהוּא נִזְהָר *Quodsi admonitioni obtemperasset*, Vs. 4. 3, 21. נַפְשׁוֹ מִלֵּט *Animam*, vitam *suam eripuisset* morti, suae vitae atque incolumitati consuluisset. Cf. 1 Sam. 19, 11. Jer. 48, 6.

6. Nunc speculatoris, munere sibi imposito negligentius fungentis, poena proponitur. נֶפֶשׁ *Animam* aliquam, i. e. quempiam, ut Levit. 4, 27. Cf. supra 18, 4. 20. הוּא בַעֲוֹנוֹ נִלְקָח *Is quidem per suum peccatum*, sua culpa (ut Vs. 8. 9. 18, 18.), *auferetur*, nam perpetuo sibi cavere debent, qui in bello sunt. וְדָמוֹ מִיָּד הַצֹּפֶה אֲדַרֹּשׁ *Sanguinem* tamen *ejus de manu speculatoris requiram*, ejus sanguinis poenas a speculatore reposcam, Vs. 8. 3, 18. 20. Punietur et ille, qui quamvis negligentes excitare debuit.

7. Accommodat nunc Deus inductam similitudinem, et quicquid impositum est speculatori muneris aut poenae, idem ait esse datum sive negotii, sive supplicii Prophetae, si minus fideliter ac vigilanter datas sibi partes impleverit. וְאַתָּה *Ad te ergo quod attinet*, Nominativus absolutus. Aliis est vice Vocativi, ut Vs. 10. 12. צֹפֶה נְתַתִּיךָ לְבֵית יִשְׂרָאֵל Hieronymus: „Et ut sciret propheta Ezechiel, generalem disputationem (Vs. 2—6.) ad se potissimum pertinere; *et tu, inquit, fili hominis*, non a terra et a populo terrae, sed *a me constitutus es speculator domui Israel.*“ Te non populus, aut humana ulla auctoritas, sed *ego* ipse *speculatorem constitui in populo meo* (ut supra 3, 17.), et quamvis per aliquod tempus jusserim te obmutescere apud populares tuos (24, 27.), tamen jam ad superiorem functionem te revoco (cf. infra Vs. 21. 22.). Nunc itaque age, attende ad functionem tuam, et necessitatem illius perfungendae tibi impositam explica tuis popularibus. וְשָׁמַעְתָּ מִפִּי דָבָר *Ut audias ex ore meo verbum*, 3, 17. מִמֶּנִּי *A me*, meis verbis. Chaldaeus: *ne peccent coram me.*

8. בְּאָמְרִי לָרָשָׁע *Quando* itaque *dixero ad impium*, 3, 18. רָשָׁע מוֹת תָּמוּת *O impie, certo morieris* (Vs. 14.), nisi resipueris. Subest enim tacita conditio, cf. Vs. 11. לְהַזְהִיר רָשָׁע מִדַּרְכּוֹ *Ad admonendum*, dehortandum *impium a via sua*, ut impium admonendo retrahas a more suo. Cf. supra 3, 18. cum quo loco hic Versus et proximus plane convenit.

10. כֵּן אֲמַרְתֶּם *Sic loquuti estis*, sic loqui soletis. Aliis, Kimchio auctore, כֵּן h. l. significat *rectum*, sive *recte*, ut Num. 27, 7. 36, 5., hoc sensu: recte dicere possetis, vos esse peccatores, mortisque reos. כִּי־פְשָׁעֵינוּ וְחַטֹּאתֵינוּ עָלֵינוּ *Quia delicta*

nostra et peccata nostra (cf. Jes. 59, 12.) *super* s. *contra nos* sunt, accusant nos, et irae Dei obnoxios reddunt. Cf. de hoc usu particulae עַל GLASSII *Philolog. S.* p. 478. ed. Dath. Alii: *super nos* incumbunt, multitudine ac mole sua nos opprimunt et obruunt. Cf. Ps. 38, 5. וּבָם אֲנַחְנוּ נְמַקִּים *Et per* s. *propter ea contabescimus*, ut comminatus fuerat supra 23, 24. 4, 17. (ad quae loca cf. not.) ex legis edicto Levit. 26. 39. Cf. Ps. 38, 6. וְאֵיךְ נִחְיֶה *Quomodo ergo vivamus?* ut nunc promittitis Vs. 5. JARCHI: „Non vultis ergo converti, quia putatis, poenitentiam nihil vobis profuturam.“ Quo tempore haec pronunciavit propheta, aut erat capta, ut indicat statim Versus 21., aut proxime erat, ut caperetur, Hierosolyma. Tunc vero docti ab ipsa calamitate cives, cognoverunt, suis sceleribus deberi supplicium illud, quod vel subibant jam ab hoste Babylonio vel quod declinari posse non sperabant. Quod latuisse Judaeos, qui tunc agebant apud Babylonios captivi, non est verisimile. Tam ergo hi, quam illi, cum illatam crederent cladem illam; et infortunia tanta, urgeri se putabant a peccatis suis, quae ab ultrice Dei manu puniri arbitrabantur. Atque ideo desperantes quasi dicebant: insectantur nos peccata nostra, eoque adigunt, ut tabefaciant nos, et in nihilum redigant; quomodo ergo erit vitae spes ulla reliqua?

12. מְרִשְׁעוֹ — צְדָקַת הַצַּדִּיק *Rectitudo*, probitas, *probi non salvum praestabit eum die delicti sui, et improbitatem improbi* quod attinet *non corruet in ea*, s. *per eam*, *die quo se avertet a sua malitia; neque probus poterit vivere per eam*, probitatem, *die peccati ipsius.* Si quis a probitate defecerit peccando, non eum tuebitur sua probitas prior; uti contra nec improbo oberit improbitas, si ab improbitate sua desciverit. Eadem sententia, quae supra 18, 20. 21. 24. aderat, unde haec transsumta sunt.

13. בּוֹ יָמוּת — וּבְאָמְרִי *Et cum dico probo: vivendo vivet*, si ei vitam promisero, *is autem probitate sua confisus fuerit et malum fecerit, omnis probitas ejus non memorabitur, et per malum quod fecit, per id*, inquam, *morietur.* Si ego probo vitam promisero, et is sua probitate fretus nequiter fecerit; is nullius ejus recte factorum ratione habita, ob id, quod nequiter fecerit, morietur. Cf. 18, 24. 26.

14. וְעָשָׂה מִשְׁפָּט וּצְדָקָה *Feceritque quod justum est et rectum*, cf. supra 18, 5., et mox infra Vs. 16. 19. Quid intelligat per מִשְׁפָּט וּצְדָקָה, exponit Versu proximo.

15. חֲבֹל יָשִׁיב רָשָׁע Nimirum si e. g. *pignus reddiderit impius*, vid. 18, 7. 12. 16. Exod. 22, 25. Deut. 24, 13. גְּזֵלָה יְשַׁלֵּם *Raptum restituerit*, s. *compensarit*, 18, 7., ut praecipitur Exod. 22, 1. 2. sqq. Levit. 5, 20. sqq. בְּחֻקּוֹת הַחַיִּים *In statutis vitae*, quibus observatis vita promittitur, vid. 20, 11. Levit. 18, 5.

17. וְאָמְרוּ *Nihilominus dicunt*, vel dicere audent. Cf. 18, 29. לֹא יִתָּכֵן דֶּרֶךְ אֲדֹנָי *Non recta*, non aequa est *Dei via*, ratio agendi. 18, 25. 29. וְהֵמָּה דַרְכָּם לֹא־יִתָּכֵן *Sed ipsi* sunt illi, *quorum via non est recta.* Sive: *ipsos* quod attinet *via eorum non est recta.*

18. בְּשׁוּב צַדִּיק מִצִּדְקָתוֹ וְעָשָׂה עָוֶל וּמֵת בָּהֶם *Si avertit se probus a probitate sua, et facit mala, utique morietur per* s. *ob ea*, nomine עָוֶל collective accepto.

19. וּבְשׁוּב רָשָׁע — הוּא יִחְיֶה *Quando contra improbus convertit se ab improbitate sua, et facit quod justum est et rectum, propter illa ipse vivet.* Cf. Vs. 14. 15.

20. אִישׁ כִּדְרָכָיו אֶשְׁפֹּט אֶתְכֶם *Virum*, i. e. unumquemque *secundum vias suas judicabo vos*, ego vos pro suis quemque moribus judicabo, בֵּית יִשְׂרָאֵל *o domus Israelis!*

21. Pro בִּשְׁתֵּי עֶשְׂרֵה שָׁנָה, *anno duodecimo*, Syrus interpres, uti jam Theodoretus observavit, posuit *undecimum.* Quem numerum praeferendum censet Doederlein in Additamentis ad Grotium, quoniam non sit probabile, nuntium captae urbis non nisi exacto anno et quatuor mensibus ad exules venisse. Dathius vero receptam lectionem arbitratur defendi posse, si dicatur, prophetam eum annum, quo abductus est, ut integrum numerare, et huic annos undecim regni Sedeciae addidisse. Probabile autem esse, eum sic enumerasse, quoniam dicit: anno duodecimo *deportationis nostrae.* Aecidit autem quod hoc Versu narratur antequam vates postremum de Aegypto oraculum edidisset, 32, 1. Res enim ad Aegyptum pertinentes interrumpere prophetа in hoc vaticiniorum suorum libro noluit, sed seriem rerum sequutus est. לְגָלוּתֵנוּ *Captivitatis*, deportationis, *nostrae*, ut infra 11, 1. Kimchi: „A captivitate Jojachini, nam tunc etiam migravit Ezechiel in captivitatem.“ הַפָּלִיט *Profugus quidam*, evasor, ut Gen. 14, 13., ita ut Deus ei praedixerat supra 24, 26. הֻכְּתָה הָעִיר *Caesa*, excisa *est urbs* Hierosolymitana, 40, 1.

22. וְיַד־יְהוָה הָיְתָה אֵלַי Vid. 1, 3. et ad eum loc. not. בָּעֶרֶב לִפְנֵי בוֹא הַפָּלִיט *Vesperà antequam veniret ille profugus*, Vs. 21. וַיִּפְתַּח אֶת־פִּי *Et aperuerat os meum*, dedit, ut absque metu loquerer, 3, 27. וְלֹא נֶאֱלַמְתִּי עוֹד *Ut mutus esse non potuerim amplius*, 3, 26. Hieronymus: „Undecimo anno regni Sedechiae, quinto mense, capta est civitas Hierusalem. Haec autem prophetia duodecimo anno, decimo mense, quinta mensis captivitatis sive transmigrationis, quando captus est Jechonias. Ex quo ostenditur, post unum annum et quatuor menses, et viginti quinque dies, capta Hierusalem venisse Babylonem unum civium Hierusalem, qui nuntiaret captam urbem et vastatam. Ante unum autem diem, quam veniret, qui ista narraret, vesperi facta est manus Domini ad Ezechielem prophetam, quae aperuit

os ejus, quod diu clausum fuerat, et quicquid ille erat dicturus, hic factum autem replicavit, nec silnit amplius videns prophetiam suam opere completam, et nequaquam dubitare populum, qui erat in Babylone, vel eos, qui capti erant, de vaticinio prophetali. Tunc enim aperitur os prophetae, quando quod prius nuntiaverat, opere monstraverit effectum, et tota libertate proclamat, qui nequaquam futura, sed vel praesentia, vel transacta demonstrat.“ Alii censent, apertum fuisse os prophetae, eum primum novit, qualia passi fuissent, qui in Judaea remanserant, id est, inspiratos illi fuisse animos, ad loquendum audaces; siluisse tamen, donec res ad aliorum exsulum aures pervenit. Magis vero cum verbis hebraeis Hieronymi convenit interpretatio, apertum esse prophetae os, antequam quicquam perlatum esset a nuncio, et tunc liberius, quam antea coepisse loqui, quia ardore atque audacia ex praedictarum rerum eventu conceptis, minus quam antea populi obtrectationem ac ludibria timebat.

24. יֹשְׁבֵי הַחֳרָבוֹת הָאֵלֶּה *Incolae vastitatum illarum*, dirutarum urbium et villarum Judaeae, Vs. 27. 36, 4. 10. אֶחָד הָיָה אַבְרָהָם *Unus*, unicus *fuit Abraham* pater noster, cf. Jes. 51, 2. Matth. 3, 9. וַיִּירַשׁ אֶת־הָאָרֶץ *Et* nihilominus *in hereditatem accepit terram*, Genes. 15, 7. וַאֲנַחְנוּ רַבִּים *Atqui nos multi* sumus. לָנוּ נִתְּנָה הָאָרֶץ לְמוֹרָשָׁה *Nobis* igitur multo magis *terra dabitur in hereditatem*, „non enim alio fine data est Abrahamo, quam ut nobis cederet in hereditatem,“ ait Kimchi. Argumentantur, ut Dialectici loquuntur, a minori: si terram hanc, inquiunt, Deus dedit Abrahamo, multo magis dabit nobis; minus enim probabile est, Deum *uni* alicui benefacere velle, quam *pluribus*, quorum eadem est dignitas, qualis nimirum est patris et filiorum. Similia vid. supra 11, 15. Hieronymus: „Capta, ut diximus, Hierusalem, temploque subverso, pauperes terrae, de quibus scribit Hieremias [39, 17.], soli relicti fuerunt in Hierusalem, qui vineas et agros colerent, et in ruinis incensae urbis habitarent. Cumque deberent agere poenitentiam super his, propter quae captivitas venerat, se ipsos cassa spe decipientes loquebantur: unus fuit pater noster Abraham, et tamen hanc terram hereditate possedit, non quod ipse possederit, sed quod semen ejus terram repromissionis acceperit. Si igitur ille unus in tantos multiplicatus est populos, nos multo plures, qui relicti sumus in terra Judaea, et habitamus in urbibus desertis ac ruinosis, utique multo amplius multiplicabimur, ut possideamus plures, quod unus ille possedit. Quibus respondit Dominus, Abraham unum fide possedisse terram repromissionis. Credidit enim Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam. Istos autem incredulitate et sceleribus occupatos, etiamsi plures sint, possidere non posse. Simulque enumerat [Vs. 25. sqq.], quid facientes offendant Deum, sex videlicet genera peccatorum.“

25. Proponi jubet et exprobrari Judaeis illa crimina, quae illos omnino reddunt indignos possessionibus, quas jam spe, ut ipsi sibi blandiebantur, certa devoraverant. עַל־הַדָּם תֹּאכֵלוּ *Super sanguinem comeditis* scil. carnes, i. e. carnes, quarum sanguis non est effusus: suffocata, contra legem antiquissimam Genes. 9, 4., a Mose iteratam Levit. 7, 26. 17, 10. 14. et praecipue 19, 26. Alii, Chaldaeum interpretem sequuti, nostram dictionem ita interpretandam censent: statim ab homicidiis cruentis adhuc manibus, cibum capitis, quasi nihil esset patratum. וְעֵינֵיכֶם תִּשְׂאוּ אֶל־גִּלּוּלֵיכֶם *Et oculos vestros levatis ad idola vestra*, quasi ab iis aliquid vobis polliceamini auxilii, supplices ad ea oculos et manus levatis, cf. supra 18, 6. 15. Fecerunt id, qui excisa jam urbe fugerunt in Aegyptum, ut constat ex Jeremia Cap. 44., qui sacrificasse dicuntur *reginae coeli* (Vs. 18.) et aliis Aegyptiorum simulacris. וְדָם תִּשְׁפֹּכוּ *Et sanguinem* innocentem *effunditis*, homicidia perpetratis, 18, 10. 22, 3. 4. 27. Sic graviter peccantes declaratis, vos non esse genuinos Abrahami filios, qui talis non fuit. Cf. Joh. 8, 39. וְהָאָרֶץ תִּירָשׁוּ „Nunquid ista facientes *poteritis terram hereditate retinere?*“ Hieronymus. Quum non impleatis conditionem obedientiae, sub qua vobis illa promissa erat, Levit. 26, 3—43. coll. 18, 28.

26. עֲמַדְתֶּם עַל־חַרְבְּכֶם *Insistitis*, innitimini, *super gladio vestro*, confiditis gladiis vestris; non jure et aequitate, sed armis, vi, et homicidiis omnia geritis. Michaelis in *Supplemm.* p. 2926. ex usu Syriaci קוּם quod cum ל constructum *sperare* significat (cf. supra ad 31, 14.) verba nostra eodem modo interpretatur: *fiduciam ponitis in gladio vestro.* Efferri tamen posse addit עַל־חָרְבְּכֶם, ut sit: *consistitis in ruinis vestris.* Quae est conjectura prorsus supervacanea: nam in eo quod Judaei in urbium suarum dirutarum ruinis consistebant, nil erat criminis, quod eis exprobrari recte potuerit. Doederlein in Additamentis ad Grotianas Annotationes legendum conjicit עֲמַדְתֶּם עַל־חַבְרְכֶם *statis contra socium vestrum*, i. e. populares vestros impugnatis. Audacior Hubigantius, qui חַרְבְּכֶם in רֻחְבְּכֶם mutandum, et hoc membrum proximo jungendum censet, hoc sensu: *statis in plateis vestris, et abominationem facitis*, i. e. cultui idololatrico indulgetis in plateis, palam profitemini idololatriam. Verum quod nunc in codicibus omnibus hebraeis legitur, עַל־חַרְבְּכֶם, idem et veteres interpretes omnes exprimunt. Sensu diverso verbum עָמַד cum עַל constructum legitur infra 44, 24., ubi potius *paratum esse ad aliquod* denotat, quomodo nostra verba Hieronymus explicat: „*Statis in gladiis vestris* quotidie, parati ad occidendum.“ עֲשִׂיתֶן הוֹעֵבָה *Fecistis*, vos *feminae* maxime, *abominandum*, impudicum deorum quorumdam cultum videtur innuere, cf. supra 18, 12. 5, 11. Hieronymus: „*Facitis abominationes*, incredibiles videlicet libidinum turpitudines.“ Utitur vero pro-

miscue masculino et feminino genere, quia ad utriusque sexus multitudinem loquitur, ut Jer. 44, 19. 25. Cf. Storrii *Observatt.* p. 372. וְאִישׁ אֶת־אֵשֶׁת רֵעֵהוּ טִמֵּאתֶם Hieronymus: „*Et unusquisque uxorem proximi sui polluit*, ut in eo sit scelleratior, quod amici et proximi polluerit uxorem.“ Vid. supra 18, 6. 11. Grotius: „Vix quisquam est, qui ab adulteriis se temperet.“ וְהָאָרֶץ תִּירָשׁוּ Vid. not. ad Vs. superiorem sub finem.

27. חַי־אֲנִי אִם לֹא *Vivo ego*, *nisi* rel. Jurisjurandi formula Deo solennis, vid. supra 17, 16. 14, 16. 5, 11. אֲשֶׁר בֶּחֳרָבוֹת Arrogantes illi Judaei, de quibus Vs. 25. 26., *qui in ruinis* urbis aut oppidorum sunt, Vs. 24., vel relicti a Chaldaeis, ne terra omnino maneret deserta, vel quod fuga se ab impendente clade subduxerunt. בַּחֶרֶב יִפֹּלוּ *Gladio cadent*, „partim Ismaelis illius, partim Chaldaeorum, Gedaliae necem ulciscentium, 2 Reg. 25, 23. sqq., uti Grotius notat. וַאֲשֶׁר עַל־פְּנֵי הַשָּׂדֶה לַחַיָּה נְתַתִּיו לְאָכְלוֹ *Et qui super facie agri*, i. e. qui in agris incertis sedibus vagatur, *ferae dabo eum ad devorandum eum*, a feris, quibuscum habitat, occidetur. Conf. 14, 15. 21. וַאֲשֶׁר בַּמְּצָדוֹת *Et qui in munitionibus*, arcibus, in locis natura vel arce munitis, ad quae nec ascendit hostilis gladius, nec aspirare tuto possunt ferae. וּבַמְּעָרוֹת *Et* qui *in speluncis* latitant. *Speluncae* munitionibus junguntur, ut 1 Sam. 13, 6., nam erant in Judaeae confragosis regionibus speluncae quaedam inaccessae, quas pro arce munitissima adire solebant, qui tuto delitescere vellent. De quibus Josephus, testis ipse oculatus, *de Bello Jud.* L. I. Cap. 16. §. 4., ubi de Herode expeditionem suscipiente adversus latrones speluncas tenentes: *Istae autem speluncae in montibus erant praeruptis, undique inaccessae, et obliquas tantum et perangustas quibus ascenditur vias habentes, rupesque ab earum fronte in valles profundissimas se porrigebat, recta et confragosa declivitate.* In illis igitur locis nihil futurum affirmat tutum a periculo, immissurum enim Deum pestem, בַּדֶּבֶר יָמוּתוּ, et supra 5, 17. 14, 21. minatus erat.

28. וְנָתַתִּי אֶת־הָאָרֶץ שְׁמָמָה וּמְשַׁמָּה *Ponamque terram vastitatem et desolationem*, totam terram in vastam redigam solitudinem, ut supra 6, 14. וְנִשְׁבַּת גְּאוֹן עֻזָּהּ *Ut cesset* (Niphal, ut supra 6, 6.), *superbia roboris* s. potentiae *ejus* terrae, ejusque incolarum, ut supra 30, 18. Cadet, quicquid illis superbam alebat confidentiam et fortitudinis opinionem. וְשֹׁמְמוּ הָרֵי יִשְׂרָאֵל מֵאֵין עוֹבֵר *Et* ita *desolati erunt montes Israelitici, ut non sit transiens* per eos. Grotius: „Absumtis per tot mortes ac captivitates hominibus, non modo nullus ibi habitabit, sed nec viator quisquam iter isthac capere audebit, metu ferarum et coeli pestilentia.“ Eadem extremae solitudinis imago supra 14, 15. Jes. 33, 8. Zeph. 3, 6.

29. וְיָדְעוּ כִּי־אֲנִי יְהוָה Cf. 5, 13. בְּתִתִּי אֶת הָאָרֶץ 32, 15. שְׁמָמָה וּמְשַׁמָּה Vs. 28. 35, 3.

30. וְאַתָּה בֶן־אָדָם *Et te quod attinet*, Nominativus absolutus, ut supra Vs. 7. בְּנֵי עַמֶּךָ *Populares tui*, Vs. 2. 12. 17., tecum seil. deportati. הַמְדַבְּרִים בְּךָ *Colloquentes sunt*, confabulantur inter se *de te*, eodem sensu Niphal verbi דָּבַר Malcach. 3, 13. 16. Ps. 119, 23. אֶצְלֹ־הַקִּירוֹת *Juxta* (ut eadem particula supra 10, 6. 9.) s. *intra parietes*, vel aedes, 1 Reg. 6, 5. 15. וּבְפִתְחֵי הַבָּתִּים *Et in ostiis* s. vestibulis *domorum*, q. d. clam et palam, coll. Proverb. 1. 21. *In ingressibus platearum clamat*, בְּפִתְחֵי שְׁעָרִים *apud ostia portarum*. Alii utrumque de clandestinis colloquiis accipiunt. Vel pertinet *murorum* atque *ostiorum* mentio ad otiosorum hominum descriptionem, quorum commune diverticulum est in apricis locis, quae sunt juxta muros, aut in ostiis domorum. וְדִבֶּר־אֶחָד אֶת־אֲחִד *Et loquitur unus cum uno*, i. e. cum altero. אֲחִד pro אַחַד forma Chaldaica, ut Dan. 2, 31. 6, 3. אִישׁ אֶת־אָחִיו 4, 17. 38, 21. Illi igitur Judaei, qui exsules agebant apud Babylonios, atque ibi prophetiis oraculis irridebant, se hortati mutuo cum stomacho atque ludibrio dicebant: בֹּאוּ־נָא וְשִׁמְעוּ וגו׳ *venite et audite*, audiamus, quid nobis a Domino obganniat propheta, an nobis aliquid afferat portenti novi. Similia accidisse sibi narrat Jeremias 23, 33. הַדָּבָר הַיּוֹצֵא מֵאֵת יְהוָה Jer. 26, 1. Esth. 7, 8.

31. וַיָּבֹאוּ אֵלֶיךָ כְּמִבוֹא־עָם *Veniunt igitur ad te secundum adventum populi*, i. e. magna frequentia, ut catervatim populus in loca publica, ad publica consilia popularesque conventus destinata confluere solet. Sic homines irrisores et procaces accedebant frequentes ad prophetam, quasi cupide ab illo audituri divinum aliquid, quod suspicarent, et studiose servarent, sed revera ut subsannarent et illuderent. וְיֵשְׁבוּ לְפָנֶיךָ Vid. 14, 1. et ibi not. עַמִּי Quasi *populus meus*, quasi mei essent, quum non sint, quales describit Jesajas 58, 2. וְשָׁמְעוּ אֶת־דְּבָרֶיךָ *Et audiunt* in speciem diligenter et attente *verba tua*. וְאוֹתָם לֹא יַעֲשׂוּ *Sed ea non faciunt*, non eo magis se corrigunt. Cf. Jes. 42, 20. Verba כִּי־עֲגָבִים בְּפִיהֶם הֵמָּה עֹשִׂים quidam subandito ante בְּפִיהֶם pronomine relativo, sic vertunt: *nam amatoria* quae *in ore suo*, *illi faciunt*. עֲגָבִים, quod proprie vel *amationes*, *amatoria*, vel *delectamenta* notare potest, nam verbum עָגַב et *amare*, et *delectari* significat, h. l. quaecunque verba ludicra et joecularia indicare possit, quae homines illi levissimi, vati illudentes continuo in ore habebant, quo et illis consentanea facere solebant. Similiter Chaldaeus: *irrisionem ore suo ipsi faciunt*. Alii, ut Kimchi, עֲגָבִים *verba amoris et benevolentiae* interpretantur, et sensum hunc faciunt: ore blando tuos sermones sibi placere dicunt, eos laudare et probare se simulant, sed nihilominus pro lubitu agunt, ut sequitur. Mihi tamen non est dubium, עֲגָבִים esse idem, quod Versu proximo שִׁיר עֲגָבִים, et ante nostrum עֲגָבִים, eo sensu sumto, subaudiendum esse comparandi

particulam, unde haec prodibit sententia: *nam instar carminis amatorii ore suo isti faciunt*, tractant, scil. אֶת־דְּבָרֶיךָ, *verba tua*, vertebant ea in canticum, quo significatur, quam illi longe abessent, ut a propositis minis concuterentur ac horrerent, quum potius, quasi aliquid audirent amatorium et festivum carmen, sese propheticis minis oblectarent, quas meras nugas, et vacuos ac sine mente sonitus censebant. Nec aliter Vulgatus: *nam in canticum oris sui vertunt illos.* Et Michaelis: *Sie gebrauchen es in ihrem Munde wie ein Liebeslied.* אַחֲרֵי בִּצְעָם לִבָּם הֹלֵךְ *Quaestum suum cor eorum sectatur* (cf. eandem loquendi formulam supra 11, 21.), i. e. Grotio explicante, dum tu loqueris, illi de quaestu, per artes iniquas faciendo, cogitant. Sed בֶּצַע h. l. non *lucrandi* tantummodo *cupidinem*, sed omnes omnino *pravas cupidines* videtur indicare, ut Jes. 56, 11.: *omnes in viam suam* malam *conversi sunt*, אִישׁ לְבִצְעוֹ, *quisque ad quaestum suum*, i. e. suis cupiditatibus obsecundant.

32. וְהִנְּךָ לָהֶם כְּשִׁיר עֲגָבִים *Et ecce tu illis es quasi canticum amatorium*, tu es illis instar ejus, qui novit canere cantica delectabilia et amoena. Non aliter in eorum auribus sonant verba tua, quam ludicrum carmen. Chaldaeus: *et en! tu illis es, instar cantus organi musici.* Cepit עֲגָב significatione nominis עוּגָב, quo instrumentum aliquod musicum nuncupari constat, quod Chaldaeus interpres plerumque אֲבוּבָא, *fistula*, vertere solet. יְפֵה קוֹל Cantoris *pulchri voce*, qui pulchra voce praeditus est. Alii: carmen *pulchrum voce*, sono, quod pulchre sonat. וּמֵטִיב נַגֵּן *Aut* citharoedi *benefacientis pulsare* fides, i. e. optime pulsantis, ut Ps. 33, 3. Delectas quidem, non moves eos, ut animi eorum adficerentur. Grotius: „Eloquentiam tuam laudant, res non curant.“ Junius haec refert ad vaticinia, quae C. 25—32. adversus exteras gentes pronunciata erant, hoc modo: deliciae ipsis erant prophetiae, quas inde ex triennio ad illud usque tempus Ezechiel pronunciaverat, utpote quae ipsos minime attingerent; sed gentes tantum exteras, adversus quas audire eum prophetantem suave ipsis erat; dum interim silentio suo de rebus ipsorum videbatur propheta fausta omnia illis polliceri. Sed Versus proximus arguit, de iis oraculis, quae ad ipsos pertinebant, quae vero ludibrio habebant, haec intelligenda esse.

33. וּבְבֹאָה *Quum* vero *id veniet*, quod praedixisti de terrae ulteriori vastatione, Vs. 27. 28. 29. Alii: *At* nunc *cum venerit*, quod praedixeras de urbis excidio. הִנֵּה בָאָה *Ecce* ita *veniet*, ut sciant etc. ut 30, 9. Alii, ut Grotius, in Praeterito: *certo enim evenit*, ut sciant. וְיָדְעוּ כִּי נָבִיא הָיָה בְּתוֹכָם *Tum cognoscent*, verum *prophetam inter ipsos fuisse*, ut supra 2, 5. Negare non poterunt, te fuisse verum prophetam, et ad ipsos a me missum. Ignorantiae velum culpis suis non poterunt obtendere.

CAP. 34.

Argumentum.

Exagitat hoc Caput et pungit illos, qui quum pastoris sibi nomen arrogent, nihil tamen aut faciunt, aut cogitant minus, quam quod officium decet pastorale. Dum enim suorum commoditati serviunt, et genio nimis immoderate atque intemperanter indulgent, extenuari sinunt infelicem gregem, et lacerari a belluis, neque illi ea praestant officia, quae exspectari solent a sedulo pastore (Vs. 2—6.). Quare et illis gravia minatur (Vs. 7—10.), et a se gregem illum curandum esse melius promittit (Vs. 10—16.). Deinde in potentiores homines de populo durius invehitur, quos hircorum nomine coarguit, quia sibi optima ex omnibus delibant, et quae ipsi, quia neque ad stomachum, neque ad voluptatem necessaria contemnunt, sic turbant et proterunt, ut infirmioribus fastidio potius futura sint, quam usui (Vs. 17—22.). Denique optimum pastorem venturum esse dicit, magnum illum Regem, e Davidica gente oriundum, qui pastoris boni forma sit et exemplar (Vs. 23.). Quam vero ipsius tempore felicia futura atque foecunda pascua, quam fortunatum pecus, atque securum, pluribus docet (Vs. 24—31.).

1. Quae jam sequuntur vaticinia usque ad Cap. 40. nullam habent temporis notam appositam. Quum vero illud, quod inde a Capite 40. decurrit vaticinium, editum sit anno deportati Jechoniae *vigesimo quinto*, iis vaticiniis, quae hisce sex Capitibus continentur, inter annum deportationis *duodecimum*, quo superius vaticinium (33, 21.) editum legimus, et inter annum *vigesimum quintum*, quem adscriptum habet Cap. 40., locum assignandum censet Lightfoot in *Chronol. V. T.* in Ejus Opp. Vol. I. p. 130.

2. „Excisa jam urbe, inquit Grotius, causas commemorat excidii, *principum crimina*.“ Illi enim intelligendi sunt nomine רֹעֵי יִשְׂרָאֵל, *pastorum Israelis*, usitata veteribus similitudine, qua rerum publicarum rectores et administratores *pastoribus* comparare solebant, quia ut pastor se habet ad gregem, ita rex ad subditos. Unde illud in Homero toties repetitum: Ἀγαμέμνονα ποιμένα λαῶν, veluti *Iliad.* B. 243. Xenophon *Cyropaed.* 8,

2, 13. de Cyro: *Dictum quoddam ejus memoratur, quo similia perhibuerit esse boni pastoris et boni regis opera. Nam pastoris esse munus, ut, posteaquam jumentis felicitatem conciliasset, ita deinde illis uteretur, quae quidem pecudis esset felicitas; itemque regem urbibus et hominibus, quos ipse beasset, uti debere.* Et in V. T. passim reges dicuntur *pascere populos suos*, et regale sceptrum confertur cum pastorali pedo, ut cum de Davide dicitur Ps. 78, 71. *A tergo foetarum duxit eum ad pascendum populum suum.* Et ipsi Davidi dicit Deus 2 Sam. 5, 2. אַתָּה תִרְעֶה אֶת־עַמִּי *Tu pasce populum meum* Israelem. Conf. 2 Sam. 7, 7. Hinc *boni* ac *mali reges* bonis ac malis pastoribus saepe comparantur, vid. e. c. Jer. 2, 8. 23, 1. Zachar. 11, 15. 17. sqq. Abarbenel in libro, qui inscribitur מַשְׁמִיעַ יְשׁוּעָה, *Praeco salutis*, quo omnes illae prophetiae, quae *Messianae* nuncupari solent, pertractantur, de nostro loco haec monet (versionis latinae a J. H. Majo, Theologo Gissensi, editae Francofurti 1711. in quatern. p. 295.): „Meminerat vates supra (33, 21.), *duodecimo* captivitatis Jehojakini anno venisse ad se quendam, qui evaserit Hierosolymis, nunciumque attulisse, captam esse urbem et flammis consecratam. Unde vaticinium praesens contra peccatores Israelitas, qui causa devastationis Hierosolymorum fuere, uti et adversus reges Judae, qui captivitatem Israelitarum suis sceleribus adduxere, pronunciandum divinitus obtigit Nostro, quo mala illorum facta una cum corrupta imperii forma describit, ob quam ab ipsis auferendum erat regnum.“ וְאָמַרְתָּ אֲלֵיהֶם לָרֹעִים *Et dicito eis, pastoribus* inquam, pleonasmus, quo pronomini adfixo ipsum nomen, ad quod pertinet, subjungitur, qualis Jer. 41, 3. *Omnes Judaei, qui fuerunt* אִתּוֹ אֶת־גְּדַלְיָהוּ *cum eo, cum Gedalia* inquam. Cf. Exod. 2, 6. Proverb. 13, 4. הוֹי רֹעֵי־יִשְׂרָאֵל אֲשֶׁר הָיוּ רֹעִים אוֹתָם „*Vae pastoribus Israelis, qui pascunt eos*, ut Syrus, vel, *qui pascunt se ipsos*, ut habent alii veterum, sensu acuto et eleganti, sed quem Hebraea vix ferre possunt,“ ait Bochartus *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. 44. Tom. I. p. 491. edit. Lips. Sane ex vulgari Hebraeorum usu loquendi, quo pronomen reciprocum nomine נֶפֶשׁ exprimere solent, dicendum erat נַפְשׁוֹתָם. Neque tamen insolitum est, pronomina tertiae personae significatu reciproco accipi. Exemplum manifestum est illud Genes. 3, 6. (al. 7.) de primis parentibus: וַיַּעֲשׂוּ לָהֶם חֲגֹרֹת *Fecerunt sibi subligacula.* Cf. Gen. 24, 2. Lev. 26, 40. Et nostro loco reciprocum significatum pronominis אוֹתָם flagitant verba proxima, hisce prioribus aperte opposita, quibus docetur, pastorum esse *gregem* pascere, non *se ipsos.* Cf. Vs. 3. 8. 10. Recte igitur veteres omnes, uno Syro excepto, illud *reciproce* verterunt, quibuscum consentit Jarchi, ceteriqne Hebraei. Ita enim ille haec verba explicat: „Qui se ipsos [אֶת־עַצְמָם] delicate nutriebant ex divitiis eorum, qui ipsis subjecti erant.“ הֲלֹא הַצֹּאן יִרְעוּ הָרֹעִים *Nonne vero greges* sibi commissos *pa-*

scere debent pastores? non semet ipsos? Juxta illud Poetae *Eclog.* 6, 4.: *Pastorem, Tityre, pingues Pascere oportet oves.*

3. אֶת־הַחֵלֶב תֹּאכֵלוּ *Atqui vos adipem comeditis*, i. e. bona et divitias populi ad vos rapitis. Sed BOCHARTUS l. c.: „Pro חֵלֶב, *adipe*, Graeci, Hieronymus et Arabs diversis vocalibus legerunt חָלָב, id est, *lac*, non incommode; fortasse etiam aptius, quia sic vitatur repetitio, quae ex altera lectione emergit: *adipem comeditis — et quod pingue est mactatis.* Et manifesta ὑστερώσις, quum ovium adeps non comedatur, nisi postquam mactatae sunt. Itaque in hanc sententiam valde propendeo, prophetam scripsisse, *lac comeditis*, et *lac* הַצֹּאן, id est, *ovis* et *caprae*, pro *cibo* hic poni, ut Deut. 32, 14. et Prov. 27, 27. Pastori porro quandoque licet lacte ovium sustentari. *Quis pascit gregem, et ex lacte gregis non edit?* 1 Cor. 9, 7. Sed hi pastores ψευδώνυμοι modum non servabant [VIRGILII *Eclog.* 3, 5. 6.]: *Hic alienus oves custos bis mulget in hora, Et succus pecori, et lac subducitur agnis.*“ Haec Bochartus, quae tamen nobis tanti non sunt, ut propterea usitatam lectionem deserendam putemus. וְאֶת־הַצֶּמֶר תִּלְבָּשׁוּ *Et lana vestimini*, i. e. per metonymiam, panno ex lana detonsa confecto. Ad tegumentum et ornatum nudabatis oves a naturali vestitu. הַבְּרִיאָה תִּזְבָּחוּ *Pinguem ovem* (ut Zachar. 11, 16.) *mactastis* ad vestra convivia. GROTIUS: „Divites occidebatis per calumniam, ut bonis eorum potiremini.“ הַצֹּאן לֹא תִרְעוּ Sed *oves* s. *gregem non pascitis*, nec curam eorum habetis, cf. Vs. 2.

4. אֶת־הַנַּחֲלוֹת *Infirmas* s. *debiles* oves, ut infra Vs. 21. Jer. 14, 17. Participium Niphal verbi חָלָה, pro הַנֶּחֱלוֹת, cf. Jes. 17, 11. Jarchi exponit *macilentas, quibus deficiunt vires*, vernaeule *douloureuses.* לֹא חִזַּקְתֶּם *Non confirmastis*, s. *roborastis*, bonis scil. alimentis. Conf. Zachar. 11, 16. וְאֶת־הַחוֹלָה *Et aegram*, aegrotam, ut Vs. 16. Alexandrinus: τὸ κακῶς ἔχον. לֹא־רִפֵּאתֶם *Non sanastis.* Sunt enim et sua pecudibus mala et medicamina. Cf. Jer. 6, 14. 8, 11. Zachar. 11, 16. וְלַנִּשְׁבֶּרֶת לֹא חִבַּשְׁתֶּם *Et fractae ligaturam non applicastis*, ut crura fracta aut ossa comminuta eo subsidio coaleseerent. Cf. supra 30, 21. וְאֶת־הַנִּדַּחַת לֹא הֲשֵׁבְתֶּם *Et dispulsam*, disjectam a grege (ut Deuter. 22, 1.) *non reduxistis.* וְאֶת־הָאֹבֶדֶת לֹא בִקַּשְׁתֶּם *Et pereuntem*, i. e. in devia delapsam, et hinc in percundi periculum (ut Jer. 50, 6. Jes. 27, 13.) *non quaesivistis.* Negligentia pastoris h. l. describitur circa eas, quae male affectae sunt, quia hac si negligantur, qui curentur aliae? וּבְחָזְקָה *Sed cum violentia*, tyrannice, cf. Judic. 4, 3. 1 Sam. 2, 16. רְדִיתֶם אוֹתָם *Dominati estis eis*, vid. Jer. 5, 31. וּבְפָרֶךְ *Et cum vexatione*, i. e. duritie, saevitia. פָּרַךְ verbum Hebraeis inusitatum, Syris et Arabibus significat *fricare*, *comminuere.* „Servum *fricare* vel *comminuere* erit, eum *vexare*, *opprimere*,“ ait MICHAELIS in *Supplemm.*

p. 2037. Eadem fere verba noster adhibet, quibus tyrannica Aegyptiorum dominatio describitur Exod. 1, 13. 14. Ceterum hic nonnihil recedit a metaphora, dum a pastore sermonem ad tyrannum traducit, quod, in longa praesertim allegoria, frequenter accidit.

5. וַתְּפוּצֶינָה *Unde dispersae sunt* oves, cf. Jer. 10, 21. Zachar. 13, 7. מִבְּלִי רֹעֶה *Ob defectum pastoris* fidelis (cf. infra Vs. 8.); nam quod inutile est, neque id assequitur, aut praestat, cujus causa institutum est, perinde habetur, ac si non esset. Sic ergo quia pastoris munus commissi gregis commoditati servit, qui nullam praestat, aut inutilem operam, quia aut segnis est, aut voluptati, aut avaritiae indulgens, is jure optimo negatur esse pastor. וַתִּהְיֶינָה לְאָכְלָה לְכָל־חַיַּת הַשָּׂדֶה *Et fiebant in cibum omnibus bestiis campi*, i. e. Chaldaeo et Kimchio exponentibus, gentibus exteris, praesertim Chaldaeis. Grotius: „Praedae fuere Syris, Ammonitis, Moabitis, Assyriis, Chaldaeis.“ וַתְּפוּצֶינָה *Aut dispersae sunt*, i. e. abducti in varias terras Israelitae, ut Grotius ait.

6. יִשְׁגּוּ *Oberrant* namque, Jes. 53, 6. צֹאנִי „Bene dixit *oves meae*, neque enim erat in principum patrimonio populus.“ Grotius. בְּכָל־הֶהָרִים *Per omnes montes*, eo fugientes ob gubernatorum saevitiam. Cf. similem imaginem supra 7, 16. וְעַל כָּל־גִּבְעָה רָמָה *Et per omnes excelsos colles*, ut Jes. 30, 25. וְאֵין דּוֹרֵשׁ *Nec est* in hominibus, *qui requirat*, exigat rationem earum ovium ab iis, quibus commissae sunt. Alii: *nemine pastorum*, quibus commissa fuit gregis illius, i. e. populi Israelitici cura, *reposcente*. Aurivillius in *Dissertat. de verbo* דָּרַשׁ §. 3. in *Dissertatt.* a Michaele editt. p. 433., verbum hebraicum iis in locis, quibus absolute, et sine addito per casum obliquum nomine aliquo ponitur, significare observat *animum advertere*, dignum existimare quidpiam, quod recte cognoscatur. Ita Ps. 10, 4. *Impius alto supercilio* בַּל־יִדְרֹשׁ *nihil curat*, nihil pensi habet. Hinc nostrum וְאֵין דּוֹרֵשׁ sic vertit: *nemo est, qui animum advertat*, aut suum esse putet, tam grave scelus procurare. Equidem eam dictionem, cum ea, quae proxime sequitur, וְאֵין מְבַקֵּשׁ, interpretari mallem: *neque erat ullus, qui quaereret* scil. errantes per montes et colles, aut qui dissipatos cogeret; conf. infra Vs. 16. Ceterum quoad imaginem conf. et Num. 27, 17.

9. לָכֵן *Propterea*, inquam, Vs. 7. Abrumpit per affectum orationem, quae Versu demum decimo integratur, sed novo, non autem continuato, sermone.

10. הִנְנִי אֶל־הָרֹעִים *En me contra pastores*, conf. supra 13, 8. 20. 26, 3. Exigam severam rationem ab illis pastoribus de grege suae fidei atque custodiae commisso. וּדְרַשְׁתִּי אֶת־צֹאנִי מִיָּדָם *Requiram gregem meum ab eorum manu*, quicquid

sua negligentia perierit, ab illis exigam, poenam neglectarum ovium ab eis exigam; conf. similem phrasin supra 33, 6. 8. וְהִשְׁבַּתִּים מִרְעוֹת צֹאן *Et cessare faciam eos a pascendo gregem*, a pastorali munere eos summovebo; vid. eandem loquutionem supra 16, 41. et ad eum loc. not. אוֹתָם *Se ipsos*, vid. not. ad Vs. 2. וְהִצַּלְתִּי *Atque* sic *eripiam*, Vs. 12. 13, 21. לְאָכְלָה Vid. 6, 5. „Quibus verbis" inquit ABARBENEL l. ad Vs. 1. 2. l., „omnes prorsus impii Judae reges notantur adeo funditus delendi, ut ex eorum stirpe nullus unquam imperii summam, nec eo tempore, quo in exsilio populus Babylonico versatur, nec quando in patriam reversus fuerit, si habiturus."

11. הִנְנִי־אֲנִי *Ecce ego, ego*, inquam, ipse curam meorum geram peculiarem; ipse pastor ero ovium, et judex pastorum perfidorum. Chaldaeus: *en! ego manifestabor.* Sic Vs. 20. וְדָרַשְׁתִּי *Et quaeram* dispersas, vid. not. ad Vs. 8. וּבִקַּרְתִּים *Et perquiram*, lustrabo *eos*, considerabo et inspiciam statum earum, ubicunque sunt, et prospiciam eis. Vid. de verbo בָּקַר not. ad Ps. 27, 4.

12. כְּבַקֶּרֶת רֹעֶה עֶדְרוֹ *Juxta inquisitionem pastoris in gregem suum*, i. e. habebit Deus sui populi curam, sicut benevolus pastor gregis sui, qualis describitur Jes. 40, 11. בְּיוֹם הֱיוֹתוֹ בְתוֹךְ צֹאנוֹ נִפְרָשׁוֹת *Die quo est inter gregem suum* ovium *dispersarum*, vel luporum feritate vel nocturna tempestate, collatis ultimis hujus Versus vocibus. Sunt, qui vertant: *sicut pastor inquirit in distinctas* s. singulas *oves*, quod vix ferant verba hebraea. In tribus codicibus Erfurtensibus et in aliquot antiquioribus editionibus legitur נְפֻרָשׁוֹת cum *Sin*, sensu non diverso, nam et פָּרַשׁ de *dispersione* diei vidimus supra 17, 21., ad quem loc. vid. not. וְהִצַּלְתִּי אֶתְהֶם מִכָּל־הַמְּקוֹמוֹת אֲשֶׁר־נָפְצוּ שָׁם *Et eripiam eos ex omnibus locis, quibus dispersi sunt.* Ut pastor dissipatas oves ad unum cogit et congregat ovile, sic Deus dissipatum populum ad antiquas caules reducet, ad fines nempe terrae Israelitieae, unde ad varias regiones diffluxerant. GROTIUS: „Reducam Judaeos ex omnibus locis imperii Babyloniei, imo et ex Aegypto et aliunde." בְּיוֹם עָנָן וַעֲרָפֶל *Die nubis et caliginis*, i. e. tempore calamitatum et miseriarum pleno, ut supra 30, 3. ABARBENEL: „Per metaphoram *diem* destructionis, qua misere Hierosolyma conflagrata fuit, fumo ejus, spissae instar *nubis* ac terribilis *caliginis*, ascendente, indicat."

13. וְהוֹצֵאתִים *Educam enim eos*, ut olim ex Aegypto, Exod. 6, 6. 7, 4. 5. וְקִבַּצְתִּים מִן־הָאֲרָצוֹת Vid. supra 11, 17., et cf. Deut. 30, 3. Jes. 56, 8. Mich. 2, 12. וְהֵבֵיאוֹתִים אֶל־אַדְמָתָם, ut 33, 21. בְּאֲפִיקִים *In alveis*, i. e. in convallibus et loeis humilioribus, in quibus aqua colligi solet, cf. 6, 3. 31, 12. וּבְכָל מוֹשְׁבֵי הָאָרֶץ *Et in omnibus habitationibus hujus terrae*, a figuratis loquutionibus delabitur ad propriam. His vero omnibus

significat, reversos e terris exteris in antiquis sedibus secure et tranquille habitaturos.

14. בְּמִרְעֶה־טוֹב אֶרְעֶה אוֹתָם *In pascuo bono*, uberrimo, *pascam eos*, res eorum me rectore florebunt, et habebunt se prosperrime. Cf. eandem imaginem Ps. 23, 2. וּבְהָרֵי מְרוֹם־יִשְׂרָאֵל *Et in montibus celsitudinis* s. in montibus excelsis *Israelis*, i. e. iis in montibus, quibus Israeliticus populus maxime gloriabatur, et prae ceteris populis eminebat, quales erant montes Hierosolymitani, regni et cultus Jovani sedes; cf. 17, 23. et ibi not. Seculi aurei, rege illo augustissimo, et prisca Davidis stirpe oriundo, redituri felicitas describitur meris imaginibus e vita pastoritia petitis, ut Jes. 32, 18.

15. אַרְבִּיצֵם *Recubare faciam eos*, dabo eis pacem et tranquillitatem. Cf. Jes. 49, 10.

16. Quae supra Vs. 4. sqq. desiderabat Deus in pastoribus Israelis, ea omnia se perfecturum dicit. וְאֶת־הַשְּׁמֵנָה וְאֶת־הַחֲזָקָה *Pinguem autem et validam*, indeque protervam, lascivientem et petulcam. Malo enim sensu haec capienda esse, constat ex iis, quae sequuntur, tum Vs. 17., ubi verba, *vos autem, oves meae*, docent de aliis ovibus, videlicet refractariis, jam dictum esse, tum Vss. 18. 19., ex quibus patet, in iis, quae praecesserunt, non bonarum modo ovium consolationem, sed malarum etiam reprehensionem contineri, tum maxime ex Vs. 20., ubi *pecus pinguis* manifeste est mala et refractaria, coll. Vs. 17. Divites igitur et potentes, qui tenues opprimebant et vexabant, ovibus pinguibus validisque designari, non est dubium. Et Chaldaeus *impios et peccatores* explicuit. Quos minatur Deus tollendos e suo grege, id enim verbo אַשְׁמִיד indicatur. „Arabibus," ait Michaelis in *Supplemm.* p. 2331., „שמד plerumque de superbia dicitur, estque (primarie, ut ego arbitror) *altus fuit*, *sustulit caput*, unde dein *superbiam* dicunt; hinc Hebraeis הַשְׁמִיד *tollere*, pro *perdere*, *exitio dare*. Eadem in latino verbo *tollere* significationum conjunctio, ut cum Octavium Cicero ornandum *tollendumque* censuit." Cf. supra 14, 9. 25, 7. Alexandrinus Graecus interpres verba hebraica וְאֶת־הַשְּׁמֵנָה וְאֶת־הַחֲזָקָה אַשְׁמִיד, sic vertit: *καὶ πῖον καὶ ἰσχυρὸν φυλάξω*, quem sequutus Vulgatus: *et quod pingue et forte custodiam.* Neque aliter Syrus atque Lutherus *(Was fett und stark ist, will ich behüten)*, quasi in hebraeo pro אַשְׁמִיד esset אֶשְׁמוֹר scriptum, quod miror Dathium receptae lectioni praeferendum arbitratum esse, quum ex iis, quae de significatione nominum הַשְּׁמֵנָה et הַחֲזָקָה monuimus, appareat, receptum in codices hebraeos אַשְׁמִיד jure optimo suum locum tenere. Cf. Bochartı *Hieroz.* P. I. L. II. C. 46. T. I. p. 597. edit. Lips. אַרְעֶנָּה בְּמִשְׁפָּט *Pascam* enim *eum*, pinguem, *in judicio*, prouti eorum petulantia et intemperantia commeruit. De tali judicio, quo in sontes animad-

vertitur, verbum שָׁפַט et supra 7, 3. 1 Sam. 3, 13. Ps. 7, 12. usurpatur.

17. Increpatis pastoribus convertit se ad gregem, i. e. ad populum, praesertim ad proceres. וְאַתֶּנָּה צֹאנִי *Vos autem, o mi grex!* Vel: *nam ad vos quod attinet* etc., ut conneetatur cum iis, quae proxime praecesserunt, q. d. nc putetis, solos pastores malos taxandos, vos autem prorsus inculpatos esse. הִנְנִי שֹׁפֵט בֵּין־שֶׂה לָשֶׂה *Ero judicans inter pecudem et pecudem*, cf. Vs. 20. Chaldaeus: *inter virum et virum.* Verba, quae proximc sequuntur, לָאֵילִים וְלָעַתּוּדִים, non sunt vertenda, *inter arietes et inter hircos*, sed posteriori לָשֶׂה jungenda hoc sensu: inter pecus *et pecus*, *arietes* videlieet, *et hircos*, sive ut Vulgatus rcete: *inter pecus et pecus arietum et hircorum*, nam verba לָאֵילִים וְלָעַתּוּדִים ut appositionem et epexegesin pertinerc ad posteriorem voeem לָשֶׂה, quae praeeedit, docet praefixi Lamed identitas. *Arietum* autem et *hircorum* nomine *proceres*, et insolentes quidem illi in reliquum gregem, s. populum significantur, vid. infra 39, 18. Jes. 14, 9. Zachar. 10, 3. Unde rectc Chaldaeus: *peccatores et impios.* Et Coccejus: „In judicio statuit coram se ab una parte ovem s. parvam pecudem, ex altera parte etiam *ovem* (pinguem et validam Vs. 16.), et arietes atque hircos, nempc ut uni ovi [i. e. ovium generi] suceurrat, et ejus vindex sit adversus *arietes* atque *hircos.*“

18. הַמְעַט מִכֶּם *Num* enim *parum vobis est?* Vulgatus: *nonne satis vobis erat?* ut supra 16, 20. Job. 15, 11. הַמְּרְעֶה הַטּוֹב תִּרְעוּ Quod vos, robustae oves (Vs. 16.), arietes et hirci (Vs. 17.), *optimum pascuum depascitis?* וְיֶתֶר מִרְעֵיכֶם תִּרְמְסוּ בְּרַגְלֵיכֶם *Et reliquum pascuorum vestrorum conculcatis pedibus vestris?* quod ferinum est potius, quam pecuinum, uti Daniel 7, 7. de quarta illa fera, ceteris ferociore, *comedebat, ac comminuebat, et reliquum pedibus suis conculcabat.* וּמִשְׁקַע־מַיִם תִּשְׁתּוּ *Et sedimentum* purum *aquarum*, i. e. puras ac limpidissimas aquas, seorsim a sedimento sumtas, in quibus desidunt omnes sordes (cf. verbum תִּשְׁקְעוּ supra 32, 14., et ad cum loc. not.), vos ipsi *bibitis.* וְאֶת־הַנּוֹתָרִים בְּרַגְלֵיכֶם תִּרְפְּשׂוּן *Reliquas* vero aquas *pedibus vestris conturbatis*, cf. 32, 2., ejusdem boni usuram aliis invidentes, ne quid iis purum supersit. Significat, proceres istos atque potentes, pararc sibi delicias ex communibus bonis; eum autem optima quaeque et suavissima libassent, reliqua, quae sibi voluptati atque usui fore non putabant, sic invidebant aliis, ut relinquerent ita foedata ac turbita, ut nauseam moverent potius, quam aviditatem. Illa in imagine, ait Bochartus l. c. p. 598., „si quaedam minus conveniunt veris ovibus, quadrant tamen in oves mysticas, quae hic intelliguntur, id est, in Israelitas, in quibus multi divites post plenam messem et vindemiam pauperibus spicilegium et racemationem invidebant.

Neque hoc insolens apud prophetas, ut plus sit ἐν τῷ ἐπιμυθίῳ, quam ἐν τῷ μύθῳ, et ea tribuantur τῷ τυπωθέντι, quae in typum minus cadunt."

19. וְצֹאנִי *Atque* sic *grex meus*, qui *oves meae* vere sunt, Vs. 12. 15. 22. Eam enim emphasin videtur accentus *Athnach* primae Versus voci appositus indicare. מִרְמַס רַגְלֵיכֶם תִּרְעֶינָה *Conculcatum* tantum *pedibus vestris* (Vs. 18.) *depascere coguntur.*

20. אֲלֵיהֶם *Ad eos*, pios et impios, his in terrorem, illis in solatium. הִנְנִי אֲנִי *Ecce ego, ego*, inquam, adero, ut Vs. 11. בְּרִיָּה *Opimam*, saginatam, de qua Vs. 16. De hac voce MICHAELIS in *Supplemm.* p. 217.: „Semel occurrit Ezech. 34, 20. manifesta *pinguedinis* significatione, collato Vs. 3. Suspicor autem, aliis punctis instruendum esse, בְּרִיָּה (Jod post J Dagesch accipiente, et Aleph more Chaldaeorum omisso), aut cum tribus Kennicotti codicibus בְּרִיאָה legendum. Prius praeplacet." וּבֵין שֶׂה רָזָה *Et inter ovem macilentam*, Num. 13, 21. GROTIUS cum Chaldaeo: „*Inter divites et pauperes*, hos vindicabo, illos puniam." BOCHARTUS l. c.: „Palam est, oves *pingues* opponi *macris*, ut malos bonis; et protervos, qui rerum successu insolescunt, tenuibus et humilibus."

21. יַעַן בְּצַד וּבְכָתֵף תְּהַדֹּפוּ *Eo quod lateribus et humeris* vos pingues s. opulenti *truditis*, impellitis, ut solent pecudes minores a majoribus trudi et incursari, cf. Num. 35, 20. Prov. 10, 3. וּבְקַרְנֵיכֶם תְּנַגֵּחוּ *Et cornibus vestris*, i. e. potentia vestra, ut Chaldaeus vertit, *feritis*, instar hircorum et arietum petulcorum, vid. Dan. 8, 4. Cf. Bochartı l. c. p. 599. הַנַּחֲלוֹת *Infirmas*, vid. not. ad Vs. 4. עַד אֲשֶׁר הֲפִיצוֹתֶם אוֹתָנָה *Donec disperseritis*, expuleritis *eas*, Jer. 23, 1. 2. אֶל־הַחוּצָה *Foras*, e caula s. stabulo suo. Potentes illi infirmam plebem, quae parum habebat ad resistendum virium, omnibus modis vexabat et opprimebat.

22. Quia ergo gregem hunc infirmum vexabat lacerabatque vis et injuria potentiorum, ideo Deus suarum dicit esse partium, illius suscipere patrocinium, et praedam extraherc ex illorum faucibus, qui bona illorum, qui vim et injuriam propulsare non poterant, sua putabant esse commoda. וְהוֹשַׁעְתִּי לְצֹאנִי וְלֹא־תִהְיֶינָה עוֹד לָבַז *Et salutem praestabo gregi meo, nec erunt amplius praedae.* וְשָׁפַטְתִּי בֵּין שֶׂה לָשֶׂה *Et judicabo inter oves et oves*, vid. Vs. 17. 20. Pericopam quae inde ab hoc Versu usque ad finem Capitis continctur Latine reddidit et Notis illustravit JOA. JAHN in *Append. Hermeneut.* P. II. p. 78. sqq.

23. וַהֲקִמֹתִי עֲלֵיהֶם *Praeficiam* enim *eis*, ut verbum קוּם cum עַל constructum Deut. 28, 36. legitur. רֹעֶה, *Pastorem*, regem, vid. not. ad Vs. 2. אֶחָד *Unum*, sinc socio et vicario, cf. infra 37, 24. Nisi forsan utroque loco אֶחָד *unicum* signi-

ficaverit, ut hoc dicat, singularem futurum esse pastorem illum, quocum nemo pastorum conferri queat. וְרָעָה אֶתְהֶן *Qui pascat eas*, genus variat, quia צֹאן est generis communis. אֶת־עַבְדִּי דָוִיד *Ministrum meum, Davidem*, quo significare potest vel talem regem, qui Davidem referat pietate, virtute et fortitudine, vel, ex Davidico genere prognatum; quomodo PERSIUS *Sat.* 1. 87. *Romulum* ponit pro *Romano*. Rege vero illo e stirpe Davidica oriundo, quem vates h. l. promittit, Grotius *Sorobabelem* existimat innui, qui *pastor* potuerit *populi* vocari, quia eum ad antiqua pabula, i. e. Hierosolymam reduxit, cui et recte *Davidis* nomen competierit, quia is, si quis alius, ex Davidico genere prognatus est. Sed tam praeclara sunt, quae de hoc pastore vaticinatur et promittit propheta, ut in Sorobabelem nullo modo cadere possint, qui ne *rex* quidem Israelitici populi dici potuit, quem tamen minime רֹעֶה, et Vs. 24. voce נָשִׂיא intelligendum esse, non dubium, multo minus vero tempora tam felicia adduxit, qualia rege illo futura promittit vates Vss. 25. seqq. Significatur igitur magnus ille rex, qui Hebraeis *κατ' ἐξοχὴν* הַמָּשִׁיחַ, *Unctus*, nuncupari solet (cf. not. supra ad 17, 22. T. I. p. 480.); qui et a Nostro infra 37, 24., et a Jeremia 30, 9. atque ab Hosea 3, 5. *Davides* appellatur. Atque locis hisce significari illum ipsum *veterem Davidem*, quem sperarent futuro aliquo tempore regnum priscum, sed multo amplius atque augustius restauraturum, minime improbabile fuerit. Alere enim poterat ejusmodi spem opinio illa veteribus communis fere de rerum omnium *ἀποκαταστάσει*, revolventibus sese et redituris aetatibus, de qua re dictum ad 16, 53. (Vol. I. p. 442.). Certe huic opinioni consentanea erat veterum Persarum exspectatio de redituro ultima mundi aetate rege vetere Paschutan, Gustaspi filio, quo Gustaspo regnante atque favente suam doctrinam promulgaverat Zoroaster. Illum igitur Paschutan, qui et ipse olim doctrinae Zoroastrianae in provincia Vardjemguerdiana propagandae ministrum se praebuerat, credebant Persae extremis temporibus veterem ac puram religionis doctrinam, priscumque Persicum regnum ita esse restituturum, ut omnium rerum abundantia et prosperitas, atque pax universa terrarum orbem sint beaturae. Vid. *Mémoires sur diverses Antiquités de la Perse par Silvestre* DE SACY (Paris. 1793. 4.) p. 94. sqq.

24. וַאֲנִי יְהוָה אֶהְיֶה לָהֶם לֵאלֹהִים Vid. not. supra ad 11, 20. Repetitur eadem promissio infra 36, 28. נָשִׂיא *Princeps*, i. e. rex, מֶלֶךְ, quod ipsum nomen in eadem promissione infra 37, 24. 25. legitur. אֲנִי יְהוָה דִּבַּרְתִּי *Ego, Jova, haec loquutus sum.* Non vana erit promissio, qui a me, aeterno, qui falli non potest, est pronunciata.

25. וְכָרַתִּי לָהֶם בְּרִית שָׁלוֹם *Et feriam cum iis foedus pacis*, paciscar cum illis foedus novum, quod pacem ipsis et

tranquillitatem inducet. *Pacis* autem nomine Hebraeos prosperitatem significare, omniaque quae nobis in votis esse possunt, notum. De notione *foederis*, quod Deus tempore futuro cum populo Israelitico initurus pluribus locis dicitur, vid. not. supra ad 16, 60. וְהִשְׁבַּתִּי חַיָּה רָעָה מִן־הָאָרֶץ *Et cessare faciam bestias malas e terra*, feriae bestiae cicures fient, non amplius occident aut alio modo nocebunt et ita desinent esse pessimae, uti et Jesajas cecinit de hoc ipso tempore 11, 6. sqq. 65, 25., coll. Hos. 2, 20., et Sibylla apud VIRGILIUM *Eclog.* 4, 13. 14. *Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri, Irrita perpetua solvent formidine terras.* Et statim (Vs. 22. sqq.) magis ad hunc locum: — — *nec magnos metuent armenta leones; Occidet et serpens, et fallax herba veneni.* Ad amplificandam descriptionem eorum temporum, quibus alta pax, et summa tranquillitas regnabunt, qualia et Zachar. 3, 10. et Mich. 4, 4. depingunt, pertinet quoque, quod subjicitur, וְיָשְׁבוּ בַמִּדְבָּר לָבֶטַח וְיִשְׁנוּ בַּיְעָרִים *et habitabunt* scil. habitantes, homines, *in deserto securi*, *dormientque* securi *in saltibus.* Nam si belluae noxiae tollendae, aut cicurandae sunt, consequens est, ut quisque secure possit somnos capere, ubi illae plerumque degunt, nempe in saltibus locisque desertis. Minus commode haec referunt alii ad feras, quae securae ab insidiis venatorum in pascuis degere dicantur, quod jam innocuae sint redditae. Cf. Vs. 27. Literae ביעורים, quae in textu positae reperiuntur, his animandae sunt vocalibus, בַּיְעוֹרִים a singulari יָעוֹר, quemadmodum יָעִר et יָעוֹר permutantur cum plurali constructo יַעְרֵי 1 Chron. 20, 5. et 2 Sam. 21, 19.

26. ABARBENEL: „Pollicetur, fore, ut, quamvis terra Israelitica ob proventum vilipendatur, eo maxime aevo, quo populus proprius ex eadem secessit, alia tamen venturis temporibus rerum futura sit facies.“ וְנָתַתִּי אוֹתָם וְסָבִיבוֹת גִּבְעָתִי בְּרָכָה *Et reddam eos et* eos qui sunt in *circuitu collis mei, faustam precationem*, i. e. illos, qui terram Israeliticam incolent, et eos maxime, qui Hierosolymitanam urbem habitabunt, omnibus bonis cumulabo. גִּבְעַת יְהוָה *Collem Jovae* esse *Zionem montem*, patet ex Jes. 31, 4. Chaldaeus: *domum sanctitatis meae* vertit. בְּרָכָה, abstractum pro concreto, בְּרוּכִים, cf. not. ad Genes. 12, 2. et STORRII *Observatt.* p. 17. 19. 20., vel, *exemplum faustitatis*, ut supra 26, 21. in phrasi simili, quae tamen sensum oppositum malum habet. וְהוֹרַדְתִּי הַגֶּשֶׁם בְּעִתּוֹ *Et deducam imbrem tempore suo*, pluviam innuit tam auctumnalem, quae tempore faciundae sementis humectat terram et disponit ad satum, tum alteram vernam, quae sata ad spicam granumque deducit (גֶּשֶׁם מוֹרֶה וּמַלְקוֹשׁ, ut dicitur Joel. 2, 23. conf. not. ad Deut. 11, 14.); si utralibet harum desit, sterilis est ager, et fames timetur. Nam quum Palaestina flumine magno irrigua non sit, ut Aegyptus Nilo, sed

ex coelo exspectet pluviam; sit, ut inter Judaeos in maximis malis numerarctur pluvia deficiens, et summum existimetur bonum opportunus imber, qui propterea inter ea bona, quae Israelitis praecepta divina servaturis promittuntur Levit. 26, 4, sqq., primum locum obtinet. Cf. Dent. 11, 14. Quare dum Deus h. l. populo suo, quum ad agros patrios excolendos redierit, pluviam utramque, auctumnalem et vernalem, promittit, ei omnia tam usui quam votis opportuna pollicetur. גִּשְׁמֵי בְרָכָה *Pluviae benignitatis*, i. e. non vehementes, quae sternunt sata, aut confringunt arbores (מָטָר סֹחֵף *pluvia abripiens*, *qua fames adducitur*, Prov. 28, 3.), qualem descripsit Noster supra 13, 13.; sed molliores et benigniores, quae terram irrigant atque foecundant, qualem optabat Moses Deut. 32, 2.

27. וְנָתַן עֵץ הַשָּׂדֶה אֶת־פִּרְיוֹ וְהָאָרֶץ תִּתֵּן יְבוּלָהּ *Dabitque arbor agri fructum suum, et terra dabit proventum suum.* Benigna illa atque opportuna pluvia efficiet, ut arbores suos fundant fructus, et terra acceptum semen cum usura rependat. וְהָיוּ עַל־אַדְמָתָם לָבֶטַח *Eruntque super terram suam secure.* Neque erit ullus metus, qui illorum conturbet pacem et tranquillitatem. Eadem prorsus promissa leguntur Levit. 25, 18. 19. 26, 3. 4. בְּשִׁבְרִי אֶת־מֹטוֹת עֻלָּם *Quando* nimirum *fregero vectes jugi eorum*, quando populus captivitate laxata, et jugo e cervicibus excusso respirare coeperit. Vid. eandem imaginem supra 30, 18. Respicit autem Noster ad ea, quae Levit. 26, 13. leguntur. וְהַצַּלְתִּים מִיַּד הָעֹבְדִים בָּהֶם *Et eripiam eos e manu eorum, qui opus faciebant per eos*, i. e. qui iis pro servis usi sunt. Ut Exod. 1, 14. de Aegyptiis Israelitas dura servitute opprimentibus: *Vitam eis acerbam reddiderunt, arenatum et lateres durius exigendo, et omne rusticani operis genus*, אֲשֶׁר עָבְדוּ בָהֶם *quod faciebant per eos*, ad quod perficiendum iis pro servis utebantur. Observat Kimchi, verbum עָבַד in *Cal* dici tam de eo, *qui servit*, quam de eo, *cui servitur*, sed discrimen esse in syntaxi. Nam priore illa significatione construi cum אֶת, sive verbum praecedat, ut Genes. 14, 4. עָבְדוּ אֶת־כְּדָרְלָעֹמֶר *servierunt Chedorlaomero*, sive sequatur, ut Genes. 27, 40. וְאֶת־אָחִיךָ תַּעֲבֹד *et fratri tuo servies.* Sed ubi in altera significatione dicitur *de Domino*, *qui servitio servi sui utatur* [אָדוֹן עוֹבֵד בְּעַבְדּוֹ], construitur cum ב, sive praecedat verbum, ut Lev. 25, 39. לֹא־תַעֲבֹד בּוֹ *non ut mancipio eo utaris*, sive sequatur, ut eodem Cap. Vs. 46. בָּהֶם תַּעֲבֹדוּ *iis ut mancipiis utemini.* In locis vero posterioris generis, quibus cum ב verbum עָבַד construitur, id significationem *operis faciendi* obtinere, quae ducta sit a potestate *servitutis*, unde *opus facere per aliquem*, seu, *uti aliquo ad opus faciendum* (Jerem. 22, 13.) est *habere aliquem servum* (Jerem. 30, 8. 34, 9.), recte monuit Storr in *Observatt.* p. 268. not.

28. וְלֹא־יִהְיוּ עוֹד בַּז לַגּוֹיִם Cf. supra Vs. 8. 22. וְחַיַּת הָאָרֶץ לֹא תֹאכְלֵם Vid. Vs. 25. וְיָשְׁבוּ לָבֶטַח Vid. Vs. 25. et cf. Jes. 32, 17. Jer. 33, 16. Zachar. 14, 11. וְאֵין מַחֲרִיד *Et nemo erit, qui terreat*, ex Levit. 26, 6. Cf. Mich. 4, 4.

29. Verborum וַהֲקִמֹתִי לָהֶם מַטָּע לְשֵׁם sensum nulli superiorum interpretum satis perspectum fuisse deprehendo. Nomen מַטָּע fere *plantae* significatione capiunt, eoque designari existimant regem illum illustrem, e stirpe Davidica oriundum, cujus celebre erit et gloriosum nomen, de quo supra Vs. 23. Ac illum quidem *germinis* imagine pluribus prophetarum locis sisti, v. c. Jes. 4, 2. 11, 1. Jer. 23, 5. Zachar. 3, 8. 6, 12., dubio caret, Ita LXX: Ἀναστήσω αὐτοῖς φυτὸν εἰρήνης, quasi שָׁלֵם pro לְשֵׁם legissent. Quomodo et Syrus: נְצַבְתָּא דִשְׁלָמָא *plantam pacis.* Vulgatus: *et suscitabo eis germen nominatum.* Verum מַטָּע non *plantam*, sed *locum, quo quid plantatur, plantarium*, significare, et ipsa nominis, praefixo מ ab initio aucti, forma indicat (vid. Simonis *Arcan. Formar.* p. 451.), et patet e nostri vatis locis supra 17, 7. 31, 4., nec non Mich. 1, 6. Locus vero, in quo civitatis novae socii plantabuntur, terra ab eis habitanda erit. Imaginem nostram illustrat Amosus, qui in descriptione eorundem temporum, de quibus heic Noster, haec habet 9, 15.: וְנָטַעְתִּים עַל־אַדְמָתָם *et plantabo eos in terra sua*, ita eos in terra sua sedibus firmis pangam, *ut non amplius evellantur ex sua terra, quam eis dedero, inquit Jova, Deus tuus.* Eadem promittit Deus apud Jeremiam 24, 6. *Eos in terram hanc reducam, instruamque, non evertam,* וְנִטַּעְתִּים וְלֹא אֶהֱרוֹס *et plantabo eos, non evellam.* Cf. Jer. 32, 14. Hausta haec omnia sunt ex iis, quae 2 Sam. 7, 10. leguntur Davidi promissa divinitus per Nathanem: *Constituamque locum populo meo Israelitico,* וְנָטַעְתִּיו *et plantabo eum, et habitabit ibi* constanter et quiete, *neque amplius perturbabitur.* Ceterum nomen מַטָּע eodem plane, quo hoc nostro loco, sensu exstat apud Jesajam, qui 60, 21. de aevo illo felicissimo, de quo Ezechiel: *Tuus autem populus, justi omnes, semper terram possidebunt,* נֵצֶר מַטָּעַי מַעֲשֵׂה יָדַי לְהִתְפָּאֵר *surculus plantarii mei, manuum mearum opus, quod mihi sit honestamento.* Et paulo post 61, 3. de Sioniis reducibus: *Ut vocentur arbores justitiae,* מַטָּע יְהוָה לְהִתְפָּאֵר *Jovae plantarium, quo decoretur.* Dictioni לְהִתְפָּאֵר utroque Jesajano loco respondet nostro לְשֵׁם *in nomen*, scil. *praeclarum et illustre*, quod de ejusmodi rebus dici solet, quae admirationem aliis movent, atque adeo multum sunt in aliorum ore. Ita Deut. 26, 19. *Et reddat te superiorem omnibus populis a se conditis,* לְתִהְלָּה וּלְשֵׁם וּלְתִפְאָרֶת *in laudem, famam et decorem.* Et Jer. 13, 11. promittit Deus se sibi ita applicaturum populo Israelitico, לִהְיוֹת לִי לְעָם וּלְשֵׁם וּלְתִהְלָּה וּלְתִפְאָרֶת *ut mihi sit populus, et famae et laudi decorique.* Cf. Zephan. 3, 19. וְשַׂמְתִּים לִתְהִלָּה וּלְשֵׁם *Et ponam eos*

laudi et famae, i. e. laudem et famam eis conciliabo, laudatos et celebres eos reddam, *ubicunque terrarum erubuerint* prius. Ex quibus omnibus patet, verborum nostrorum, וַהֲקִמֹתִי לָהֶם מַטָּע לְשֵׁם, *constituam eis plantationem in famam*, sensum hunc esse, sedem eis praestabo fixam atque praeclaram; patriam terram, quae rerum omnium fortunata atque laudatissima evadet, securi atque tranquilli perpetuo habitabunt, neque inde postea unquam vi ulla hostili expellentur. Cui sententiae jam apte subjungitur, *neque amplius exstituros in terra* אֲסֻפֵי רָעָב *qui fame absumantur*, proprie *collectos fame*, sed verbum אָסַף, quod primum *colligere*, v. c. fruges (Deut. 28, 38. 16, 13.), denotat, saepe, quia quae colliguntur, ea de loco, unde colliguntur, domum vel alio *auferuntur*, valet *auferre*, *tollere*, deque *excidio* et *morte* dicitur, ut Zephan. 1, 2. Conf. not. ad Ps. 26, 9. Opponitur haec promissio minis supra 5, 12. 16. 6, 11. 12. וְלֹא־תִשְׂאוּ עוֹד כְּלִמַּת הַגּוֹיִם *Neque portabunt*, sustinebunt, *amplius opprobrium gentium*, i. e. ab aliis gentibus, quod repetitur infra 36, 6. 15.

30. Ex ea benevolentia rerumque successu cognoscent, et Deum esse me et ab ipsis non abesse, sed me protectorem habere, et se esse gentem, praecipuo quodam modo meae fidei ac patrocinio commissam.

31. Quid sibi velint haec verba, וְאַתֶּן צֹאנִי צֹאן מַרְעִיתִי, אָדָם אַתֶּם אֲנִי אֱלֹהֵיכֶם *vos autem, o grex mi, grex pascui mei, homines estis, ego vero Deus vester*, dissentiunt. Communior sententia est, explicari his verbis allegoriam, et clarius exponi, quae dicta prius fuerant obscurius. Quasi dicat: in grege homines, in pastore me ipsum intelligo. Ita HIERONYMUS: „Ne putaremus, universa, quae dicta sunt, ad pastores, et oves, hircosque et arietes pertinere, solvit aenigma, imo metaphoram, et ponit manifestius: *vos autem oves meae et oves pascuae meae homines estis.* Omnis igitur sermo divinus de hominibus est, ad quos dicit: *Ego sum Dominus, Deus vester, dicit Dominus, Deus.*“ Alii credunt, *homines* dici, quia, ex quo Deum pastorem habebunt et magistrum, pecudes esse desinant, et humano potius modo, quam belluino, vivent; simili sententia Ps. 32, 9. Sed verba eo potius tendere videntur, quod, quum plura pollicitus esset Deus, quae non videbatur assequi posse infirmitas humana, ut, quod nihil timendum esset a feris, nihil ab hominum rapinis, et alia, jam Deus ostendat, non ab hominum industria ac robore illa exspectanda esse, sed a Deo. Quasi dicat: neque illud vestra solertia ac viribus faciendum est, quid enim ab humana virtute, qualis est vestra, sperari possit eximium? Ego, Deus vester, pro vobis, qui meus estis grex, ego ipse praestabo.

CAP. 35.

Argumentum.

Quum anguste premeretur Hierosolyma ab hoste Babylonio, Idumaei, qui jam dudum a primis suae familiae seculis, odio plusquam hostili ab Israele dissederant, exsultabant animo, cum sterni viderent inimicas vires, et sperarent fore, ut nova provinciae accessione Idumaeum amplificaretur imperium. His igitur Deus minatur excidium per eos, a quibus sibi sperabant omnia. Quod sustinebunt gaudentibus atque insultantibus aliis, ut hac etiam in re Idumaeorum calamitas Judaeorum calamitati respondeat.

2. שִׂים פָּנֶיךָ Vid. not. supra ad 13, 17. עַל־הַר שֵׂעִיר *Contra montem Seir*, i. e. contra Idumaeos, in montanis Seir habitantes, Genes. 36, 9. Cf. not. supra ad 25, 8. 12.

3. הִנְנִי אֵלֶיךָ *Ero contra te*, cf. 34, 10. וְנָטִיתִי יָדִי עָלֶיךָ *Extendam manum meam* ad plagam infligendam, ut supra 6, 14. 25, 7. 13. וְנָתַתִּיךָ שְׁמָמָה וּמְשַׁמָּה 33, 28. 29.

4. Exscindam urbes, depulsisque civibus, quibus eras frequens, nihil in te praeter solitudinem et vastitatem relinquam.

5. יַעַן הֱיוֹת לְךָ *Quoniam* enim *est tibi*, *ideo* (לָכֵן) Vs. 6. Cf. Vs. 10. 11. אֵיבַת עוֹלָם *Inimicitia aeterna* cum Israelitis, continuando et augendo avitam illam simultatem et odium, quo utriusque gentis parentes sese jam intra materni claustra uteri conclusi invicem prosequutos esse, et aeterna odia portendisse narratur Genes. 25, 22. sqq. 27, 37. Perpetuas autem illi populi exercuerunt inimicitias, vid. e. c. Amos. 1, 11. Ps. 137, 7. et ad eum loc. not. Tunc vero maxime ostenderunt, quo essent animo in Judaeorum genus, quando nacti sunt opportunum tempus, ut illos tuto male possent accipere, ut noster subjungit. וַתַּגֵּר אֶת־בְּנֵי־יִשְׂרָאֵל *Et propterea quod fluere fecisti*, i. e. dejecisti (vid. de hoc verbi נָגַר in Hiphil significatu not. ad Mich. 1, 6.) *filios Israel*. Minus recte alii: *diffluere fecisti filios Israelis*, i. e. sanguinem Israelitarum effudisti. עַל־יְדֵי חֶרֶב *Per gladium*, ut Jer. 18, 21. Ps. 63, 11., ubi eadem, quae h. l. loquutio, הַגִּיר עַל יְדֵי חֶרֶב, quam *prosternere* aliquem, *occidere gladio* significare, non dubium esse potest. בְּעֵת אֵידָם *Tempore calamitatis eorum*, ut Obadias Vs. 13. in ejusdem argumenti vaticinio; quum ab Assyriis, et deinde a Chaldaeis premerentur. בְּעֵת עֲוֹן קֵץ Vid. not. supra ad 21, 30. Quum poenae et excidii Judaeorum tempus advenisset. JARCHI: „Tradebant Idumaei Israe-

litas hostibus suis, quum fuga sibi consulere vellent in terram ipsorum.“ Similiter Obadias Vs. 14. Idumaeos alloquutus: *neque debebas consistere ad bivia ad perdendos qui evasuri essent, nec hostibus tradere fuga elapsos tempore calamitatis.*

6. לָכֵן חַי־אֲנִי נְאֻם אֲדֹנָי יֱהוִה כִּי־לְדָם אֶעֱשֶׂךָּ *Ideo, vivo ego (dictum Domini Dei) quod sanguini* s. *in sanguinem faciam*, i. e. caedi exponam *te*. Particula כִּי post formulam jurisjurandi, ut h. l., ponitur et Zephan. 2, 9. Ruth. 1, 17. 1 Sam. 14, 44. 25, 34. al. Alii: sanguine totum perfusum, sanguine natantem te efficiam. Chaldaeus: *in occisionem te faciam.* וְדָם יִרְדָּפֶךָּ *Et sanguis*, i. e. sanguinis a te effusi, caedis a te perpetratae reatus et poena, *te persequetur.* דָּם h. l. notat reatum ex sanguine effuso contractum, eum ejus poena, ut supra 33, 4. 5. Exod. 22, 1. 2. Levit. 20, 9. אִם־לֹא דָם שָׂנֵאתָ *Quandoquidem non odisti sanguinem*, i. e. sanguinis effusionem, sed e caedibus voluptatem capere videbaris. Alii: *nisi oderis sanguinem*, i. e. nisi abstinueris ab effundendo sanguine, sanguis quoque tuus effundetur. Sunt, qui nomen דָּם h. l. pro *consanguinitate* s. *consanguineis* capiant, hoc sensu: *si non* (sensu jurantis, ut supra 5, 11. 17, 16.) quia *sanguinem odisti*, *sanguis te sit persequuturus*, i. e. odisti sanguinem et propinquitatem fratris tui Jacobi (et posterorum ejus), quem amare debueras ut consanguineum, ideo cruenti hostes tibi instabunt. Sed de *consanguinitate* nomen דָּם in V. T. nusquam usurpatum legitur, neque necesse est, ut hoc solo loco ea significatione illud sumamus. וְדָם יִרְדָּפֶךָּ *Ideo sanguis* s. caedes *persequetur te*, ut sanguine, quem adeo sitiisti, satieris tandem, sed tuo ipsius, non aliorum. Alii: sanguis a te effusus te persequetur, expetet de te vindictam. Chaldaeus: *et effundentes sanguinem persequentur te.* Ceterum toties repetito hoc Versu nomine דָּם respicitur dubio procul nomen אֱדוֹם, gentis Idumaeae. Esse enim דָּם pro אֱדָם, uti et aliquando Chaldaei Syrique scribunt, et Poenos olim, teste Hieronymo, sanguinem *Edom* dixisse, post alios monuit Michaelis in *Supplemm.* p. 447.

7. אֶת־הַר שֵׂעִיר Vid. Vs. 2. 3. לְשִׁמָּמָה וּשְׁמָמָה *In devastationem et desolationem*, l. e. in omnimodam et extremam desolationem; cf. supra 33, 28. Similiter de Idumaea Maleachi 1, 3. *Esavum odio habui*, וְאָשִׂים הָרָיו שְׁמָמָה *et montana ejus in vastitatem redigam.* Pro וּשְׁמָמָה in aliquot codicibus legitur וּמְשַׁמָּה, ut supra Vs. 3. וְהִכְרַתִּי מִמֶּנּוּ *Et exscindam ex eo*, ut supra 14, 17. עֹבֵר וָשָׁב *Transeuntem et redeuntem*, i. e. omnem viatorem, ut Zachar. 7, 14. *Et terra desolata fuit* מֵעֹבֵר וּמֵשָׁב *ita ut non esset transiens aut regrediens* per illam. Cf. Zachar. 9, 8. Jes. 33, 8. Jer. 9, 9. 12., et supra 33, 28.

8. וּמִלֵּאתִי אֶת־הָרָיו חֲלָלָיו *Replebo enim montes occisis ejus*, cadaveribus eorum, cf. supra 32, 5. גִּבְעֹתֶיךָ Et ad *colles tuos* quod attinet, בָּהֶם (sub finem Versus) *in eis* cadent etc.

וְגֵיאוֹתֶיךָ וְכָל־אֲפִיקֶיךָ Conf. 31, 12. חַלְלֵי־חָרֶב 31, 17. 18. Jes. 22, 2.

9. שְׁמָמוֹת עוֹלָם אֶתְּנֶךָּ Imo *vastitates aeternitatis te reddam*, aeternam tibi vastitatem inducam. Cf. Jer. 25, 12. 51, 26. 62. *Urbes tuae non revertentur*, תְּשֻׁבְנָה, sicuti legere jubet nota marginalis, id est, non restituentur in pristinum statum, ut 1 Sam. 7, 14. וַתָּשֹׁבְנָה הֶעָרִים *et redierunt urbes*, i. e. restitutae sunt urbes, quas Israelitis eripuerant Philisthaei. Cf. et supra 16, 55. Sed quod in textu scriptum est, תֵּישַׁבְנָה legendum, *habitabuntur* significat, nam et in Cal passive sonat, ut Jerem. 50, 13. 39. et supra 26, 20., ubi not. vid., quemadmodum Graecum *ναίω* et *ναιετάω*, *habito*, apud poëtas passive accipitur pro *habitor*, ut passim apud Homerum (v. c. Iliad. 2, 648. *ναιεταώσας πόλεις*), et apud Sophoclem in *Ajace flagellif.* Vs. 603., ubi Scholiastes: *ναίεις*, *ἐνεργητικὸν ἀντὶ παθητικοῦ ναίῃ*. Vulgatus: *et civitates tunc non habitabuntur*, nec aliter ceteri veteres. Ceterum in תֵּישַׁבְנָה quiescit *Jod*, prima radicalis, ut in אֵילְכָה, *incedam*, Mich. 1, 8.

10. יַעַן אֲמָרְךָ אֶת — תִּהְיֶינָה *Propterea quod dixisti* (cf. ad constructionem supra Vs. 5.) *duas illas gentes et duas illas regiones*, i. e. de duabus illis gentibus et regionibus: *mihi erunt*, meae ditionis fient. Quemadmodum quando decem tribus e suis finibus abductae sunt ab Assyriis, gentes irruperunt finitimae, ut de Ammonitis queritur Jeremias 49, 1.; sic etiam nunc Idumaei amplificandos esse fines suos existimabant adjectis Judaeorum possessionibus, cum sperarent illos inde fore a Babyloniis exturbandos. Quae vero sint duae terrae, quarum se futuros dominos putabant Idumaei, incertum est. Duo regna illa videntur esse posse, quae vacua jam ante reliquerant decem tribus ab Assyriis abactae, et quae nunc relicturae sperabantur duae aliae, quibus jamjam imminebat infensa Chaldaeorum acies. Item duo regna ita capi possunt, ut alterum sit Idumaeum, quod obtinebant, alterum Judaicum, quod jam spe certissima devorabant. Posterius probat Hieronymus, prius GROTIUS: „q. d. sperasti, te primum Salmanassaris dono posse consequi terram et captivos Samariae, deinde a Chaldaeis terram Judaeam, et captivos inde factos, qualem spem etiam Ammonitae conceperant, Jerem. 49, 1.“ Utramque sententiam admittunt verba, neque multo refert, hocne an illo modo sentias. וְיָרַשְׁנוּהָ *Et possidebimus eam* terram utramque. Alii suffixum singulare in specie referunt ad urbem Hierosolymitanam, vel ad universam terram Israeliticam, tanquam unam. Cf. Vs. 12. וַיהוָה שָׁם הָיָה *Quum* tamen *Dominus* ibi esset, quem revereri debebas. Opinantur aliqui, illud שָׁם, *ibi*, spectare Idumaeos, quibus Deus praesens aderat, audiebatque verba illa, ab audaci et superbo animo profecta, illaque severo supplicio destinabat. Cui opinioni favet, quod statim dicitur Vs. 12.: *et intelliges*, *me Dominum audivisse omnia tua oppro-*

bria adversus montes Israelis. Et Vs. 13. hoc idem repetit, et adversum se sermonem illum factum interpretatur, Eodem modo videtur Chaldaeus nostra verba accepisse: וּקְדָם יְיָ גְּלִיָן מְחִשְׁבַת לִבָּא *et coram Domino revelatae fuerunt cogitationes cordis tui.* Verum placet magis communis sententia, qua שָׁם ad terram Judaicam refertur. Quasi dicat Deus, non solum audacter et impie, sed etiam stulte promisisse Idumaeos sibi Hierosolymae regnum, quum tamen Deus esset ibi; vel quia templum nondum esset eversum, cum haec dicerentur ab Idumaeis (templum autem domicilium putabatur Dei, et quasi propria sedes), vel quia locus ille erat in Dei tutela. Cf. supra 25, 3. DATHIUS: „*Me adhuc* praesente, h. e. stante adhuc templo meo.“

11. כְּאַפְּךָ וּכְקִנְאָתְךָ *Secundum iram tuam et secundum zelum*, hostilem animum *tuum*, quem in Judaeorum populum ostendisti. אֲשֶׁר עָשִׂיתָה מִשִּׂנְאָתְךָ בָּם *Quem exercuisti ex odio tuo in illos.* Sicuti tu illis ex odio et invidia nocuisti, ita ego te vicissim severe tractabo; ego quoque iratus vicem tibi parem rependam. Cf. supra 25, 14. וְנוֹדַעְתִּי בָם *Et innotescam iis*, ut agnoscant potentiam meam. Chaldaeus: *et revelabo me ad benefaciendum iis.* Cf. 20, 5. 9. בַּאֲשֶׁר אֶשְׁפְּטֶךָ *Cum judicabo te*, eum judicium de tuo capite feram inimicum et grave. Chaldaeus: *quando ultionem sumam de te.*

12. שָׁמַעְתִּי אֶת־כָּל־נְאָצוֹתֶיךָ *Audivi omnes voces tuas contumeliosas*, ut 2 Reg. 19, 3. Nehem. 9, 18. 26. שֻׁמָּמוּ *Desolati sunt* montes Israelitici, deserti a suis incolis, occisis et abductis, Vs. 15. 33, 28. Deserti sunt Israelitici fines, in quos jam irrumpere nobis licebit. Quae in textu positae sunt literae (Chetibh), his animandae sunt vocalibus, שְׁמָמָה, *desolatio*, *solitudo* scil. facti sunt, coll. Levit. 26, 33. Similis scripturae varietas Ps. 73, 2. Job. 16, 16. לָנוּ נִתְּנוּ לְאָכְלָה *Nobis dati sunt in cibum*, in praedam, 34, 5. 8. 10.

13. Neque tantum populum Israeliticum petulantibus convitiis exagitastis, verum וַתַּגְדִּילוּ עָלַי בְּפִיכֶם *et contra me magnificastis* vos *ore vestro*, magna loquuti estis contra me, ut Obad. Vs. 12., cf. Jer. 48, 26. 42., jactantes vires et opes vestras, et effata mea de vindicandis Israelitis contemnentes. וְהַעְתַּרְתֶּם עָלַי דִּבְרֵיכֶם *Et multiplicastis contra me verba vestra*, superbe et insolenter multa contra me evomuistis. Verbum עָתַר ab *abundantiae* notione, quam nomen עָתֶרֶת Jer. 33, 6. obtinet (coll. Chald. עָתַר *ditescere*, unde עָתְרָא *divitiae* Hebraeis alias עֹשֶׁר et עשֶׁר), videtur proprie significare *verba fudit magna copia*, vel *orando instanter*, ut Genes. 25, 21. Exod. 8, 26. locisque pluribus aliis, vel *jactando*, *convitiando*, ut h. l. Ita bene conveniet τῷ וַתַּגְדִּילוּ, quod praecessit. Eandem notionem expressit Alexandrinus Graecus: ἐπλήθυνας ἐπ' ἐμὲ λόγους σου. Et Chaldaeus: *et multiplicastis contra me verba vestra.* Kimchi: *loquuti estis contra me verba crassa et dura. Densitatis* et hinc

crassitatis notionem verbo tribuit collato עֲתַר עָנָן *densitas nubis*, ex vulgari interpretatione, supra 8, 11. (quasi esset i. q. עַב הֶעָנָן Exod. 19, 9.), et Prov. 27, 6, quo loco verba וְנַעְתָּרוֹת נְשִׁיקוֹת שׂוֹנֵא interpretantur *dura sunt oscula osoris*. Vulgato sensum utcunque exprimere satis fuit: *derogastis adversum me verba vestra*, i. e. de meo honore audacter detraxistis, et contra me maledicam exercuistis linguam.

14. כְּשִׂמְחַ כָּל־הָאָרֶץ שִׂמְּמָה אֶעֱשֶׂה־לָּךְ *Dum laetabitur universa terra*, s. ut Vulgatus vertit, *laetante universa terra in solitudinem te redigam*. Ita Infinitivus praeposito כ saepius vertendus, veluti Jos. 6, 20. וְהָיָה כְשָׁמְעַ הָעָם *Et factum est quum audiret populus sonum tubae*. Esth. 5, 2. וַיְהִי כִּרְאוֹת הַמֶּלֶךְ אֶת־אֶסְתֵּר *Et factum quum videret rex Estherem*. Sed Kimchi utrumque Caph, alterum in כְּשִׂמְחַ hoc Versu, alterum in כְּשִׂמְחָתֵךְ, initio Versus proximi, eo sensu sibi invicem respondere putat, ut *aequalitas* indicetur, quemadmodum in illo Jes. 24, 2. כָּעָם כַּכֹּהֵן *qualis plebs, talis sacerdos*, par plebi sacerdos, כָּעֶבֶד כַּאדֹנָיו, *talis servus qualis Dominus ejus*. Cf. Genes. 44, 18. 1 Reg. 22, 4. al. et Storrii *Observatt.* p. 246. Hinc uterque Versus ita erit conjungendus: talis erit laetitia universae terrae propter vastitatem, quam tibi inducam, qualis tua erat laetitia propter vastatam terram Israeliticam. Sed Versu proximo τῷ כ nomini שִׂמְחָתֵךְ praefixo potius respondet כֵּן, quod ibi sequitur. Quare hoc Versu peculiaris sententia absolvitur. LXX: *ἐν τῇ εὐφροσύνῃ πάσης τῆς γῆς ἔρημόν σε ποιήσω αἰώνιον*, quasi sententia haec esset, cum aliae gentes, quae item vastatae sunt a Chaldaeis, ab exilio redierint, et in statum pristinum restitutae fuerint; Idumaeam tamen illius beneficii futuram expertem.

15. Illud, quod te redigam in vastam solitudinem cum populorum omnium universali gaudio, faciam aequissimo judicio, ut paria paribus ex adverso respondeant. Exultaverat praecipue Idumaea dum sternerentur Judaeorum vires, et civitas olim ornatissima aequaretur solo. Quare ut par illi responderet fortuna, oportebat, ut ipsa quoque exultantibus atque gaudentibus omnibus sterneretur. כְּשִׂמְחָתֵךְ לְנַחֲלַת בֵּית־יִשְׂרָאֵל *Secundum gaudium tuum*, prout meruit impium tuum gaudium *de hereditate domus Israelis*. Quae *ἐπιχαιρεκακία* describitur infra 36, 5. Ps. 137, 7. Obad. Vs. 12. Conf. etiam supra 25, 6. עַל אֲשֶׁר־שִׂמְּמָה *Eo quod* (ut 23, 30.) *devastaretur*, Vs. 12. 33, 28. 36, 4. כֵּן אֶעֱשֶׂה לָּךְ *Sic faciam tibi*, conf. Vs. 6. 11. 14. Verbis הַר־שֵׂעִיר junctum est verbum femininum תִּהְיֶה, et ad כָּל־אֱדוֹם refertur pronomen femininum in כֻּלָּהּ, quod ante utrumque subaudiendum est עֲדַת, *coetus* incolarum, uti monet Kimchi, qui similis loquendi modi exempla adducit 2 Sam. 8, 2. וַתְּהִי מוֹאָב, et 24, 9. וַתְּהִי יִשְׂרָאֵל. In quinque De-Rossii codicibus legitur masculinum כֻּלּוֹ.

CAP. 36.

Argumentum.

Promittit Deus terrae Israeliticae, quae tum jacebat vastata atque desolata, frequentiam civium, et omnium rerum abundantiam; illis vero gentibus, quae Judaeorum insultarant incommodis, talem minatur fortunae mutationem, talem ruinam, qualem ipsae in Judaeorum gente festivo exagitabant plausu et libero convitio (Vs. 1—15.). Ne vero populus, tot ornatus a Deo beneficiis, suis sibi meritis tantam felicitatem adscriberet, aut existimaret, immerito se tot a gentibus incommodis urgeri, enumerat Deus peccata, propter quae variis vexetur infortuniis, et indignus omnino videatur, quem Deus tam prosequatur benigne, tam ornet liberaliter (Vs. 16—22.). Se suae solum potentiae et gloriae patefaciendae causa id effecturum asserit, ut antiquis sedibus restituatur populus, emendatus tamen et plane novus, abjectis malis moribus, quibus olim inquinatus fuerat (Vs. 23—27.). Reliqua Capitis pars versatur in temporum illorum fortunatissimorum descriptione, quae a vate variis imaginibus exornatur atque amplificatur (Vs. 28—38.).

1. אֶל־הָרֵי יִשְׂרָאֵל *Ad montes*, s. *de montibus Israelis*, quos per prosopopociam alloquitur ut homines, a quibus deserti erant. Cf. 6, 2. 33, 28. Opponuntur *montanis Seir*, de quibus Versu ultimo Capitis praecedentis. Qui modus inchoandi Capitis ostendit, continenti vaticinio Caput hoc esse cum praecedenti conjungendum. Et revera ita postulat rerum ipsarum consequutio. Nam quum prius invectus esset Deus in Idumaeos, quod jam sibi persuasissent, praedicassentque Judaeorum regionem in suam potestatem esse venturam (35, 10.), contrariaque omnia esset comminatus; nunc alloquitur et consolatur montes Israeliticos, qui tunc abductis cultoribus erant deserti, et sylvarum in modum efferati. Quibus talem promittit felicitatem et cultum, qualem habuere quondam, ante Chaldaeorum incursionem, aut etiam meliorem.

2. יַעַן אֲמֹר הָאוֹיֵב עֲלֵיכֶם הֶאָח *Quoniam dicit hostis super vos euge!* vobis insultat. *Hoste*, הָאוֹיֵב, h. l. non solum intelliguntur Idumaei, sed cum iis plures alii, qui Judaicae sortis fines attingebant, Moabitae praesertim et Ammonitae, vid. supra 25, 3. 8. 12. Cf. Jer. 49, 2. Zephan. 2, 8. הֶאָח *Euge!* particula

exultantis aut gratulantis alteri, aut sibi ipsi, quod aliquid feliciter atque ex voto contigerit, ut supra 25, 3. בָּמוֹת עוֹלָם *Excelsa aeternitatis*, i. e. illa Judaeae montana antiquissima, prisca fama celebria, ut גִּבְעֹת עוֹלָם *colles aeterni*, Gen. 49, 26. Deut. 33, 27. Habac. 3, 6. De עוֹלָם *longissimum retro tempus* significante vid. not. ad Ps. 139, 24. Alexandrinus vertit ἔρημα αἰώνια, quod hebraice esset חָרְבוֹת עוֹלָם, Jes. 58, 23. לְמוֹרָשָׁה הָיְתָה לָּנוּ *In hereditatem erit nobis*, certo et perpetuo illa possidebimus, tanquam si nobis jure hereditario competerent. Vid. 35, 10.

3. יַעַן בְּיַעַן i. q. יַעַן וּבְיַעַן, propr. *quia et quia*, i. e. quia omnino, uti supra 13, 10. Levit. 26, 43. שַׁמּוֹת Propterea quod *devastant* vos, propr. *vastare*, Infinitivus, ut חֲנוֹת et חֲפוֹת Ps. 77, 10. 11. וְשָׁאֲפְ *Et inhiant* vobis, nihil magis anhelant, cupiunt, optant, quam ut devorent vos. שָׁאַף, quod proprie est *auram attrahere* s. *haurire* (vid. Jer. 2, 24.), metaphorice *omni conatu ad rapiendum quid adspirare* notat, conf. not. ad Job. 5. 5. לְהִוֹתְכֶם מוֹרָשָׁה *Ut cedatis in hereditatem*, vid. Vs. 2. לִשְׁאֵרִית *Reliquiis gentium*, reliquis gentibus, Vs. 4. 5. וַתֵּעָלוּ *Et ascendere* s. *subire coacti estis*, futurum Niphal, cf. eandem verbi עָלָה constructionem Jer. 7, 31. וְלֹא עָלְתָה לִבִּי *neque animum meum subiit.* עַל־שִׂפַת לָשׁוֹן *Super labium*, cujusque *linguae*, i. e. traducemini per ora hominum, וְדִבַּת־עָם *Et fabula* s. *dicterium populi*, s. populorum facti estis. Alii: *in malam famam* apud *populos* assumti estis, cf. Num. 3, 32. Jer. 24, 9.

4. Non montes solum, verum etiam valles, colles, torrentes, loca vastata, et urbes ab habitatoribus relictas liberas futuras affirmat ab alienis dominis, et ad locum et ordinem antiquum magno cumulatas incremento reversuras. Sententiam vero eandem Versibus duobus proximis iterat suspensamque relinquit ad Versum usque septimum, ad magnum affectum indicandum.

5. אִם־לֹא *Nisi* loquutus fuero, subaudi, ne Deus habear. Alii: mentiar, nisi loquutus fuero, conf. 5, 11. 17, 16. בְּאֵשׁ קִנְאָתִי *In igne zeli mei*, in zelo meo igneo, in meae irae aestu, cf. Vs. 6. Zephan. 3, 8. Jes. 9, 6. וְעַל־אֱדוֹם כֻּלָּהּ *Et* inprimis *contra Idumaeam universam.* אֲשֶׁר נָתְנוּ־אֶת־אַרְצִי לָהֶם לְמוֹרָשָׁה *Qui attribuerunt terram meam*, quam mihi sedem peculiarem elegeram (*terram domus habitationis meae*, ut Chaldaeus vertit), *sibi hereditatem*, sperabant, se ejus dominos perpetuos fore, cf. not. ad Vs. 2. בְּשִׂמְחַת־כָּל־לֵבָב *Cum gaudio totius cordis*, ut Jes. 30, 29. בְּשָׁאט נֶפֶשׁ *Cum contemtu*, fastu, *animi*, ex animo; cf. supra 25, 6. et ibi not. לְמַעַן מִגְרְשָׁהּ לָבַז *Propter expulsionem ejus in praedam*, i. e. propterea quod sedibus suis expulsi essent Israelitae, et praedae Idumaeorum expositi. Cf. verbum גָּרַשׁ supra 31, 11. Hos. 9, 15. Amos. 8, 8. At quia nomen מִגְרָשׁ ceteris V. T. locis *suburbium* s. *agros suburbanos* significat;

hinc Coccejus verba nostra inde a בְּשִׂמְחַת כָּל־לֵבָב sic ordinanda et sic interpretanda censet: *in laetitia propter regionem ejus, et cum impetu animae ad direptionem*, i. e. laetantur propter suburbana s. regionem ejus, ideo cum impetu animae feruntur ad direptionem. *Suburbana terrae* esse putat, quae extra metropolim sita sunt. Sed minus esse impeditum et simpliciorem priorem illam interpretationem, unusquisque sentiet ipse.

6. יַעַן כְּלִמַּת גּוֹיִם נְשָׂאתֶם *Propterea quod ignominiam* s. contumelias *gentium tulistis*, cf. Vs. 7. 15. et supra 34, 29.

7. אָנִי נָשָׂאתִי יָדִי *Ego levavi manum meam*, scil. ad jusjurandum, juravi, cf. not. ad 20, 5. Respicere videtur ad phrasin sub finem Versus 6. usurpatam. Dixerat proxime, gentem Israeliticam passam fuisse ab exteris gentibus ignominiam, promittit nunc justus et ultor Deus, redditurum se eandem vicem gentibus, ita ut non minus ejectae e patrio solo, et suis spoliatae facultatibus pudefiant, quam olim Judaei in simili casu pudore suffusi erant.

8. וְאַתֶּם — יִשְׂרָאֵל *Vos autem, o montes Israelitici, vestros ramos edetis, et fructus vestros feretis populo meo Israel.* Huc etiam divinum jusjurandum (Vs. 7.) pertinet, ut montes Israelitici, qui sylvestribus dumis, et ferarum latibulis horrebant, excolantur iterum, fructusque parturiant, sicut ante, quibus non jam hostes aut ferae, sed restituti ab exilio antiqui domini fruantur. Cf. supra 34, 27. כִּי קָרְבוּ לָבוֹא *Nam propinquant venire*, s. ut Vulgatus vertit, *prope enim est ut veniat*, (cf. Jes. 56, 1.), i. e. neque diu morabitur jurisjurandi fides, et soli Israelitici promissa foecunditas. Chaldaeus: *nam prope est dies redemtionis meae ut veniat.*

9. כִּי הִנְנִי אֲלֵיכֶם *Nam ecce ego ad vos* scil. respiciam, sensu bono, ut Ps. 33, 18. Alias contra, ut supra 13, 8. 20. 26, 3. 34, 10. et saepius apud Nostrum. וּפָנִיתִי אֲלֵיכֶם *Et convertam me ad vos*, vultu gratioso, cf. Levit. 26, 9. Ps. 25, 16. וְנֶעֱבַדְתֶּם *Ut colamini*, Genes. 2, 5. וְנִזְרַעְתֶּם *Et conseramini*, Deut. 21, 4. 29, 22. Ex quo excisa erat Hierosolyma, et cives variis eventibus alio atque alio dilapsi, nullus montes feraci atque uberc solo felices vomer cxercuit, ncque sementem acceperunt ullam, quia sicut Deus in sceleratos cives, sic etiam in eorum agros saeviisse videri potuit, a quibus oculos averterat, quos ante ad civium agrorumque vota intentos habuerat. Conf. Deut. 11, 12., quo loco Moses ait, in terram, quam Deus Israelitis habitandam tradat, *ipsum ab initio ad exitum anni oculos habere intentos.* Nunc ergo Deus conversurum se dicit oculos, quos prius averterat, effecturumque, ut agri renovati nitorem antiquum et fertilitatem obtineant.

10. וְהִרְבֵּיתִי — תִּבָּנֶינָה *Tum multiplicabo apud vos homines, omnem domum Israelis, omnem eam*, inquam; *et habita-*

buntur iterum *urbes*, *et vastata aedificabuntur*. Reducam ad vos et multiplicabo in vobis homines, qui vos iterum exerceant et habitent, non quidem alienos, sed omnes e gente Israelitica, a quibus civitates desertae habitabuntur, et ad priorem formam instaurabuntur, quas aut solitudo aut vis inimica prostraverat. Cf. easdem promissiones Jes. 44, 26. 61, 4.

11. Cum civibus revocanda etiam dicuntur *jumenta*, quorum opera colendis agris necessaria est, quae foecunda erunt et multiplicabuntur. וְהוֹשַׁבְתִּי אֶתְכֶם כְּקַדְמוֹתֵיכֶם *Et habitare vos faciam juxta pristinum statum vestrum*, non aliter habitabitur terra, quam olim. Cf. supra 16, 55. וְהֵטַבְתִּי מֵרֹאשֹׁתֵיכֶם *Imo benefaciam*, plus beneficiorum in vos conferam, *quam ab initiis vestris*. Cf. Deut. 30, 5. Quia non apparet, quomodo ab exilio revocati Judaei majoribus cumulati sint bonis, quam superioribus temporibus; plerique Christiani interpretes hoc promissum sensu allegorico de ea felicitate, quam generi humano conciliavit a Christo tradita doctrina, capiendum existimant. Sed quum cetera omnia, quae in iis, quae antecesserunt, et quae Versibus proximis sequuntur, de rerum omnium, quae ad vitae usum pertinent, abundantia aperte sint intelligenda; vix licebit, alia proprio, alia allegorico sensu interpretari. Reprehendit illorum primorum Christianorum interpretum peccatum merito J. A. Crusius in *Hypomnematt. ad Theolog. prophet.* pluribus locis, praesertim T. 1. p. 602. ubi temeritatem eorum notat, qui cuncta prophetarum effata ad sensum spiritualem transferunt, quamquam proprie dicta, et liberaliter accipienda. „Ad hanc," inquit, „temeritatem proruunt, ubi majus quiddam praedicitur, quam interpreti credibile sit, forsan quia neque evenit hucusque, neque in posterum ab iis exspectatur, qui humano modulo [suae aetatis hominum sentiendi cogitandique modo] res metiuntur, cunctaque ad rationes politicas exigunt, vel philosophemata sua audacter sequuntur." Et p. 632. a recto tramite declinare ait, qui cunctas praedictiones de prosperitate, quae ex bonis hujus vitae constat, spiritualiter interpretantur. „Quanquam autem sic in dogmatibus fidei et morum orthodoxiam retinent, *errore* tamen *exegetico decipiuntur*, qui magni profecto momenti est. Nam qui ita sentiunt, coguntur, Scripturas *coacte interpretari*," etc. Cf. quae diximus supra ad 28, 26. 29, 21.

12. וְיָרְשׁוּךָ *Et possidebunt* Israelitae te, montem, s. collective est capiendum, quum suffixa pluralia, ad *montes* spectantia, antecedant. Terra olim parentibus promissa, et nunc filiis tanquam heredibus aliquando restituenda, futura est illis stabilis et certa promissio. וְלֹא־תוֹסִיף עוֹד לְשַׁכְּלָם *Nec addes amplius*, tu, o mons, s. terra, *orbare eos* filiis, Vs. 13. 14., non peribunt amplius in te homines incolae tui.

13. יַעַן אֲמֹרִים לָכֶם *Quoniam dicunt de vobis*, montibus, i. e. de terra Israelitica. אֹכֶלֶת אָדָם אַתְּ *Devoratrix hominum es*

tu, o terra, i. e. talis in qua homines absumuntur aëris insalubritate fame, peste, caede ab hostibus et gentibus finitimis illata, id quod terrae Israeliticae exprobratum fuisse legitur jam antequam ab Israelitis occuparetur, vid. Num. 13, 32. et ad eum loc. not. וּמְשַׁכֶּלֶת גּוֹיֵךְ *Et orbans populos tuos*, Vs. 13. 14. Cf. 2 Reg. 2, 19. 21.

14. Pro eo, quod in textu scriptum legitur, לֹא־תִכְשְׁלִי עוֹד *non impingere*, s. *cadere facies*, legendum esse לֹא־תְשַׁכְּלִי עוֹד *non orbabis amplius*, ut in margine praecipitur, res ipsa docet. Habent posterius, s. *Keri*, non pauci codices in textu, exprimuntque veteres omnes.

15. וְלֹא־אַשְׁמִיעַ אֵלַיִךְ עוֹד כְּלִמַּת הַגּוֹיִם *Nec audire faciam in te* s. *de te* (pro עָלַיִךְ) *ignominiam gentium*, i. e. efficiam, ne posthac tibi jure talia probra objicere queant. Pro לֹא־תַכְשְׁלִי legendum לֹא־תַשְׁכְּלִי, *non orbabis*, ut Vs. 14. „Piscator putat nostrum תַּכְשְׁלִי scriptum esse pro תַּשְׁכְּלִי, litteris transpositis, ut patet ex collatione Versus, qui proxime antecedit. Hinc vertit et ipse *orbabis*. Quod faciunt ex latinis interpretibus alii nonnulli, ut Munsterus, Tigurini, et ex recentioribus Dathius. Sed Graecus anonymus in Hexaplis in tertia persona legit ἀτεκνωθήσεται, *liberis orbabitur*, ut et Syrus hexaplaris, qui haec verba in LXX omissa, ex alio nescio quo fonte, forte ex Theodotione vel Symmacho, inserit, asteriscis tamen notata, ut intelligeretur, ea in Alexandrina versione, quam is sequebatur, deesse.“ Haec DE ROSSI in *Scholiis Crit.* ad h. l., qui praeterea notat, codicem suum 737. pro תכשלי habere תאכלי, *devorabis*, et in codice 305. verba וְגוֹיֵךְ לֹא־תַכְשְׁלִי עוֹד, a prima manu omissa fuisse (nec exprimuntur illa a LXX, Syro et Arabe), in duobus vero aliis codicibus deesse integrum Versum.

17. Enumerat Deus populi peccata, propter quae iis affectus est incommodis, de quibus alias saepius, et docet, si quid benignius de illius salute ac libertate statuat, non illorum meritis, sed suae bonitati atque clementiae esse tribuendum. Et primum docet, quid prius admiserit gens Israelitica, antequam solum verteret patrium. Illum enim tenuit vivendi modum, ut regionem illam ex omnibus electam, quam magni beneficii loco populo concesserat Hebraeo, suis sceleribus infecerit. Cf. Jerem. 2, 7. *Perduxi vos in terram cultam, ut ejus frugibus bonisque vesceremini; quo postquam pervenistis, terram meam polluistis, meamque hereditatem impiastis.* כְּטֻמְאַת הַנִּדָּה *Instar pollutionis*, foeditatis, *menstruae*, cujus immunditiem e lege Mosaica erat tanta, ut quicquid foemina, dum esset in illo obscoeni sanguinis proluvio, tangeret, censeretur pollutum, vid. Levit. 15, 19. sqq. et ad eum loc. not., atque eandem similitudinem Jes. 64, 5. 6.

18. וָאֶשְׁפֹּךְ חֲמָתִי עֲלֵיהֶם *Ideo effudi iram meam super eos*, cf. supra 7, 8. Hos. 5, 10. עַל־הַדָּם אֲשֶׁר־שָׁפְכוּ *Propter san-

guinem, *quem* per injustas caedes *effuderunt*, 22, 3. 6. 33, 25. וּבְגִלּוּלֵיהֶם טִמְּאוּהָ *Quam* terram etiam *idolis suis polluerunt*, 6, 4. 8, 10. 14, 3.

19. וָאָפִיץ אוֹתָם בַּגּוֹיִם Cf. supra 22, 15.

20. וַיָּבֹא אֶל־הַגּוֹיִם אֲשֶׁר־בָּאוּ שָׁם *Cumque venit* populus *ad gentes quo* abducti *venerunt*, Vs. 21. 22. Quum *populus*, qui in toto hoc sermone intelligitur, sit collectivum, verbum בּוֹא ad illum pertinens mox in singulari, mox in plurali dicitur. Minime igitur necesse est, ut pro וַיָּבֹא ponatur וַיָּבֹאוּ, quod in paucis aliquot codicibus reperitur. וַיְחַלְּלוּ אֶת־שֵׁם קָדְשִׁי *Etiam illic profanarunt nomen sanctum meum*, occasionem dederunt gentibus male de me sentiendi. Cogitare enim poterant gentes illae, per quas eversa patria dispersi fuerant Judaei, in Deo, sub cujus tutela illi essent, potentiam desiderare ac fidem, qui aut non posset, aut, si posset, nollet creditum sibi populum a servitute liberare. Quorum alterum Deum perfidiae, alterum infirmitatis argueret. Ex quo etiam conjectabant, potentiores esse aliarum gentium Deos, quorum auxilio et numine regiones subegissent Judaicas hostes, et templum, quod Dei Israelitici esset quasi regia sedes, impune subvertissent. Hinc Deus dicit, ab exsulibus Judacis suum nomen esse pollutum, quia ex illorum servitute conjectabant, infirmum esse, aut infidelem Deum, cujus se Judaei religioni devoverant. Eadem prope eodem consilio dicit Deus apud Jes. 52, 5. בֶּאֱמֹר לָהֶם עַם־יְהוָה אֵלֶּה *Dum* per irrisionem *dixerunt* gentes *de illis:* en *populus Jehovae illi* sunt, a quo nomen gerunt (Jes. 66, 5. Jer. 14, 9.). וּמֵאַרְצוֹ יָצָאוּ *Et* tamen *e terra sua exierunt.* Alii interrogative: *num hi populus Jehovae, et e terra* tamen *ejus exiverunt?* q. d. si fuisset Deus eorum, qualem praedicant, potentissimus, non permisissct eos expelli e terra sua. Chaldaeus: *si populus Jovae isti sunt, quomodo ergo ex terra domus majestatis ipsius migrarunt?* Hausta haec sunt ex Num. 14, 16. Deut. 9, 28.

21. וָאֶחְמֹל עַל־שֵׁם קָדְשִׁי *Ideo parcam nomini sanctitatis meae*, s. *nomini meo sancto*, i. e. ut nominis mei sanctitati consulerem, quod a gentibus in suspicionem vocari, imo et audire male videbam, de illorum in patriam reditu cogitationem suscepi. Alii: *peperci* tamen Judaeis, quo minus eos prorsus exscinderem, *propter sanctum meum nomen.* Ita LXX: *καὶ ἐφεισάμην αὐτῶν διὰ τὸ ὄνομά μου τὸ ἅγιον.* Sed verbum חָמַל cum nomine eo, quod rem exprimit, cui parcendum est, semper intercedente particula עַל jungitur, vid. supra 5, 11. 9, 5. 16, 5. 2 Paral. 36, 15. 17. Recte igitur Vulgatus Latinus verba nostra sic reddidit: *et peperci nomini sancto meo.*

22. לֹא לְמַעַנְכֶם אֲנִי עֹשֶׂה *Non propter vos ego faciens* ero, quae facturus sum, et quae enumerantur Vs. 24. sqq. Non me vestra merita adduxerunt, ut vestris commodis tam impense

faverim, neque propter vos fit tanta rerum fortunaeque commutatio. Cf. Deut. 9, 6. Jes. 43, 22. 25. 66, 5.

23. וְקִדַּשְׁתִּי אֶת־שְׁמִי הַגָּדוֹל *Et sanctificabo nomen meum magnum*, i. e. sanctum illud esse et venerabile ostendam, et a quo omnis abesse debeat perfidiae suspicio. הַמְחֻלָּל בַּגּוֹיִם *Profanatum* dicitur nomen Dei *inter gentes*, quia ipse reus agebatur, aut violatae fidei, aut divinitatis immerito susceptae. Quod tunc demum falsum esse cognoscent, cum Babylonios eum suis idolis victos esse videant, et populum ante captivum in suos fines cum gloria revocatum. בְּהִקָּדְשִׁי בָכֶם Vid. not. ad 20, 21. לְעֵינֵיכֶם *In conspectu vestro* interpretantur hoc modo: ut non gentes tantum, sed vel maxime etiam vosmet ipsi meam agnoscatis sanctitatem. Quod tamen post verba, quae proxime antecedunt, plane est otiosum. Non dubium igitur, esse cum suffixo tertiae pluralis personae, לְעֵינֵיהֶם legendum, quod non solum contextus et loci paralleli, 20, 41. 28, 25. 38, 16., postulant, sed exprimunt quoque veteres omnes, quibus accedit codicum innumerorum (ut De-Rossi ait), et editionum antiquissimarum atque optimarum auctoritas, quam ipsa Masora confirmat, uti ex Norzii Commentario critico ipsis ejus verbis refert De-Rossi *Varr. Lectt.* Vol. III. p. 157., quem adeant, qui testes pro לְעֵינֵיהֶם nominatim enumeratos legere cupiunt. Add. *Appendix* in Vol. IV. p. 234. et *Schol. Crit.* ad h. l. Videtur לְעֵינֵיכֶם soli errantis calami lapsui originem debere, quemadmodum בָּהֶם, quod h. l. pro genuino בָּכֶם in aliquot codicibus reperitur.

24. His prorsus consona promittit supra 11, 17. 20, 34, 41. infra 37, 21.

25. וְזָרַקְתִּי עֲלֵיכֶם — אֶתְכֶם *Et spargam super vos aquas puras, ut mundi fiatis ab omnibus vestris foeditatibus, et ab omnibus idolis vestris mundabo vos.* Quod Deus Israelitas antiquis sedibus restitutos adspergendos a se dicit aquis mundis, quibus ab omni inquinamento, et nominatim ab iis sordibus, quas ex idolorum cultu contraxerant, puri reddantur; alludere videtur ad purificationes, quae e praescripto legis Mosaicae fieri debebant, maxime vero ad aquas temperatas vaccae rufae cineribus, quibus omnes Israelitae aliqua pollutione inquinati, expiari solebant, qua de re vid. Num. 19. Ea de causa Chaldaeus nostrum locum hoc modo reddidit: *remittam peccata vestra, sicut mundantur aquis adspersionis et cinere vaccae sacrificii pro peccato.* Ad quem ipsum expiationis ritum et alluditur Ps. 51, 9. coll. Vs. 4. Ex Abarbenelis sententia vates hoc Versu institutam Vs. 17. cum menstruali comparationem prosequitur. „Quemadmodum enim," ait, „menstrualis, quo ad maritum accedere propius queat, aquis vivis se lavat, quibus *ab immunditie purgatur*, sic Israelitae iniquitates a se removebunt, ita ut puri et ab iis vacui deprehendantur. Deus hoc sibimet ipsi tribuit,

dicens: *et adspergam vos*, quoniam poenitentia divino tantum auxilio absolvitur, juxta illud [Thren. 5, 21.]: *Converte nos, Jehova, ad te, tunc convertemur.*"

26. Repetita haec e vaticinio superiore 19, 11., ad quem loc. vid. not. Eadem, quae hic promittuntur, pollicetur verbis magis propriis Jeremias 31, 33. Verba וַהֲסִרֹתִי אֶת־לֵב הָאֶבֶן *et removebo cor lapidis, lapideum*, durum. Chaldaeus ita vertit: *frangam cor impium, quod est durum instar lapidis;* לֵב בָּשָׂר *cor carnis*, carneum, i. e. molle et tenerum, vero hoc modo: *cor timens me ad faciendam voluntatem meam.*

27. Quid *spiritu suo*, quem Israelitis impertiendum Deus dicit, sit intelligendum, hemistichium posterius declarat, וְעָשִׂיתִי אֵת אֲשֶׁר־בְּחֻקַּי תֵּלֵכוּ *et faciam quod*, i. e. ut *in statutis meis ambuletis*, talis videlicet animus, qui se totus ad mandatorum divinorum formam attemperet, praecepta Dei observet, et opus omne ad divinae legis normam exploret. Cf. 37, 14. 39, 29. Jes. 44, 3. Joel. 3, 1. 2.

28. Eadem Israelitis praecepta divina servaturis promittuntur Levit. 25, 18. 19. 26, 5. 12.

29. וְהוֹשַׁעְתִּי אֶתְכֶם מִכֹּל טֻמְאוֹתֵיכֶם *Liberabo vos ab omnibus inquinamentis vestris*, quae falsorum deorum cultu et aliis scelcribus vobis contraxistis, et ab incommodis atque malis, quae cum eis sunt conjuncta. In conditionem meliorem vos restituam. Ad eam potissimum pertinet laeta regionis facies, agrorum foecunditas et vernaculi fructus abundantia, quae statim commemorat. וְקָרָאתִי אֶל־הַדָּגָן *Advocabo frumentum*, verbo efficiam, ut adsit, sicuti servi ad nutum heri concurrere solent. Contrarium habetur 2 Reg. 8, 1. כִּי־קָרָא יְהוָה לָרָעָב *nam advocavit Deus famem.*

30. Efficiam, pergit, ut arbores copiosos vobis germinent fructus, et agri ex felici satione sementem vobis ingenti cum usura rependant, לְמַעַן אֲשֶׁר לֹא־תִקְחוּ עוֹד חֶרְפַּת רָעָב בַּגּוֹיִם *ut non suscipiatis*, sustineatis, *amplius opprobrium famis inter gentes*, i. e. ut posthac non male audiatis inter gentes ob penuriam panis. Cf. Joel. 2, 17. 19.

31. וּזְכַרְתֶּם אֶת־דַּרְכֵיכֶם הָרָעִים Eadem leguntur supra 20, 43. וְנִקֹטֹתֶם בְּפְנֵיכֶם *Taedio afficiemini de vobismet ipsis*, vid. supra 9, 6. et ibi not. Pigebit et pudebit vos scelerum vestrorum, partim supplieiis castigatos, partim vero et maxime novis iisque amplissimis beneficiis plane immerentes devinctos.

32. לֹא לְמַעַנְכֶם אֲנִי עֹשֶׂה Vid. supra Vs. 22. יִוָּדַע לָכֶם *Notum sit vobis*, ut Exod. 33, 16. Ruth. 3, 14. 1 Reg. 18, 35. וְהֹבֹשׁוּ *Et pudore afficimini*, pudcat vos *ob vias vestras*, ut supra 16, 54. 43, 10. 11.

33. Concludit repetitione summaria maximarum promissionum. בְּטַהֲרִי אֶתְכֶם *Quo mundavero vos*, Vs. 25. וְהוֹשַׁבְתִּי

אֶת־הֶעָרִים *Et inhabitare fecero* vos (אֶתְכֶם cf. supra Vs. 11.) *urbes*, cf. Vs. 4. 10. 35. Jes. 54, 3.

34. וְהָאָרֶץ הַנְּשַׁמָּה תֵּעָבֵד *Et cum terra devastata fuerit laborata*, i. e. exculta, aratro et sarculo subacta fuerit, Vs. 9. תַּחַת אֲשֶׁר הָיְתָה שְׁמָמָה *Loco ejus*, *quod* antea *fuerat desolata*, 6, 14. 35, 3. לְעֵינֵי כָל־עוֹבֵר *Coram omni viatore*, ut supra 5, 14. Nemo relictus fuerat, qui excisarum civitatum ruinas incoleret, neque cujusquam oculus intuebatur eversas, nisi qui illas, dum alio diverteret, casu praeteriret. Quare speciem eversae civitatis non aliis, quam viatoribus, proponit Jeremias Thren. 1, 12.

35. וְאָמְרוּ Eo, inquam, tempore novam rerum faciem admirati, *dicent* praetereuntes (Vs. 34.), qui miserabilem regionis formam prius adspexerant. הָאָרֶץ הַזֹּאת־עֵדֶן Terra illa sylvestris et inculta modo sic virescit et splendet, ut videre te putes eximiae amoenitatis hortum. Cf. supra 31, 8. 9. Joel. 2, 3. וְהֶחֳרֵבוֹת הַנֶּהֱרָסוֹת בְּצוּרוֹת יָשָׁבוּ *Et dirutae* urbes nunc *munitae habitantur*, vid. de hoc usu verbi יָשַׁב in *Cal* not. ad 26, 20. Cf. 35, 9. Ceterum tria epitheta uni *civitatum* nomini tributa non sunt prorsus synonyma, sed significatione ita differunt, ut הַנְּשַׁמּוֹת sint *vastatae*, uti Vs. 34. הָאָרֶץ הַנְּשַׁמָּה *terra vastata* et inculta, in qua omnia sylvescunt, dumis et spinis horrent, opponitur agris cultis atque hortis proventu uberrimis atque amoenis. הַנֶּהֱרָסוֹת autem esse *destructas*, *dirutas*, patet ex eo, quod subjungitur; illas reaedificandas esse, cf. Jer. 45, 4. 42, 10. Denique הֶחֳרֵבוֹת, quibus infra Vs. 37. opponuntur *plenae gregibus hominum*, erunt infrequentes, incolis fame, peste, caede exhaustae, vel ab illis *desertae*.

36. וְיָדְעוּ הַגּוֹיִם אֲשֶׁר יִשָּׁאֲרוּ סְבִיבוֹתֵיכֶם *Tunc cognoscent gentes*, *quae derelictae fuerint circa vos*, quaedam enim, Grotio notante, abductae fuerant, ut Ammonitae, Moabitae, Idumaei. כִּי אֲנִי יְהוָה בָּנִיתִי הַנֶּהֱרָסוֹת *Quod ego Jova aedificaverim eversas* urbes, Vs. 35. Jer. 42, 10. נָטַעְתִּי הַנְּשַׁמָּה *Plantis replevi*, consevi *vastatam* et incultam terram. אֲנִי יְהוָה דִּבַּרְתִּי וְעָשִׂיתִי Ego, Jova, cujus verba et facta arctissime cohaerent, promissa complere soleo. Eadem leguntur supra 17, 24. et infra 37, 14.

37. עוֹד זֹאת אִדָּרֵשׁ לְבֵית־יִשְׂרָאֵל *Adhuc* in hac re quaesitus *inveniar domui Israelis*, vid. hanc loquutionem explicatam supra ad 14, 3. Grotius: „Est metalepsis; vult enim dicere: hoc quoque ipsorum precibus concedam, hanc gratiam ipsis impertiar.“ Invenient me propitium et facilem ad illorum vota, ut largiar, quicquid illis ex voto aut usu futurum sit. Pro אִדָּרֵשׁ in codice Regiomontano bibliothecae regiae in activo legitur אֶדְרֹשׁ, *requiram*, quod ipsum Syrus et Arabs exprimunt. לַעֲשׂוֹת לָהֶם *Ut faciam ipsis*, quae pollicitus sum, quae statim subjicit. Cf. supra Vs. 32. אַרְבֶּה אֹתָם כַּצֹּאן אָדָם *Multiplicabo eos sicut gregem hominis*, augebo homines non secus ac ovium

greges, quae omnium pecudum sunt fertilissimae, qua de re vid. Bochartı *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. 43. et 46. Tom. I. p. 472. et 578. edid. Lips. Hinc pares similitudines Ps. 107, 41. Job. 21, 11. Chaldaeus: *multiplicabo eos hominibus, et proficere faciam eos in pecoribus.*

38. כְּצֹאן קָדָשִׁים *Sicuti grex*, non quilibet, sed optimarum et *consecratarum* pecudum, ut grex Deo consecratus. כְּצֹאן יְרוּשָׁלַם בְּמוֹעֲדֶיהָ *Sicut grex Hierosolymae in statis festis ejus*, quae in ea urbe celebrari quotannis solebant, paschatis, pentecostes, et tabernaculorum, quibus victimae praestantissimae et numero plurimae Hierosolymam deducebantur. Chaldaeus prius hoc Versus membrum sic exponit: *sicut populus sanctus, sicut populus, qui mundatur et venit Hierosolymam tempore solennitatis Paschae.* כֵּן תִּהְיֶינָה צֹאן אָדָם *Sic*, inquam, *plenae erunt urbes desertae grege hominum*, humanis gregibus. Ex similitudine sumit metaphoram. Cf. Mich 2, 12. Satis vero patet ex toto hoc loco, et ex pluribus aliis similibus tam Nostri, quam ceterorum prophetarum effatis, illius aetatis homines exspectationi reditus in patriam terram junxisse spem aurei seculi, sub rege illo augustissimo e Davidica stirpe oriundo, inchoaturi. Unde factum, ut in talibus vaticiniis passim occurrant quaedam, quae ad ea tempora, quae restitutam rempublicam sequuta sunt, vel plus vel minus commode referri possint, adeoque vera ita, ut sunt praedicta, evenisse videantur, alia vero, et ea quidem longe plurima magnificorum illorum promissorum quando fuerint impleta, frustra quaeras. Quare tolerabilior mihi videtur Judaeorum opinio, pleraque talia futuro aliquo tempore sub Messia implenda existimantium, quam eorum Christianorum studium, qui hujusmodi effata vel temporibus Serubabelicis aut Maccabaicis accommodare satagunt (quo in genere praestantissimus ceteroquin Grotius multum peccavit), vel illa allegorice de ecclesia Christiana interpretantur, et in sensum spiritualem detorquent.

CAP. 37.

Argumentum.

Proponitur hoc Capite primum aerumnosus status captivi populi in aridis ossibus, quae in campi superficie dispersa visebantur, deinde libertas in eisdem ad speciem priorem et vitam restitutis. Deducit Deus prophetam ad campum stratum ossibus vehementer aridis (Vs. 1—3.). Ad vocem autem Prophetae magno strepitu commoventur ossa, et ad suam quaeque juncturam et sedem adducuntur; post compacta ac vincta nervorum nexu teguntur carnibus; ac denique juxta naturae modum temperatis inducitur cutis, et spiritus inhalatur vitalis (Vs. 4—10.). Quae symboli species et statum captivorum exprimit, qui non longe abest a morte, et libertatis suavitatem, quae instar obtinet vitae (Vs. 11—14.). Deinde ostendit Deus, cum duabus tribubus ex aliis decem revocandos etiam alios ab exilio, qui tamen in eundem populum et familiam, atque in idem prope corpus cum aliis coalescent: quod docet alio symbolo satis ad rem explicandam opportuno. Jubet enim prophetae, ut sumat duo ligna, in quorum altero Judae nomen inscribat, et illorum, qui se illi, cum dissectum est Israelis imperium, socios addiderint, in altera vero nomen Josephi, qui pater fuit Ephraimi, penes quem aliarum tribuum imperium fuit; et statim duo conjungat ligna, et in manu circumferat, spectandaque praebeat Judaeorum oculis (Vs. 15—20.). Omnibus autem dicit regem unum atque pastorem unum praeficiendum, Davidem; neque se eorum gloriae atque incolumitati defuturum, excitato in Israelitide regione tabernaculo (Vs. 21—27.). Ex quo tandem docet cognituras esse gentes, fidelem esse Deum, et Israeliticam gentem suae commissam esse fidei (Vs. 28.).

Priorem hujus Capitis partem illustravit J. H. Michaelis in Programmate Pentecostali Universitat. Halensis, quod inscribitur: *Visum propheticum Ezechieli* Cap. 37, 1—14. *oblatum de ossibus humanis, primo quidem aridis et dispersis, deinde vero animatis*, Hal. 1734. in quat.

1. Cohaeret cum superiore hoc Caput: utrumque enim ad populi libertatem et quasi vitam, et ad illius gloriosam remigrationem spectat, eamque priore hujus Capitis parte sub figura

ossium aridorum sed jam reviviscentium proponit. הָיְתָה עָלַי יד־יְהוָה De hac loquendi formula vid. not. ad 1, 3. Legitur eadem 33, 22. 40, 1. וַיּוֹצִאֵנִי בְרוּחַ יְהוָה *Et eduxit me in spiritu Jova*, i. e. in visione, sicuti supra 8, 3. ductus dicitur in spiritu Hierosolymam, non quidem e loco motus, ubi antea consederat, sed cogitatione, quia illius menti objecta sunt Hierosolyma, quaeque in ea geri videbantur. Cf. 11, 24. et ad eum loc. not. Male Vulgatus Latinus vertit: *et deduxit me in spiritu Domini*, scil. manus ipsius. Sed יְהוָה pro Nominativo capiendum esse, indicant accentus; יַד quoque frequentius est femininum. Recte LXX: *καὶ ἐξήγαγέ με ἐν πνεύματι Κύριος.* וַיְנִיחֵנִי בְּתוֹךְ הַבִּקְעָה *Et collocavit me* (ut infra 40, 2.) *in medio vallis illius*, „ac proin certae alicujus ac determinatae vallis, quae Ezechielici voluminis lectori ex antecedentibus nota esse debuit ac potuit. Cujusnam igitur? illius nempe, quae oppido *Thel-Abib* apud Chaboram fluvium, ubi propheta cum bona Judaeorum exulum parte captivus degebat, vicina erat, supra 3, 22. 23., collato ibid. Vs. 15.“ J. H. Michaelis in Progr. supra laud. מְלֵאָה עֲצָמוֹת *Repleta erat ossibus* scil. humanis, uti addunt LXX et Chaldaeus, et uti recte colligitur ex iis, quae de hisce ossibus dicuntur. Ossa vero haec imaginem esse populi Israelitici, in exsilio degentis, clare dicitur infra Vs. 11. Neque incommoda est haec imago. Populus enim in terras exteras deportatus desinebat esse populus, ideoque similis erat ossibus a sua compage dissolutis, et quae carne et spiritu vitali carebant. Et sicut nulla spes est futurae vitae in ossibus aridis, ita nec reditum in patriam sperabant Israelitae.

2. וְהַעֲבִירֵנִי עֲלֵיהֶם *Et transire me fecit per ea*, circumduxit me per ea, ut lustrarem omnia, ut infra 46, 21. סָבִיב סָבִיב *Circa circa*, in circuitu, in gyro, ut Vulgatus vertit; cf. 8, 10. 40, 5. עַל־פְּנֵי הַבִּקְעָה „Quae non operta erant humo, sed super campum jacentia,“ ut Hieronymus inquit. יְבֵשׁוֹת מְאֹד *Arida valde* erant, et aevo consumta, cf. Vs. 11. Hieronymus: „Propter temporis vetustatem arida siccaque vehementer, et nihil in se humoris habentia.“

3. הֲתִחְיֶינָה *Num vivent?* reviviscentne? An putas, fieri posse, ut arida ista ossa reviviscant? אַתָּה יָדָעְתָּ *Tu*, Domine, *nosti*, q. d. non est, cur me roges; pendet hoc a divino tuo consilio. Potes omnino, quid velis; tuum igitur est nosse.

4. שִׁמְעוּ דְבַר־יְהוָה *Audite*, ossa arida, *effatum Domini*! Prosopopoeia, ait Grotius, eo excusatior, quod per ossa homines captivi intelliguntur.

5. מֵבִיא בָכֶם *Venire faciam in vos*, intromittam in vos, i. e. in unumquemque numerum ossium, ad unum corpus pertinentium. רוּחַ וִחְיִיתֶם *Spiritum*, qui vos iterum animet, *ut* halitu vitali *reviviscatis*. רוּחַ, quod proprie *ventum* denotare

constat, quo significatu usurpatur Vs. 9., hic et Vs. 6. et 8. sumitur pro halitu vitali, animalis anima, quae se spirando prodit; unde cum cactera animantis vitae signa deficiant, perstat tamen halitus, qui adhuc vivere significat animal. Hinc illud Job. 27, 3. *Donec superest halitus in me, et spiritus Dei in naribus meis*, i. e. quamdiu vixero; conf. not. ad eum locum. Hinc dicunt, neque immerito, quidam, *animum* originem habere a voce Graeca ἄνεμος, quae *ventum* significat. Mortuis revivi-scentibus Israelitas libertati restituendos jam comparavit Jesajas, 26, 14. 19., et eadem imagine utitur Daniel, Ezechicli aequalis, 12, 2. 3. Quibus in locis, uti in hoc ipso nostro loco, et Judaeorum et Christianorum Theologi haud obscura creditae *resurrectionis*, quam vocant, *carnis* indicia deprehendunt. Etsi enim ipsi non diffitentur, hos vates de resurrectione non loqui, uti de doctrina religionis, sed imagines tantummodo ab ea petere; id ipsum tamen in sermonibus ad usus populares destinatis ab illis non factum fuisse arbitrantur, nisi doctrina de mortuis futuro aliquo tempore resuscitandis ea aetate vulgo ita nota fuisset, ut facilis, perspicua, et quodammodo popularis imago inde posset desumi. Cf. J. H. Pareau *Commentat. de Immortalitatis Notitiis* etc. p. 108. sqq. Et de nostro quidem loco Hieronymus, qui *famosam hanc visionem* vocat, et *omnium Ecclesiarum Christi lectione celebratam*, postquam attulisset eorum interpretationem, qui de generali resurrectione illam agere autumant, hunc in modum disserit: „Qui autem taliter interpretantur ista, non debent nobis facere invidiam, quod istum locum aliter exponentes, resurrectionem negare videamur. Scimus enim, multo robustiora testimonia, et in quibus nulla sit dubitatio, in Scripturis sanctis reperiri, ut est illud Jobi [19, 26.] etc. — — Ex quo perspicuum est, nos non resurrectionem negare; sed haec non scripta de resurrectione contenderc, et per resurrectionis parabolam de restitutione Israel prophetari, qui tempore captivus erat in Babylone. Nec statim haereticis occasionem dabimus, si haec de resurrectione communi intelligi denegemus. Nunquam enim ponerctur similitudo resurrectionis ad restitutionem Israelitici populi significandam, nisi staret ipsa resurrectio, et futura crederetur; quia nemo de rebus non exstantibus incerta confirmat.“ Liberaliorem sane interpretem sese praebet Hieronymus Calovio, qui in suo Commentario Anti-Grotiano, *Biblia illustrata* ab ipso nuncupato, famoso illo olim, sed qui nunc in oblivione jacet, priorem hujus prophetiae partem, usque ad Vs. 10. sensu proprio de mortuorum resurrectione agere, et plane contra verba diserta prophetae ipsius, Vs. 11., istius orationis *unicum* illum *sensum* esse contendit. Sed ne lateret prophetam *causa proxima*, cur Deus ipsi hanc exhibere voluerit resuscitationem, sequi alteram orationem, Vs. 11. sqq., in qua non verba explicari prioris orationis opinatur, sed scopum illius exhiberi

per *analogiam*, quam populi restitutio habitura sit cum corporali resuscitatione. Talia interpretationis monstra edere solent, qui scriptores veteres disciplinae alicujus theologicae aut philosophicae placitis, in quae jurarunt ipsi, accommodare aggrediuntur. Ceterum mortuos in vitam resuscitandos esse, et Persae veteres, doctrinae Zoroastrianae asseclae, crediderunt, uti patet ex locis pluribus illorum librorum, quos Anquetil Du-Perron communi *Zendavestae* nomine lingua Gallica primus publicavit, et inde J. F. Kleuker in vernaculum sermonem translatos edidit Rigae, 1777. tribus volumiuibus in quateruis. Loca istorum librorum, in quibus de mortuorum resuscitatione agitur, indicata reperies in Indice Volumini tertio addito, p. 269. Locus classicus, qui verbo fere tenus cum nostro convenit, exstat Vol. III. p. 112.

6. וְהַעֲלֵיתִי עֲלֵיכֶם עוֹר *Superinducam vobis cutem.* Verbum קָרַם hoc solo Versu et mox Vs. 8. obvium, idem esse, quod harmonicum Syriacum *incrustare*, *obducere*, v. c. aere, auro, recte observavit Michaelis in *Supplemm.* p. 2205. Cf. Job. 10, 11.

7. כַּאֲשֶׁר צֻוֵּיתִי *Ut jussus eram*, Vs. 4. Eadem verbi forma aderat supra 12, 7. 24, 18. In codice uno Kennicottiano legitur כַּאֲשֶׁר צִוַּנִי (ut infra Vs. 10.), *sicut jusserat mihi*, nec non in alio codice De-Rossiano a prima manu. Idem expressum a LXX, Vulgato, Syro. וַיְהִי־קוֹל *Et factus est sonitus*, coelitus, imperantis Dei, ut supra 1, 25. בְּהִנָּבְאִי *Dum prophetavi*, ut 11, 13. Particula הִנֵּה usurpatur ad excitandam attentionem, non solum ad eas res, quae oculis, verum etiam quae auribus percipiuntur, ut supra 1, 4. רַעַשׁ *Strepitus* ossium, quae movebantur, atque accedendo ad alia ut sequitur, mutuo collidebantur. Sunt, qui *terrae motum* indicari existiment, de quo nomen hebraeum supra 3, 12. 13. positum. Quasi terra variis in locis aperuit sese, ut ossa redderet de sepulchris. Verum ossa non dicuntur condita sepulchris, sed super terrae superficiem dispersa, Vs. 2., et vid. ad eum locum ex Hieronymo notata. וַתִּקְרַבְנָה *Dum accederent*, tertia pluralis feminini Futuri irregularis, pro תִּקְרַבְנָה, ut Jer. 49, 11. וְאַלְמְנוֹתֶיךָ עָלַי תִּבְטָחוּ *viduae tuae fiduciam in me ponunt*, pro תִּבְטַחְנָה. Quae sunt formae mixtae ex utroque genere, nam praeformativa ת convenit sexui feminino, adformativa וּ vero masculino. עֶצֶם אֶל־עַצְמוֹ *Os quodque ad os suum*, cui jungendum erat, ut nervis ligarentur, Vs. 8.

8. „Primum ossa cum aliis ossibus nervorum vinculis colligantur, deinde implentur carnibus, et desuper ob pulchritudinem extenditur cutis, quae nudarum carnium operiat foeditatem.“ Hieronymus. וְרוּחַ אֵין בָּהֶם *Sed spiritus vitalis nondum* erat *in iis*, vid. not. ad Vs. 5. Jacebant cadavera cum externa quidem hominum specie, inanimata tamen.

9. Illam naturam, quae spirat et perflat, *ventum*, illius aevi homines non differre crediderunt ab ea natura, quae vitales

animanti sensus ac pulsus ingenerat (vid. not. ad Vs. 5.). Hinc factum, quod spiritus ille, quo compactorum ossium exanimatae moles erant animandae, evocatur מֵאַרְבַּע רוּחוֹת, *e quatuor ventis*, i. e. coeli plagis, quae ea dictione et infra 42, 20. Jerem. 49, 36. Dan. 7, 2. significantur. Innuit, populum dispersum e cunctis regionibus congregandum esse. Cf. Jes. 11, 12. *Colliget dissipatos Israelitas, et congregabit dispersos Judaeos* מֵאַרְבַּע כַּנְפוֹת הָאָרֶץ *ex quatuor terrarum oris.* Vid. et supra 5, 10. 12, 14. 17, 21. הָרוּחַ *O spiritus* vitalis; ה est Vocativi nota, ut 2 Sam. 1, 19. הַצְבִי יִשְׂרָאֵל *o decus Israelis!* וּפְחִי *Et infla*, spira, a נָפַח (supra 22, 20. 21.), ut גָּשִׁי, *accede* Ruth. 2, 14. a נָגַשׁ. Dicitur hoc loco de infundendo spiritu vitali, ut Genes. 2, 7. וַיִּפַּח בְּאַפָּיו נִשְׁמַת חַיִּים *Inflavit naribus suis spiritum vitalem.* בָּהֳרוּגִים *In occisos*, i. e. mortuos, q. d. הֲרֻגֵי מָוֶת *morte*, non gladio, *occisos*, Jer. 18, 21.

11. כָּל־בֵּית יִשְׂרָאֵל *Omnis domus Israel*, non tantum Juda et Benjamin, sed omnes tribus. יָבְשׁוּ עַצְמוֹתֵינוּ *Aruerunt ossa nostra*, i. e. eo redacti sumus, ut similes illis censeri possimus, qui jamdudum in vivis esse desierunt, quorum ossa jam exaruerunt, et a se vicissim dissoluta varie dispersa sunt. Res nostrae sunt deploratae; spes nulla superest redeundi in patriam. וְאָבְדָה תִקְוָתֵנוּ *Et periit spes nostra*, ut supra 19, 5. נִגְזַרְנוּ *Excisi sumus*, ut membrum a corpore avulsum. Vel est ab arbore desumta metaphora, quae ubi abscissa est de terra, arescit statim, neque in eo statu spem habet ullam producendi fructum, aut recuperandi speciem, quam amisit. Eadem metaphora Job. 19, 10. *Destruxit me undique, et quasi avulsae arbori abstulit spem meam.* Similiter de populo in exsilio degente Jeremias Thren. 4, 8. *Adhaesit cutis eorum ossibus, aruit, et facta est quasi lignum*, scil. aridum. Cf. Jes. 53, 8. et ad eum loc. not. p. 358. edit. sec. Similes imagines de populo Israelitico excidendo Noster usurpavit 17, 9. 10. 24. לָנוּ *Nobis*, i. e. malo, damno nostro. Ita adfixa pronomina cum particula ל composita saepe redundant cum leni emphasi, qua id, quod in alicujus commodum vel damnum fit, significatur, vid. e. c. Num. 22, 34. Jes. 36, 9. Amos. 2, 13.

12. אֲנִי פֹתֵחַ אֶת־קִבְרוֹתֵיכֶם *Aperturus sum sepulchra vestra*, i. e. efficiam, ut permissionem obtineatis in patriam redeunti ex omnibus iis locis, in quibus captivi detinemini. Exilium civibus, quibus cara est patria, instar sepulchri est, quia divulsi a natali solo, sicut arbores e terra, unde trahebant alimentum vitale, pro mortuis censentur. Aperiendi ergo dicuntur tumuli, et inde evocandi, quia ab exilio, quod instar est tumuli, ad patriam, quae instar obtinet vitae, revocandi sunt. Quaerunt, cur, quum ossa ista vehementer arida, quae prophetae oculis objecta erant, quibusque copiosus Hebraeorum populus ex-

primebatur, non essent de sepulchris extracta, sed per campi superficiem late dispersa (Vs. 2.), nunc Deus dicat, exules illos, qui censebantur pro mortuis, extrahendos fore de sepulchris. Quidam condita fuisse putant illa ossa prius, deinde extracta, et ut oculis objicerentur prophetae, fuisse super terrae faciem disseminata. Ego in hac dissimilitudine haerendum non puto. Neque enim arbitror, singulatim omnia esse consideranda, aut cum rerum imagine componenda. Hic tantum significetur ossibus prius dissolutis atque dispersis, captivorum fortuna desperata, in eisdem jam colligatis nervorum nexu, et animalis spiritu, Judaeorum libertas, quae tunc exprimitur, cum extrahendi dicuntur e sepulchris. Quumque haec omnia exprimantur apte, ut nil sit praeterea aliquid aliud necessarium; non puto de reliquo cuiquam laborandum. Dicit autem Deus, dum populum mitius jam et benignius alloquitur, עַמִּי, *populus meus*, uti et Versu sequenti. Contra cum de populo Deus aliquid durius aut cogitat secum, aut loquitur ad prophetas, addit Pronomen *tuum*, quasi aversetur, et indignum judicet benigna illa compellatione populum, a quo tam longe abest sanctitas et religio. Sic Exod. 32, 7. post vitulum adoratum ait ad Mosem Deus: *vade*, *descende*, כִּי שִׁחֵת עַמְּךָ *nam peccavit populus tuus.* Cf. supra 13, 17. 33, 1.

14. וְנָתַתִּי רוּחִי בָכֶם וְחִיִּיתֶם *Indam vobis spiritum meum ut vivatis. Spiritu divino* Kimchi existimat animam intelligentem significari, aliam ab anima mere vitali, de qua supra Vs. 5. 8. 9. Verum et eo spiritu, de quo hic, vivificantem animam indicari, dubitare non sinit additum וְחִיִּיתֶם, *ut vivatis. Suum* vero *spiritum* eum vocat Deus, quod se jubente ille animavit exanimatas moles. Ita igitur rerum faciem ait esse convertendam, ut qui mortem antea civilem trahebant, iidem postea ducant vitam vere vitalem, tranquillam videlicet et laetam in patria.

16. Aliud jam aggreditur vaticinium, nisi mavis, prophetiam hanc superioris esse appendicem. In qua docet, populos a se ipsis ante dissectos, a tempore inde Jeroboami, in unum coalituros esse corpus, et facta animorum conspiratione in patriam simul esse remigraturos. Id vero, ut plura alia, symbolo quodam portendit. Jubet enim Deus prophetam duo capere ligna, sive, ut alii cum Chaldaeo interprete volunt, duas *tabulas*, vel, ut Alexandrini verterunt, ῥάβδους, *virgas*, utrumque enim indicari potest hebraeo nomine עֵץ, quod h. l. usurpatur, quae duo regna, seu potius regnum unum, in duo quasi membra dissectum, adumbrarent. וּכְתוֹב עָלָיו *Et inscribas ei*, i. e. inscriptione facta speciatim designes, qui populus adumbretur ligno s. virga. Ut Moses Num. 17, 17. 18. divino jussu a singulis Israeliticarum familiarum principibus singulas virgas, id est duodecim, accepisse, et sua cujusque in virga nomen ejus scripsisse narratur. לִיהוּדָה *Judae*, i. e. regno Judae dicata est haec virga.

וְלִבְנֵי יִשְׂרָאֵל חֲבֵרָיו *Et Israelitis* iis, *qui socii ejus sunt*, quibus intelliguntur, qui in discidio illo duodecim tribuum, quae antea unum regnum constituerunt, sub Rehaboamo (1 Reg. 12.) partes Judae sequuti sunt, tribus Benjamin videlicet, et plurimi de tribu Levi; nam quum hi in templo variis essent intenti ministeriis, ex quibus ad naturae subsidia et dignitatis ornamenta necessarii suppeterent sumtus, plurimi se ad illos tribus applicuerunt, in quarum finibus templum erat a Salomone constructum. Sed neque ex aliis tribubus defuerunt, qui regnum Judae augerent, vid. 2 Paral. 11, 16.; quales erant, qui ex tribu Ephraim, Manasses, et Simeon ad Assam, nepotem Salomonis, se receperunt, 2 Paral. 15, 9. tum qui sub Ezechia arcesserunt e tribu Ascher, Manasse, Sebulon et Isaschar, 2 Paral. 30, 11. 18. 31, 1. Kimchi: „Ad marginem legi jubetur חֲבֵרָיו, *socii ejus*, i. e. tribus Benjamin, quae semper conjuncta erat tribui Juda, etiam diviso imperio. Sed in textu scribitur חֲבֵרוֹ, *socius ejus*, quia utraque tribus tanquam una consideratur.“ Recte, vid. enim 1 Reg. 11, 13. 32. 12, 20. 2 Reg. 17, 18., quibus locis tribus Juda et Benjamin solo *Judae* nomine indicantur. וּלְקַח עֵץ אֶחָד *Deinde cape* etiam aliud *quoddam lignum*, s. aliam virgam. לְיוֹסֵף עֵץ אֶפְרַיִם *Josepho* scil. *lignum Ephraim*, Vs. 19. Chaldaeus: *tribui Joseph, quae est tribus Ephraim*, quia in ea tribu regnum erat. Jeroboam enim, qui diviso imperio, Israeli imperavit, erat ex tribu Ephraim. וְכָל־בֵּית יִשְׂרָאֵל חֲבֵרָיו Nam reliqua domus Israel, uti ait Grotius, ita socii erant Ephraimo, quomodo Benjamin Judae. Sunt ergo per *Ephraim* intelligendae decem tribus, quarum caput erat Ephraim.

17. וְקָרֵב אוֹתָם *Postea conjunge illa* tibi. Imperativus Piel, cum Patach sub Resch, ut פַּלֵּג, *divide*, Ps. 55, 10., et כַּהֵר *exspecta*, Job. 36, 2. אֶחָד אֶל־אֶחָד *Unum ad alterum*, ut Jes. 27, 12. וְהָיוּ לַאֲחָדִים *Ut fiant ambo unum*, Vs. 19. Kimchi: מְחֻבָּרִים כְּדָבָר אֶחָד *conjuncta quasi sint unum*. Sive hoc ita intelligendum, cohaesuros duos baculos istos in manu ipsius, ut sint unum lignum continuum; sive ad praeceptum hoc pertineat, ut duos baculos ita junctos in manu sua teneat, ut videantur esse unus baculus.

18. הֲלֹא־תַגִּיד לָנוּ מָה־אֵלֶּה לָךְ *Nonne indicabis nobis quid haec tibi?* i. e. quid haec significent? Ut supra 24, 19.

19. הִנֵּה *En!* adseverantis, ut supra 15, 4. 25, 8. Jerem. 31, 8. אֲנִי לֹקֵחַ *Ego accepturus* sum, Vs. 21. אֶת־עֵץ יוֹסֵף *Lignum Josephi*, i. e. regnum Israel, hac virga adumbratum, Vs. 16. אֲשֶׁר בְּיַד־אֶפְרַיִם *Quod* administratum fuit *per Ephraimitas*, quia Jeroboam Ephraimita; cujus posteri per multa secula illi praefuerunt. Chaldaeus: *tribum Josephi*, *quae ipsa est tribus Ephraim.* Dathius vertit: *quod est ad latus Ephraimi*, et in nota addit: „Intelligitur alterum lignum, s. tabula ligneа,

cui secundum Vs. 16. inscripta erant illa verba: *Josephus, lignum Ephraim, et omnes Israelitae.* Quae vero verba non in uno latere, sed in utroque scripta erant, quamquam hoc Versu 16. non clare indicatum est. Fortasse in uno latere tantum scriptum fuit: *Josephus*, in altero vero reliqua verba.“ Verum *ad latus* hebraice est עַל־יַד (vid. Exod. 2, 5. 2 Sam. 25, 2. 18.) sive לְיַד (1 Sam. 19, 3.), nusquam בְּיַד. וְשִׁבְטֵי יִשְׂרָאֵל *Et* ceteras *tribus Israelis;* cf. 45, 8. 48, 13. Jes. 49, 6. חֲבֵרָיו *Socias ejus*, Ephraimi, Vs. 16. וְנָתַתִּי אוֹתָם עָלָיו אֶת־עֵץ יְהוּדָה *Et dabo*, s. addam (Chaldaeus: *consociabo*) *illas*, tribus Israel, *ad ipsum*, s. *una cum ligno*, Ephraim, *cum ligno Judae.* Particulam אֶת Kimchi observat h. l. pro עִם, *cum* positam esse, ut 2 Sam. 7, 12. *Cum impleti fuerint dies tui* וְשָׁכַבְתָּ אֶת־אֲבֹתֶיךָ, *et occubueris cum patribus tuis.* Et 1 Reg. 3, 1. וַיִּתְחַתֵּן שְׁלֹמֹה אֶת־ פַּרְעֹה *et affinitate junxit se Salomon cum Pharaone.* Alii: *addam eos, qui super illo*, s. praeter illum sunt, *cum ligno Judae.* Alii: *componam eas* illas conjunctas *illi cum ligno Judae.* Sunt etiam, qui sic vertant: *dabo eas ad illud*, nempe *lignum Judae.* וְעָשִׂיתִם לְעֵץ אֶחָד *Et faciam eos in lignum unum*, i. e. in populum unum, uti Chaldaeus vertit. Duo regna, quae antea discissa erant, in unum coalescent. Idem pollicetur Jesajas 11, 13. וְהָיוּ אֶחָד בְּיָדִי *Ut sint unum lignum* s. regnum *in manu mea*, sub mea cura et tutela. Pro בְּיָדִי legitur בְּיָדוֹ in optimae notae codice sub initio seculi decimi tertii charactere italico exarato, qui nunc in Museo Britannico asservatur, et a Kennicotto numero 30. signatus est. Idem expressit Vulgatus: *in manu ejus;* et quoad sensum concinit Alexandrinus Graecus: *ἐν τῇ χειρὶ Ἰούδα.* Sensum bene THEODORETUS exposuit: *Faciam, inquit, ut qui olim se ipsos a Judae regno separarunt, rursus illius agnoscant imperium, et factam divisionem finiam, efficiamque, ut omnes tribus ipsi Judae communi consensu obediant.* In codice Stutgardensi, a Kennicotto numero 384. notato, videtur a prima manu בְּיָדָיו, *in manibus ejus*, scriptum fuisse; erasam enim habet postremam literam, teste Schellingio in codicis illius *Descriptione*, p. 162.

21. מִבֵּין הַגּוֹיִם Cf. 36, 24. וְקִבַּצְתִּי אוֹתָם Cf. 11, 17. 20, 34. 41. 39, 27. וְהֵבֵאתִי אוֹתָם אֶל־אַדְמָתָם Cf. 34, 13. 36, 24. 39, 28.

22. לְגוֹי אֶחָד Vid. Vs. 19. et cf. Hos. 2, 2. בְּהָרֵי יִשְׂרָאֵל Cf. not. ad 34, 13. 14. Chaldaeus: *in monte sancto Israelis.* וּמֶלֶךְ אֶחָד *Et rex unus*, Messias, ad quem pertinere hoc vaticinium, apertum est ex Vs. 24. 25. Cf. supra 34, 23. Male Grotius ad *Serubabelem* haec refert, quippe qui neque re, neque nomine rex fuit. In iis V. T. locis, quibus de eo sermo, vocatur פֶּחָה, *praefectus*, *gubernator.* Vid. Malach. 1, 8. Hagg. 1, 1. 14. 2, 2. 21. Esr. 6. 7. Primo a Cyro, deinde a Dario,

Hystaspis filio, in Judaeam missus est, ut provinciam regeret, et regio nomine et sumtibus Hierosolymitanum templum instauraret. Proinde Esr. 3, 2. nominatur post Josuam, sacerdotem, alibi tamen praecedit, quia Pro rex, et summus sacerdos apud Judaeos erant dignitate pares, aut suppares. Accedit, quod Scrubabel solum Judaeis illis praefuit, qui e Babylone reduces erant, id est hominum quatuor vel quinque myriadibus, idque in paucos annos; quum rex, de quo hoc loco, *David* nomine, Israelitis omnibus in aeternum imperaturus dicatur Vs. 25. Cf. BOCHARTI *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. 17. Tom. I. p. 194. seqq. edit. Lips. Particula עוֹד, *amplius, iterum*, tertiatur, quod loquentis affectum indicat. Id vero non sensit De-Rossi, qui ad h. l. haec scripsit: „Alterutrum עוֹד redundat, nec nisi una vice legunt [imo, exprimunt] veteres interpretes, excepto Targum. Itaque non male primum a prima manu omissum in codice meo 443.“

23. וְלֹא יִטַּמְּאוּ עוֹד 14, 11. בְּגִלּוּלֵיהֶם 23, 30. 36, 25. וּבְשִׁקּוּצֵיהֶם 5, 11. Jes. 66, 3. וְהוֹשַׁעְתִּי אוֹתָם *Et servabo eos* 34, 22. 36, 29. מִכֹּל מוֹשְׁבֹתֵיהֶם *Ex omnibus habitationibus eorum* (6, 6. 14.), i. e. eripiam eos de cunctis habitaculis, in quibus coluerunt idola, et addicti fuerunt rebus abominandis. Nam in exsilio non minus ac in patria terra falsorum deorum cultui dediti erant. Vel sumendae sunt per metonymiam *sedes* s. *habitationes* pro his, quae in iis sunt, luci videlicet ac montes, seu impia sacraria, in quibus falsis diis excitatae sunt arae, et nefaria instituta sacraria. Alexandrinus Graecus hebraea sic vertit: *καὶ ῥύσομαι αὐτοὺς ἀπὸ πασῶν τῶν ἀνομιῶν αὐτῶν.* Pro מוֹשְׁבֹתֵיהֶם illum interpretem מְשׁוּבֹתֵיהֶם, *defectiones eorum* (Jer. 2, 19. 14, 7.) legisse, existimat Dathius; De-Rossi vero, פִּשְׁעֵיהֶם, quod ipsum in suorum codicum uno scriptum reperit a prima manu, librarii haud dubie lapsu. Equidem subscribo judicio Dathii: „Quoniam recepta lectio commodam admittit interpretationem, atque etiam Syrus, Chaldaeus et Vulgatus eam exhibent, non putavi eam sollicitandam esse. Fortasse quoque e lectione *τῶν* LXX hebraice dicendum fuisset in sequentibus verbis non אֲשֶׁר חָטְאוּ בָהֶם, sed אֲשֶׁר חָטְאוּ בִי, *quibus contra me peccarunt.*“ וְטִהַרְתִּי אוֹתָם *Emundabo eos*, expiabo eos ab iis sordibus, quae illis ab impuris barbarorum saeris in ipsorum sedibus, sive sacrariis adhaesere. Cf. 36, 25. 33. וְהָיוּ־לִי לְעָם Vid. Vs. 27. 36, 28. וַאֲנִי אֶהְיֶה לָהֶם לֵאלֹהִים 34, 24. et infra Vs. 27.

24. וְעַבְדִּי דָוִד מֶלֶךְ עֲלֵיהֶם *Et servus meus David rex* erit *super eos*, id est, ut recte Kimchi, „Rex Messias, qui vocatur *David*, quia erit e stirpe Davidis.“ Neque aliter Abarbenel: „Quia erit ex ejus gente, et Davidis mores imitabitur. Quomodo omnes Aegypti reges primo *Pharaonis*, postea *Ptolemaei* nomine diu appellati sunt; ita rex Messias et omnes ejus posteri *Davidis* nomine vocabuntur.“ Sed cf. not. ad 34, 13. וּבְמִשְׁפָּטַי יֵלֵכוּ Cf. supra 11, 20. 36, 27.

25. וְיָשְׁבוּ עַל־הָאָרֶץ *Tum habitabunt in terra*, 36, 28. אֲשֶׁר נָתַתִּי לְיַעֲקֹב 28, 25. וְדָוִד עַבְדִּי נָשִׂיא לָהֶם 34, 24.

26. וְכָרַתִּי לָהֶם בְּרִית שָׁלוֹם Vid. not. ad 43, 25. בְּרִית עוֹלָם Cf. Jes. 55, 3. Jer. 32, 40. אוֹתָם *Cum eis*, ut supra 23, 23. 10, 17. Unde minime opus, cum De-Rossio אִתָּם legere, quod in aliquod codicibus legitur. וְנָתַתִּים *Et dabo* s. *ponam eos*, scil. in terra mea; ita Kimchi. LXX: *καὶ τάξω αὐτούς*. Vulgatus: *et fundabo eos*. Alii subaudiendum volunt בְּרָכָה (coll. supra 34, 26.), *faustam precationem*, s. fortunatissimos. Vid. not. ad illum locum. Ita Chaldaeus: *benedicam eis*. וְהִרְבֵּיתִי אוֹתָם *Et augebo eos*, cf. 36, 10. 11. 37. מִקְדָּשִׁי *Sanctuarium meum*, i. e. templum meum, quo Deus sanctus esse religioso cultu significatur. Eodem nomine idolorum templa nuncupantur Amos. 7, 9. 13.

27. וְהָיָה מִשְׁכָּנִי עֲלֵיהֶם *Sic erit habitaculum meum apud illos*, cf. infra 48, 35. Levit. 26, 11. Zach. 2, 14. וְהָיִיתִי לָהֶם לֵאלֹהִים Vs. 23. 11, 20. 34, 30.

28. וְיָדְעוּ הַגּוֹיִם וגו׳ 36, 23. 36. אֲנִי יְהוָה מְקַדֵּשׁ אֶת־יִשְׂרָאֵל *Ego Dominus sanctum reddam Israelem*, liberos eos reddam a reatu et conscientia peccati, cf. supra 20, 12., infra 39, 7. בִּהְיוֹת מִקְדָּשִׁי בְּתוֹכָם לְעוֹלָם *Quum nimirum erit sanctuarium meum inter eos perpetuo*, i. e. quando videbunt, me perpetuo manere cum illis, nec unquam favore et auxilio meo eos destituere.

CAP. 38.

Argumentum.

Gentes barbarae atque feroces, rege suo, Gogo duce, futuro aliquo tempore populum Israeliticum, post longum exsilium patriae terrae restitutum, ibique tranquille et secure degentem, copiosissimo instructo exercitu adorientur, eumque populari atque delere molientur (Vs. 1 — 17.): quibus vates divino jussu durum atque ignominiosum interitum minatur, quo Jovae potentia inter omnes gentes illustris sit reddenda (Vs. 18 — 23.).

2. שִׂים פָּנֶיךָ Vid. not. ad 13, 17. 21, 2. אֶל־גּוֹג אֶרֶץ הַמָּגוֹג *Ad* s. *contra Gogum terrae Magog* scil. principem. Nam גּוֹג, quod Apoc. 20, 8. una cum *Magog* pro *gentis* nomine sumitur (ut Arabibus יאגוג ומאגוג), apud Nostrum esse *personae* nomen, illud perspicue probat, quod mox Vs. 3. Gog princeps esse dicitur *Rosch*, *Meschech* et *Thubal*, et Vs. 14. sqq. venturus esse fertur cum populo suo. Atque Cap. 39, 11. locus designatur, quo interfectus Gogus sit sepeliendus. An vero גּוֹג proprium sit regis alicujus nomen, aut commune illis, qui alicui provinciae praefuerunt, incertum est. Ut enim Aegypti reges prius Pharaones, deinde Ptolemaei, Syriae Antiochi, Caesares Romae nuncupantur; sic etiam Gog commune possit esse nomen illorum, qui certae alicui regioni praeessent. Hillero in *Onomast. S.* p. 67. et 406. גּוֹג est decurtatum pro integro גָּגוֹג, ut צוֹא, *sordidus*, pro יָצוֹא, formae גָּדוֹל (unde Arabibus pleniori effatu dicitur יאגוג) a radice inusitato גָּגַג, quam *altum esse* designasse putat (quasi cognata שָׂגָה), unde גַּג *tectum*, altior scilicet pars aedium; et hinc גּוֹג *altum, excelsum*, i. e. principem notare censet. Recte vero Michaelis in *Supplemm.* p. 276. monuit, barbaro nomini originem ex lingua hebraica eique cognatis non esse quaerendam. Fuit quidem גּוֹג et nomen proprium Hebraeis usitatum, uti apparet ex 1 Paral. 5, 4., ubi *Gog*, Rubenita quidam, memoratur. Sed id h. l. nihil attinet. Michaeli in *Spicileg. Geograph. Hebraeor. exter.* T. I. p. 34. 35. et in *Supplemm.* l. c., verisimile visum, גּוֹג idem esse, quod durius paullo appellatum, *Kak*, in Persica historia frequens, regibus barbaris, Persiae a septentrione ad mare Caspium commune, ex quo, Turcico nomine *Chak* addito, factum serioribus seculis

Chakan, Arabibus חאקאן, *rex regum*. In nomine barbaro literarum *G*, *Ch*, *K* permutationem locum habere apud Hebraeos et Arabes, ostendit in *Spicil.* l. c. „Cornelius de Bruyn," addit Michaelis, „plane *Gog* scripsit nomen, in *Itinerum (Voyages par la Moscovie en Perse et aux Indes Orientales)* T. II. p. 409. de Mongolis loquens: *En l' an* 1246. *ils choisirent pour Chef de la Tartarie un certain Kuine, qu'ils surnommèrent Gog Chan, c' est à dire, Roy ou Empereur.*" Hieronymus: „Illud quoque breviter annotandum, quod in Ezechiele *Gog* princeps terrae Magog esse dicatur, Apocalypsis vero et *Gog* et *Magog* nationes esse commemorat [vid. hujus notae initium], quae egrediuntur de quatuor angulis terrae. Et quomodo a Jacob, qui postea appellatus est Israel, omnis populus Hebraeorum Israel sortitus est nomen, et ab Aram Syria, a Mesraim Aegyptus, quorum in Genesi scripta sunt nomina, sic et a principe Gog omnes, qui ei subditi sunt, *Magog* appellantur." מגוג esse *Scythiam* Orientalium, post ea quae Bochartus *Geograph. S.* P. I. sive *Phaleg.* L. III. Cap. 13. p. 212. atque Michaelis tam in *Spicileg.* T. I. p. 28. sqq., quam in *Supplemm.* p. 1471. sqq. de illo nomine asseruerunt, dubio caret. Genes. 10, 2. מגוג ponitur inter Cimmerios et Medos, quibus utrisque a septentrione erant Scythae. Et iis populis, quibuscum Noster h. l. מגוג componit, borealiores Hebraeis non cognitae erant. Quaeritur, מגוג eademne sit latitudine sumendum, qua Scythia Graecorum Latinorumque, an ad aliquem certum populum traetumque Scythiae restringendum? Nos quidem adstipulamur Michaeli in *Suppl.* p. 1473. statuenti, prius videri non verisimilius modo, sed a certo proximum. Nihil Mosi, Ezechieli, Hebraeis, ultra Magogum, tantosque illi dat Ezechiel exercitus, ut mediocriter magna regio vix sufficiat. Ultima Septentrionis et Orientis aquilonaris illis temporibus Hebraeis parum cognita, verisimillimum, eos haec omnia, plane ut Graeci Latinique fecerunt, utque et nos seculi adhuc superioris initio faciebamus, Scythiae et Tatariae, uno nomine complexos esse, *Magogi*. Et Hieronymus sui aevi Judaeos refert putasse, *Magog gentes esse Scythicas, immanes et innumerabiles, quae trans Caucasum montem et Maeotidem paludem, et prope Caspium mare ad Indiam usque tendantur.* Theodoretus quoque *Gog* et *Magog* Σκυθικὰ ἔθνη esse ait. Accedit seriorum Orientalium, Syrorum et Arabum, loquendi usus. Et Syri quidem, ab Assemani in *Biblioth. Orient.* T. III. P. II. p. 16. 17. 20. excerpti, non in explicandis sacris literis, sed in tradenda historia, nomina *Gogi* et *Magogi* ut nota inque geographia recepta ita ponunt, ut manifestum sit, ulteriorem Tatariam, qua parte Indiae imminet, latiusque inde Orientem versus extenditur, Magog vocitatam fuisse. Iisdem regionibus assignant Arabes gentes יאגוג ומאגוג ab ipsis appellatas. Nempe ut Sina vel China in *Tschin* et *Matschin* distinguebatur, ita et Scythiam

in *Gog* et *Magog* divisum putabant fuisse, priore, *Gog*, in *Jagog* mutato. Vid. HERBELOTH *Biblioth. Orientat.* vocc. *Jagiouge* et *Magiouge*. Quae Arabum Geographi de *Gog* et *Magog* narrant, collecta reperies in libro cui epigraphe: *Asiatisches Magazin*, edit. a JUL. KLAPROTH (Weimar. 1802. duob. Voll. 8.), Vol. I. p. 138. sqq. Cf. C. G. HASSE *Entdeckungen im Felde der ältesten Erd- und Menschengeschichte*, P. I. p 13., et librum nostrum *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. I. p. 240. sqq. Ex quibus omnibus unusquisque judicium ipse ferre potest de Grotii sententia, Gogo *Antiochum Epiphanem* designari, et utroque hoc Capite praedici mala et injurias, quibus amens iste tyrannus Judaeos exagitavit. Sed talium regum, qui Judaeos *ob religionem* sint vexaturi, poenam hoc vaticinio praedici, uti Grotius ait, plane est confictum. Quae porro de clade Gogo a populo Israelitico infligenda Noster canit, multo esse graviora, quam ut in victoriis Maccabaeorum impleta videri possint, ipse agnoscit Dathius, cui ceterum Grotiana sententia arrisit. Sed demus, esse in hoc vaticinio pauca quaedam, quae Maccabaicis temporibus accommodari quodammodo possint; sunt tamen multo plura, quae illis nulla arte aptari poterunt, veluti quae hoc Capite Vss. 20. sqq. de ingentibus naturae commotionibus in terra Israelitica, de Gogi exercitu, peste, grandine, imbre ignis et sulphuris perdendo, et Cap. 39, 9. sqq. de Gogo in terra Israelitica sepeliendo, et de ejus copiis prostratis et ab Israelitis sepeliendis, quibus pro cadaverum multitudine septimestre spatium ad illud opus necessarium sit futurum, praedicuntur. Talia vero nullo unquam tempore evenisse constat. Quare Joannes in Apocalypsi Cap. 20. quae Ezechiel de Gogi moliminibus et clade praedixerat, ulterius ad extremam mundi aetatem distulit. Arabes fabulantur de Alexandro Magno, eum populos barbaros ac saevos, vicinis graves, *Jagog* et *Magog*, muro ferreo aeneoque inclusisse, quem Muhammedes Sur. 18, 94 — 99. brevi ante judicium extremum perrepturum iri praedicit; sed Jesum, equo fulmineo *Alborac* vectum, Jagogum et Magogum victurum et prostraturum esse. Cf. Sur. 21, 96. et SALE'S *Preliminary Discourse* Sect. IV. p. 107. ed. Londinens. in octon. 1764, sive p. 103. vers. germ. Ista vero Mohammedem nequaquam ex Ezechiele vel Apocalypsi hausisse, sed ex suae vicinarumque gentium mythologia retinuisse, mihi est persuasissimum. Etenim iis, quae de Gogo ab Alexandro M. muro incluso narrant Arabes, plane consona canit poeta quidam Syrus Christianus in Carmine de Alexandro M. et porta, quam dicitur statuisse adversus Gog et Magog, quod e codice Parisiensi primum edidit GUSTAV. KNÖS in *Chrestomathia Syriaca maximam partem e codicibus manuscriptis collecta*, Gotting. 1807. p. 66. sqq. (Notitiam succinctam illius carminis dedimus in *Ephemeridibus literariis Lipsiensibus* anni 1808. mens. Jul. p. 1299.).

Jam eorum, quae poëta ille Syrus de Gogo habet, neque in Ezechiele, neque in Apocalypsi, neque in alio libro biblico ullum deprehenditur vestigium. A Corano vero illa mutuatum esse hominem Christianum, qui forsan ante Coranum evulgatum vixerit, nemo credat. Sequitur ergo, utrumque, Mohammedem et Syrum, sua quemque e communi aliquo fonte hausisse. Ceterum vetustissimos esse mythos de Gogo (nam personis *mythicis* eum accensendum esse, nos quidem nulli dubitamus), ut qui jam dudum ante Ezechielem inter Hebraeos percrebuerint, manifestum est ex Versu 17. hujus Capitis. Vernacule redditum nostrum vaticinium a Guil. Fr. Hezel leges in opere ab ipso edito, cui epigraphen fecit *der Schriftforscher*, Vol. II. p. 143. sqq. In antelogio versioni praemisso vaticinii argumentum huc redire ait, pollicceri Deum, se pios suos cultores ab hostium potentissimorum ac ferocissimorum impetu sartos tectos servaturum, eosque suo praesidio custodiaque protecturum. Eam vero promissionem ad Christianos pertinere eatenus, quatenus ipsi sunt veri Dei cultores. Id autem est, mentem poetae rei cuilibet accommodare, non, interpretari. Sed jam ordine prosequamur nostri loci explicationem. Dicitur ergo Gogus נְשִׂיא רֹאשׁ מֶשֶׁךְ וְתֻבָל, „qui," ut Hieronymus ait, „juxta LXX, Symmachum et Theodotionem *princeps* est *Ros*, *Mosoch* et *Thubal*, primam gentem, *Ros*, Aquila interpretatur *caput*, quem et nos sequuti sumus, ut sit sensus: *principem capitis Mosoch et Thubal.* Et revera nec in Genesi, nec in alio Scripturae loco, nec in Josepho quidem, qui omnia Hebraicarum gentium in primo Antiquitatum libro exponit nomina, hanc gentem potuimus invenire. Ex quo manifestum est, *Ros* non gentem significare, sed *caput.*" Sed plura esse gentium nomina, quae semel tantummodo in V. T. occurrant, quis nescit? In ipso Ezechiele quam multa locorum sunt nomina, nusquam alias obvias? ut כְּבַר 1, 1., גַּמָּדִים 27, 11., כְּלָמַד 27, 23., כּוּב 30, 5. Josephi autem silentium plane nihil probat. Ille enim Antiquitatum libro primo Cap. 6. non omnia, et singula, quae in V. T. memorantur, gentium nomina, sed ea tantummodo, quae Geneseos Cap. 10. recensentur, explicare suscepit. *Principem capitis* et recentiores quidam *principem capitalem* s. *maximum* interpretantur. Minus congrue. Praestat, cum vetustissimo Graeco interprete רֹאשׁ pro gentis nomine habere. Illo vero *Araxem* fluvium, qui Arabibus אלראס *Ar-ras* dicitur, populosque ei accolas designari, satis probabile reddidit Bochartus *Phalegi* L. III. Cap. 3., cui adstipulatus est Michaelis in *Supplemm.* p. 2224., ubi sententiam illam et eo confirmavit, quod apud scriptores Byzantinos Ῥῶς occurrit ut nomen gentis Scythicae circa Taurum. Loca legi possunt apud Michaelem ipsum, quemadmodum ea, quae h. l. contra eos disputavit, qui a Rhossis, Araxi vicinis, descendisse *Russos* existimant. Cf. *Handbuch der bibl. Alterthumskunde,* Vol. I. P. I.

p. 245. De מֶשֶׁךְ et תּוּבָל, *Moschis* et *Tibarenis*, vid. not. supra ad 27, 13.

3. Quod hoc Versu repetitur נְשִׂיא רֹאשׁ מֶשֶׁךְ וְתוּבָל, in eo nonnulli quandam volunt esse emphasin, quasi hoc dicere vellet vates: tu, qui copiis non solum popularium tuorum numerosis, sed et auxiliaribus ad te recens confluentibus fretus, invictus tibi videris. Sed familiares sunt Nostro hujusmodi repetitiones, quibus nihil spectare solet singulare.

4. וְשׁוֹבַבְתִּיךָ, quod et infra 39, 2. legitur, varie interpretantur. Quidam: *reducam te* iterum iterumque, i. e. ut Vulgatus vertit, *circumagam te*, Alexandrinos sequutus, qui *περιστρέψω σε κυκλόθεν*. Metaphoram desumtam putant ab equo, quem qui insidet injecto freno et addactis habenis suo arbitratu versat circumagitque, vel a magno aliquo pisce, aut ab ingenti atque indomita bellua, cujus naturalis ferocitas injecto maxillis uncino aut hamo frangi et perdomari necesse est. Conf. 29, 4. Alii vertunt: *frangam te*, qua significatione verbum שָׁבַב apud Talmudicos usurpatur (collato Arabico سبب *secuit*), unde שְׁבָבִים, *frusta*, Hos. 8, 6. Malim: *avertam*, i. e. seducam *te*, ob verbum שָׁשָׁא, quod infra 39, 2. nostro subjungitur. *Avertendi*, *pervertendi* significatu שׁוֹבֵב et Jes. 47, 10. 57, 15. Jer. 8, 5. Idem expressit Chaldaeus suo אֲשַׁדְּלִנָּךְ, *alliciam te*. Syrus vertit *tranquillum*, securum *te faciam*. וְהוֹצֵאתִי אוֹתְךָ *Et educam te* e solo nativo. 11, 9. 20, 34. לְבֻשֵׁי מִכְלוֹל *Indutos perfectione*, perfecto habitu militari. LXX: *ἐνδεδυμένους θώρακας*. Conf. Ephes. 6, 14. Vulgatus: *vestitos loricis*. Grotius: „*Παν*οπλίαν describit, quam Hieronymus Luc. 11, 22. vertit *universa arma*; Ephes. 6, 11, 13. *armaturam*; *universitatem armorum* Ambrosius.“ *Panopliam* intelligit quoque Michaelis in *Supplemm.* p. 1186., quae sive a כָּלַל, *circumdando*, sive a כֹּל, *omnis*, plane ut graecum nomen, dici potuerit. Neque alio sensu haec dictio supra 23, 12. capienda est. קָהָל רַב *Coetus multus*, Vs. 15. 17, 17. צִנָּה וּמָגֵן Cum *scuto et clypeo*. Chaldaeus: *armatos clypeis et scutis*. 23, 24. 39, 9. תֹּפְשֵׂי חֲרָבוֹת *Tenentes gladios*. Verbum תָּפַשׂ h. l. cum Accusativo construitur, ut supra 27, 29., quum alias mediante ב nomini jungi soleat, vid. 21, 16. 30, 21.

5. פָּרַס Vid. not. ad 27, 10. כּוּשׁ 30, 4. 5. 9. וּפוּט LXX: *καὶ Λίβυες*, vid. not. 27, 10. 30, 5. אִתָּם *Cum eis* educam Vs. 4. Sive: *cum illis* erunt. כֻּלָּם מָגֵן *Omnes* armati *scutis*, ut Chaldaeus recte. Cf. 27, 10. וְכוֹבָע *Et galea*, 1 Sam. 17, 5. Jes. 59, 17.

6. גֹּמֶר *Cimmerii*, gentes maxime aquilonares, quarum nomen aeque late patet, quam Scytharum. Et Michaelis quidem in *Supplemm.* p. 333. Cimmeriam gentem illam denotari existimat, quae inter Borysthenem olim et Tanaim, in Chersoneso

etiam Taurica habitavit, atque Bosporo Cimmerio nomen reliquit. Ulterius etiam septentrionem versus sese extendisse Cimmerios, usque ad terras Europae borealis, mari baltico adjacentes, existimat Hasse loco ad Vs. 2. laud. Verum sedes et fines illius populi nemo accurate definiverit. Cf. *Handb. der bibl. Alterthumskunde*, Vol. I. P. I. p. 235. Vid. not. ad Genes. 10, 2. וְכָל־אֲגַפֶּיהָ *Et omnes alas*, i. e. turmas militares *ejus*. Vid. de hoc nomine not. supra ad 12, 14. LXX: *οἱ περὶ αὐτόν*. Sic et Vs. 9. 39, 4. בֵּית תּוֹגַרְמָה *Armenia*, vid. not. ad 27, 14. יַרְכְּתֵי צָפוֹן *Latera aquilonis*, i. e. populos ad aquilonem sitos, non respectu Judaeae, uti vult Grotius, sed totius sphaerae terrestris. Cf. Jes. 14, 13. et Jerem. 6, 22. 25, 32., ubi Chaldaei dicuntur populus veniens מֵאֶרֶץ צָפוֹן, *e terra septentrionali*, מִיַּרְכְּתֵי אֶרֶץ *a lateribus*, extremitatibus *terrae*. Cf. Hasse, l. l. p. 34.

7. הִכּוֹן *Praeparator*, paratus esto, Imperativus Niphal, praeter h. l. Amos. 14, 12. obvius; Participium illius formae vid. Exod. 19, 11. 15. Jos. 8, 4. Hithpael Ps. 59, 5. וְהָכֵן לְךָ *Et praepara tibi*, quaecunque necessaria ad bellum gerendum, ut Jer. 46, 14. Permissio haec est ironica, quae quum hortari videatur Gogum, ut arma capiat, viresque suas quam potuerit maxime confirmet et expediat; re tamen vera praedicit, apparatu illo quam maximo non perfecturum, ut gladium a divina manu jamjam impendentem effugiat. Similem exhortationem ironicam vid. Jes. 8, 10. הַנִּקְהָלִים עָלֶיךָ *Congregati ad te*, Esth. 9, 2. 15. 16. וְהָיִיתָ לָהֶם לְמִשְׁמָר *Et esto eis in custodiam* s. *observantiam*, i. e. imperator et dux, quem omnes observent. Eundem sensum expressit Vulgatus: *et esto eis in praeceptum*. Ut Num. 18, 3. וְשָׁמְרוּ מִשְׁמַרְתְּךָ *custodient custodias tuas*, i. e. observent praecepta tua. Et Zachar. 3, 7. מִשְׁמַרְתִּי תִשְׁמֹר *custodiam meam*, praeceptum meum, *custodies*. Actio pro actionis objecto. Nomen מִשְׁמֶרֶת denotat *observantiam*, qua inferiores erga superiorem in fide constantes sunt, et familiae ejus partes sequuntur 1 Chron. 12, 29., ubi de Benjaminitis, Sauli cognatis: *hucusque major pars eorum* שֹׁמְרִים מִשְׁמֶרֶת בֵּית שָׁאוּל *observant observationem*, observantiam exhibent, et partes sequuntur *domus Saulinae*. Cf. Num. 3, 38. 1 Paral. 23, 32. 2 Paral. 23, 6. Minus commode, nostro quidem sensu, alii nostra verba vertunt: *estoque illis in custodiam*, ut tu illos, coetus foederatos, custodias, teque vicissim illi. Jarchi: „Solent reges curam gerere copiarum suarum militarium, quomodo illae egrediantur, et constituere custodias, ne turba hostilis noctu impetum faciat in suas copias.“

8. מִיָּמִים רַבִּים *A multis diebus*, i. e. post longa tempora, ut Jos. 23, 1. Idem quod statim בְּאַחֲרִית הַשָּׁנִים *in extremitate annorum*, ultima mundi hujus aetate. תִּפָּקֵד plerique cum Vul-

gato reddunt *visitaberis*, i. e. castigaberis. Nam verbum פָּקַד, quod proprie valet *attendere*, *considerare*, *observare*, ambiguum est, tamque in bonam partem, ut supra 34, 12., quam in malam, considerare aliquem irato animo, *animadvertere in aliquem*, ut Jes. 24, 22. 26, 14. 29, 6. Jer. 46, 25. usurpatur. Hoc tamen loco ea significatio non satis apta est; nam de castigando Gogo infra demum Vs. 18. sqq. agitur; in iis autem, quae jam proxime sequuntur, apparatus bellicus a Gogo instruendus describitur. Ea, quae hic legitur, forma Niphal Nehem. 7, 1. 12, 44. *praefici* significat; unde Dathius vertit: *diu eis imperabis*, sensu parum concinno, nec dictione מִיָּמִים רַבִּים recte expressa. Malim: *tu te praefectum*, ducem, *constitues*. LXX ἑτοιμασθήσῃ, et Chaldaeus *parabis exercitum tuum*, reddiderunt. תָּבוֹא אֶל־ אֶרֶץ מְשׁוֹבֶבֶת מֵחָרֶב *Venies ad terram reductam* (Participium Pyhel), i. e. cujus incolae reducti sunt *a gladio* hostili, liberi dimissi e longo exilio. Theodoretus: *id est*, *in terram ab hostibus liberatam*, *et a servitute in libertatem vindicatam.* מְקֻבֶּצֶת מֵעַמִּים רַבִּים *Ad terram*, *cujus incolae collecti sunt e variis gentibus*, inter quos dispersi fuerant. Cf. infra Vs. 12. supra 11, 17. 20, 34. 41. 36, 24. עַל הָרֵי יִשְׂרָאֵל *Super montana Israel*, quo nomine terram Israeliticam appellare nostro familiare, vid. supra 6, 2. 33, 28. 35, 12. 36, 1. אֲשֶׁר־ הָיוּ לְחָרְבָּה *Qui redditi erant in vastitatem*, Vs. 12. 5, 14. Jes. 64, 10. תָּמִיד *Continuo*, i. e. per longum tempus, diu; per totum exilii tempus. וְהִיא *Illa vero*, terra, metonymice incolae ejus. מֵעַמִּים הוּצָאָה *E populis educta est*, cf. 14, 22. וְיָשְׁבוּ לָבֶטַח *Et habitarunt secure*, nihil mali amplius, aut bellum extimescentes, Vs. 11. 14. 34, 25. 27.

9. וְעָלִיתָ *Ascendes* magna vi; vox militaris, vid. 1 Sam. 7, 7. Jes. 7, 1. 21, 2. כַּשּׁוֹאָה *Sicut vastatio*, s. *sicut turbo*, *tempestas noxia*, *et vastans*, ut in loco parallelo Jerem. 4, 13. de exercitu Chaldaeorum: *Ecce quasi nubes ascendet*, וְכַסּוּפָה מַרְכְּבוֹתָיו *et quasi tempestas currus ejus.* Jarchi *nimbum* interpretatur; cf. not. ad Ps. 35, 8. כְּעָנָן *Instar* densae *nubis* erit, cf. 30, 18. לְכַסּוֹת הָאָרֶץ *Ad tegendam terram*, multitudine copiarum, ut sequitur. וְכָל־ אֲגַפֶּיךָ Vid. Vs. 6. אוֹתָךְ pro אִתָּךְ *tecum*, vid. Vs. 6. 15. et cf. 2, 1. 3, 22. 27. 33, 23.

10. יַעֲלוּ דְבָרִים עַל־ לְבָבֶךָ *Ascendent verba super cor tuum*, i. e. cogitationes, consilia subibunt animum tuum. Cf. 2 Reg. 12, 5. Jer. 3, 16. 7, 31.

11. עַל־ אֶרֶץ פְּרָזוֹת *Ad terram pagorum*, i. e. in terram omni ex parte perviam instar pagorum, in qua urbes ab omni muro ac praesidio sunt nudatae. Sic explicatur posteriori hemistichio. פְּרָזוֹת opponuntur *urbibus muris cinctis* et *munitis*, Deut. 3, 5. 1 Sam. 6, 18. אָבוֹא הַשֹּׁקְטִים *Veniam* adversus *quietos*, invadam eos. LXX: ἄξω ἐπὶ ἡσυχάζοντας λαούς. Cf. Jud.

18, 7. 27. יֹשְׁבֵי לָבֶטַח *Habitantes secure*, Vs. 8. 14. et nil tale timentes. בְּאֵין חוֹמָה *Cum defectu muri*, sine muro, cf. oppositum 1 Reg. 4, 13. Levit. 25, 31. וּבְרִיחַ וּדְלָתַיִם אֵין לָהֶם *Vectes et portae*, quas hosti opponant, *non sunt eis*. Eodem modo populus secure et quiete degens describitur Jer. 49, 31.

12. לִשְׁלֹל שָׁלָל וְלָבֹז בַּז *Ut diripias spolia, et invadas praedam*, ut Vulgatus vertit. Cf. Vs. 13. Ideo tale inibis consilium, quod putabis te ad praedam, non ad bellum venire. לְהָשִׁיב יָדְךָ עַל־חָרְבוֹת נוֹשָׁבוֹת *Ad reducendam manum tuam super vastitates habitatas*, ut ruinosa prius, et nunc reaedificata, iterum perdas. מְאֻסָּף מִקְנֶה וְקִנְיָן Vid. Vs. 8. עֹשֶׂה מִקְנֶה וְקִנְיָן *Qui exercet rem pecuariam et negotiationem*, ut Jarchi explicat; Vs. 13. Cf. Genes. 34, 2. 3. 36, 6. Chaldaeus: *qui prosperati sunt opibus et prosperationibus.* עַל־טַבּוּר הָאָרֶץ *Super umbilico terrae*, quo *medium terrae* intelligunt; nam *umbilicus* in aliis linguis etiam sumitur pro eo, quod in medio est, sumta metaphora ab ea parte, quae medium locum obtinet humani corporis. Unde CICERO *Verr.* 4, 106. c. 48. de Ennensium nemore agens dicit: *Qui locus, quod in medio est insulae situs, umbilicus Siciliae nominatur.* Et LIVIUS 35, 18. *Aetoli umbilicum Graeciae incolunt.* Hebraeos Hierosolymam in medio terrae sitam opinatos esse, vidimus in not. supra ad 5, 5. Eadem dictio Jud. 9, 37. Utroque loco LXX et Vulgatus nomen טַבּוּר, alias non obvium in V. T., *umbilicum* verterunt. Concinit טִיבּוּר, eadem notione Talmudicis frequens, qui a Chaldaeis haud dubie illud nomen sunt mutuati. Alii umbilico *locum editiorem*, *montem*, significari existimant. Sic JARCHI: „*Super altitudine* et robore *terrae*, ad instar umbilici, qui existit in medio hominis, atque ab omnibus illius lateribus declivis est.“ Vides, cur Chaldaeus utroque loco vertat *fortitudo terrae.* Intellexit locum ob editum situm inexpugnabilem et quasi munitum. Unde et Deut. 32, 13. pro hebraeo בָּמֳתֵי אָרֶץ, *excelsa terrae*, Onkelos *fortitudines terrae* posuit. Et equidem me ipsum fateor propensiorem ad eam sententiam, qua *umbilico terrae* editior terrae regio intelligitur. Nam Jud. 9, 37. מֵעִם טַבּוּר הָאָרֶץ idem est, quod Versu praecedente מֵרָאשֵׁי הָהָרִים *e verticibus montium.* Et noster terram Judaicam saepe *montes Israeliticos* appellat; vid. supra ad Vs. 8. Dathius *Hierosolymam umbilicum terrae* nuncupari putat propter situm sublimiorem.

13. שְׁבָא *Sabaei*, vid. not. ad 27, 22. 23. וּדְדָן Vid. ad 27, 15. 20. וְסֹחֲרֵי תַרְשִׁישׁ Vid. not. ad 27, 12. 25. וְכָל־כְּפִירֶיהָ *Et omnes leones juvenes ejus*, i. e. reges et principes, a vi et violentia dicti, cf. 19, 2. 3. 32, 2. Jarchi rapaces mercatores ad quaestum projectistimos, Grotius vero occani piratas intelligit. יֹאמְרוּ לָךְ Laeti et quasi gratulantes *tibi* de adventu tuo *dicent.* הֲלִשְׁלֹל שָׁלָל אַתָּה בָּא *An ad praedandum praedam advenis?*

q. d. nos quoque ex praeda ditescere cupientes, eodem tecum convolabimus. הֲלָבֹז בַּז Vs. 12. הַקָּהֲלָתְךָ קָהָל Vs. 7. לָשֵׂאת *Ad auferendum*, ut verbum נָשָׂא Jes. 8, 4. 39, 6. usurpatur.

14. בְּשֶׁבֶת עַמִּי *Quum habitabit populus meus* secure, Vs. 8. 11. תֵּדָע quidam vertunt *experieris* scil. poenam meam, Chaldaeum sequuti, qui reddidit: *scies ultionem potentiae meae*, et conferentes supra 5, 13, sed eo loco additur כִּי־אֲנִי יְהוָה וגו׳. Sed objicitur potius Gogo his verbis, quod observaret attente, dum confidenter ac sine metu populus habitaret, quia tunc magis ad caedem vel ad praedam expositus. Quod clarius explicuere LXX, dum ita reddunt: *Οὐχὶ ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἐν τῷ κατοικισθῆναι τὸν λαόν μου τὸν Ἰσραὴλ ἐπ᾽ εἰρήνης, γνώσῃ καὶ ἐγερθήσῃ;*

15. וְעַמִּים רַבִּים אִתָּךְ Vid. not. ad Vs. 6. רֹכְבֵי סוּסִים Vs. 6. 9. מִיַּרְכְּתֵי צָפוֹן Cf. Vs. 4. 23, 6.

16. וְעָלִיתָ Cf. Vs. 9. בְּאַחֲרִית הַיָּמִים *In novissimis diebus*, vid. ad Vs. 8. תְּהִיֶה וַהֲבִיאוֹתִיךָ *Fiet hoc, ut deducam te*, tanquam flagellum meum, Vs. 17. לְמַעַן דַּעַת הַגּוֹיִם אֹתִי *Ut cognoscant gentes me*, meam potentiam, cf. 39, 23. בְּהִקָּדְשִׁי בָךְ *Cum sanctificatus fuero in te*, cum te punivero, in quo sanctitas severitasque mea apparebit. Justum ultorem et potentem me omnes agnoscent, cum te viderint acerbissimas mihi poenas dedisse. Conf. supra 20, 41. 28, 22. 36, 23. et infra Vs. 23. לְעֵינֵיהֶם Cf. 36, 23. 37, 20. גּוֹג *O Goge!* Vocativus, ut supra Vs. 3. Alexandrini גּוֹג ad proximum Versum traducunt. Syrus plane non expressit.

17. הַאַתָּה־הוּא *Num tu ille es*, de *quo loquutus sum?* Interrogatio fortius affirmat, q. d. tu profecto ille es, de quo jam olim per prophetas meas praedixi, fore, ut te aliquando in populum meum inducerem. בַּיָּמִים שָׁנִים *In diebus illis* et *annis*, asyndeton. Ita LXX: *ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις καὶ ἔτεσι.* Coneinit Syrus. Chaldaeus: *in diebus illis, ab antiquitate jam multorum annorum.* Minus aceurate Vulgatus: *in diebus illorum temporum.*

18. תַּעֲלֶה חֲמָתִי Vid. supra ad 26, 8. בְּאַפִּי *In ira mea*, ut Jes. 63, 3. 6. Alii: *in nasum meum*, imagine desumta ab hominibus, qui irati per nasum spirant. Cf. Ps. 18, 9. 16.

19. וּבְקִנְאָתִי Cf. 5, 13. 36, 6. בְּאֵשׁ־עֶבְרָתִי *In igne furoris mei*, cf. 21, 36. 22, 21. אִם־לֹא *Si non*, i. e. certissime, vid. not. ad 14, 16., et cf. 5, 11. 17, 16. רַעַשׁ גָּדוֹל *Motus magnus*, totius naturae commotio, quae Versu proximo pluribus describitur. Jarchi intelligit fragores et tonitrua. Cf. supra 3, 12. 13. Jer. 10, 22.

20. הַמַּדְרֵגוֹת praeter hunc locum semel, Cantic. 2, 14., in singulari legitur, quo loco τῷ σταγόνι est synonymum, videtur *praecipitia, altas et praeruptas rupes* significare, a דָּרַג, quod

Syris et Arabibus *gradatim ascendere* denotat. Jarchi esse ait, qui nomen illud *petras prominentes* et quasi in aëre pendentes, quae casurae videntur, notare dicant. Ipse *turres* significari existimat, Chaldaeum sequutus, qui מִגְדַּלַיָּא vertit, quod ipsum et Syrus posuit. Egit de hoc nomine Fullerus *Miscell. SS.* L. IV. Cap. 6., qui מַדְרֵגָה *scalare* quiddam interpretatur, hoc est, locum adeo sublimem, atque ita difficili et arduo ascensu, ut non nisi scalis applicatis, aut tramite angusto, et gradibus quibusdam inciso, quasi cochlidibus scalis ascendi possit. „Atque hac, opinor, de causa (inquit Fullerus) permoti LXX *φάραγγα* transtulerunt, quam vocem Apollinarius *γαίης τρηχαλέης ῥῆγμα* exponit, id est, terrae asperae vel saxosae locum, in altitudinem bene magnum abruptum.“ Vulgatus Latinus Cantic. 2, 14. *maceriam*, nostro loco *sepes* reddidit, quasi מַדְרֵגָה per anagrammatismum esset pro מַגְדֵּרָה, a גָּדַר *sepsit*, positum.

21. וְקָרָאתִי עָלָיו *Tum vocabo contra eum*, Gogum, חֶרֶב, *gladium*, ut sequitur, qui ipsum cum exercitu conficiat. לְכָל־הָרַי *Per omnes montes meos*, i. e. per universam terram Judaicam, quae, quod montosa esset, saepe *montium* nomine appellatur. Vid. supra ad Vs. 8., et cf. 39, 4. חֶרֶב אִישׁ בְּאָחִיו תִּהְיֶה *Imo gladius uniuscujusque* ex militibus Gogi *contra alterum erit*, mutuis sese vulneribus conficient. Cf. 1 Sam. 14, 20. Jud. 7, 22.

22. וְנִשְׁפַּטְתִּי אִתּוֹ *Disceptabo cum eo*, animadvertam in eum; vid. not. supra ad 17, 20. וְגֶשֶׁם שׁוֹטֵף *Et pluvia inundante*, cf. supra 13, 11. 13. וְאַבְנֵי אֶלְגָּבִישׁ *Et lapidibus grandinis*, vid. not. supra ad 13, 11., et adde, quae de nomine גָּבִישׁ docte disseruit J. H. Pareau in *Commentat. de Immortalitatis Notitiis* etc. p. 323. sqq., cui verisimile, אל illi nomini praepositum ortum esse ex Aegyptiaco *Al*, quod proprie *guttam* quamcunque *concretam*, significat, et peculiariter de *grandine* usurpatur, ut adeo אֶלְגָּבִישׁ ex hoc Aegyptio et illo Hebraico conflatum sit nomine, et nostra dictione indicentur *lapides guttae in glaciem concretae.* Praedicit igitur Noster, Gogum tempestatibus magis, quam armis delendum esse, unde clarissime patet, ad stragem Antiochi Epiphanis haec referri non posse.

23. וְהִתְגַּדַּלְתִּי *Ita magnum me reddam*, gloriosus existimabor et potens, ut Jes. 10, 15. Cf. supra 36, 23. וְהִתְקַדַּשְׁתִּי Vid. Vs. 16. et ibi not.

CAP. 39.

Argumentum.

Persequitur vaticinium, quod praecedenti Capite de Gogo instituerat, et post secundum rerum et victoriarum cursum horribilem illi caedem et miserabilem interitum denunciat (Vs. 1—8.). Qua caede peracta terra Israelitica expurgabitur combustione armorum Gogi, et occisorum sepultura (Vs. 9—16.), reliqua cadavera volucribus et feris rapacibus praedae fore (Vs. 17—24.). In extrema parte Capitis (Vs. 25—28.) post longum hyperbatum ad populum tunc adhuc exulantem regreditur, cui tandem eam felicitatem promittit, ut et ipse verecundetur, et doleat adversus illum peccasse, quem tam experitur liberalem et humanum, et alii sibi persuadeant, Deum esse fidelem et sanctum, qui populum suum propter peccata sua severe punierit et eundem ab exilio vindicatum multis modis ornaverit.

2. De שׁוֹבַבְתִּיךָ vid. not. supra ad 38, 4. שִׁשֶּׁאתִיךָ significatione non differre a שִׁשִּׁיתָם, infra 45, 13., quod a שֵׁשׁ, *sex*, *sextare* denotat, interpretum haud paucorum opinio est. In interpretando tamen non consentiunt. Alii enim exponunt: *relinquam sextam partem ex te*, alii: *sextuplici poena in te animadvertam*, peste, caede, imbre, grandine, igne et sulphure, ut 38, 22. dicitur. Quae tamen plane sunt *ἀπροσδιόνυσα*. Genuinum sensum haud dubito expressum esse a Chaldaeo, qui אַעְטֵינָךְ, *errare faciam*, i. e. seducam *te*, vertit, quod et Jarchi sequitur, et confirmat Ludov. de Dieu, qui in *Crit. S.* ad h. l. „Non arbitror," inquit, „interpretes illos per *seducam* intellexisse *persuasionibus fallam* et *decipiam*, sed, e regione tua abductum huc illuc quaquaversum, te seducam, quod LXX dixerunt *κατάξω σε*. Convenit id cum verbi hujus significatione in lingua Aethiopica usitata, ubi ששו (permutatis literis אהוי, *Aleph* et *Vau*, quod crebrum est in ista lingua), in conjugatione, quae quinta est apud Arabes, אנששו significat *περιπατεῖν*, Matth. 4, 18. Marc. 5, 42, et *περιάγειν*, *obire*, Matth. 4, 23. In Piel ergo, sive in transitiva conjugatione, significat, *facere ambulare*, *facere obire*, *quaquaversum deducere et seducere*." Vulgatus *educam* vertit, collato הוֹצֵאתִי supra 38, 4. Hieronymus in Commentario: „Iste educetur, sive circumagetur, et palpabitur, sive

lactabitur, ut sperans victoriam, occidendus ducetur ad proelium." וְהַעֲלִיתִיךָ Vid. 29, 4. 38, 9. 16. מִיַּרְכְּתֵי צָפוֹן Vid. 38, 6. 15. וַהֲבִאוֹתִיךָ Vid. 38, 16. עַל־הָרֵי יִשְׂרָאֵל Vid. 38, 8. infra Vs. 4.

3. וְהִכֵּיתִי קַשְׁתְּךָ מִיַּד שְׂמֹאלֶךָ *Excutiam arcum tuum e manu sinistra tua*, i. e. frangam vires tuas, et conatus tuos irritos reddam. Similis imago Ps. 37, 15. 46, 10. Hos. 1, 5. Ponit autem arcum in *sinistra*, sagittas vero, altero hemistichio, in *dextra*, quia dextra nervum adducit, cum quo simul sagittam apprehendit et torquet.

4. וְכָל־אַגַּפֶּיךָ Vid. 38, 6. 9. 22. לָעֵיט צִפּוֹר *Avi*, s. *avibus rapacibus volucris*, i. e. inter volucres. כָּל־כָּנָף *Omnis alae*, i. e. alatis omnis generis, ut 17, 23. Synonymorum coacervatione intenditur significatio, ut 29, 10. נְתַתִּיךָ לְאָכְלָה *Dabo te* et exercitum tuum *devorandum*, cf. not. ad 29, 5.

6. וְשִׁלַּחְתִּי־אֵשׁ *Immittam ignem*, ut supra 38, 22. dixerat. Unde Apocalypseos auctor 20, 9. in describenda strage Gogi exercitui inferenda: *καὶ κατέβη πῦρ ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, καὶ κατέφαγεν αὐτούς.* בְּמָגוֹג *In Magogaeos*, terra per metonymiam pro incolis. Ut statim subditur, בְּיוֹשְׁבֵי הָאִיִּים, *et in habitatores terrarum longe dissitarum*, vid. 26, 15. 18. 27, 35. Videtur eos innuere, quos supra 38, 13. memoraverat. לָבֶטַח *Secure* habitantes, securos, cf. 38, 8. 11. 14.

7. וְאֶת־שֵׁם קָדְשִׁי Vid. 36, 21. אוֹדִיעַ בְּתוֹךְ עַמִּי Cf. 38, 23. וְלֹא אַחֵל *Nec profanari sinam*, ut existiment me homines non esse omnipotentem. Cf. not. ad 36, 20. Ait ergo, se ex populorum illorum barbarorum clade hoc effecturum, ut non solum populus Israeliticus, sed et gentes ceterae omnes potentissimum ipsum Deum agnoscant, neque permissurum amplius, ut male quisquam de se aut sentiat, aut loquatur.

8. הִנֵּה בָאָה וְנִהְיְתָה *Ecce venit et factum est*, i. e. certissime veniet, quod praedicit haec prophetia; usque adeo certum est, ut censeri possit quasi jam sit factum; cf. 21, 12. 33, 33. הַיּוֹם אֲשֶׁר דִּבַּרְתִּי הוּא *Hic* est *dies*, *de quo loquutus sum*, supra 38, 17. 19.

9. Postquam exercitus Gogaeus tempestate et igne coelitus delapso (38, 23. et supra Vs. 6.) exstinctus fuerit, egredientur de civitatibus Israelitae, ut hostium interfectorum arma comburant. וּבָעֲרוּ *Accendent*, scil. אֵשׁ, ut sequitur in posteriori hemistichio et Vs. 10. Eandem *ignem accendendi* notionem obtinet verbum הִשִּׂיק, quod proxime sequitur, et praeter hunc locum bis tantummodo, Ps. 78, 21. et Jes. 44, 15. occurrit. Illa significatio Hebraeis est priva. Post partam victoriam hostilia arma priscis temporibus comburi solebant, ad quem morem et Jes. 9, 4. 5. respicitur. Eundem memorat VIRGILIUS *Aeneid.* 8, 561.,

ubi Evandrum ita loquentem inducit: *O mihi praeteritos referat si Jupiter annos, Qualis eram, cum primam aciem Praeneste sub ista Stravi, scutorumque incendi victor acervos. Hoc traxit*, ait Servius, *de historia. Tarquinius enim Priscus, victis Sabinis, in honorem Vulcani, eorum arma succendit, quem posteri ceteri sunt sequuti.* Plura alia veterum scriptorum testimonia de illa consuetudine collegit Jac. Lydius in *Syntagm. de re militari* Lib. VI. Cap. 4. p. 229. edit. van Til. בְּמַקֵּל יָד *Cum baculis, qui manu* gestantur. Num. 22, 27. Jerem. 48, 17. וּבְעֲרוּ בָהֶם אֵשׁ *Accendent*, inquam, et alent *eis ignem.* שֶׁבַע שָׁנִים *Septem annis*, i. e. pluribus annis, ut plerique interpretes capiunt, numero certo pro incerto posito. Praesertim numero septenario multitudinem in genere ab Hebraeis exprimi, notum. Vid. e. c. Jes. 4, 1. Prov. 24, 16., et mox Vs. 12. 14.

10. וְלֹא־יִשְׂאוּ — אֶת־בְּזֵיהֶם *Nec portabunt*, convehent *ligna ex agro, nec lignabuntur ex sylvis, nam armis ignem accendent; spoliabuntque spolia eorum, et praedabuntur praedatores suos.* Quia satis erat ad multos annos incendiariae materiae, quam in castris relinquent hostes interfecti, non erit necesse, caeduam e sylvis regionibusque nemorosis comportare materiam.

11. אֶתֵּן לְגוֹג מְקוֹם־שָׁם קֶבֶר *Dabo Gogo locum illic sepulchri;* i. e. locum sepulchri ibi, per hypallagen, vid. not. supra ad 24, 17. Alii: *dabo Gogo locum, ubi sit sepulchrum* ipsius, per ellipsin pronominis relativi. Chaldaeus: *dabo Gogo locum aptum in sepulchrum.* Alexandrinos legisse מְקוֹם־שֵׁם, inde patet, quod *τόπον ὀνομαστόν* veterunt, quos sequutus Vulgatus *locum nominatum* reddidit, i. e. celebrem et notum propter memoriam sepulti ibi barbari tyranni. בְּיִשְׂרָאֵל *In Israele*, i. e. in terra Israelitica; q. d. non possessionem terrae, quam ambiebat, sed sepulchrum in terra Israelitica inveniet. LXX: *μνημεῖον ἐν Ἰσραήλ.* Designat locum, ubi sepeliendus Gogus: גֵּי הָעֹבְרִים קִדְמַת הַיָּם, *vallem viatorum*, vallem quandam viatoribus perviam, sive, ut alii volunt, *transeuntium* pollinctorum (coll. Vs. 14. 15.), *ad orientem maris*, quo Jarchi aliique plures ex Judaeis interpretes *lacum Genesareth*, s. *Tiberiadis* intelligunt, Chaldaeo interprete auctore, qui hebraea sic vertit: *in valle vadorum ad orientem lacus Genesareth* i. e., Jarchio explicante, in valle, ubi trajiciunt lacum Genesareth, ut inde secum jugiter asportent fructus ad illum provenientes. Paulo obscurius LXX: *πολυάνδριον* (quod Hieronymus notare ait *sepulchrum plurimae multitudinis*) *τῶν ἐπελθόντων ἐξ ἀνατολῆς τῆς θαλάσσης.* Ea Theodoretus sic explicat: *Ubi sepelierunt, inquit, eos, qui ab Orientis partibus in ipsas invasere, ibi etiam hunc sepelient.* Illis autem, qui Judaeos ab orientali plaga invaserant, Theodoretus Assyrios intelligit, qui Sanheribo duce in Judaeam irrumpentes magnam ibi cladem acceperunt. Vid. 2 Reg. 19, 35. Jes.

37, 36. Vulgatus Latinus verba hebraica accurate expressit: *vallem viatorum ad orientem maris.* Ad quae in Commentario HIERONYMUS: „Sepulchrum Gog non erit in montibus, sed in depressis vallibus, et confragosis locis, quae hebraice appellantur *Ge.*“ Verba, quae sequuntur, וְחֹסֶמֶת הִוא אֶת־הָעֹבְרִים, fere sic verti solent, *et obturare os et nares faciet* s. *coget ea* vallis, ubi Gogus sepultus, *praetereuntes*, prae foetore, quem cadavera exhalabunt. Videlicet verbum חָסַם Deuter. 25, 4. *os bovis obligare* s. *obturare* denotat, quod MICHAELIS in *Suppl.* p. 866. collato Arabico حَشَمَ *fregit cartilaginem nasi*, *odoratu caruit nasus*, *foetuit*, proprio *nasum occludere alii* significare existimat. Neque tamen hujus interpretationis apud Veteres ullum deprehendis vestigium. LXX: *καὶ περιοικοδομήσουσι τὸ περιστόμιον τῆς φάραγγος.* „Id voluisse eos puto,“ ait Michaelis l. c., „muro circumdatum iri vallem impuram.“ THEODORETUS haud multum diversus ex mente Graeci interpretis *vallem utrinque circumaedificatam*, *et superne aggeribus obrutam* esse dicit. Similiter Syrus: *obturabant eam vallem.* Hos interpretes verbum חָסַם *occludendi* notione in genere accepisse patet, quam sane apud Chaldaeos obtinet. Hinc Jarchi verba nostra ita explicat: *claudit illa transeuntes*, monetque vocem חוֹסֶמֶת eadem *claudendi* significatione capiendum esse, qua תַּחְסֹם Deut. 25, 4. occurrit. Sensum ait hunc esse, cadaverum multitudine prohibitum iri viatores, ne vallem illam transeant, quare a circumjacentis regionis incolis illa sint sepelienda, ut sequitur. E Lexicographis solum Coccejum facilem illum et commodum sensum adoptasse video, ita tamen, ut verbi חָסַם significationem propriam *capistrare* esse putet, unde metaphorice *κατέχειν*, *detinere* denotet. Quare verba nostra ita vertit: *et ea frenat transeuntes*, habenam iis injicit, non patitur eos transire. וְאֶת־כָּל־הֲמוֹנָהּ *Et omnem ejus multitudinem*, omnes ejus copias, ut supra 31, 2. 18. 32, 31. In fine vocabuli positum est ה pro ו, ut in אָהֳלָה, *tentorium ejus*, Genes. 9, 21. וְקָרְאוּ *Ideoque vocabunt*, i. e. vocabitur, impersonaliter, ut Jes. 60, 14. 62, 2. Mal. 1, 4. גֵּיא הֲמוֹן גּוֹג *Vallis copiarum Gogi*, ibi sepultarum. LXX: *καὶ κληθήσεται τὸ γαὶ τὸ πολυάνδριον τοῦ Γώγ.*

12. לְמַעַן טַהֵר אֶת־הָאָרֶץ *Ut* a foedis cadaveribus *repurgent terram*, Vs. 14. 15. 16. שִׁבְעָה חֳדָשִׁים Per *septem menses.* Tantus erit occisorum numerus, ut ad cadavera sepelienda septimestre spatium sit necessarium. Grotius, qui haec ad insignem cladem refert, quam Antiochus Epiphanes ad lacum Genezareth accepit (1 Maccab. 5, 21.), suae hypotheseos in gratiam verbis nostris hunc adsignat sensum, longo post proelium tempore repertum iri hic illic sparsa ossa, quae a Judaeis sint auferenda, ne humus contra legem impuretur.

13. וְקָבְרוּ *Et sepelient*, scil. eos, qui ibi mortui sunt, ut Jarchi subaudiendum ait. LXX quoque *αὐτοὺς* addiderunt. וְהָיָה

לָהֶם לְשֵׁם *Et erit illis in nomen*, i. e. cedet illis in gloriam et honorem; pariet eis celebre nomen, quod ab hostibus ope divina et modo tam extraordinario (38, 25.) sint liberati. De nominis שֵׁם significatione vid. not. ad 34, 29. יוֹם הִכָּבְדִי *Die quo glorificabor*, scil. supplicium sumendo de Gogo, ut Exod. 14, 18. *Scient Aegyptii, me esse Jovam,* בְּהִכָּבְדִי בְפַרְעֹה *dum gloriosum me reddam in Pharaone, in curribus equitibusque suis.*

14. וַאֲנָשִׁי תָמִיד *Insuper viros continuitatis*, i. e. qui continuo in hanc rem incumbant, ut infra 46, 15. Exod. 29, 42. עוֹלַת תָּמִיד *holocaustum continuitatis*, i. e. continuo offerendum; et Exod. 30, 8. קְטֹרֶת תָּמִיד *suffitus continuus.* יַבְדִּילוּ *Separabunt*, seligent, et selectos constituent, ut Num. 8, 14. 16, 9. Deut. 10, 8. עֹבְרִים בָּאָרֶץ *Qui transeant per terram*, Vs. 15. Bene Vulgatus: *et viros jugiter constituent lustrantes terram.* JARCHI: „Homines assidue eam in rem constitutos seligent Israelitae, ut terram transeant colligantque cadavera hic illic dispersa.“ מְקַבְּרִים אֶת־הָעֹבְרִים *Qui sepeliunt una cum transeuntibus.* Particulam אֶת h. l. עִם, *una cum*, ut locis pluribus aliis, denotare, observat Jarchi, Chaldaeo praeeunte, qui עִם דְּעָדָן, *cum* iis *qui transeunt*, vertit. Illi enim, inquit Jarchi, qui mare trajecturi erant, ea tantummodo cadavera sepeliebant, qui ipsis viam occludebant, reliqua non curabant; hinc constituebantur certi homines, quibus hoc officii incumbebat, ut totam terram perlustrarent, et cadavera per eam dispersa tumulis mandarent. Adhibebunt exterorum manus, quibus non est religio pollui contactu mortui. Quomodo autem intelligendum sit, quod *una cum viatoribus*, i. e. eorum ope (ut Genes. 4, 1. *Acquisivi virum* אֶת־יְהוָה *cum Jova*, i. e. ope Jovae), vespiliones illi constituti sepulturi sint cadavera, explicatur Vs. 15. אֶת־הַנּוֹתָרִים *Reliqua* cadavera, nondum sepulta septimestri illo spatio, de quo Vs. 12. 13. עַל־פְּנֵי הָאָרֶץ *In* reliqua *terra*, procul a litore maris, ut Jarchi explicat. לְטַהֲרָהּ *Ad repurgandam eam*, vid. supra Vs. 12. et Vs. 16. מִקְצֵה שִׁבְעָה־חֳדָשִׁים *A fine*, exactis (ut supra 3, 16. מִקְצֵה שִׁבְעָה־יָמִים) septem illis mensibus, de quibus Vs. 12. יַחְקֹרוּ *Perscrutabuntur*, scil. אֶת הָאָרֶץ, quod eidem verbo Jud. 18, 2. additum legitur. Vulgatus: *quaerere incipient*, isti designati pollinctores ossa interfectorum, Vs. 15. JARCHI: „Exacto septimestri spatio, et sepultis illis cadaveribus, quae in apertis et propatulis locis jacuerant, pervestigabunt ea, quae in spinis et vepribus occulta jacebunt, illaque sepelient.“

15. וְעָבְרוּ הָעֹבְרִים בָּאָרֶץ *Quum* igitur *transiverint transeuntes per terram*, i. e. iter facientes, viatores, עֹבְרֵי אוֹרְחָא, *praetereuntes viam*, ut Chaldaeus vertit. Non eosdem enim esse, cum iis quibus sepultura cadaverum demandanda sit, patet ex altero hujus Versus hemistichio. וְרָאָה עֶצֶם אָדָם *Et viderit* aliquis eorum *os hominis.* צִיּוּן praeter hunc locum bis in V. T.

legitur, 2 Reg. 23, 16. *de tumulo sepulchrali*, et Jer. 31, 21. de *viae indicio*, quod in desertis aut lapis esse solet, aut lapidum cumulus, collato Arabico צַוָּה, *collis*, *lapis*, *viae index*, unde אֲצִוָּא *sepulchra*, *tumuli*, et Syriaco צְוָיָא, *monumentum* (quo ipso nomine Syrus interpres h. l. usus est), a צְוָא, *statuit*. Vulgatus: *statuent juxta illud titulum*. Jarchi צִיּוּן voce סִימָן explicat, quod ipsum est graecum *σημεῖον*, a LXX h. l. usurpatum. Nulla dubitatio, illo nomine h. l. *lapidem*, inventorum ossium indicem significari, quo vespiliones illi, terram lustrantes, admoneantur, extare ibi, quae ab eis sint colligenda. „Fieri enim poterat," ait Kimchi, „ut priusquam accederent illi, quibus cadaverum condendorum cura commissa erat, unum alterumve ossium forte humo vel alia re obtegeretur, et ita oculos vespilionum effugeret; sed ubi cippum erectum videbant, ibi os humanum jacere cognoverunt, quod ab iis sit colligendum, et cum reliquis in valle Gogi sepeliendum." Tota enim terra ab ossibus caesorum purganda erat, ne quis eorum contactu contaminaretur, vid. Num. 19, 16. מְקַבְּרִים Vulgatus vertit *pollinctores*, quo nomine proprie illi nuncupari solebant, qui cadavera ungebant, et sepulturae praeparabant, a verbo exoleto *pollingo*, seu *pollincio*, quod idem est, quod *ungo*. A latino interprete vero *pollinctoris* nomen latiore significatu usurpari pro illo, cujus circa cadavera hostium occisorum aliquod erat officium, res ipsa docet. אֶל־גֵּיא pro בְּגֵיא, ut Exod. 25, 16. אֶל־הָאָרוֹן pro בָּאָרוֹן, *in arca*, observat Kimchi. Cf. Vs. 11.

16. In vicinia vallis illius, in qua hostilis exercitus sepelienda erunt cadavera, aedificanda dicitur urbs, quae a nomine vallis, גֵּיא הֲמוֹן גּוֹג nomen accipiet הֲמוֹנָה, quod Jarchi הוֹמְיָה interpretatur, id est, magna hominum, sive potius cadaverum humanorum, copia refertam. *He* vero non suffixum femininum esse ait, sed formando nomini substantivo inservire. וְטִהֲרוּ הָאָרֶץ *Et ita mundabunt terram*, eo modo, qui Vs. 12. seqq. describitur.

17. Invitantur volucres rapaces et ferae bestiae ad epulas, quas e caesis Gogaeis eis parabit Deus, vid. supra Vs. 4. Ex his liquet, quale futurum sit Gogi, et eorum, qui illius se castris adjunxere, sepulchrum, apertum nempe et subdiale, ita ut a bestiis et volucribus lacerari cadavera possint. עַל־זִבְחִי אֲשֶׁר אֲנִי זֹבֵחַ לָכֶם *Ad mactationem meam, quam mactabo*, parabo, *vobis*, quasi in epulas ex mactatis hominibus et equis, Vs 19. Vulgatus: *ad victimam meam, quam immolo vobis*, ex ea significatione, quam nomen זֶבַח locis longe plerisque V. T. obtinet. Grotius: „Jugulatio illa et fusus cruor *victimarum* habent similitudinem." Sed praestat, זֶבַח h. l. propria *mactationis* notione capere, ut Prov. 17, 1. *Melius est frustum panis siccum, quocum tranquillitas*, מִבַּיִת זִבְחֵי רִיב, *quam domus plena macta-*

tionibus litis, i. e. carnibus mactatorum pecorum cum lite. Est זֶבַח idem quod טֶבַח, cui Jes. 34, 6. in loco nostro plane parallelo jungitur. Conf. Jer. 46, 10. Zephan. 1, 7. Nostrum locum imitatus est Joannes, Apocalyps. 19, 17. 18., ubi pro זֶבַח posuit *δεῖπνον*.

18. Nominibus animalium, quae in altero hujus Versus hemistichio leguntur, varios hominum ordines indicari, docet parallelismus hemistichii prioris. Hinc Chaldaeus pro אֵילִים מַלְכִין שְׁלַטוֹנִין וְטוֹרָנִין posuit גִּבָּרִים וְעַהוּדִים פָּרִים מְרִיאֵי בָשָׁן גִּבָּרִין עַתִּירֵי נְכָסַיָּא *reges*, *principes*, *duces fortes*, *et opibus divites*. מְרִיאֵי בָשָׁן *Saginati Basanis* homines potentes significant, ut Ps. 22, 13. אַבִּירֵי בָשָׁן *tauri Basanis*. מָרִיא Jarchius idem esse ait quod Arabicum אלמרי quod *bovem saginatum* exponit. Cf. not. ad Jes. 1, 11.

19. לְשָׂבְעָה *Ad satietatem usque*, ut Jes. 23, 18. 55, 2., ut mox לְשָׁכָרוֹן: *ad ebrietatem usque*, quod nomen semel adhuc, et apud Nostrum quidem supra 23, 33. legitur.

20. סוּס וְרֶכֶב *Equis et jumentis curulibus*; nam ut פָּרָשׁ, *equitem*, pro *equo*, qui equitatur, ita רֶכֶב, *currum*, Hebraei quandoque sumunt pro *equis* aut aliis *jumentis curulibus*, ut 2 Sam. 8, 4. 10, 18. Vid. Bochartı *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. 6. T. I. p. 37. edit. Lips.

21. Tunc omnes gentes gloriam meam argumento non obscuro cognoscent, videbunt enim, quales de hostibus populi mihi cari et contemtoribus nominis mei poenas sumserim. Eas enim patet dictione אֶת־מִשְׁפָּטִי indicari, quam Jarchi Gallico *justice*, Chaldaeus פּוּרְעָנוּתִי, *vindictam meam*, exponit. Respondet in altero hemistichio אֶת־יָדִי, *potentiae meae documenta*; similis loquendi formula Exod. 10, 2. וְאֶת־אֹתֹתַי אֲשֶׁר שַׂמְתִּי בָם, *et signa mea*, *quae posui*, edidi, *inter eos*.

23. Jam superius vaticinium ad rem praesentem accommodat, et occasionem capit, ad aequales suos, qui secum in exilio vivebant, de causa hujus miseriae commonefaciendos. Theodoretus: *Conspicientes*, *inquit*, *gentes illatam Gogo perniciem*, *cognoscent*, *Babyloniis quoque idem me supplicium inferre potuisse*; *sed ut ab Israelitis impietatis ac scelerum poenas exigerem*, *me nulla eos ope dignos censentem permisisse*, *ut in servitutem redigerentur*. וָאַסְתִּר פָּנַי מֵהֶם *Ideoque absconderim facies meas ab illis*, facie quasi aliorsum conversa, illos, tanquam alienos aversatus fuerim, hostiumque potestati permiserim. Id minatus fuerat Deus Deut. 31, 17. 18. 32, 20.

24. כְּטֻמְאָתָם וּכְפִשְׁעֵיהֶם עָשִׂיתִי אוֹתָם *Et secundum immunditiam eorum et secundum delicta eorum agam cum iis.* Talis illis supplicium inflixi, quale ipsorum exigebat improbitas et immunditia. Cf. 36, 17. אוֹתָם pro אִתָּם *cum iis*, ut supra 7, 27. in eadem dictione.

25. A commemoratione praesentis exili (Vs. 23. 24.) transit ad promissionem de reducendo populo. אָשִׁיב אֶת־שְׁבוּת יַעֲקֹב *Reducam captivitatem*, i. e. captivos *Jacobi* s. Israelis posteros, eadem formula Jer. 32, 44. 33. 11. Joel 4, 1. Ps. 126, 2., ad quem loc. cf. not. וְרִחַמְתִּי *Miserebor omnis domus Israel*, ut Jer. 12, 15. וְקִנֵּאתִי לְשֵׁם קָדְשִׁי *Et zelo utar propter nomen sanctitatis meae*, ne illud laccretur aliarum gentium convicio, quod aut nolit, aut nequeat devotum sibi populum ab hostium vexatione liberare. Quod ipsum et supra Vs. 7. et 36, 22. dixerat. Particulam לְ ante שֵׁם Jarchi observat h. l. בְּשֶׁבִיל, *propter*, notare, ut Num. 11, 29. הַמְקַנֵּא אַתָּה לִי *an tu zelo afficeris propter me?*

26. Verba וְנָשׂוּ אֶת־כְּלִמָּתָם וגו׳ Dathius ita vertit: *Et obliviscentur miseriae et calamitatis eis ob peccata sua inflictae*, et in nota subjecta praeferendam esse ait lectionem textualem נָשׂוּ propter apodosin [*quando in patria secure habitabunt*], quanquam lectionem textualem נָשְׂאוּ antiqui interpretes exprimant. Talia viro optimo nollem excidisse. Debucrat enim apposita in margine nota masorethica, חסר א׳, *deficit Aleph*, admoneri, lectionis textualis et marginalis discrepantiam minime esse in literarum שׂ et שׁ varietate positam, sed in scriptione *plena* et *defectiva*. Quod in textu legitur, נָשׂוּ, est pro eo, quod ad analogiam נָשְׂאוּ scribi debuit, ut supra 28, 16. מָלְאוּ pro מָלְאוּ, ad quem loc. vid. not. Utrumque igitur ad verbum נָשָׂא, *portavit*, *tulit*, est referendum, et locus ita reddendus, ut Vulgatus ceterique interpretes reddunt: *et portabunt confusionem suam*, *et omnem praevaricationem*, *qua praevaricati sunt in me*, i. e. tunc, quando in avitam possessionem ita redierint, ut in ea paeate, et sine ulla perturbatione vivant, tantis a me cumulati beneficiis incipient cognoscere peccati gravitatem, et ingenuo suffundentur pudore, cum videant in illum se tam gravia peccasse, quem tam in se liberalem et humanum experiuntur. Eodem modo et Jarchi hujus loci sensum explicat: „Cum eis benefecero, nec illis, prout eorum improbitas meruisset, rependero, pudore afficientur, ut nc attollere vultum audeant.“ Phrasis שְׂאֵת כְּלִמָּה supra 16, 52. bis aderat, et tota sententia consentanea est illis, quae supra 20, 43. et 36, 31. leguntur. Menahem Hispanus, unus ex antiquissimis Judaeorum Lexicographis, Jarchio referente, collata dictione נְשׂוּי־פֶשַׁע, *levatus delicto*, Ps. 32, 1. nostra verba ita vertenda censuit: *tollent*, expiabunt, *ignominiam*, quam sibi suis delictis contraxerant. Sed loca, quae indicavimus, nostro similia, docent, verba eo modo, quo nos fecimus, capienda esse. וְאֵת־כָּל־מַעֲלָם אֲשֶׁר מָעֲלוּ־בִי 18, 24. et supra Vs. 23. בְּשִׁבְתָּם וגו׳ *Cum sedebunt* etc. Alii: *dum sederunt*. Ita Grotius: „Exaggerat culpam ex beneficiis. Merito eos pudebit, quod me deseruerint, tum ego illos reposuissem in

statum longe felicissimum.“ Sed ut בְּשָׁבְתָּם de futuro tempore capiamus, suadet locus parallelus supra 28, 25. 26.

27. בְּשׁוֹבְבִי אוֹתָם *Cum itaque reduxero eos*, ut Jer. 50, 19., coll. supra Vs. 2. מִן־הָעַמִּים Vid. 38, 8. וְנִקְדַּשְׁתִּי בָם *Sanctificatusque fuerim in illis*, vid. supra 20, 41. et ibi not., et 36, 23. 24.

28. וְיָדְעוּ כִּי אֲנִי יְהוָה אֱלֹהֵיהֶם *Tunc cognoscent, me esse Jovam, Deum eorum*, in quo solo auxilium invenire queant, qui eos quidem hostibus tradiderim, sed rursus eosdem in libertatem vindicaverim. Itaque in postremis illis angustiis, in Gogi incursione, ad me precibus suis fugient et servabuntur. Theodoretus: *Mea enim providentia a Babyloniorum etiam dominio liberati, scythicarum quoque gentium interitum conspicabuntur.* בְּהַגְלוֹתִי אוֹתָם *Eo quod in exsilium ejicerem* quidem *eos*, Vs. 23. וְכִנַּסְתִּים אֶל־אַדְמָתָם *Sed* rursus *collegerim eos* (ut 22, 21.) *ad terram suam*, 37, 21. וְלֹא אוֹתִיר *Nec reliquerim amplius de eis* scil. quemquam *ibi*, quod quidem futurum esse, propheta sperabat. Multos tamen in terris exteris sponte remansisse constat.

29. וְלֹא אַסְתִּיר עוֹד פָּנַי מֵהֶם Vid. Vs. 23. 24. אֲשֶׁר *Quia*, ut Deut. 3, 24. 1 Sam. 2, 23. שָׁפַכְתִּי אֶת־רוּחִי עַל־בֵּית יִשְׂרָאֵל *Effudero spiritum meum super domum Israelis*, coelesti spiritu animati sanctimoniam et pietatem solent. Cf. supra 36, 27. Jes. 32, 15. 16. 44, 3. Joel. 3, 1. (al. 2, 28.). Dathius: „Curabo, ut non destituantur doctoribus, qui eos erudiant.“ Jejune. Alexandrinus Graecus interpres רוּחַ de *ira* accepit, de qua Job. 4, 9. Jes. 11, 4. 30, 28. usurpatur. Ita enim locum nostrum vertit: *καὶ οὐκ ἀποστρέψω οὐκέτι τὸ πρόσωπόν μου ἀπ᾽ αὐτῶν, ἀνθ᾽ ὧν ἐξέχεα τὸν θυμόν μου ἐπὶ τὸν οἶκον Ἰσραήλ.* Sensus est, non amplius saeviendum in populum, neque ab illo aliquid praeterea sumendum esse poenarum, quia jam Deus in illum effuderit, quicquid furoris ante conceperat. Quae sententia et a Jeremia Thren. 4, 22. et Jes. 40, 2. exprimitur. Sed nostri loci eum sensum esse, quem indicavimus, docent loca commemorata.

Extrema libri pars tota versatur in delineanda reipublicae Israeliticae forma, qualem animo suo comprehensam habebat, et aliquando futuram sperabat vates. Et primum quidem Templi restituendi structuram describit (Cap. 40. 41. 42.), tum cultus religiosi in illo peragendi ritus singulos praecipit (Cap. 43. 44.), denique regni totius, civitatisque, quae ejus futura sit caput, formam atque dispositionem exponit (Cap. 45—48.). In quibus omnibus describendis etsi non pauca mutuatus est a veteri rerum Judaicarum forma, quod praesertim de Templi descriptione valet, quae in multis convenit cum iis, quae de Salomonei templi structura legimus in 1 Reg. Cap. 6. et 7., in multo pluribus tamen ea rerum facies, quam vates mente informatam habuit, a pristina prorsus diversa est. Quod vel *ex civitatis et Templi situ* apparet, qui in hac visione longe aliter describitur, quam fuit Hierosolymorum. Ibi enim Templum in ipsa urbe conspiciebatur, ita tamen, ut minor urbis pars a Templo meridiem versus recederet, major et amplior pars vergeret in septentrionem. In visione autem Ezechielis civitas non tantum in *austrum* vergit (40, 2.), verum et, sicuti ex ipsa descriptione patet, a Templo haud exiguo intervallo meridiem versus remota est. Porro *in totius terrae divisione* pristinam inter et novam diversitas est, eaque varia et multiplex. Primum enim terra Cananaea, Israelitis promissa, sic inter tribus fuit distributa, ut, quae *tribus amplior et copiosior* esset, ampliorem etiam obtineret hereditatem; sed in visione nostra *omnibus aequalis est possessio* (47, 14.), quin etiam *peregrinis*, qui in hac terra sedes et domicilium collocabunt, sua singulis attribuenda est portio (Vs. 22.). Deinde et situs et formae ratione etiam differt Ezechielis visio a pristina illa; ex ea enim diversis spatiis, et diversimode terminatis, possessiones suas habuerunt singulae tribus: haec lon-

gior, quam latior, illa rotunda, haec angulata magis, illa ad ortum, haec ad occasum sita fuit. Sed nostra terrae divisio *aequabilis* et *uniformis* est; omnes enim portiones ab ortu in occasum, per totam amplitudinem terrae aequabili tractu porriguntur (Cap. 47, 14. 48, 7.). Verum neque *ordo* et *dispositio* rerum pristinae respondet. Nam Hierosolyma vetus sita erat in tribu *Benjamin* (Jos. 18, 28.). In nostra visione sita est urbs et templum in *portione sancta* (Cap. 48, 8. sqq.). In veteri divisione tribus *Judae*, ut populosissima, et viribus potentissima, ad hostium incursiones felicius excipiendas extremum locum *meridiem* versus occupavit, in nostra visione, et urbe et templo, et tota portione sancta est *septentrionalior* (48, 1 — 7.). Totus etiam cultus templi Ezecheliani a vetere differt. Licet enim sacrificia et cultus hujus templi magnam partem phrasibus et ceremoniis antiquae religionis describantur; multis tamen vicibus corundem numerus ac modus mutantur, innovantur, diminuuntur vel adaugentur (vid. Cap. 44.). Quae omnia convellunt Grotii sententiam, describere Ezechielem templum, quale fuerat, cum id destruxit Nebucadnezar, idque duplici consilio ab eo factum esse, primum, ut intelligerent Judaei, quantum gentis suae decus criminibus suis amisissent, deinde, ut olim reversi specimen haberent, quod imitarentur, quantum possent. Sed nihil plane eorum, quae hisce Capitibus Ezechiel praescribit, peractum aut institutum unquam esse constat. Quare plerique superioris aetatis ex Christianis interpretes omnem hanc libri partem mystica et allegorica interpretatione *ecclesiae Christianae* accommodant, cujus amplitudinem, bona et cultum imaginum e rebus sacris et civilibus Judaicis petitarum involucro describi opinantur. De qua interpretandi ratione quid nobis videatur, diximus supra ad 28, 26. Consentientem habemus Dathium, qui in Nota Capiti 40. praemissa verissime observat, mysticas illas et allegoricas explicationes ita arbitrarias esse atque contortas, ut mirum esse possit, placere ea potuisse aut vera videri viris doctis, nisi ex aliis exemplis constaret, quantum semper ingenium judicio

praevalcat apud eos, qui sensum mysticum ubique venantur. Ipse Dathius hac extrema libri parte vatem non tam *praedicere*, quid futurum sit, quam *praecipere* existimat, quid fieri debeat, si totus populus, omnes tribus in patriam redierint. „Omnibus," inquit, „libertas concedebatur, omnes poterant redire. Jam praecipit, quae tunc debeat esse ratio cultus sacri, quae divisio terrae inter tribus singulas. Nihil in tota descriptione exstat, quod non potuisset executioni dari, si modo omnes rediissent, et terram a Deo eis concessam occupassent." Numquam tamen illi, si vel maxime id moliti essent, potuissent efficere, quae Cap. 47. de *admirando flumine* leguntur, quod sub ipso Templi limine scaturiens, et mirabilibus augmentis crescens in mare mortuum exoneratum, non tantum exitiales ejusdem aquas salubritati restituet, verum etiam in utraque ripa pulcherrimis arboribus exornatum est, quae singulis mensibus novos suos et maturos, eosque tum ad speciem et jucunditatem pulcherrimos, tum ad usum et utilitatem praestantissimos et nobilissimos fructus proferunt, quin et folia arborum ad medicinas faciendas insigniter conducunt. Quibus si addis, quae supra Cap. 36, 10. de futura terrae Judaicae fertilitate, et uberrima rerum omnium, quae ad vitam victumque pertinent, copia praedicta leguntur, Nostro persuasum fuisse intelliges, felicissimo illo aevo, quod tristia exilii tempora sequuturum sperabat, non solum quae ad cultum religiosum civitatemque instituendam atque administrandam spectant, omnibus numeris absolutissima fore, sed etiam totius regionis statum habitumque plane novum, eumque florentissimum ornatissimumque exstiturum. Talia ferebat opinio illa, quae per plurimas antiquitatis gentes pervaserat, de redituro seculo aureo, revolventibus sese atque redeuntibus quatuor mundi aetatibus (vid. ad 16, 53.). Judaei autem, jam antequam in terras exteras deportarentur, quoticscunque magnis publicis malis oppressi essent, ultimae sive ferreae aetatis finem adesse sperabant, quam felicissima aurei seculi exceptura sint tempora, auspice rege magno e stirpe Davidica oriundo. Dum vero exsules

in terris Babylonicis viverent, cum reditu in patriam tellurem simul novum seculorum ordinem processurum credebant (cf. not. supra ad 36, 38.). Fortunatissimum, qui tunc futurus esset, rerum statum Noster supra Cap. 36. 37. describere coeperat. Sed quum illum turbare conaturae sint gentes barbarae ac feroces, quae ex aquilonaribus regionibus erupturae impressionem in terram Israeliticam facient, in qua tamen igne coelitus demittendo atque horribili tempestate prorsus delebuntur; earum rerum descriptionem inseruit Cap. 38. 39. Deletis igitur perditisque ultimis illis nominis Israelitici hostibus, jam (inde a Cap. 50.) pergit in depingenda novae reipublicae forma, qualem eam felicissimo illo seculo futuram sperabat.

Quae de hac Ezechielis visione HIERONYMUS dicit, sub initio Commentarii in Caput quadragesimum, non possumus non maximam partem vehementer probare: „Quomodo restitutionem populi, imo vivificationem in ossibus campi sub resurrectionis imagine demonstravit [Cap. 37.], sic nunc instaurationem urbis, quae a Babylonio fuerat ante annos quatuordecim igne deleta, sub descriptione ejus Dominus pollicetur; ut, sicut captivitatem et eversionem, ollae succensae a facie Aquilonis monstraverat typus [Cap. 24.], et prophetiae veritas opere comprobata est; ita ex praeteritorum fide futurae aedificationis veritas vaticinio probaretur. Nec hoc de illo tempore dicitur, quod quidam imperiti Judaeorum volunt, quando sub Zorobabel, et sub Jesu, filio Josedech, sacerdote magno, templum exstructum est, prophetantibus Aggaeo et Zacharia. Hoc enim templum, quod nunc describitur, et ordo sacerdotii, terraeque divisio et fertilitas, multo augustius est, quam fuit, quod Salomon exstruxerat. Illud autem, quod aedificatum sub Zorobabel, in tantum parvum erat, et prioris comparatione nihili, ut, qui prius templum viderant, et postea hoc aspiciebant, ejularent, doloremque suum lachrymis testarentur, et multo major esset clamor ululantium, quam clangor tubarum. Lege Esdrae librum [Cap. 3, 12. coll. Hagg. 2, 3.].

Novem ultima hujus libri Capita non esse Ezechielis, sed vel a Samaritano, vel ab Hebraeo quopiam serius in patriam terram reverso Ezechielicis assuta, suspicati sunt OEDER in libro qui inscribitur: *Freye Untersuchung über einige Bücher des alten Testaments* (Hal. Sax. 1771.), et qui hunc librum post auctoris obitum una cum suis animadversionibus edidit, JO. LUDOV. VOGEL, atque HENR. CORRODI in libro, tacito suo nomine emisso: *Beleuchtung des Jüdisch. und Christl. Bibelkanons* P. I. p. 105., sed rationibus levissimis ducti, quibus refutandis otium nobis fecerunt J. D. MICHAELIS in *der Oriental. und exeget. Biblioth.* P. II. p. 53. sqq., EICHHORN *Einleit. in das A. T.* P. III. p. 203. sqq. edit. tert. JAHN *Einleit. in das A. T.* Vol. II. P. II. p. 594. sqq., et BERTHOLDT *Histor. crit. Einleit. in die Schriften des A. u. N. T.* P. IV. p. 1493. sqq.

CAP. 40.

Argumentum.

Vates, cum a corpore animus abstractus divino instinctu concitaretur, in terram Judaicam vi superna abduci sibi videtur, ubi a dimensore et architecto ei ostenduntur singulae partes cujusdam aedificii, quod excitandum aliquando esset a Judaeis, postquam soluta captivitate in patrios fines essent restituti (Vs. 1—4.). Incipit autem a muro quodam extrinseco, seu peribolo, qui molem illam sacram a reliquorum hominum habitatione secernit, ejusque, nec non portae, vestibuli, thalamorumque ad utramque vestibuli partem exstructorum, mensuras accurate describit (Vs. 5—16.); deinde, atrium exterius attente contemplatus (Vs. 14—27.), ad atrium interius progreditur, cujus thalamos, fenestras, gazophylacia, eorumque mensuram et ornamenta singulatim exponit (Vs. 28—49.).

1. בְּעֶשְׂרִים וְחָמֵשׁ שָׁנָה לָגָלוּתֵנוּ *Anno vigesimo quinto post exsilium nostrum*, quod cum Jechoniae, s. Jojachini captivitate contigit. Vid. not. ad 1, 2. 33, 21. Ultima autem Ezechielis visio, ratione temporis, non haec nostra est, sed illa, quae habetur Cap. 29, 17., ad quem loc. vid. not. Ceterum quodsi ad vigesimum quintum Ezechielis annum addantur *octo*, qui ab anno Jojakimi quarto ineunte, quo abductus est Daniel cum sociis (Dan. 1, 1. 6.), usque ad annum Jojakimi undecimum, et ad Jechoniam, trium tantum mensium regem, effluxere; colligitur inde, Danielem cum sociis jam duo et triginta annos in Babylonia egisse, quando Ezechieli haec visio obtigit. Hebraei observant, annum illum vigesimum quintum post Jechoniae et Ezechielis deportationem ipsum fuisse annum Jubilaeum, quo servi manumitti debebant e lege Mosaica (vid. Levit. 25, 10. 39. 46.), qui igitur annus prae aliis idoneus fuerit, quo captivitatis solutio imagine templi instaurandi vati praemonstraretur. Et Jarchi quidem demonstrare studet, hunc Jubilaei annum fuisse quinquagesimum a decimo octavo Josiae, quo cultus Jovanus veteri puritati est restitutus (2 Reg. 23, 22. 23.). Nam quum annos unum et triginta regnasse dicatur Josias 2 Reg. 22, 2., si ab iis deducantur septendecim anni, qui ante sacrorum restaurationem effluxerant, supererunt anni quatuordecim. In ipso autem anno decimo

quarto Josiae successit Joachazus, qui tres tantummodo menses regnavit (2 Reg. 28, 32.). Ejus in locum suffectus est Joacimus, qui annos undecim regnavit (l. c. Vs. 37.). Cui vero huic successit, Jojachinus, s. Jechonias, postquam tres menses regnasset, a Babyloniae rege captivus abductus est (2 Reg. 24, 8. 12.): haec vero visio anno post deportationem vigesimo quinto vati oblata esse dicitur. Annis igitur hisce viginti quinque si addas undecim Jojakimi annos, et quatuordecim, qui ab octavo decimo Josiae anno usque ad regni Jojacimiani initia effluxerunt, summam quinquaginta annorum habebis. Sed, quod illi sumunt, annum, quo Josias instaurari templum curabat, Jubilaeum fuisse, prorsus incertum est, solaque nititur auctoritate libri *Seder Olam* (a quodam R. Jose medio seculo secundo nostrae aerae compositi), cui multum Judaei tribuere solent. Vid. *Chronicon Hebraeor. majus et minus* hebraice et latine edit. a Jo. Meyer (Amstelod. 1699. 4.) p. 67. Recentior tamen est ille scriptor, quam cui soli in ejusmodi rebus fidem adhibere possimus. Praeterea est in accuratiore, quam statim addit vates, temporis notatione, quod non admittit, ut annum Jubilacum h. l. indicari existimemus. בְּרֹאשׁ הַשָּׁנָה *Initio anni*, i. e. primo mensi, ἐν τῷ πρώτῳ μηνὶ, ut Alexandrini verterunt. Ille autem mensis fuit *Nisan*, sive *Abib* (nostro Martio aut Aprili respondens), a quo annum saerum inchoari voluit Moses (Exod. 12, 2. 13, 4.), ad cujus anni dispositionem suas computationes instituere solere V. T. scriptores, observavimus ad 1, 1. Quam ipsam ob causam non potest, cum Judaeis, h. l. intelligi *Tisri* mensis, qui quidem anni georgici *primus* erat, sed sacri s. ecclesiastici *septimus*. Unde simul patet, non indicari h. l. annum Jubilaeum; is enim non *primo* anni ecclesiastici mense (בְּרֹאשׁ הַשָּׁנָה), sed mensis *septimi* die decima exordium sumsit, uti Lev. 25, 9. discrtis verbis dicitur. בֶּעָשׂוֹר לַחֹדֶשׁ *Decimo* die (ut 20, 1. 24, 1.) *mensis*, scil. septimi, ex mente Judaeorum; in illum vero diem incidit solenne expiationis festum (Levit. 16, 29. 23, 27. 25, 9.), quem ipsum diem selegisse Deum existimant, quo vati novi templi visionem offerret, „quod eo die parcet Deus iniquitati Israelis, et peccatum eorum non memorabitur ultra," ut ait Kimchi. Nec aliter a suo Hebraeo magistro videtur edoctus esse Hieronymus, qui de tempore hujus oblatae visionis haec notat: „Si quinto anno captivitatis, sive transmigrationis regis Joachin, in quarto mense, in quinta mensis, aperti sunt coeli Ezechieli prophetae juxta fluvium Chobar, et vidit visiones Dei, nunc autem dicitur, quod in vicesimo et quinto anno transmigrationis ejusdem Joachin, in exordio anni decima mensis, factus sit super eum manus Domini; nulli dubium est, quin decem et novem annis, novemque mensibus et quinque diebus anni vicesimi completis omnis illius prophetia contexta sit. Quod si juxta Theodotionem, qui in eo loco, ubi nos posuimus *in*

exordio anni, interpretatus est *in novo anno* [ἐν νέῳ ἔτει], *decima mensis; novus* autem *annus* apud Hebraeos vocatur mensis septimus, qui apud eos habet vocabulum *Tisri* (תִּשְׁרִי), ut Kalendis mensis septimi sit tubarum clangor, et decima dies ejusdem mensis, dies jejunii et placationis, quinta decima vero, quando totus Innae orbis expletur, dies scenopegiarum; datur intelligi, quod decima die placationis dominicae monstratum fuerat Ezechieli aedificium civitatis.“ Sed vidimus, nequaquam septimum, sed primum anni ecclesiastici mensem h. l. intelligendum esse, cujus dies decima solennis erat agni paschalis delectu in memoriam solutae Aegyptiacae servitutis, immolandi, vid. Exod. 12, 2. 3. Non minus igitur, quam festum expiationis, idonea erat illa dies, qua Ezechiel Babylone detentis annunciaret promissam a Deo libertatem imagine urbis et templi pristinae integritati restituendi et gloriae. אַחַר אֲשֶׁר *Posteaquam*, ut Jos. 9, 16. הֻכְּתָה הָעִיר *Urbs* Hierosolyma *excisa erat* (33, 21.), quod factum est anno deportati Jechoniae et regni Zedekiae *undecimo* (2 Reg. 25, 2.); sublatis igitur undecim ex viginti quinque supersunt quatuordecim. בְּעֶצֶם הַיּוֹם הַזֶּה *Ipso hoc die*, vid. ad 24, 2. הָיְתָה עָלַי יַד יְהוָה *Venit super me manus Domini*, id est, Jarchio exponente, „robur fortitudinis ejus, quo me invitum abduxit.“ Cf. not. ad 1, 3. Chaldaeus: *resedit super me spiritus prophetiae a Domino* in me irruens. Hieronymus: „*Fit* autem *super eum manus Domini*, ut juxta carnem in Babylone positus, in spiritu ad terram veniret Israel.“ וַיָּבֵא אֹתִי *Et duxit*, transtulit *me*, subauditur, manus Dei, uti recte Hieronymus. Cf. 11, 24. 37, 1. שָׁמָּה *Illuc*, ad urbem Hierosolymam, cujus proxime mentio antecessit. Hieronymus: „*Illuc autem*, hoc est, quasi ad aedificium civitatis, ut mihi cuncta, quae erant intrinsecus, demonstraret.“ Syrus: *in terram Israelis*, e Versu secundo, ubi tamen verba אֶל־אֶרֶץ יִשְׂרָאֵל non expressit.

2. בְּמַרְאוֹת אֱלֹהִים *In visionibus Dei*, i. e. divinitus oblatis, vid. not. ad 1, 1. Erat igitur corpore Babylone propheta, spiritu Hierosolymis. וַיְנִיחֵנִי *Et requiescere me fecit*, i. e. me collocavit, ut 37, 1. אֶל־הַר גָּבֹהַּ מְאֹד *In montem admodum altum*, quo non dubitandum est innui *Sionem*, quo urbs et templum aedificata erant. Eum vero montem Messiae tempore ita elevatum iri, ut montes alios omnes altitudine sit superaturus, praedixerunt Jesajas 2, 2. et Micha 4, 1. Cf. supra 17, 22. 23. Nihil igitur est, quod Coccejus obvertit, Moriam montem (qui pars erat Sionis), quo templum superstructum erat, non tantae fuisse altitudinis, ut *mons celsissimus* dici recte potuerit. Cui multis respondit Vitringa in *Aanleydinge tot het rechte Verstant van den Tempel Ezechiels*, P. I. p. 64. sqq. Quae quum refellere patrisque sententiam defendere studuisset Coccejus, filius, in *Naeder Ondersoeck van het rechte Verstant van den Tempel*

Ezechiels p. 128. sqq ; suam sententiam vindicavit et confirmavit VITRINGA in *'t rechte Verstant van den Tempel Ezechiels verdeedigt*, Cap. 13. p. 316. sqq. In verbis, quae sequuntur, וְעָלָיו כְּמִבְנֵה־עִיר מִנֶּגֶב interpretandis discrepant. Alii vertunt: *et super illo* (monte) erat *quasi structura urbis ab austro*, intelliguntque augustissimum templi aedificium, quod amplitudine et magnitudine urbis referret speciem, et prophetae e Babylonia, Septentrionali regione, venienti, ab austro apparet. Ita Villalpandus, qui recte dici potuisse ait hoc aedificium habere similitudinem civitatis, eo quod undique cinctum esset muris, firmatum portis, multis stipatum aedificiis. Porro *aedificio instar urbis* templum significari, colligunt ex iis, quae deinde sequuntur: mensus est enim Angelus aedificium, quod propheticis oblatum erat oculis; sed mensum fuisse *templum*, satis ex ipsa aedificii descriptione perspicuum est. Huic explicationi favent Alexandrini: καὶ ἐπὶ αὐτῷ ὡσεὶ οἰκοδομὴ πόλεως ἀπέναντι, *e regione*, ait Hieronymus, *juxta* Septuaginta et Aquilam, *et ex adverso Aquilonis, unde ad terram Israel propheta veniebat: juxta Theodotionem* vero *et Symmachum, vergentis ad austrum.* Quod ipsum recepit Hieronymus in suam latinam interpretationem. Alii vero nostra verba cum Kimchio interpretantur ita: et *prope eum* (montem) *erat instar* s. species, *structurae urbis ab austro*, ut igitur in ipso monte esset templum exstructum, cui adjaceret urbs austrum versus; id quod colligitur quoque ex iis, quae infra 45, 6. 48, 15. leguntur. Particula עַל saepe *prope*, *juxta* significat; exemplorum nubem vid. in NOLDII *Concordantt.* sub §. 5. illius particulae. In eo igitur dissimilitudinem habebit futura Hierosolymitana urbs cum vetere illa, quae templo arcique Sioniae ad aquilonem sita erat. Vid. not. ad Ps. 48, 3., et quos ibi laudavimus. Pluribus de hoc loco egit Vitringa *Aanleydinge* etc. Cap. 4. toto P. I. p. 105. sqq., qui quidem illum ea ratione, quam posteriore loco indicavimus, accipit, sed suae sententiae in gratiam, urbem et templum, quale ab Ezechiele describitur, nihil differre a pristino, *urbis* (עִיר) nomine eam tantummodo partem, quae in ipso Sionio colle et Moriae monti (quo templum superstructum) ab austro sita aedificata erat, significari, demonstrare studuit. Ei adstipulatus est BACHIENE in *Descript. Palaestinae* P. II. Vol. I. p. 58. §. 135. sqq. vers. germ., nulla ratione habita eorum, quae Vitringanae sententiae opposuit J. H. COCCEJUS in *Naeder Ondersoeck*, p. 167. sqq.

3. וַיָּבֵא אוֹתִי שָׁמָּה *Cumque illuc me perduxisset*, Vs. 1. 2. וְהִנֵּה־אִישׁ *Tum ecce! vir* quidam ibi erat, quem infra 44, 2. 5. *Jovam* dicit. Alii intelligunt Jovae *angelum*, coll. Apocal. 21, 9. מַרְאֵהוּ כְּמַרְאֵה נְחֹשֶׁת *Adspectus*, species, *ejus* erat *instar adspectus aeris* lucidissimi, „instar splendoris animalium," inquit Jarchi, „de quibus supra 1, 7. dicitur, *scintillasse instar*

aeris tersi (נִצְצִים כְּעֵין נְחֹשֶׁת קָלָל).“ Cf. not. ad eum loc. et ad Vs. 4. Cap. 1. Hinc LXX: *καὶ ἡ ὅρασις αὐτοῦ ἦν ὡσεὶ ὅρασις χαλκοῦ στίλβοντος.* וּפִתִּיל־פִּשְׁתִּים *Et funiculus lineus* ad dimetiendam terram, cf. infra 47, 3. 13. Zachar. 2, 5. Jos. 17, 5. 14. Jarchi: „Ad mensurandum solum nil aptius est funiculo lineo.“ Minus probandi, qui *funiculum* intelligunt, *in cujus extremitate pendet plumbum*, quod in aedificiis recte erigendis deservit. Idem forsan voluerunt LXX, qui *σπάρτιον οἰκοδόμων* verterunt. וְקָנֶה הַמִּדָּה *Et calamus mensorius*, de quo Vs. 5. et infra 42, 16. Grotius: „Intelligenda *pertica*, quae in illis locis fieri solebat ex *calamo*.“ Quemadmodum funiculus solo dimetiendo inserviebat, ita *calamo mensorio*, Jarchio notante, muri densitas, et longitudo latitudoque portarum dimetienda erat. Cf. Apoc. 11, 1. 21, 15. וְהוּא עֹמֵד בַּשָּׁעַר *Ipseque stabat in porta* (Vs. 2.), vel periboli totius areae sanctae (Vs. 5.), quasi me adventantem praestolatus esset, Vs. 4.

4. הָאִישׁ *Vir* ille, de quo Vs. 3. רְאֵה בְעֵינֶיךָ *Attente considera* mensuram et structuram hujus aedificii, et quaecunque sibi ad vivendum offeruntur. Iisdem verbis ad attentionem excitatur vates infra 44, 5. וּבְאָזְנֶיךָ שְׁמַע *Et auribus tuis ausculta* verba et declarationes meas, ut supra 3, 10. וְשִׂים לִבְּךָ *Et adverte animum tuum*, 44, 5. לְכֹל אֲשֶׁר־אֲנִי מַרְאֶה אוֹתָךְ *Ad omnia, quae tibi ostendam*, ut Exod. 25, 9. כִּי לְמַעַן הַרְאוֹתְכָה *Nam ideo, ut* haec *tibi ostenderem*, ut Exod. 9, 16. הֻבְאתָה הֵנָּה *Adductus huc es* ex Babylonia, uti dictum Vs. 1. 2. 3. הַגֶּד וגו׳ *Tuque indicato* et nota facies *domui Israel omnia, quae visurus es*, nec verbis tantum, sed etiam ichnographice ea repraesentabis, 43, 11.

5. וְהִנֵּה *Et ecce!* illic, ubi vir ad portam stabat, vid. Vs. 3. חוֹמָה *Murus* erat, scil. exterior, sive, ut LXX habent, *περίβολος*, totam cingens, et a non sancto (42, 20.) separans quadratam aream Sanctuarii, quae in ambitu 12000, quovis autem latere 3000 cubitos, vel quingentos calamos habebat, 42, 15. sqq. מִחוּץ לַבַּיִת *Extra domum* s. aedificium templi, cf. 43, 21. סָבִיב סָבִיב Vulgatus: *forinsecus in circuitu domus undique*, cf. Vs. 14. 17. 25. Jarchi: „Aedificium domus alicujus mihi ostendit in montis parte septentrionali, circa quem erat a parte extima murus undiquaque, ut exponitur in fine libri: urbs enim posita erat in parte meridionali, templum autem in parte septentrionali.“ קְנֵה הַמִּדָּה *Calamus mensorius*, de quo Vs. 3. שֵׁשׁ־אַמּוֹת בָּאַמָּה וָטֹפַח *Sex cubitorum in mensura cubitali* (ut Exod. 26, 2. 36, 9. 15.), *sed* quidem *cum palmo*, ita, ut quilibet cubitus vulgarem, quo in Babylonia utebantur, *palmo*, id est, mensura quatuor digitorum (vid. infra ad Vs. 43.) superaret. Id quod et infra 43, 13. disertis verbis notandum vates putavit, ne hic Hebraeorum cubitus cum Babyloniorum, inter

quos scribebat, mensura confunderetur. Fuit enim Aegyptiacus et Hebraicus cubitus uno palmo major Babylonico, ut pluribus probavit CLERICUS in *Commentar.* ad Genes. 6, 15. VITRINGA *Aanleydinge* P. I. p. 211. COCCEJUS *Naeder Ondersoeck*, p. 191. VITRINGA *'t rechte Verstant*, p. 145. STURMII *Sciagraphia templi Hierosolymitani ex Ezechielis Visione ultima* (Lips. 1694.) p. 53. MEYERI *Dissert. de templo Ezechielis* (Harderov. 1707.) p. 20. sqq. Inter veteris Memphis ruinas nuper repertus est cubitus Aegyptiacus, in quo duplex ejus mensura signata est, altera communis sex palmorum, seu viginti quatuor digitorum, altera major quatuor digitis. Vid. quae de hoc cubitu retulerunt JOMARD et GOSSELIN in opere menstruo *Journal des Savans* Novembr. et Dec. anni 1822. וַיָּמָד *Mensus itaque* est divinus architectus calamo suo mensorio 1) *murum*, s. peribolum totius areae sanctae, 2) *exterioris atrii* portam orientalem (Vs. 6.), septentrionalem (Vs. 20.), et australem (Vs. 24.); 3) *interioris atrii portam* meridionalem (Vs. 28.), orientalem (Vs. 32.), et septentrionalem (Vs. 35.); ac tandem 4) ipsius *templi vestibulum* (Vs. 48. sqq.). אֶת־רֹחַב־הַבִּנְיָן *Latitudinem aedificii* Jarchi recte interpretatur עובי החומה, *densitatem muri*, nam voce בִּנְיָן, *structura*, h. l. significatur murus ille exterior, de quo sub initio Versus. Meminisse oportet, Salomonem vastissimam celsissimamque substructionem ab imis montis Moriae radicibus erexisse, qua aggeres sustinerentur, quibus templi pomoeria et solum dilatatum est. Vid. JOSEPHI *Antiquitt.* L. VIII. C. 3. §. 9. T. I. p. 427. edit. Havercamp. Hanc vero aream sponte apparet muniendam exterius fuisse muro aut peribolo, ne obambulantes per eam in praeceps ruerent. Qui quidem murus, quod universam templi aream circumdaret, a LXX paulo ante *περίβολος*, *ambitus*, nunc vero, quod reliquis omnibus muris humilior esset, eosque ambiret haud secus, quam urbis alicujus murum, *προτείχισμα*, *antemurale*, dicitur. וְקוֹמָה *Et altitudinem*, Exod. 27, 18. קָנֶה אֶחָד *Unius calami*, i. e. sex cubitorum majorum (vid. supra hoc ipso Versu), ut igitur quadratus esset murus, s. tam densus, quam altus. Dixit de hoc peribolo quaedam A. HIRT in Commentatione de *Templo Salomonis* (*Der Tempel Salamon's. Von* A. HIRT. *Vorgelesen in der königl. Akademie der Wissenschaften zu Berlin, den* 1. *Dec.* 1804. *Mit drey Kupfert.* Berl. 1809. in quat.) p. 39. sq. Dolendum est, Virum Doctissimum, quum hebraice ipse non calleret, fontem consulere non potuisse, sed versiones tantum aliquot, quibus Josephum junxit, sequutum esse. Illae vero quum vehementer inter se discrepent, ipsum in plurimis haesitare oportebat, quae textum hebraicum expendenti forsan clara fuissent.

6. וַיָּבוֹא *Deinde venit*, accessit, per magnum illud spatium, peribolo inclusum, quod *atrium gentium* vocabatur. Illud igitur

non dimensus est architectus, quod imitatus Joannes Apocal. 11, 1., qui similiter pertica mensoria templum metiri jubetur a Deo (Vs. 1.), sed additur: *καὶ τὴν αὐλὴν τὴν ἔξωθεν τοῦ ναοῦ ἔκβαλε ἔξω, καὶ μὴ αὐτὴν μετρήσῃς, ὅτι ἐδόθη τοῖς ἔθνεσι.* אֶל־שַׁעַר *Ad portam* non ambitus totius aedificii, sed ad portam atrii exterioris, *mulierum* dicti, sive Israelitarum, cf. Vs. 17. אֲשֶׁר פָּנָיו *Quae respiciebat*, ut Vulgatus vertit, Vs. 20. 22. דֶּרֶךְ הַקָּדִים *Orientem versus*, ut Vs. 10. 20. וַיַּעַל *Et ascendit*, quia solum hujus exterioris atrii aliquot cubitis elatius fuit, quam atrium gentium, et rursus interius *sacerdotum* atrium altius atrio Israelitarum (Vs. 31.), omniumque altissimum ipsum templum (Vs. 49.). Hieronymus: „Et quia non erat aequalis locus, et murus enim per circuitum, et ipsa aedes Dei in excelsioribus locis aedificata erat, propterea *per gradus* [בְּמַעֲלֹתָיו] ingreditur, imo conscendit, quos soli LXX *septem* nominant, quum et in Hebraeo, et in ceteris translatoribus *gradus* tantum, absque numero, legerimus.“ Recte vero Alexandrinum interpretem numerum *septem* addidisse, patet ex Vss. 22. 26. וַיִּמָּד *Atque tunc mensus est* calamo, s. pertica sua, Vs. 5. אֶת־סַף הַשַּׁעַר *Limen portae* scil. אֶחָד *unum*, nam sequitur statim סַף אֶחָד *limen alterum;* duplex autem אֶחָד *unum* atque *alterum* significare, notum, vid. Dan. 12, 5. Zachar. 11, 7. 2 Sam. 14, 6. Nomen סַף *limen* notare, non est dubium, vid. Jud. 19, 27. 2 Reg. 12, 10. Jes. 6, 4. et ad eum loc. not. Duplex vero illud est, alterum, quod calcatur pedibus, et Graece dicitur *ὑποθύριον*, alterum, quod est supra caput, et *ὑπερθύριον* appellatur. Hoc a Latinis dicitur *inferum*, illud *superum*. Naevius apud Nonium 4, 278.: *Exime limen superum, quod mihi misere saepe confregit caput, Inferum quoque, ubi ego saepe defregi digitos.* Plautus *Merc.* 5, 1.: *Limen superum inferumque salve, simul autem vale.* De his liminibus videtur hic agere vates; nam latitudinem hoc loco metitur, non altitudinem. Dicit ergo, singula limina, tam superum, quam inferum, calami unius, id est, sex cubitorum crassitudinem habere. Quum limen lignum esse constet, sive lapidem transversum, qui postea duos utrinque conjungit, nomine סַף et ipse *postis* uterque comprehendi possit; hinc Jarchi סַף הַשַּׁעַר h. l. מְזוּזַת הַשַּׁעַר *postem portae* exposuit. Alii vero duplex *limen inferius* intelligunt. Ita Coccejus: „*Et mensus est limen portae*, limen primum, *et limen portae unum*, i. e. limen alterum. Portam intrans consistit in limine, cujus latitudo sex cubiti. Mox adhuc in limine uno pergens consistit, ejusdem latitudinis. Utrumque limen ad *longitudinem* portae pertinet, ut apparebit ex Vs. 21. Limen autem secundum oportuit esse paulo altius primo, alioquin enim non essent duo limina, sed unum.“ Sturmius *Sciagraph.* p. 63. sqq. *limen exterius* et *interius* portae orientalis significari existimat, quorum unumquodque latitudinem sex cubitorum, sicut extremus peribolus (Vs. 5.) habuerit.

„Apparet igitur," addit, „aedificium hoc juxta longiora latera inclusum fuisse muro crassitiei sex cubitorum; et rite, imo necessario, a portarum muris eandem spissitudinem ad omnes aedificiorum muros undique derivamus." Verum si limen *exterius* et *interius* intelligendum esset, vatem, qui omnia ac singula tam accurate exponit, non dubito vocabula הַחִיצוֹן et הַפְּנִימִי addidisse. HIERONYMUS: „Ingressusque portam, statim mensus est *limen portae*, quod LXX Θεὲ nominant, pro quo in Hebraeo scriptum est *Saph*. Et diligentem et studiosum lectorem admonendum puto, si tamen scientia Scripturarum, et non vanis Oratorum declamationibus ducitur, ut sciat, omnia prope verba Hebraica, et nomina, quae in Graeca et Latina translatione sunt posita, nimis vetustate corrupta, scriptorumque vitio depravata, et dum de inemendatis scribuntur inemendatiora, de verbis Hebraicis facta esse Sarmatica, imo nullius gentis, dum et Hebraea esse desierint, et alicna esse non coeperint. *Limen* igitur *portae*, sive *θεὲ*, imo *Saph*, quod Symmachus *οὖδον*, Aquila et Theodotion *πρόθυρον* interpretati sunt, habebat calamum unum, hoc est, sex cubitos et palmum in latitudine, pro quo nescio quid volentes LXX, et addidere de suo, *sex hinc, et sex inde.*" Ipsa autem Graeca Alexandrina hujus loci interpretatio in singulis fere codicibus aliter legitur. Nam codex Alexandrinus haec habet: *καὶ διεμέτρησε θεὲ ἓξ ἔνθεν, καὶ ἓξ ἔνθεν, καὶ τὸ αἰλὰμ τῆς πύλης ἴσον τῷ καλάμῳ.* Quae fideliter expressit Arabicus interpres. In codice vero Romano verba *θεὲ ἓξ ἔνθεν, καὶ ἓξ ἔνθεν* non leguntur, sed tantum *καὶ τὸ αἰλὰμ κ. τ. λ.* In codice Syro-Hexaplari: *et mensus est Thee sex et sex, et Aelam portae aequalem calamo.* Quam omnem lectionum diversitatem Villalpandus duplici ex capite originem ducere potuisse censet, et quod multa hoc Versu calamo uno finiuntur, et quod eorum quae dimetirentur nomina propriam saepe commutent notionem, ut aliam sortiantur. „Ex quo factum est, ut vocem Hebraicam, אֻלָם, quam in *thalamum* mox convertit Vulgatus, hic ita accipiat Hieronymus, ut si a LXX interpretibus usurparetur pro סַף. Quodsi conjecturis uti liceat, potius arbitrarer, *liminis* (סַף) mensuram ab ipsis fuisse praetermissam, et eos ad *thalami* mensuras mox accessisse, vel, quod verisimilius est, librariis ejusmodi mensuram fuisse relictam."

7. Nomen אֻלָם Vulgatus constanter *thalamum* vertit, quam interpretationem comprobat L'EMPEREUR in Not. ad Tractatum Talmudicum *Middoth* (s. *de mensuris* Templi) Cap. 4. §. 2., dum observat, Syros Hebraeorum חֶדֶר, *conclave*, hac voce exprimere, nisi quod *Nun servile* inferant, ut Ps. 105, 30. חַדְרֵי מַלְכֵיהֶם, *cubicula regum eorum*, Syrus vertit דמלכיהון תונא, et Novi Testamenti Syrus interpres Matth. 6, 6. 24, 26. Luc. 12, 3. Graecum *ταμεῖον* reddidit suo תונא, quocum convenit Chaldaicum

תָּוָא, תְּוָן, תָּוָן. Descendere nomen a radice תָּוָא, quacum conferre possis Arabicum תּוי, *substitit aliquo in loco*, *habitavit* locum, docet syntaxis verborum infra Vs. 10. תָּאֵי הַשַּׁעַר, ubi Camez immutatum originem arguit. 1 Reg. 14, 28. idem nomen תָּא usurpatur de *cella* stipatorum regis. Hoc vero loco, ex Sturmii sententia (p. 65.), intelliguntur *conclavia* s. *cellae* utrinque tres, ad dextram et sinistram portae, in substructione muri latentes, sex cubitos longae et latae, et aequalibus dissitae intervallis, ut distinctius exponit Vs. 10. Jarchi, quem ceteri suae gentis interpretes sequuntur, nomen תָּא explicat nomine יָצִיעַ, quod in codice Hebraeo 1 Reg. 6, 5. 6. occurrit, et a Jarchio tam eo loco, quam hoc nostro, nomine franco-gallico exponitur, quod literis hebraicis אפנטיץ scribit, i. e. *appentis* (non *appendice*), tectum s. tugurium muro adstructum *(ein Schuppen)*, et, ut Jarchi observat, in latere quidem muri exteriore, id quod colligitur e Versu 17., ubi absoluta τῶν תָּאִים descriptione vates sese adductum esse ait ad atrium exterius, unde sequitur, quae antea describuntur fuisse extra atrium illud exterius. Symmachus, Hieronymo referente, תָּא vertit παραστάδας, *postes*, nec aliter Syrus, qui ipsum graecum nomen פרוסתדא retinuit. קָנֶה אֶחָד *Calamus unus*, i. e. sex cubiti, Vs. 5. וּבֵין הַתָּאִים *Et interstitium istorum conclavium*, s. murum, qui haec conclavia separabat, dimensus est. בֵּין h. l. nomen, *discrimen*, *spatium intermedium* significans, ut supra 19, 11. Levit. 27, 12. חָמֵשׁ אַמּוֹת *Quinque cubitos;* non erant usque adeo conjuncti thalami, ut illos intergerinus paries e cratibus aut assere discluderet, sed murus interjectus quinque cubitorum, ita ut uno minus cubito latus esset, quam thalamus, quum hic sex haberet cubitos, quibus pertica s. calamus constat. מֵאֵצֶל אוּלָם הַשַּׁעַר *Juxta vestibulum* s. *porticum portae*. אוּלָם *propylaeum* s. *porticum* apertam significare, parietibus carentem, liberisque columnis suffultam, colligitur ex 1 Reg. 7, 6. 7. Romani vocabant *vestibulum*. Sic sane Gellius *Noctt. Atticc.* L. 16. Cap. 5. ex Caecilio Gallo in libro de significatione verborum, *Vestibulum*, ait, *esse non in ipsis aedibus*, *neque partem aedium*, *sed locum ante januam domus vacuum, per quem a via aditus accessusque ad aedes est*, *quum dextra*, *sinistraque inter januam tectaque*, *quae sunt viae juncta*, *spatium relinquitur*, *atque ipsa janua procul a via est*, *area vacanti intersita*. מֵהַבַּיִת *A domo*, i. e. intrinsecus, ut recte Vulgatus, oppositum est מִחוּץ, *extrinsecus*, vid. Exod. 25, 11. et cf. Storrii *Observatt.* p. 334. *Vestibulum* igitur etiam *intrinsecus* portae huic exteriori adjacebat, ipsa symmetria cogente, cui opponeretur vestibulum exterius portae interioris, de qua Vs. 23. 26. 31. קָנֶה אֶחָד *Sex cubitos*, quae fuit etiam exterioris liminis mensura, Vs. 6.

8. וַיָּמָד וגו׳ *Mensus etiam est ipsum vestibulum* portae. מֵהַבַּיִת *Intrinsecus*, ut Vs. 7. קָנֶה אֶחָד *Uno calamo*, ab extrema

columna parietina ad extremam liberam, observante Sturmio p. 71. seq. Integer hic Versus omittitur in pluribus Kennicotti atque De-Rossii codicibus, neque eum expresserunt LXX, Vulgatus et Syrus. „Eundem," inquit Hubigantius, „nos uncinis includimus, ut omittendum. Nam quatuor haec priora verba וימד את אלם השער otiose iterant initium Versus 9., haec autem tria posteriora, מהבית קנה אחד, etiam otiose finem Versus 7. Utraque pugnant cum Versu 9., et cum sequentibus in numero cubitorum, pugnant etiam ipsa secum, cum vestibulo portae unum tantum calamum assignant."

9. וַיָּמָד אֶת־אֻלָם הַשַּׁעַר *Porro mensus est* exterius *vestibulum portae.* שְׁמֹנֶה אַמּוֹת *Octo cubitorum latitudine*, nempe a centro parietinae columnae ad centrum liberae; nam sine his unius calami, sive sex tantum cubitorum vestibulum fuit. אֻלָיו Vulgatus, Aquilam sequutus, *frontem ejus* vertit; Alexandrini ipsum posuerunt hebraeum *αἴλευ*, id quod de Chaldaeo quoque et Syro valet. Singularem, אַיִל, 1 Reg. 6, 31. *frontispicium* esse *portae triangulare*, postibus impositum, res ipsa clamare videtur MICHAELI in *Supplemm.* p. 70.; sed quid Ezechieli pluralis אֵילִים significet, sese nondum expedire potuisse fatetur. Hebraei intelligunt *columnas*, sive, ut Jarchi ait, postes, arborum instar rotundas, lapidibus caesis exstructas, et quod arboribus similes essent nomen illas gessisse, ab אֵלָה s. אַלּוֹן, *quercus.* Observat praeterea, Chaldaeum interpretem Jes. 6, 4. pro אַמּוֹת הַסִּפִּים, *postes liminum*, אֻלָוָת סַפָּיָא, posuisse. *Columnas* nomine אֵילִים denotari, censet quoque Sturmius. „Nam," inquit *Sciagr.* p. 70., „si columnae nostrae capitulum ornemus more Corinthiorum inferius duplici serie palmarum, et superius volutis, annon hirsutum *arietis* caput, et in helicem convolutis cornibus praeditum, satis apte repraesentabit? Maneant ergo *columnae rotundae* palmis ornatae." Coccejus *projecturas* (metaphora ab animali אַיִל dicto desumta) intelligit parietis in imo prominentis, paulo altiores solo aut pavimento, in quibus palmae ad parietem et columnae ponuntur, quales in aedificiis splendidioribus videre est; vid. Vs. 16. 26. 31. 34. Sed GESENIUS in *Thesauro philol. crit. linguae hebr.* p. 43. satis verisimile reddidit אַיִל ubi ut architecturae vocabulum usurpatur, denotare *crepidinem portae*, sive marginem prominentem, qui portam superne, et ab utraque parte cinget, plerumque columnis (*παραστάσει*) utrinque, superne Zophoro, infra crepidine ornatum, *die verzierte Einfassung der Thüre mit Säulenpfosten*, *Fries und Sockel*, deinde in Plurali *crepidines*, seu partes in fronte aedificii prominentes, columnis palmisve plerumque ornatas, quibus lacunaria s. intercolumnia interjecta erant. Utraque res eodem nomine designatur, quoniam hae crepidines crepidine portae accurate respondere solent. שְׁתַּיִם אַמּוֹת „Densitas rotunditatis carum columnarum erat *duorum cubitorum*,

et stabant in extremitate concavitatis vestibuli; et altera quidem parieti dextro, altera vero parieti sinistro juncta.“ Jarchi. וְאֵלֶּה הַשָּׁעַר *Sic* mensus est *vestibulum portae* alterum. מֵהַבַּיִת *Ab interiore* facie portae versus interius atrium, Vs. 7. 8.

10. וְתָאֵי הַשַּׁעַר *Ceterum thalami*, s. conclavia, cellae, *hujus portae* orientalis, vid. Vs. 7. דֶּרֶךְ הַקָּדִים Vs. 6. 19. שְׁלֹשָׁה מִפֹּה וּשְׁלֹשָׁה מִפֹּה Numero *tres* erant *hinc et inde*, i. e. utrinque, a dextra et sinistra parte, conf. Vs. 12. 21. 26. 34. וּמִדָּה אַחַת לָאֵילִם „*Et mensura eadem* erat *columnis*, quae positae erant in liminibus vestibuli a parte interiore.“ Jarchi.

11. וַיָּמָד אֶת־רֹחַב פֶּתַח־הַשָּׁעַר *Postea mensus est latitudinem aperturae portae*, i. e. aperti in porta spatii, cf. Vs. 13. עֶשֶׂר אַמּוֹת *Decem cubitorum*, ut infra 41, 1., computatis nempe utrinque semicolumnis, sive postibus unius cubiti; nam alioqui porta latius aperta fuisset, quam vestibuli quod erat octo cubitorum, Vs. 9. אֹרֶךְ הַשָּׁעַר שְׁלוֹשׁ עֶשְׂרֵה אַמּוֹת *Longitudo* autem erat *tredecim cubitorum*, „videlicet cubitorum decem e regione concavitatis ostii et cubiti unius et dimidii in unaquaque parte,“ ut ait Jarchi, qui addit, vatem id, quod est juxta ostium, vocare *latitudinem*, id vero, quod est juxta concavitatem vestibuli, nominare *longitudinem*, „quoniam *altitudo* portae est illius longitudo, atque latitudo est ab uno limine ad alterum; vestibulum autem, quoniam prominentia concavitatis ejus sese traxit ab oriente ad occidentem, quoad mensuram minus est, quam mensura concavitatis ejus a septentrione ad meridiem; nam vestibulum octo cubitorum latitudinem habuit (Vs. 9.), ista autem concavitatis erat tredecim cubitorum, quare Ezechiel mensuram majorem vocat *longitudinem*.“ Sturmio *Sciagr.* p. 66. numerus 13. alienus et imperfectus videtur, unde pro *tredecim* vertendum putat *ter decies*, invito linguae usu.

12. וּגְבוּל לִפְנֵי הַתָּאוֹת *Terminus vero*, spatium, *ante thalamos erat.* Vulgatus: *et marginem ante thalamos* scil. mensus est, ex Vs. 11. Cf. 43, 20. אַמָּה אֶחָת *Unius cubiti*, quantum videlicet projecturae utrinque inter tres thalamos positae a parieto prominebant. Vid. Sturmii *Sciagr.* p. 71. וְאַמָּה־אַחַת גְּבוּל מִפֹּה *Et sic etiam ex altera parte unius cubiti spatium* inter projecturas erat; ita ut porta inter oppositos parietes *duodecim*, inter columnas autem *decem* cubitos pateret, uti dictum Vs. 11. וְהַתָּא *Thalamus* autem sive *conclave unumquodque* Vs. 7. שֵׁשׁ אַמּוֹת *Sex* erat *cubitorum* et quadratum, Vs. 5. 41, 1. מִפֹּה — מִפֹּה *Hinc et inde*, i. e. utrinque, ut Vs. 10.

13. וַיָּמָד אֶת־הַשַּׁעַר *Deinde mensus est* per opposita ostia thalamorum, totius *portae* et aedificii ejus latitudinem. מִגַּג הַתָּא לְגַגּוֹ *A tecto*, i. e. *a summo* et extremo *pariete thalami usque ad extremum* oppositi thalami *parietem.* Ita de *superiore parte* altaris nomen גַּג usurpatur Exod. 30, 3. 37, 26. Nam *tectum*

proprie dictum thalami non habuerunt, quippe qui sub portae tecto, vel potius lacunari, erant, sed suum modo laquear, inquit Sturm l. c. p. 68. רֹחַב עֶשְׂרִים וְחָמֵשׁ אַמּוֹת *Latitudo viginti quinque cubitorum*, nempe parietis extremi *utrinque semicubitum*, parietis thalamorum interioris *utrinque* semicubitum, substructionis ejus *utrinque* semicubitum, thalami *utrinque sex* cubitos, qui collecti faciunt *quindecim*, et his additi *decem* pro portae apertae latitudine ex Vs. 11., una summa prodeunt cubiti *viginti quinque*. Cf. Vs. 21. 25. 29. פֶּתַח נֶגֶד פֶּתַח Idque per *ostium* e diametro *oppositum ostio*. Cf. Vs. 2. 3.

14. וַיַּעַשׂ *Et fecit*, scil. mensurando, atque sic fieri jussit; nam adveniente prophcta totum alioqui jam extitit aedificium. אֶת־אֵילִים *Crepidines*, vid. Vs. 9. שִׁשִּׁים אַמָּה Vulgatus: *per sexaginta cubitos*, nempe secundum longitudinem totius aedificii hujus portae. Videlicet secundum Sturmii computum (p. 72.) *semicubitum* pro basi, *sex* cubitos ab extrema columna vestibuli ad parietinam, *unum* cubitum projectionis parietinae, *sex* spissitudinis muri, *triginta sex* interioris portae longitudinis, *sex* spissitudinis muri interioris, *unum* latitudinis projectionis columnae parietinae, *tres* ad extimum columnae vestibuli interioris, et *semicubitum* pro basi, unde summa *sexaginta* cubitorum. וְאֶל־אֵיל *Et juxta crepidines*, Vs. 9. 16. In pluribus codicibus a De-Rossio inspectis אֵיל, in statu constructo, scriptum exstat, quod De-Rossi praeferendum censet. הֶחָצֵר *Atrium* s. *areola* aut *spatium* quoddam intra projecturas. Nam *atrium* proprie dictum, *locum subdialem*, parietibus cinctum, hic significari non posse, quisque intelliget, inquit Sturmius p. 72., ipsequc p. 73. *arcus* s. *portas* intelligit super thalamos inter duas quasvis projecturas constitutas, easdemque apertas, nec foribus clausas, adcoque liberi accessus, et liberi ac sereni aëris, quae majoris portae quasi fuerint *suburbia*, coll. Levit. 25, 31. Jes. 42, 11. Quae quidem interpretatio etsi nobis non extra omnem dubitationem posita videatur, ipsi tamen, architecturae ignari, meliorem dare non possumus. הַשַּׁעַר Et *porta* ejusmodi minor, per asyndeton, cf. Vs. 48.; vel, ad mentem Sturmii, per appositionem: *porta* nempe. סָבִיב סָבִיב *Per circuitum*, ut Vulgatus vertit, i. e. per universam portam majorem, cf. Vs. 15. 16. 17. 25. Jarchi: „Et sic cunctis postibus atrii, qui erant in omnibus vestibulis portarum illius (atrii) circumcirca; nam et in aquilonari et australi parte atrio fuerunt portae juxta formam illius portae, sicuti in ipso textu exponitur.“

15. וְעַל־פְּנֵי *Ante* autem, ut infra 42, 8. הַשַּׁעַר הָאֵיתוֹן *Portam introitus* vel: *portam* quae est *introitus*. „Dicitur *porta introitus*, quoniam introitum et exitum praebebat omnibus, qui ad atrium veniebant.“ Jarchi. Sunt codices, pauci tamen, in quibus שַׁעַר sine ה scribitur, quod melius judicat De-Rossi,

quum a nomine in regimine posito *He* articuli alias abesse soleat. Sed non desunt similis constructionis exempla, vid. not. ad 7, 7. Nomen הָאֵיתוֹן, hoc solo loco obvium, ab אָתָה, *advenit*, esse Chaldaicam vocem, ejusdem cum hebraico בִּיאָה *introitus* (vid. supra 8, 5.) significationis, observat Jarchi. Litera Jod in הֵיאתוֹן, uti in textu scribitur, τῷ א praeposita, indicat, fuisse olim codices, in quibus defective הָאתוֹן scriptum fuerit; vid. Hillerι *Arcanum Kethib et Keri* p. 114. 117. Chethib הֵיאתוֹן Michaelis in *Supplemm.* p. 79. existimat ut verbum explicandum, *He* ut pronomine relativo posito, *porta*, *per quam veniebant*, i. e. intrabant. Pro verbo cum articulo videtur et Vulgatus habuisse, vertit enim locum nostrum: *et ante faciem portae, quae pertingebat usque ad faciem vestibuli portae interioris.* Graecus Alexandrinus, quem Arabs sequitur: καὶ τὸ αἴθριον τῆς πύλης ἔξωθεν. Chaldaeus: *et ante portam mediam.* Ita et Syrus. עַל־לִפְנֵי אֻלָם הַשַּׁעַר הַפְּנִימִי *Usque ad frontem vestibuli portae interioris.* Prius comma terminum *a quo*, posterius hoc terminum *ad quem* designat. Vocem הַפְּנִימִי cum הַשַּׁעַר conjungendam alii cum אֻלָם jungunt, minus commode. Pro עַל־לִפְנֵי tres codices Kennicotti et unus De-Rossii legunt עַל־פְּנֵי, probante De-Rossio. Alius quidam Kennicotti codex et unus De-Rossii, Toletanus, a prima manu habet עַד לִפְנֵי, *usque ad faciem*, quod Vulgatus expressit. חֲמִשִּׁים אַמָּה *Quinquaginta* erant *cubiti*, ut Vs. 21. 25. 29. Universa namque portae longitudo, ut Vs. 14. vidimus, fuit *sexaginta* cubitorum; si itaque subtrahas *sex et dimidium* cubitum anterioris, et *tres ac dimidium* interioris vestibuli, pro reliqua portae longitudine *quinquaginta* relinquuntur, Sturmio supputante, p. 74.

16. חַלּוֹנוֹת *Fenestrae* (a חָלַל, *perforavit*), Sturmio (p. 63.) sunt *fenestellae*, ad illustrandas scalas cochleares intra murum latentes, Vs. 7. אֲטֻמוֹת *Clausae*, quibus Hebraei monent non intelligendas esse omnino clausas, sed tales, quae extrinsecus latae, intus vero magis strictae essent, vel, ut alii volunt, latiores intus, et angustiores foris. Ita Lutherus: *inwendig weit, und auswendig enge.* Vulgatus vertit *obliquae*, eodem haud dubie sensu. Hieronymus: „Quas Septuaginta *absconditas* [ϑυρίδες κρύπται], Symmachus τοξικὰς vocat, quae fenestrae *obliquae*, vel τοξικαὶ idcirco a *sagittis* vocabulum perceperunt, quod, instar sagittarum, angustum in aedes lumen imittant, et intrinsecus dilatentur.“ Sed Fullerus *Miscell. SS.* L. VI. Cap. 13. Symmachum *fenestras sagittarias* ideo dicit interpretatum esse, quia, uti sagittarii limis oculis et obliquo adspectu, atque transverso corporis statu sagittas in scopum dirigere; ita fenestrae illae solis radios obliquos et transversos intromittunt. Hinc Syrus *fenestras intus obliquas*, *angustas foris interpretatus est*, Villalpandus observat, Hispanos ejusmodi fenestras similiter a *sagittis*,

quas *saetas* vocant, appellare *saeteras*, quod sagittarii in muris ejusmodi deleetarentur fenestris, quo hostem ita ex obliquo sagittis peterent, ut ab hostium ejaculatione, parietis interventu, ipsi tuti essent. Alii חַלֹּנוֹת אֲטֻמוֹת reticulatas putant esse fenestras, decussatis lineis, quas Galli *Jalousies*, Hispani *Gelosias* appellant, quia istae obductis cancellis quasi clausae sunt. Id vero videtur suadere, quod infra 41, 16., ubi easdem voces Vulgatus *fenestras obliquas*, Septuaginta reddunt *θύριδες δικτιωταὶ*, id est, *reticulatae*, seu *cancellatae*. Sicut etiam 1 Reg. 6, 4., ubi earundem fenestrarum mentio, *θυρίδας παρακυπτομένας κρύπτας*. Idem putat Hieronymus infra ad 41, 16. *Fenestrae*, inquit, *erant factae in modum retis*, *instar cancellorum*, *ut non speculari lapide*, *vel vitro*, *sed lignis interrasilibus*, *et vermiculatis*, *clauderentur*. Michaelis quoque in *Supplemm.* p. 67., אֲטֻמוֹת „*clausas*," ait, „vel *coopertas* interpretor, praeeunte Aquila, ex Arabico אטם, *cooperuit*, id est, sive totas extus clausas asseribus, sive, quod mihi potius videtur, quibus extus tabulae interrasiles *(Jalousies)* obductae, lucem et liberum aërem admittentes, sed prospectum in templum prohibentes." Gesenius in *Thesauro Ling. hebr.* p. 77. *fenestras clausas* tales fuisse existimat, quarum cancelli pro lubitu claudi et operiri non possent. Cui sententiae favet, quod 1 Reg. 6, 4. חַלֹּנֵי שְׁקֻפִים אֲטֻמִים *fenestrae trabibus clausae*, et infra 41, 16. חַלֹּנוֹת מְכֻסּוֹת *fenestrae opertae* memorantur. אֶל־הַתְּאִים *Ad thalamos* erant, vid. not. ad Vs. 7. וְאֶל אֵלֵיהֶמָּה *Et ad projecturas eorum*, vid. Vs. 9. 37. 49. לִפְנִימָּה לַשָּׁעַר *Intra portam*, 1 Reg. 6, 30. סָבִיב סָבִיב Vs. 14. 17. לָאֻלָמוֹת *In vestibulis*, Vs. 21. 22. 30. Quum portae lata haberent longaque vestibula, ubi conventus fiebant hominum frequentes, necessarium erat lumen, quod in loco magna ex parte clauso futurum videbatur exiguum, nisi adderentur fenestrae illae obliquae, per quas ab admisso lumine locus illustraretur. וְאֶל־אַיִל *Et ad projecturam* unamquamque, ad singulas projecturas, vid. Vs. 9. 14. תְּמֹרִים *Palmae* erant duae, Vs. 26., cf. Vs. 31. 34. ad Vs. 9. LXX: *καὶ ἐπὶ τὸ αἰλὰμ φοίνικες ἔνθεν καὶ ἔνθεν.* Vulgatus: *et ante frontes pictum palmarum.* Chaldaeus: *et super frontes capitella*, ut Latinus interpres vertit; sed proprie vox Chaldaica *coronas* videtur significare, ut כְּתָרָא. Syrus haec verba non expressit.

17. Absoluta portarum, et quae ad eas pertinerent, vestibulorum, thalamorum, ornamentorumque descriptione, vates recta occidentem versus tendens, e porta egreditur ad atrium, id quod significare voluisse videtur Latinus interpres, dum וַיּוֹצִיאֵנִי, *eduxit me* vertit, pro quo LXX *εἰσήγαγέ με* posuerunt, eodem sensu, portam enim egressus atrium ingreditur, quod hebraice חָצֵר dicitur, quo omnis locus subdialis muro circumclusus denotatur, ut Arabico حَظِير *sepimentum*. Atrium autem illud, quod

vates ingreditur, dicitur הַחִיצוֹנָה *exterius* (ut Vs. 20. 31. 42, 1.), sive Israelitarum, quod medium erat inter atrium gentium et atrium sacerdotum; dicitur autem *exterius* comparatione atrii sacerdotum, quod proxime templum ipsum attingebat, de quo interiori atrio vid. Vs. 23. Cf. not. ad Vs. 6. וְהִנֵּה *Et ecce!* atrium splendidis aedificiis undique cinctum erat, cf. not. ad Vs. 5. לְשָׁכוֹת LXX et Vulgatus *gazophylacia* reddiderunt, Aquila, Hieronymo referente, *cellaria*, Symmachus vero ἐξέδρας, „quae habitationi Levitarum atque sacerdotum fuerant praeparatae," ut idem Hieronymus addit. Vocis hebraeae origo ignoratur quidem; sed *conclavia*, templi praesertim, ea indicari, non sinunt dubitare loca, quibus occurrit, vid. e. c. Jer. 35, 2. sqq. Esr. 8, 29. Nehem. 13, 4. sqq. 1 Chron. 28, 11. sqq. 2 Chron. 31, 11. De *conclavi* domus privatae dicitur 1 Sam. 9, 22. Ex his, quae infra 42, 1. 8. 9. legimus, haec conclavia suspensa fuisse patet, ac super prima contignatione saltem exstructa, sub quibus aditus aperiebatur, sive, in quae per scalas ascendebatur. „Atria," inquit Sturmius *Sciagr.* p. 75., „undique aedificiis cincta erant, aequalem cum porta profunditatem, nempe quinquaginta cubitorum sortita [vid. infra 42, S. 9.], ceterum hac ratione constructa: primo substructio circumjacentium aedificiorum, quae triplicis erant contignationis, undique *cava* erant *cellariis*, et cryptoporticibus adstructa, quibus lumen extrinsecus per fenestras advenicbat ordinarium et copiosum. Ejusmodi receptaculis opus erat ad reditus templi adservandos, qui humidum cellarum subterrestrium non ferebant, ut materia pro vestibus, velis et tapetibus. Sub his vero procul dubio aliae erant profundiores cellae, vino v. g. recondendo aptae. Ita super hac constructione solum aedificiorum elatius erat solo portarum. Ad quod utrinque supra thalamos prodiens pertingebat. Solum hoc, procul dubio solidissimis fornicibus incumbens, *pavimento* poterat stratum esse, super quo *porticus* magnificae et spatiosae utrinque exstabant, pro recipiendo populo, qui praesertim festis diebus eo confluebat." וְרִצְפָּה *Et pavimentum*, ut Vulgatus vertit, Vs. 18. 42, 3. collato Syriaco רְצַף *spissavit*, *densavit*, unde רְצִיפוּתָא *spissitudo*, *densitas*, *stratura*. Jarchi, postquam vulgo receptam nominis hebraei interpretationem vocabulo gallico *plancher* attulisset, addit, ex sua sententia רִצְפָּה notare *tabulatum* s. *structuram altiorem*, ad quem ascenditur, super qua cubicula *(chambres)* fuerint. LXX περιστύλια verterunt. Chaldaeus vocem hebraeam retinuit. עָשׂוּי לַחֲצֵר Ita *factum* erat *atrio*, cf. 41, 13. 19. 46, 23. שְׁלֹשִׁים לִשְׁכוֹת *Triginta* videlicet *conclavia* erant, „septem utrinque ad portam versus septentrionem et meridiem, et octo utrinque versus occidentem, duodecim cubitis invicem distantes, ita quidem, ut semper inter duas columnas conclave unum consisteret, una quoque, sed spatiosa fenestra, illuminandum, quomodo in ipso statim atrio potuerunt numerari," ut Sturmius ait

pag. 75. אֶל־הָרִצְפָּה *Supra pavimentum* exstructae, nam אֶל pro עַל, ut saepe alias apud Nostrum, et h. l. positum esse, monet Kimchi.

18. וְהָרִצְפָּה אֶל־כֶּתֶף הַשְּׁעָרִים *Et pavimentum ad latus portarum* erat, vel attingebat, ut supplet Sturm. p. 79. Jarchi vero, qui, ut vidimus ad Vs. praecedentem, רִצְפָּה *tabulatum* interpretatur, ad haec verba notat: „altitudo portarum atrii distinguebat tabulatum, ita ut illud (tabulatum) non circumdaret totum atrium undique, eratque illud (tabulatum) ad latera portae utrinque e regione altitudinis portarum.“ לְעֻמַּת *Juxta*, Exod. 38, 18. 2 Sam. 16, 13. אֹרֶךְ הַשְּׁעָרִים, vid. Vs. 11. 15. הָרִצְפָּה הַתַּחְתּוֹנָה *Pavimentum inferius*, vid. not. ad Vs. 17. et cf. 41, 7.

19. וַיָּמָד רֹחַב *Postea mensus est latitudinem* totius aedificii circa atrium Israelitarum, Vs. 17. LXX: *καὶ διεμέτρησε τὸ πλάτος τῆς αὐλῆς.* מִלִּפְנֵי הַשַּׁעַר הַתַּחְתּוֹנָה *A coram*, i. e. ante (ut 1 Reg. 8, 54. Esr. 10, 6.) *portam inferiorem.* Vulgatus: *a facie portae inferioris usque ad frontem atrii inferioris.* Incipiebat igitur mensurando, ubi porta *exterior* (ita LXX: *ἀπὸ τοῦ αἰθρίου τῆς πύλης τῆς ἐξωτέρας*), sive, ob depressiorem situm, *inferior*, intra vestibulum, aut portae aedificium finitur, *Sturm.* p. 76. „*Inferiorem* januam vocat priorem januam interioris atrii, nam ab ea per gradus in atrium interius erat adscensus, quo fit, ut dicatur *inferior.* Hinc apparet, quod postea docetur de gradibus (Vs. 22.), eos non esse extra muri sui crassitudinem, alioqui non posset *inferior* diei janua, si esset supra gradus collocata. Deinde ipsi interiorum atriorum gradus partem occuparent longitudinis exteriorum atriorum.“ Castellio. In הַתַּחְתּוֹנָה *He* est *paragogicum*, adeoque nomen masculini generis, et accentus est *Milel*, ut ad marginem notatur, id est, in penultima. לִפְנֵי הֶחָצֵר הַפְּנִימִי *Ante atrium interius* s. sacerdotum (Vs. 15. 23. 1 Reg. 6, 36.), uti 2 Paral. 4, 9. dicitur. מִחוּץ *Ab extra* s. *extrinsecus* 46, 2., i. e. ad exteriorem parietem aedificii, quod interius atrium cingebat; nam in illud aedificium nondum introductus est vates. מֵאָה אַמָּה *Centum cubitos*, ut Vs. 23. 27. 47. הַקָּדִים וְהַצָּפוֹן *Ad orientem et ad aquilonem*, uti Vulgatus vertit, adeoque metiendo omnes plagas ab occidente ad orientem (Vs. 10.), et a meridie ad septentrionem (Vs. 20.), aedificium fuit centum cubitos longum, et atrium exacte quadratum.

20. וְהַשַּׁעַר אֲשֶׁר פָּנָיו *Portam quoque*, *quae respiciebat*, ut Vs. 6. 22. דֶּרֶךְ הַצָּפוֹן *Septentrionem versus*, Vs. 10. 24. 27. לֶחָצֵר הַחִיצוֹנָה *Atrii* scil. *exterioris*, vid. Vs. 17. אָרְכּוֹ וְרָחְבּוֹ Eadem videlicet mensura, qua mensus erat portam orientalem, Vs. 6. sqq. „Portam interioris atrii septentrionalis, quae foras ad exterius atrium septentrionale spectabat, eadem ratione metatus est, qua portam exterioris atrii orientalis, quam modo descripsit, et porro septentrionalis, cujus simul mentionem fecit.“ Castellio.

21. וְתָאֶיהָ *Ita etiam thalami ejus*, vid. Vs. 7. 10. מִפֹּה *Utrinque* tres fuerunt, vid. Vs. 10. וְאֵילָיו *Et columnarum ejus*, vid. Vs. 9. 16. וְאֻלָמָיו חָזֶה *Et vestibulorum* mensura *fuit*, Vs. 16. 22. 24. 26. הַשַּׁעַר הָרִאשׁוֹן *Portae prioris*, i. e. orientalis, Vs. 6. seqq.; cf. etiam Vs. 22.

22. וְחַלּוֹנָיו Vid. Vs. 16. וְאֵילָמָיו Vs. 16. 21. אֲשֶׁר פָּנָיו Vs. 6. 20. דֶּרֶךְ הַקָּדִים Vs. 6. 20. וּבְמַעֲלוֹת שֶׁבַע *Et per septem gradus* ascendebant in portam, cf. Vs. 6. 26. 31. et not. ad Vs. 19. וְאֵילָמָיו *Et vestibula* s. porticus *ejus*, Vs. 21. לִפְנֵיהֶם hic et infra Vs. 26. C. B. Michaelis in Dissertat. *de locorum differentia ratione anticae, posticae*, cet. in *Sylloge Commentatt. theologg.* a Pottio ed. Vol. VI. p. 132. negat recte transferri *ante eos* scil. gradus, s. ut alii volunt, *ante illas* portas. „Nam porticus," inquit, „portarum atrii exterioris non fuerunt extus, sive ante illarum ingressum, sed post emensos jam peribolo exterioris atrii quinquaginta cubitos Vs. 15., ac adeo medio demum intervallo inter peribolum exterioris et porticum interioris atrii, coll. Vs. 19. 21. Idem confirmat symmetria portae primae, seu orientalis atrii ejusdem, utpote de qua Vs. 9. disertis dicitur verbis: וְאֻלָם הַשַּׁעַר מֵהַבַּיִת *porticus portae illius* erat *intus*. Igitur nec ea vis exigit, ut in duobus Commatibus 22. et 26. vocem לִפְנֵיהֶם non exponamus *corum facie illorum*, seu *ante illos*, sed potius *ad partem eorum interiorem*, hoc est, secundum LXX Graecos ἔσωθεν, et Vulgatum Latinum *intrinsecus*; derivantes eam non ab absoluto פָּנִים *facies*, sed a פְּנִים *interior pars*, a quo, uti מִתַּי a מְתַיִם, ita in regimine פְּנֵי dici potuit."

23. וְשַׁעַר *Porta etiam* similis erat. לְחָצֵר הַפְּנִימִי *Ad interius atrium*, Vs. 19. 27. נֶגֶד הַשַּׁעַר בַּצָּפוֹן וְבַקָּדִים *E regione*, ex opposito (Vs. 13.) *portae versus septentrionem et versus orientem*, Vs. 6. 20. מֵאָה בָאַמָּה Ut etiam hic quadratum esset atrium.

24. וַיּוֹלְכֵנִי *Postea duxit me*, ut 43, 1. 47, 6. דֶּרֶךְ הַדָּרוֹם *Viam* s. versus *austrum*, Vs. 20. 22. כַּמִּדּוֹת הָאֵלֶּה *Secundum easdem mensuras* orientalis et aquilonaris portae, cf. Vs. 21. 28.

25. וְחַלּוֹנִים לוֹ *Fenestrae* quoque *portae* erant, Vs. 16. 22. כְּהַחַלּוֹנוֹת הָאֵלֶּה *Sicut illae fenestrae* portae orientalis Vs. 16. et septentrionalis Vs. 22. חֲמִשִּׁים אַמָּה Vid. Vs. 15. 21. חָמֵשׁ וְעֶשְׂרִים אַמָּה Vid. Vs. 13. 21.

26. וּמַעֲלוֹת שִׁבְעָה *Gradus etiam septem*, ut Vs. 22. עוֹלֹתָיו *Adscensus* s. *adscensibus ejus* erant, cf. 1 Reg. 10, 5. וְאֵילָמָיו *Et vestibula* s. porticus *cujusque* portae, liberis columnis factae, Vs. 21. וְתִמֹרִים לוֹ *Et palmae* caelatae *ipsi* erant, Vs. 16. אֶל־אֵילָיו *Ad projecturas ejus*, vid. Vs. 9. 10. 31.

27. וְשַׁעַר לֶחָצֵר הַפְּנִימִי *Porta quoque erat atrio interiori*, Vs. 23. 32. 44., opposita portae australi exterioris atrii, Vs. 24.

דֶּרֶךְ הַדָּרוֹם *Meridiem versus*, Vs. 24. 28. מֵאָת אַמּוֹת Ut etiam hic quadratum esset atrium, sicut ad portam orientalem, Vs. 19., et septentrionalem, Vs. 23.

28. Postquam eadem mensura mensus esset et absolvisset exteriorem portam *orientalem* (Vs. 6. sqq.), *septentrionalem* (Vs. 20. sqq.), et *meridionalem* (Vs. 24. sqq.), cum atriis earum, וַיְבִיאֵנִי אֶל־חָצֵר הַפְּנִימִי, *tum porro deduxit me ad* ipsum *interius atrium*, Vs. 19. 23. 27. בְּשַׁעַר הַדָּרוֹם *Per* interiorem *portam australem*, Vs. 27. וַיָּמָד וגו׳ *Ubi mensus est* interiorem *illam portam australem secundum easdem mensuras* exteriorum portarum, cf. Vs. 21. 24. 29. et *Sturmium* p. 79.

29. וְאֻלָמֶיהָ Vid. Vs. 7. 10. 21. וְאֵלָיו Vs. 9. 14. 33. וְאֵלַמֶּיהָ Vs. 21. 26. כַּמִּדּוֹת הָאֵלֶּה *Sicut supra*, ut Vulgatus vertit, vid. Vs. 24. 28. וְחַלֹּנוֹת לוֹ Vs. 16. 33. 36. חֲמִשִּׁים אַמָּה אֹרֶךְ Vid. Vs. 15. וְרֹחַב וגו׳ Vid. Vs. 13. 21. 25.

30. וְאֻלָמוֹת *Item vestibula* s. *porticus*, Vs. 16. אֹרֶךְ וגו׳ *Quorum longitudo erat viginti quinque cubitorum*, juxta portae latitudinem, Vs. 29. וְרֹחַב *Latitudo vero*, a pariete ad extimam columnam versus exterius atrium erat *quinque cubitorum*.

31. אֶל־חָצֵר הַחִיצוֹנָה *Ad atrium exterius* (Vs. 17.), nam in interiori atrio huic portae vestibulum non fuit, ut portae quidem exteriori, Vs. 8. וּמַעֲלוֹת שְׁמוֹנָה *Octo autem gradus*, quum exterioribus portis *septem* tantum essent, Vs. 22. 26. מַעֲלָיו Erant *adscensus ejus*, Vs. 34. 37., cf. 1 Sam. 9. 11.

32. Quumque australem istam portam absolvisset, וַיְבִיאֵנִי *deduxit me*, Vs. 17. 28. 35. דֶּרֶךְ הַקָּדִים *Viâ orientis*, i. e. orientem versus, ad orientalem portam interioris atrii. Non eundem ordinem sequitur in dimetiendis interioribus portis, quem tenuerat in exterioribus: ibi enim orientalem portam primum ingressus (Vs. 6.), ad dextram deinde divertit aquilonem versus (Vs. 20.), ac tandem ad portam meridianam (Vs. 24.). In portis vero interioribus eam primum dimensus est, quae omnium proxima erat ei, quae ultimo loco definita erat in via australi; at quoniam per atrium exterius ducebatur, ut eadem ratione posset interiores portas metiri ab exterioribus ad interiora, eam portam secundo loco metitur, quae illi primum occurrit, nempe orientalem. כַּמִּדּוֹת הָאֵלֶּה *Secundum easdem mensuras*, Vs. 28. sqq. descriptas.

34. וְאֻלָמָיו לֶחָצֵר הַחִיצוֹנָה *Porticus quoque suae* portae huic erant *versus atrium exterius*, Vs. 31. וְתֹמָרִים Vs. 16. 26. וּשְׁמֹנָה מַעֲלוֹת מַעֲלָיו Ut Vs. 31. 37.

35. אֶל־שַׁעַר הַצָּפוֹן *Ad portam septentrionalem*, interiorem puta (ut 8, 3.), nam de exteriore dixerat Vs. 20. seqq. כַּמִּדּוֹת הָאֵלֶּה *Juxta mensuras superiores*, ut Vulgatus vertit, Vs. 24. 28. 31.

37. וְאֵילָיו *Projecturas autem ejus* (Vs. 9.), vestibulum facientes, coll. Vs. 31. et 34.

38. וְלִשְׁכָּה וּפִתְחָהּ בְּאֵילִים הַשְּׁעָרִים *Insuper* inferius *conclave* s. cellarium (vid. Vs. 17.) erat, *cujus ostium inter columnas*, inter columnas videlicet *portarum*, praecedens nomen absolutum repetendum in constructo, ut Vs. 15. Jud. 18, 14. Hos. 14, 3. JARCHI. „Juxta portam aquilonarem in atrio Israelitarum erat conclave cujus ostium erat in lateribus portarum; nam voce אֵילִים subinde *latera portae* significantur.“ Vulgatus nomen לִשְׁכָּה distributive in plurali capit, vertit enim ita: *et per singula gazophylacia ostium in frontibus portarum*, i. e. ostia singula gazophylaciorum erant inter *frontes*, vel semicolumnas *portarum*, quae postea portae et universi atrii exornabant. שָׁם יָדִיחוּ אֶת־הָעוֹלָה *Ibi lavabunt holocaustum*, quod ex praescripto Levit. 1, 11. ad latus altaris septentrionale lavandum erat. „Uti undique in substructione *fenestrae* erant, *cellaria* illustrantes (cf. not. ad Vs. 7. 16. 17.), ita duae proximae earum juxta vestibulum mutatae erant in ostia; ut extrinsecus statim ex atriis accessus ad duo cellaria pateret, pro lavandis aut recondendis holocaustis. Haec vero videntur tantum ad portam meridionalem et septentrionalem fuisse.“ STURMIUS in *Sciagr.* p. 79.

39. וּבְאוּלָם הַשַּׁעַר *At in vestibulo portae*, Vs. 7. 40. supra substructionem, intra binas projecturas laterales, *Sturm.* p. 79. שְׁנַיִם שֻׁלְחָנוֹת *Duae mensae* positae erant, et aliae insuper ad utrumque ostii latus, Vs. 40. sqq. מִפֹּה — מִפֹּה *Hinc et illinc*, s. utrinque, ut Vs. 10. 34. 37. וְהַחַטָּאת *Et victimas pro peccato*, vid. Levit. 4, 3. וְהָאָשָׁם *Et sacrificia pro reatu* s. *delicto*, Levit. 5, 19. 7, 1. et cf. infra 42, 14. 44, 29.

40. וְאֶל־הַכָּתֵף *Insuper ad latus*, Vs. 18. 41. 44., ostii nempe, sive portae. מְחוּצָה *Foris*, *exterius*, Vs. 44. לָעוֹלֶה *Ascendenti*, si quis ascendat. Alii: *ad adscensum*, collato feminino supra Vs. 26. לָפֶתַח *Ostii*, vel, *ad ostium*, s. *aperturam*, Vs. 11. הַשַּׁעַר הַצָּפוֹנָה *Portae versus septentrionem*, Vs. 35. 44. וְאֶל־הַכָּתֵף הָאַחֶרֶת *Sic etiam ad alterum latus*, eodem loco. אֲשֶׁר לָאוּלָם Vs. 39.

41. אַרְבָּעָה שֻׁלְחָנוֹת *Quatuor* ergo *mensae* erant *hinc*, *et quatuor isthinc ad latus portae.* שְׁמוֹנָה שֻׁלְחָנוֹת Sive *octo* in unum numerum collectae *mensae*, quatuor in vestibulo, Vs. 39., et quatuor ad latus portae, Vs. 40. אֲלֵיהֶם יִשְׁחֲטוּ *Super quas immolabant*, ut Vulgatus vertit, cf. Vs. 39.

42. אַבְנֵי גָזִית Erant *lapides* s. *lapidibus* caesionis, i. e. caesi et politi, ab Aramaeo גְּזָה, quod convenit cum Hebraeo גָּדַע, *amputavit*, *dolavit*. אֲלֵיהֶם *Super istas* scil. mactarent. Alia ejusmodi ellipsis Vs. 43. וְנִיחוּ *Et* deinde *reponerent*, 42, 14. Num. 17, 19.

43. Pro וְהַשְּׂפָתַיִם Vulgatus, Aquilam et Theodotionem sequutus, posuit *labia earum* (mensarum), quasi cum *Sin* וְהַשְּׂפָתַיִם legissent. Chaldaeus עוּנְקְלִין, *uncinos*, vertit, unde JARCHI: „Uncini ferrei fixi erant in columnis brevibus, quae erant in domo laniorum in aquilonari latere, ad suspendendum et excoriandum in eis sacras hostias" *Uncinorum* significatio tamen minime congruit altero loco, quo hoc nomen occurrit, Ps. 48, 14., quo plures interpretes *chytropodes*, s. *lapides focarios* intelligunt, quos et h. l. quidam aptos esse existimant, vid. not. ad laudat. Psalmor. loc., ubi nos voce hebraica *terminos* indicari conjecimus, a שָׂפַת, *posuit*. A qua quidem sententia non multum abhorret eorum interpretum opinio, qui h. l. *limbos*, s. *duo asseres* intelligunt, ad dextram et sinistram mensarum oram prominentes, qui victimas, dum excoriarentur, a lapsu prohiberent. טֹפַח אֶחָד *Palmi unius*, i. e. mensurae quatuor digitorum, ut inde patet, quod crassities maris aenei, quae 1 Reg. 7, 26. 2 Paral. 4, 5. טֹפַח dicitur, Jer. 52, 21. אַרְבַּע אֶצְבָּעוֹת *quatuor digitorum* definitur. Cf. MICHAELIS *Supplemm.* p. 1019. מוּכָנִים *Firmati*, aptati, Particip. formae Hophal a כּוּן, vid. Jes. 16, 5. 30, 33. Proverb. 21, 31. בַּבַּיִת *Introrsum*, sive, ut recte Vulgatus, *reflexa intrinsecus*, ut oppositum הַחוּץ vel מִחוּץ *foris* vel *exterius* significat, Vs. 40. 44. וְאֶל־הַשֻּׁלְחָנוֹת *Ut super mensas*, reponerent victimarum carnes, cf. Vs. 39. 41. 42. בְּשַׂר הַקָּרְבָּן *Carnem oblationis*, vid. Levit. 1, 2. sqq.

44. וּמִחוּצָה לַשַּׁעַר הַפְּנִימִי *Porro extra portam* septentrionalem (Vs. 35.), *interiorem*. לִשְׁכוֹת שָׁרִים *Cellaria* erant *cantorum*, 2 Sam. 19, 36. 2 Paralip. 9, 11. Chaldaeus reddidit לְוָאֵי *Levitae*, Syrus *magnates*, quasi שָׂרִים *principes* legisset. Sed pro שָׂרִים vix dubium est legendum esse שְׁתַּיִם, quod LXX per *δύο* expresserunt. Non poterant haec cubicula esse cantorum, siquidem mox Vs. 45. 46. assignantur sacerdotibus illis, qui ad templum excubias agebant, et illis qui altari ministrabant. Sed videtur omnino hic Versus in mendo cubare, atque e versione Graeca Alexandrina emendandus. Nam quod sequitur, אֲשֶׁר אֶל־כֶּתֶף שַׁעַר הַצָּפוֹן *quod erat ad latus portae aquilonaris*, vix recte se habet. *Atrium* enim, ad quod אֲשֶׁר referendum, non erat *in latere portae*, sed *ante eam*. Pro אֲשֶׁר legendum אַחַת scil. לִשְׁכָה, *μία* (*ἐξέδρα*), ut LXX vertunt, ut illud prius אַחַת respondeat posteriori אֶחָד, cui similiter adjungitur אֶל־כֶּתֶף. Verum pro אֶחָד patet אַחַת legendum, ad nomen femininum לִשְׁכָה pertinens. Sequitur: שַׁעַר הַקָּדִים (ad latus) *portae orientalis*. Pro eo LXX: *πύλης τῆς πρὸς Νότον*, *portae meridionalis*. Legebant הַדָּרוֹם, *meridiei*, ut sane legendum. Nam הַקָּדִים *orientis* non est oppositum *aquiloni*, הַצָּפוֹן, quod praecessit. Unum eorum cubiculorum situm erat ad partem aedificii aquilonarem, et apertum erat ad meridiem, alterum ad partem

meridionalem, et apertum ad aquilonem. Ita mox Vss. 45. 46. angeli declarat oratio. Praeterea pro וּפְנֵיהֶם, quod verba דֶּרֶךְ הַדָּרוֹם proxime praecedit, legendum esse וּפָנֶיהָ, docet res ipsa et Versus 45. פְּנֵי דֶּרֶךְ הַצָּפוֹן *Versus viam borealem*, i. e. boream versus spectans, cf. Vs. 20. 46.

45. לַכֹּהֲנִים שֹׁמְרֵי מִשְׁמֶרֶת הַבָּיִת *Sacerdotibus* destinatum est, *qui excubant in custodiis templi*, ut Vulgatus vertit. Sic tabernaculi sacri custodia a Mose Caathitis demandata est, vid. Num. 3, 27. 28. 32. 38. Cf. infra 44, 8. 14. 15.

46. Ad cubiculum, quod aquilonem respicit (Vs. 44.), לַכֹּהֲנִים שֹׁמְרֵי מִשְׁמֶרֶת הַמִּזְבֵּחַ, *sacerdotum erit*, *qui excubant ad ministerium altaris*, ut Vulgatus vertit. Ministerium altaris versabatur praecipue circa ignem sacrum perpetuo alendum, et circa curanda sacrificia, quae quotidie erant offerenda, uti patet ex Levit. 6, 12. 13. הֵמָּה בְנֵי־צָדוֹק *Hi* erunt *filii Zadoki*, ex posteris Pinchasi, cui promissio facta erat de pontificali dignitate, inter ejus posteros perpetuum futura. Fuit quidem aliquamdiu illa dignitas in familia Ithamari, ex qua Eli primus eam nactus est (vid. Josephi *Antt.* L. V. Cap. 12.), sed Zadako, ex posteris Pinehasi (1 Paral. 5, 34.), restituta est a Salomone, vid. 1 Reg. 2, 26. 27. 35. 1 Paral. 29, 22. coll. 1 Sam. 2, 30. seqq., et apud hos permansit usque ad finem Levitici sacerdotii. Conf. infra 43, 19. 44, 15. 48, 11. הַקְּרֵבִים *Appropinquantes* s. *propius accedentes*, 42, 13. 45. 4. Alexandrinus: οἱ ἐγγίζοντες πρὸς *Κύριον*, Hebr. 7, 19. Jacob. 4, 8. לְשָׁרְתוֹ *Ad ministrandum ei*, Num. 1, 50. 18, 2. Deut. 10, 8. 21, 5.

47. וַיָּמָד אֶת־הֶחָצֵר *Porro mensus est atrium* internum, de quo Vs. 19. 32. 44. אֹרֶךְ מֵאָה אַמָּה *Longitudo* ejus erat *centum cubitorum*, ut Vs. 19. 23. 27. מְרֻבָּעַת *Quadratum* enim *erat*, praeter hunc locum infra tantum 45, 2. et 1 Reg. 7, 31. obvium. וְהַמִּזְבֵּחַ *Altare autem* aeneum, de quo 43, 13. sqq. לִפְנֵי הַבָּיִת Erat *ad faciem templi*, in medio atrii, et ante gradus ad templum, vid. *Sturm.* p. 88. sqq.

48. וַיְבִאֵנִי אֶל־אֻלָם הַבַּיִת *Postea introduxit me ad vestibulum* ipsius templi, s. *domus*, in specie sic dictae, ut Vs. 47. 41, 5. 13. etc. אֶל אֻלָם *Projecturam vestibuli*, Vs. 9. Jarchi: „frontem vestibuli, id est, densitatem laterum portae, quae ad orientem respicit, mensuravit ab oriente ad occidentem.“ חָמֵשׁ אַמּוֹת מִפֹּה וּמִפֹּה וגו׳ *Quinque cubitos utrinque.* Videlicet sub vestibulo in fronte ponuntur *duae columnae liberae* (Vs. 49.), procul dubio ad similitudinem columnarum aenearum in templo Salomonis, 1 Reg. 7, 15. 21. Metitur itaque angelus primum utrinque *a poste vestibuli* versus medium *usque ad extremum* s. finem *columnae* liberae, *quinque cubitos*, deinde quoque *spatium inter postem* et *columnam tres cubitos*, unde concluditur spissitudo columnarum duorum cubitorum. Quia vero duos cubitos spissae

fuerunt, ab unius centro ad alterum proveniunt duodecim cubiti, et sic inter illas relinquuntur decem cubiti, juxta altitudinem tum portarum exteriorum (Vs. 10.), tum inferioris templi aperturae, 41, 2. Haec *Sturm.* p. 91. וְרֹחַב הַשַּׁעַר *Et latitudinem portae*, i. e. secundum Sturmium, l. c. *aperturam*, s. *spatium* utrinque inter postem et columnam, uti diximus; cf. Vs. 14.

49. אֹרֶךְ הָאֻלָם עֶשְׂרִים אַמָּה *Longitudo* hujus *vestibuli* ab oriente occidentem versus erat *viginti cubitorum*, ut 1 Reg. 6, 3. וְרֹחַב *Latitudo autem* a meridie ad septentrionem. עַשְׁתֵּי עֶשְׂרֵה אַמָּה *Undecim* (vel, ab initio postis, *decem*) *cubitorum* erat, vid. 1 Reg. 6, 3. Nam, ut ait *Sturm.* p. 91., ab initio postis praecipue latitudo numeranda est. Quia vero basis ejus inferius projicitur undique ad latitudinem cubiti, ita requirente architectura, hinc in solo exterius adjicitur cubitus, qui etiam ad *scalas*, quarum juxta statim mentio fit, referri potest. וּבַמַּעֲלוֹת *Et gradibus* s. *scalis*, quales supra Vs. 22. 26. ad exterius atrium *septem*, ad interius vero *octo*, Vs. 31. 34. 37. Verba אֲשֶׁר יַעֲלוּ אֲלֵיהֶן vulgo sic reddunt: *quibus* (subaudito ב, ut 1 Reg. 11, 27.) *ascendebant ad eam* portam templi, s. *ad ipsam* domum, Vs. 48. Sed notavit jam HIERONYMUS: „Illud autem, quod sequitur, *et octo gradibus ascendebatur ad eam*, id est, ad portam interiorem, scientibus Hebraeam linguam facit magnam difficultatem. Denique Symmachus, quem in hoc loco sequuti sumus, *octo gradus* posuit, Septuaginta *decem*, Theodotio et Aquilae secunda editio *undecim*, prima autem nullum numerum posuit, sed absolute ait: *et gradibus in quibus ascendebatur ad eam*, ut vel juxta consuetudinem priorum portarum *octo* intelligamus gradus, sicut intellexit et Symmachus, vel certe quos habebat porta interior, quorum numerum Scriptura non dicit.“ Verum pro אֲשֶׁר omnino legendum עֶשֶׂר *decem*, ut legit Graecus Alexandrinus, qui recte habet: *καὶ ἐπὶ δέκα ἀναβαθμῶν ἀνέβαινον.* Nam sententia aliter non constat. Nec verisimile est, vatem in hac omnium partium tam accurata descriptione graduum numerum non indicasse, quem supra Vss. 22. 26. 31. 34. 37. indicavit. וְעַמֻּדִים אֵל־הָאֵילִים *Columnae* autem duae (uti dictum ad Vs. 48.) *ad projecturas* erant, Vs. 9. 48. מִפֹּה — מִפֹּה *Utrinque* (Vs. 10. 12.), ut in templo Salomonis, 1 Reg. 7, 21. 2 Paral. 3, 10., quae scalas quasi munirent, aut continerent.

CAP. 41.

Argumentum.

Ad Templum ipsum adductus vates ejus partes, ornamenta, mensuras, instrumenta percenset; et primo quidem *ostium* Templi (Vs. 1 — 4.), deinde *parietem* ejus cum substructionibus, cubiculis etc. (Vs. 5 — 21.), tum *altare* (Vs. 22.), postea *valvas* Templi et Sancti (Vs. 23 — 25.), denique *fenestras* et *palmas* (Vs. 26.) describit.

1. הֵיכָל, observante MICHAELE in *Supplemm.* p. 527., ab arab. هيكل, *magnus fuit*, proprie dicebatur *Sanctum* cum templi, tum tabernaculi, capacius illud, adytoque oppositum 1 Reg. 6, 5. 17., 7, 50., tum, per metonymiam partis pro toto, templum omne. Hoc loco (ut Vs. 4. 20. 21.) templum ipsum in specie sic dictum designari, docet res ipsa, cf. not. ad 40, 48. אֱת־ אֵילִים *Crepidines* portae templi, cf. 40, 9. 48. שֵׁשׁ־אַמּוֹת *Sex cubitos* utrinque distantes; vel latos (secundum *Sturmium* p. 91.) inferius ad basin *sex cubitos*, supra autem *quatuor* cubitos. Quid vero postremis hujus Versus verbis, רֹחַב הָאֹהֶל, significetur, difficile dictu est, quum nomem אֹהֶל, quod alias *tentorium* significare constat, hoc loco aliam notionem, architecturae propriam, obtinere necesse sit, quam nos ignoramus. Veteres, qui usitatam nominis illius significationem reddunt, nihil lucis afferunt. Neque Hieronymus in Commentario quicquam habet, quod ad hujus vocabuli explanationem faciat. Jarchi *latitudinem tentorii* exponit latitudinem vestibuli, quae est, inquit, in latitudine ipsius vestibuli et in longitudine templi. (רחב האולם שהוא ברחבו של אולם ובאורכו של היכל). „Quae verba," ait Villalpandus, „difficili plane ratione, et quae Oedipum potius, quam interpretem exposcant, nihil aliud significare putanda sunt, quam quod latitudo postium et superliminaris recta ab Oriente dimensa fuerit versus Occidentem: sic enim vestibuli latitudo extenditur, et porticus templi, et ipsius templi longitudo." Ipse Villalpandus vocem אֹהֶל, quam proprie *omne*, *quod superne expanditur*, significare dicit, hoc loco transferri ad significandum superliminare portae templi arbitratur, quod quum planum fuisset, atque extensae cortinae persimile, obumbraret ac protegeret januam desuper, ut sensus sit, postes singulos, superliminare sustinentes,

latitudine fuisse cubiti unius, quanta nimirum erat desuper extenti superliminaris latitudo. Castellio אֹהֶל vertit *operimentum*, i. e. summam partem, quae cetera operiebat, ut Exod. 26, 14. Ps. 132, 3. Alii *latitudinem tentorii* hic exponunt *latitudinem tabernaculi*, quod lege imperatum, et a Mose curatum fuit, juxta quam latitudinem hic postes seu limina mensurata fuisse dicuntur. Ita HAFENREFFER, p. 37. „*Porta* hujus *mediae partis*, quae ex vestibulo in ipsam domum deducit, est *decem cubitorum*, si lumen, vel aperturam, intelligas: sin antepagmenta quoque et postes comprehendas, frontes hinc et inde sex cubitorum crunt, hoc est, cubitorum duodecim (nam et haec porta *δίθυρος* est), latitudinis nimirum tantae, quantae esse debuit tabernaculum. Porta igitur hujus Templi totam latitudinem aequavit tabernaculi. Ex historia namque Exodi patet, tabernaculum habere debuisse in latitudine *octo* asseres (Exod. 26, 22. 23. 25.), qui singuli fuerunt *sesquicubitales* (ibid. Vs. 16.). Et sic octo asseres aequarunt *cubitos duodecim*, eandem ipsam mensuram, quam habet porta templi visionis.“ GESENIUS in *Lexico* hoc loco nomine אֹהֶל templum significare existimat, quod illud in locum veteris illius Tabernaculi sacri cessisset. Sed templum uno codemque Versu duplici appellatione, et הֵיכָל et אֹהֶל nuncupari, vix nobis persuademus.

2. וְרֹחַב הַפֶּתַח *Latitudo autem aperturae*, s. *ostii*, quod inter postes manet inane. „Illud silentio minime praetercundum est, quod quum hanc portam et interiorem Sanctuarii saepius nominet, eis numquam nomen indidit שַׁעַר, quum contra factum fuisse videamus in reliquis atriorum portis. Cujus rei causam non aliam licet assignare, quam quod vox פֶּתַח *ostium*, quod in muro ingredientium commodis aperitur, et lumini excipiendo, significat; שַׁעַר vero omnia ea aedificia indicat, quae ad portae dignitatem, munitionem, ornamentum solent circa portam exstrui. Ex quo fit, ut, quum portae atriorum ad pompam et munitionem templi fuissent exstructae, eae שַׁעַר appellentur, quarum ostia quum dimetienda fuerunt, פֶּתַח הַשַּׁעַר dicerentur [vid. 40, 11.]; at in portis his Sanctuarii, quae ad usum tantummodo aperiuntur, quaeque, quamvis propriis sint exornata membris, nulla habent desuper ad portae pompam aedificia, quinimo ipsa ostia sub contignatione aperiuntur, ideo פֶּתַח de iis usurpatur.“ VILLALPANDUS. עֶשֶׂר אַמּוֹת *Decem* erat *cubitorum*, sicut fuerat etiam in atrio exteriori, 40, 11., et in templo Salomonis, 1 Reg. 6, 3., unde supponit *Sturmius* p. 91., altam fuisse januam *viginti* cubitos. Qua in re consentit cum Villalpando, qui, „hujus ostii,“ inquit, „*latitudo* dimensa est, *altitudo* non item; id quod non casu, aut temere factum esse arbitror, neque quod minus videretur necessaria ad aedificii rationem plene percipiendam; sed quod facili conjectura ea ex dictis posset colligi fuisse cubitorum *viginti*, dupla proportione, quam in aliis portis ostendimus ob-

servatam fuisse. וְכִתְפוֹת הַפֶּתַח *Humeri* vero, s. *latera ostii*, i. e. quae utrinque restabant partes parietis, cf. Vs. 26. 40, 18. 41. 44. Sicut enim pectus, ait Villalpandus, aut cervicem in medio constitutam humeri circumstant, ita portam in medio apertam circumdant partes illae parietis a lateribus portae relicti. חָמֵשׁ אַמּוֹת וגו׳ *Quinque cubitos utrinque*, ut adeo tota latitudo, uti mox audiemus, esset viginti cubitorum, quae etiam erat longitudo vestibuli, 40, 49. Jarchi: „*Latitudo* templi erat *viginti* cubitorum, et *latitudo portae decem;* remanent igitur latera ejus utrinque *quinque* cubitorum.“ וַיָּמָד אָרְכּוֹ *Deinde mensus est longitudinem ejus*, scil. templi, in specie sic dicti, suffixum enim ad הֵיכָל Vs. 1. est referendum. אַרְבָּעִים אַמָּה *Quadraginta cubitos*, ut in templo Salomonis, 1 Reg. 6, 17., unde concludimus, etiam *altitudinem* parietis undique fuisse *triginta* cubitorum, ut 1 Reg. 6, 2.

3. וּבָא לִפְנִימָה *Mox venit introrsum* (40, 16. 2 Paral. 29, 16.), ad adytum. Jarchi: „Id est, ad parietem dividentem inter templum et Sanctum Sanctorum.“ LXX: εἰς τὴν αὐλὴν τὴν ἐσωτέραν. אֵיל־הַפֶּתַח *Crepidinem ostii*, Vs. 1. 40, 9. Vulgatus: *in fronte portae.* שְׁתַּיִם אַמּוֹת *Duobus cubitis* spissos. וְהַפֶּתַח שֵׁשׁ אַמּוֹת *Ostium vero*, s. apertura *sex cubitorum* erat in latitudinem *(im Lichten)*. וְרֹחַב הַפֶּתַח שֶׁבַע אַמּוֹת *Latitudo vero ostii*, connumerata videlicet utrinque postium latitudine, *septem* erat *cubitorum.* „Sex cubitis patet porta, vel ostium portae Sancti Sanctorum, quibus si addas bis septenos humerorum portae, id est, quanta est pars muri, quae interjacet inter ostium et angulum interiorem domus, omnes simul vicenos complent cubitos, quot cubitos longum est, ac latum interius oraculum, de quo mox sermo futurus est [Vs. 4.].“ Villalpandus.

4. וַיָּמָד אֶת־אָרְכּוֹ *Et mensus est longitudinem ejus*, i. e. intimi ac sanctissimi penetralis, uti patet ex fine hujus Versus. עֶשְׂרִים אַמָּה וגו׳ *Viginti cubitos longum*, *totidemque latum* erat, ut igitur quadratum esset, imo cubicum, adnumeratis pro altitudine viginti cubitis, coll. 1 Reg. 6, 20. אֶל־פְּנֵי הַהֵיכָל Noldius in *Concordantt. Particular.* p. 63. *ante templum* vertit, quomodo אֶל־פְּנֵי et Levit. 16, 2. Num. 17, 8. al. capiendum, et in not. 387. addit: „Syrus: *coram templo.* Alii: *in parte interiori templi* [coll. 1 Reg. 6, 20. לִפְנֵי הַדְּבִיר, *quod ad interiora adyti attinet*]; quod non probo. Nam הֵיכָל hic opponitur *Sancto Sanctorum*, Vs. 21. 23. Et sic notat *Sanctum* templi. Unde *Sancti Sanctorum* longitudo et latitudo non potest dici *e regione templi*, aut ei *intrinseca*, sed *ante*, vel in *parte anteriori templi.* Quemadmodum Jonathan, קֳדָם הֵיכְלָא *ante templum.*“ Recte Hafenreffer (p. 36.): „הֵיכָל, *palatium*, secunda templi pars, quicquid nimirum inter vestibulum et inter Sanctum Sanctorum intermedium est, quae pars sola interdum *Templum*,

interdum Domus appellatur. Hujus partis magnitudo in templo nostro visionis, praecise respondet magnitudini τοῦ הֵיכָל in templo Salomonis. Utrobique enim est longitudine quadraginta, latitudine viginti cubitorum." קֹדֶשׁ הַקָּדָשִׁים *Sanctissimum* penetrale, vid. Exod. 26, 33. 34., quod 1 Reg. 6, 19. דְּבִיר, i. e. *pars postica* appellatur, cf. not. nostr. ad Ps. 28, 2.

5. וַיָּמָד קִיר־הַבַּיִת *Postea mensus est murum* s. *parietem domus*, 1 Reg. 6, 3. שֵׁשׁ אַמּוֹת Qui undique *sex cubitos* crassus fuit. „Hujus parietis unam mensuram tradit, quum triplex facile posset desiderari, longitudinis videlicet, altitudinis et crassitudinis. At quum muri longitudo domus longitudini par sit, haud secus, quam altitudo celsitudini, haec snbintelligenda esse videntur, cum de domus ipsius similibus dimensionibus agendum est, atque haec una mensura, quae traditur, *crassitudini* danda est, *sex cubitorum*." Villalpandus. In iis, quae jam sequuntur, magnam difficultatem creat dictio צֶלַע, quae quid in re architectonica significet, quum sit incertum; bona hujus Capitis pars obscurari atque implicari necesse est. In duas vero potissimum partes discedunt interpretes, aliis *pilas*, *anterides (Strebepfeiler)*, aliis vero *cubicula lateralia* nomen hebraeum explicantibus. Prioris explicationis auctor est Villalpandus, qui, quod templi parieti nihil esset adjunctum, quod illum firmaret, et, ne in latus procumberet, aut ruerct, sustineret, aliquid illi, quasi fulcrum, adstruendum fuisse putat. Pilas igitur illas, quae magnorum operum muris adhibentur, ne ab impositae molis gravitate fatiscant et ruant, Villalpandus צְלָעוֹת, *costas*, Hebraeis dictas fuisse conjicit, quod costarum in modum aedificii latera contineant, ne rimarum hiatu solverentur. Hebraei tamen interpretes, quibus et nos adstipulamur, unanimi consensu *cellas* s. *thalamos laterales* intelligunt, quam sententiam pluribus vindicavit J. H. Coccejus in *Naeder Ondersoek*, p. 761. sqq., et tuetur quoque Sturmius *Sciagraph.* p. 93., qui צֶלַע, *costam*, *latus*, hoc Capite metaphorice pro *cellis ad latus templi*, adhiberi arbitratur, quia ipsae propter plura interstitia sua costas haud inepte repraesentarent. Poterant tamen et ideo צְלָעוֹת, *latera*, appellari, quod extra templum lateribus domus adhaerescebant. Non male Castellio vertit *tabulata*. Talia exstabant quoque in templo Salomonis, vid. 1 Reg. 6, 5. (וַיִּבֶן צְלָעוֹת סָבִיב). Ea descripsit Josephus *Antiquitt.* L. VIII, 3. §. 2. his verbis: *Περιῳκοδόμησε δὲ τὸν ναὸν ἐν κύκλῳ τριάκοντα βραχέσιν οἴκοις, οἳ συνοχή τε τοῦ παντὸς ἔμελλον ἔσεσθαι διὰ πυκνότητα καὶ πλῆθος ἔξωθεν περικείμενοι. Porro aediculas templo per circuitum astruebat triginta, quae extrinsecus circumjectae totum templum propter crebritatem earum et multitudinem erant cohibiturae.* Conf. Hirtii Commentat. *de templo Salomonico* (supra ad 40, 5. laud.) p. 24. sqq. Infimus igitur conclavium lateralium ordo s. ambitus (הַצֶּלַע),

de quo hoc Versu agitur, *quatuor* cubitos latus erat, סָבִיב וגו׳ *undique* circa templum, Vs. 6. 7. 8. 40, 5. 14. 17. „Videlicet circa templum porticus erat, duplici serie pilarum sustentata, et anterius utrinque extensa, secundum totam atrii latitudinem. Intra seriem interiorem circumductus erat murus undique, ita ut undique circa templum *duos cubitos latus*, murum templi spissitudine augeret. Sic templi paries *sex cubitos* latus erat, ut ab initio hujus Versus dictum est. *Pilae* autem proxime cum cingentes muro versus templum ita connectebantur, ut porticus circa templum maneret *quatuor cubitos lata*, et ita murus eam ambiens, ubi pilae erant, *sex*, inter easdem vero *quinque cubitos* crassus esset (Vs. 9.).“ Sturmius in *Sciagr.* p. 92.

6. וְהַצְּלָעוֹת אֶל־צֵלָע אֶל־צֵלָע *Cubicula autem lateralia* quod attinet, *unum cubiculum juxta alterum erat.* שָׁלֹשׁ וּשְׁלֹשִׁים פְּעָמִים Idque *triginta et tribus vicibus*, ad exemplum templi Salomonici, vid. 1 Reg. 6, 4. 5. פְּעָמִים *vices*, ut 1 Reg. 7, 4. 5. „Nempe *bina cubicula inter singulas pilas* collocando, et *inter duas pilas* (in medio occidentem versus, ab invicem quatuor et viginti distantes) *tria* constituendo, ob mediam pilam deficientem quidem commodissime, obtinemus in circuitu templi cubicula lateralia *triginta tria.*“ *Sturmius* p. 93. וּבָאוֹת בַּקִּיר *Quae intrabant in murum* s. *parietem*, quem ad Vs. 5. e *Sturmio* descripsimus. אֲשֶׁר לַבַּיִת לַצְּלָעוֹת *Qui* murus *domui* adstructus erat *pro cubiculis lateralibus.* לִהְיוֹת אֲחוּזִים *Ut* ab illo *essent deprehensae*, sive, *ut essent* eidem *adhaerentes*, cf. 1 Reg. 6, 6. Esth. 1, 6. וְלֹא־יִהְיוּ אֲחוּזִים *Non autem essent adprehensae*, s. *non adhaererent*, aut *cohaererent.* Cf. 1 Reg. 6, 10. בְּקִיר הַבַּיִת *In ipso muro* s. *cum ipso pariete domus.* Quia, ut ad Vs. 5. dictum est, separatae quasi partes illius muri erant: scilicet 1) paries templi, 2) paries eidem pro cubiculis adstructus. Vulgatus hunc locum sic vertit: *et erant eminentia* (בָּאוֹת), *quae ingrederentur per parietem domus, in lateribus per circuitum, ut continerent, et non attingerent parietem templi.* Quae Villalpandus hoc modo exposuit: „Retractiones quasdam fecit in ipsis lateribus domus, in quibus trabes et tabulata cubiculorum domum circumdantium ponerentur, ne opus esset ipsos templi parietes fodere, ut continere possent trabes, quas non debuit templi parietem contingere, nedum illi insistere.“

7. וְרָחֲבָה *Dilatabatur autem* scil. קִיר הַבַּיִת, *paries aedis*, Vs. 6. Tractatur קִיר, nomen generis communis, h. l. ut femininum. Murus ille extrinsecus per singulos septem cubitos altitudinis utrinque *marginem*, *semicubitum latum*, nanciscebatur, atque adeo *superna versus tenuior* reddebatur. In duobus ergo et quadraginta cubitis altitudinis, quae intra porticus erat, undique proveniunt *quinque* supra invicem margines. Hisce trabes imponebantur, singulae una cum tabulato imposito cubitum spissae, ut inter illas sex cubitorum, secundum Vs. 8., spatium relin-

queretur. Quoniam vero infimum spatium *quatuor* cubitos latum erat (quia a centro pilae ad centrum ulterius duodecim cubiti sunt) reliqua subinde cubito latiora fiebant. Haec vero ambulacra, per fenestellas lumen ex porticu recipientia, in conclavia s. gazophylacia (de quibus ad Vs. 5. 6. dictum est), distincta erant. *Sturm.* p. 93. וְנָסַבָּה *Et circumibat*, proprie *circumducebat se*, coll. Num. 35, 4. 5. Jos. 15, 3. 10. Hebraei intelligunt *cochlidem*, s. *scalam cochlearem (eine Wendeltreppe)*, Chaldaeum sequuti, qui וּפוּתְיָא מְסַבְּתָא, *et latitudo cochleae* vertit. לְמַעְלָה לְמַעְלָה *Sursum* s. *superne*, usque ad summam tabulatum. לַצְּלָעוֹת *Pro conclavibus* s. *gazophylaciis*, Vs. 5. 6. כִּי מוּסַב־הַבַּיִת *Nam ambitus domus*, prius nomen est formae מוּסָךְ, *tegmen* (a סָכַךְ), 2 Reg. 16, 18. לְמַעְלָה לְמַעְלָה *Usque ad summum erat.* סָבִיב סָבִיב לַבַּיִת *Undique circa domum*, Vs. 5. 10. Alexandrinus Graecus interpres verba hebraea inde ab initio Versus sic vertit: *καὶ τὸ εὖρος τῆς ἀρωτέρας τῶν πλευρῶν κατὰ τὸ πρόσθεμα ἐκ τοῦ οἴκου, πρὸς τὴν ἀρωτέραν κύκλῳ τοῦ οἴκου.* Vulgatus vero ita: *et platea erat in rotundum, ascendens sursum per cochleam, et in coenaculum templi deferebat per gyrum.* Villalpandus: „Et aditus, vel ostium inferiorum cubiculorum patebat ad cochleam, qua ad media et superiora cubicula ascendebatur; quae quidem cubicula universam propemodum domum circuibant.“ עַל־כֵּן רְחַב־לַבַּיִת לְמַעְלָה *Ideo* major *latitudo domui* s. aedificio hinc erat *superius.* In aliquot codicibus et editionibus legitur רְחַב־הַבַּיִת, sensu eodem. LXX: *ὅπως διαπλατύνηται ἄνωθεν.* Vulgatus: *idcirco latius erat templum in superioribus.* Villalpandus: „Et spatium fiebat majus sursum ascendendo ad cameras, atque adeo cubicula inter costas, sive parastades, latiora erant quo superiora.“ וְכֵן הַתַּחְתּוֹנָה *Et sic quod ad infimum* tabulatum, s. infima gazophylacia, attinet; cf. 40, 18. 42, 5. וַיַּעֲלֶה Ex eo *adscendebat* scil. ascendens, i. e. adscendebatur, scil. per scalas cochleares, quae hic satis perspicue indicantur; coll. 1 Reg. 6, 8., ubi de tribus thalamorum contignationibus, quae templo adstructae erant: וּבְלוּלִים יַעֲלוּ עַל־ הַתִּיכֹנָה *et per cochleas adscendebant in mediam* contignationem, *et inde in tertiam*, supremam. Verbum nostro loco *impersonaliter* ponitur, subaudito Participio *adscendens* (עוֹלֶה), cf. 1 Reg. 22, 18. 2 Reg. 21, 26. Vel subaudiendum est nomen *angeli*, qui vati haec omnia ostendit, ut 40, 6. al. עַל־הָעֶלְיוֹנָה *Ad superius* tabulatum, 42, 5. לַתִּיכוֹנָה Et *ad intermedium*, cf. loc. 1 Reg. 6, 8. modo adductum. LXX: *καὶ ἐκ τῶν κάτωθεν ἀναβαίνωσιν ἐπὶ τὰ ὑπερῷα, καὶ ἐκ τῶν μέσων ἐπὶ τὰ τριώροφα.* Vulgatus: *et sic de inferioribus adscendebatur ad superiora in medium.* Villalpandus: „Adscendebatur enim ad superiora cubicula per media, et ad haec per inferiora.“

8. וְרָאִיתִי גֹּבַהּ בַּיִת *Vidi ergo, aedificio huic* esse justam *altitudinem.* Nam de *latitudine* conclavium s. gazophylaciorum

interna dixerat Vs. 5., et de numero ac modo eorum Vs. 6. 7. מוּסְדוֹת הַיְצָלְעוֹת *Fundamenta gazophylaciorum lateralium*, Vs. 5. 6. 7. Quae in textu scriptae exstant literae, מְיֻסָּדוֹת, *fundata*, sunt efferendae. Similis lectionis varietas Jesaj. 12, 5. (מוּדַעַת et מְיֻדַּעַת, *notum*). מְלוֹ הַקָּנֶה Singula *plenitudine calami*, s. pleno calamo, 40, 5. שֵׁשׁ אַמּוֹת Videlicet *sex cubitorum* erant. Cf. not. ad Vs. 7. אֶצְיְלָה *Usque ad axillam*, quod plerique cum אַמּוֹת ita conjungunt, ut *cubitos* indicari existiment, quorum singuli communibus majores, utpote ad axillam usque, fuissent. Verum recte monet MICHAELIS in *Supplemm.* p. 119., superiorem brachii partem ad axillas, numquam mensuram fuisse, nec esse posse; nulla enim, ut anatomici docent, facilem ac ne quidem certam proportionem ad corpus humanum habet, ut mensurae reliquae, nec, ut inferior pars brachii, rei mensurandae applicari potest. Ipse Michaelis dubitat, nomine אֶצְיְלָה sitne *radix* s. *junctura manus cum brachio*, an vero *junctura manus*, *qua digitis adhaeret*, intelligenda. „*Radicem*," inquit, *manus* si intelligas, אַמָּה אֶצְיְלָה *cubitus usque ad radicem* erit minor cubitus quatuor palmorum; *si manus cum digitis juncturam*, cubitus usque ad phalanges digitorum, vel interiorem manus curvaturam, majorem quinque palmorum cubitum habebis, quem alias (ut supra 40, 5.), אַמָּה וְטֹפַח Ezechiel dicere solet," quod quidem Michaeli verisimilius. STURMIUS *Sciagr.* p. 94. ad structuram aedificii hoc refert, ut dictione *ad axillam usque* exprimantur *margines parietis* ad Vs. 7. descripti; quum enim sustineant trabes gazophylaciorum, *axillarum* nomen aptissime iis convenire. Alii: *ad alam usque*, i. e. pteromata aedificii, ab alarum similitudine sic dicta. Chaldaeus pro אֶצְיְלָה posuit רֻוַח, *spatium*. Ita et Vulgatus, qui integrum Versum sic reddidit: *et vidi in domo altitudinem per circuitum*, *fundata latera ad mensuram sex cubitorum spatio*. Graecus Alexandrinus nomen אֶצְיְלָה plane omisit. VILLALPANDUS nostrum Versum hoc modo explicat: „Vidi interiores costarum retractiones, quibus trabes et tabulata fulciuntur, ipsaeque parastades muniuntur; erantque in universum singulae retractiones altae calamum unum sex cubitorum, et palmi omnes simul cubitos viginti."

9. רֹחַב הַקִּיר אֲשֶׁר־לַיְצָלָע *Latitudo* vero *parietis*, *qui laterali substructioni* et cubiculis s. gazophylaciis ejus erat. אֶל־הַחוּץ *Ad extra* s. *extrinsecus* ea cingens. חָמֵשׁ אַמּוֹת *Quinque* erat *cubitorum*, vid. notata ad Vs. 5. Nam uti ad omnes parietes, ita etiam ad hunc, procul dubio pilae unum prostabant cubitum tribus intra parietem latentibus. Hic igitur adjungendi sunt duo cubiti, ut totus paries *quinque* cubitos spissus evadat, ait *Sturmius* p. 94. וַאֲשֶׁר מֻנַּח *Et quod residuum*, s. *relictum* erat spatium, scil. pro cochlearibus sealis, ex mente *Sturmii* p. 96. sqq. Aliis מֻנָּח (Participium *Hophal* verbi נָנַח,

cujus vero sola forma *Hiphil* et passivum *Hophal* in V. T. occurrit) *residuum*, *relictum locum liberum* et structura *vacuum*, *aream* interpretantur. Ita LXX Vs. sq. (nam hoc Vs. non expresserunt) *ἀπόλοιπα* vertentes, et Chaldaeus, qui אֲתַר שְׁבִיק, *locum derelictum*, liberum, vertit. בֵּית צַלְעוֹת plerique reddunt *pro domo*, aedificio, loco *conclavium lateralium*, Vs. 6. Sed בַּיִת h. l. pro בֵּין ponitur, ut supra 1, 27. (ubi not. cf.); respondet וּבֵין initio Versus sq. Recte LXX *ἀναμέσον τῶν πλευρῶν τοῦ οἴκου*. אֲשֶׁר לַבַּיִת *Quae domui*, i. e. templo adstructa erant, Vs. 5. Vulgatus hunc Versum ita vertit: *et latitudinem* (vidi) *per parietem lateris forinsecus quinque cubitorum; et erat interior domus in lateribus domus.* VILLALPANDUS: „Lapideus paries, qui costas et cubicula claudebat extrinsecus, latus erat cubitos quinque. Totidemque latus erat locus ille inter costas relictus, qui in cubicula deinde tributus secundum longitudinem fuit: qui quidem locus et pro aestuariis fuit, et ut in eo sacra vasa asservanda reponerentur.“

10. וּבֵין הַלְּשָׁכוֹת *Et inter conclavia*, 40, 17. 42, 4. 7. sqq., nempe a pariete templi usque ad exteriorem parietem adstructionis lateralis. רֹחַב עֶשְׂרִים אַמָּה *Latitudo* s. *spatium* erat *viginti cubitorum*, intra quam porticum etiam gazophylacia circa templum erant. HAFENREFFERUS in *Templo Ezechielis* p. 37. coll. p. 17., quae inde a Vs. 5. leguntur, hoc modo informat: „Sicuti Salomonis (1 Reg. 6, 5. 6.), ita quoque hujus visionis templo trium contignationum circuitus, in thalamos distributus, circumjiciendus fuit (צֶלַע s. צְלָעוֹת, *latera*, appellatus, quod extra templum lateribus domus adhaerescebat), ita quidem, ut illius circuitus trabes *incumberent*, non autem *inhaererent* templi muris (Vs. 6.). Incubuerunt igitur istis projecturis, quae ex contracta muri crassitudine enatae sunt, ex altera parte in libero solo erectis columnis, sive trabibus arrectariis. Ambitus ille non unam omnium contignationum habuit latitudinem; angustissima enim erat *infima*, quatuor videlicet cubitorum (Vs. 5.), *media*, cubitorum quinque. *Suprema* autem contignatio latitudinem habuit cubitorum *sex*, hoc est calami unius, Vs. 9. et 10. Ita singulae contignationes superiores proxime inferiorem uno latitudinis cubito superant. Suntque in singulis contignationibus thalami sive conclavia triginta (Vs. 8.). Causa autem diversae istius latitudinis ex fabrica templi Salomonis cognitam habemus. Nam murus templi singularum contignationum altitudine uno cubito ab extra retractus fuit, crassitie diminuta. Qua ratione circumcirca gradum quasi faciens, non tantum trabeationes ambitus commode sustinere potuit, sed ejusdem quoque latitudinem, secundum singulas contignationes, singulis cubitis adauxit. Sic infima contignatio, quatuor cubitorum, media, quinque, tertia, sex cubitorum latitudinem nacta est. [Convenit HIRT, *der Tempel*

Salomons, p. 24., qui hanc fabricam rectae construendi rationi plane consentaneam judicat]. Exterior porro murus, qui circumcirca ambitum claudebat, et aream puram spectabat, fuit cubitorum quinque, Vs. 9. Hanc omnem structuram circumibat *area* pura et vacua [מֻנָּח] *quinque* cubitorum, unde aditus patebat in ascensus contignationum, altera janua versus meridiem, altera versus septentrionem spectante (Vs. 11.)."

11. וּפֶתַח הַצֶּלַע *Quod vero ad ostia attinet substructionis lateralis*, Vs. 5. cf. 1 Reg. 6, 8. לַמֻּנָּח Quae *ad aream* illam vacuam spectabant, vid. Vs. 9. Unum ostium erat דֶּרֶךְ הַצָּפוֹן, *versus septentrionem*, 40, 20. 44. 46.

12. וְהַבִּנְיָן *Porro structura* longius producta, et variis portibus contexta, Vs. 15. 40, 5. 42, 1. 5. 10., praeter quae loca id nomen non occurrit. „Omnis exedrarum templo adjacentium structura, quae parietibus exterioribus clausa, mediis distinguitur parastadis fornicibus apertis, hac voce denominetur. VILLALPANDUS. אֲשֶׁר אֶל־פְּנֵי Quae erat *ante*, Vs. 15. הַגְּזֵרָה *Sepimentum* areae separatum, Vs. 13. 14. 15. 42, 1, 10. 13. Per quod intelligunt alii *structuram gazophylaciorum*, quam *a pariete* domus s. templi *separatum* fuisse ex iis, quae praecesserunt, cognovimus; alii vero, ut Jarchi et Villalpandus, *templum*, quod ab omni alio aedificio sepositum erat nec alteri conjunctum, aut aliqua sui parte connexum. Ita Hieronymus: (et aedificium) *quod erat separatum.* Sed videtur potius separatum areae segmentum, area quadrata, in qua templum stabat, ejusque aula postica, ad occidentem aedis (דֶּרֶךְ־הַיָּם, cf. Vs. 15.) denotari. LXX ἀπόλοιπον reddidere. Syrus גְּזִירְתָּא *abscissum.* Chaldaeus בְּצִוּרְתָּא *praecisum*, s. *munitum.* פְּאַת דֶּרֶךְ הַיָּם *Ad angulum* s. *plagam* (47, 17. sqq.) *mare versus*, i. e. Occidentem, 42, 19.

13. Quam per partes dimensus fuerat domum, nunc in unam summam colligit, eamque longam esse testatur ab oriente in occidentem cubitos centum. Rationem tamen hunc numerum colligendi varii tenent variam, quoniam non omnes superiores partium numeros eodem modo interpretantur. Multus est in recensendis et excutiendis veterum interpretum et Hebraeorum sententiis VILLALPANDUS *Explanat.* T. II. P. II. Cap. 30. sqq. p. 299. sqq., quem adeant harum rerum cupidi. Nobis quidem rectissime observasse videtur HAFENREFFERUS p. 38.: „Eorum, quae Vss. 13—16. dicuntur omnium summa huc redit, quod sicut tertium Atrium totum quadratum fuit, hoc est, centum cubitos longum, totidem cubitos latum; ita Templum quoque, cum Appendicibus et Aulis suis *totum quadratum* fuit, hoc est, centum cubitos longum, centum cubitos latum. Et simili plane ratione Aula postica, *tota quadrata*, centum cubitos longa, centum lata. Adeoque tria quadrata spatia continuo sese consequuntur: *Atrium tertium*, *Templum* cum appendicibus, *Aula postica.*"

15. וַיָּמָד — עַל־אַחֲרִיתָהּ *et mensus est longitudinem aedificii ad facies areae* (cf. Vs. 12.), *quae super* s. *ad posteriorem ejus partem.* Quae verba Vulgatus ita vertit: *et mensus est longitudinem aedificii contra faciem ejus, quod erat separatum ad dorsum,* et Villalpandus hoc modo explicat: „Mensus est interioris atrii quadratam illam aream, quae domum Domini cingebat, vel potius postes, vestibula et porticus, quae triplici ex latere, occidentali, meridiano et aquilonari domui opponebantur.“ De significatione nominis אַחֲרִיתִים, quod hoc loco cum suffixo formae chaldaicae, praeter hunc locum vero quater tantummodo, Vs. 16., et infra 42, 3. bis et 5. occurrit, non constat. LXX h. l. vertunt *ἀπόλοιπα*, Capite autem proximo Vs. 3. 5. *περίστυλον.* Vulgatus hoc Versu et Vs. 16. retinet vocabulum hebraicum, quod *ethecas* expressit, sed Cap. sq. *porticus* vertit. Chaldaeus זְוִיָתְהָא, *angulos ejus*, et sic quoque reliquis locis, Syrus constanter תֵּיכָא, quod Castellus exponit *balaustia aedificiorum*, lorica ex junctis inter se palis; nescio an recte. Jarchius ad 42, 3. fatetur, *se nescire*, *quid hoc significet* (לא ידעתי מה הוא). Et Kimchi, quamvis ipse *conclavia* nomine hebraeo denotari existimet, tamen ad 42, 5. tantis sese difficultatibus impeditum sentit, ut *hanc libri particulam tempore futuro ab Elia explicandam esse* dicat. Villalpandus *postes atrii* exponit, a quo non differre videtur Coccejus, qui e 42, 6., ubi *τοῖς* אֲתִיקִים opponuntur עַמּוּדֵי הַחֲצֵרוֹת, *columnae atriorum*, colligit, indicari genus *columnarum*, aedificiorum parietibus adhaerentium et perruptarum, ut perviae sint, firmantes aedificium. Plura vid. in illius *Lexico Hebr.* p. 551. ed. Maii. Hafenreffero (p. 38.) אֲתִיקִים sunt conclavia et thalami ad utrumque latus muri aulam posticam ambientis. Quae quidem sententia ob 42, 3. et mihi reliquis verisimilior. מְאַת אַמָּה Ut Vs. 13. 14. וְאֻלָמֵי הֶחָצֵר *Et vestibula atrii*, cf. 40, 31. 34.

16. הָאֲטֻמוֹת *Contractae*, intus angustiores, vid. ad 40, 16. וְהָאֲתִיקִים *Et conclavia*, Vs. 15. לִשְׁלֹשְׁתָּם *Tribus illis* erant, 40, 10. Alii: *circa tria illa* erant. Quaerendum quibus? Villalpandus id refert ad postes triplici ex latere templum cingentes, s. ternas atrii porticus, quae templum circumdabant in latere meridionali, occidentali et aquilonari. Cf. etiam 42, 3. 6. נֶגֶד הַסַּף *E regione liminis.* Ita Chaldaeus: *ex adverso liminis.* Alii: *juxta limen.* Vulgatus: *contra uniuscujusque limen.* Villalpandus: „postibus domus respondebant singula limina.“ שְׁחִיף עֵץ *Tectorium* erat *ligni*, s. ligneum. Nominis שְׁחִיף, hoc solo loco occurrentis, notio e contextu patet. Arabice סַחִיף est *tenuis*, ut forsan *tenuitatem ligni* proprie significet. Chaldaeus: *quod limen opertum erat asseribus cedrinis.* Vulgatus: *stratum ligno.* Villalpandus: „Postes domus operiebantur tabulatis cubiculorum in circuitu trium laterum, meridiani, occidentalis et

aquilonaris.“ וְהָאָרֶץ עַד־הַחַלֹּנוֹת *Terra autem usque ad fenestras.* VILLALPANDUS: „Postes, sive antae domui adjacentes, tabulatis operiuntur a terra usque ad fenestras domus, hoc est, usque ad altitudinem viginti quinque cubitorum. Vel: solidus paries erigebatur usque ad fenestras domus, quae super altitudine quinque et viginti cubitorum apericbantur in pariete meridiano et aquilonari.“ וְהַחַלֹּנוֹת מְסֻכוֹת *Fenestrae vero* ligno *obductae erant.* Cf. 1 Reg. 6, 15. VILLALPANDUS: „Fenestrae templi, quae super hujusmodi pariete apcriebantur, ab eodem ita abscondebatur, ut ex atriorum pavimento inferiori videri non possent.“

17. עַל־מַעַל הַפֶּתַח *Super eo*, quod *super ostio* erat. Cf. Vs. 20. וְלַבַּיִת וְלַחוּץ *Et extra*, forinsecus, 42, 7. וּבַחִיצוֹן *Et in exteriori*, sanctuario, 44, 1. 1 Reg. 6, 29. 30. מִדּוֹת *Mensuris* justis, omnia certam suam mensuram habebant. Cf. 40, 24. 28. 42, 15, 43, 13. Sensus videtur hic esse, et *intrinsecus*, id est, in interiori domo Sancti Sanctorum, et *forinsecus*, in exteriori Sancti, omnia operta fuisse tabulis ejusdem mensurae, in quibus insculptae erant Cheruborum imagines, et alia ornamenta, de quibus Vs. 18. sqq.

18. עָשׂוּי כְּרוּבִים *Fabrefactum* quid erat in illis tabulis, videlicet *Cherubi*, cf. Vs. 19. 20. 25. 40, 17. וְתִמֹרִים *Et palmae*, Vs. 20. 40, 16. 31. וְתִמֹרָה בֵּין־כְּרוּב לְכְרוּב *Ita ut palma esset inter Cherubum unum et alterum.* וּשְׁנֵים פָּנִים לַכְּרוּב *Duaeque facies Cherubo* erant, *hominis* et *leonis*, Vs. 19., alias *quatuor*, secundum Cap. 1, 6. 10., quia hic duae tantummodo in plano apparebant. Duae itaque aliae facies concipi debent quasi parieti obversae et ab eo obscuratae.

19. וּפְנֵי אָדָם אֶל־הַתִּמֹרָה מִפֹּה *Facies* nimirum *humana palmam versus erat hinc.* וּפְנֵי כְּפִיר וגו׳ *Et facies leonis illinc*, ad dextram scilicet posita. Latuit igitur hic facies *vitulina* a sinistris, et facies *aquilina* a tergo, vid. 1, 10. עָשׂוּי אֶל־כָּל־הַבַּיִת Ita *factum fuit ad omnem domum*, Vs. 18.

20. עַד־מֵעַל הַפֶּתַח *Usque ad superiorem partem ostii*, Vs. 17. וְקִיר הַהֵיכָל *Sic* etiam in *muro* s. *pariete templi*, Vs. 1. 4. 21. Punctis voci הַהֵיכָל superne impositis veteres librarios notasse, illam in nonnullis codicibus abesse, probavit HÜPEDEN in scripto, cui epigraphe: *Neue wahrscheinliche Muthmassung von der Bedeutung der ausserordentlichen Punkte* etc. Hannov. 1751. in quatern. Sed jam ante illum rem vidit HILLER *de Arcano Kethib et Keri* p. 152. sqq., qui, postquam in universum observasset, illa puncta lectionis notare varietatem, regulam *primam* constituit hanc: *puncta non vocalia, quae singulis in textu literis imponuntur, in codice B absentiam integrae vocis declarant;* regulam vero *secundam* (p. 155.) hanc: *puncta non vocalia, quae uni, aut saltem non omnibus integrae vocis literis imponuntur, earundem literarum in lectione B argunt absentiam,*

et, quae hinc in eadem lectione oritur, vocalium discrepantiam. Ad nostram vero vocem quod attinet, quum in accuratissimis libris, veluti Plantiniano utroque, Bombergiano utroque, Basilecnsi, Athiano, aliis, vocis הַהֵיכָל literis solum quatuor prioribus puncta sint imposita, non vero כָל; Hillerus in aliis codicibus nomen הַהֵיכָל in fine nostri versiculi plane omissum, literam ל autem nomini הַהֵיכָל, ad initium Versus proximi, praefixam existimat. Ut itaque lectio A sit ea, quae hodie in libris omnibus comparet, וְקִיר הַהֵיכָל, *etiam ad parietem templi*, lectio B vero: וְקִיר לְהַהֵיכָל, *etiam in pariete. Templo* erat postis quadratus. In codicibus tamen haud paucis singulis litteris nominis הַהֵיכָל puncta sunt imposita. Sunt etiam codices, a Kennicotto et De-Rossio inspecti, in quibus plane desit nomen illud, seu, uti ait De-Rossi, ex duplici הַהֵיכָל, quod hic occurrit sub finem Vs. 20., et initium 21., unum tantum, sive una vice legatur, ut apud LXX, Vulgatum, Syrum et Arabem. „Nam ex manuscriptis codicibus," pergit De-Rossi, „et interpretibus alii aliter collocant, ac plerique codices sine ulla interpunctione vel distinctione novi Versus 21. orationem continuant, וקיר ההיכל מזוזה. In meo 346. pro ההיכל legitur המראה כמראה [e fine Vs. 21.]. In aliis codicibus puncta priori ההיכל forsan ob codicum dissensionem, vel criticorum de ejus vera lectione suspicionem apposita desunt."

21. הַהֵיכָל מְזוּזַת רְבֻעָה *Quod ad templum attinet, postis*, s. collective *postes* erant *quadratae figurae*, s. quadrati, conf. 1 Reg. 7, 5. וּפְנֵי הַקֹּדֶשׁ *Et quod ad faciem* s. partem anteriorem *Sanctuarii* (Vs. 4. 23.) attinet. הַמַּרְאֶה כְּמַרְאֶה *Adspectus* adyti erat *sicut adspectus* templi, cf. 43, 3. Vulgatus: *et facies Sanctuarii, adspectus contra adspectum.* Quod Villalpandus ita exponit: „Sanctuarii facies et aulae ad eandem spectabant regionem, eadem plane dispositione, eisdem ornamentis, quippe quae simul, et unico intuitu videri possent." Kimchi: „Portae Sancti Sanctorum, quae est facies Sanctuarii, adspectus, quem vidi in liminaribus suis, erat similis illi adspectui, quem vidi in limine templi." Chaldaeus: *adspectus ejus quasi adspectus gloriae ejus*, i. e. qualis apparuit in visione, quae ad flumen Chobar mihi obtigit, 1, 5. sqq.

22. הַמִּזְבֵּחַ *Altare* suffitus, Exod. 30, 1. sqq. Alii intelligunt *mensam* pro panibus propositionis, Exod. 25, 21. sqq. Cf. 1 Reg. 7, 48. עֵץ *Lignum*, i. e. ex ligno erat, et tres cubitos altum, ut statim additur. וּמִקְצֹעֹתָיו לוֹ *Et anguli ejus ipsi* erant, 40, 21. 22. Exod. 26, 23. 24. וְאָרְכּוֹ *Et longitudo*, i. e. basis *ejus*. וַיְדַבֵּר אֵלַי זֶה הַשֻּׁלְחָן *Et* sic, absoluta altaris brevi narratione, *ad mensam* conversus, *loquutus est* et dixit *ad me*, *haec* est *mensa* panum propositionis etc. Alii tamen haec omnia de altari accipiunt, ut nomen *mensae* et *altaris* etiam commutatur Mal. 1, 7. 12.

23. וּשְׁתַּיִם דְּלָתוֹת *Porro duae valvae* erant, Vs. 24. 25. לַהֵיכָל וְלַקֹּדֶשׁ *Templo et Sancto*, Vs. 21. Sancti et adyti ostium unumquodque binis claudebantur foribus. Cf. 1 Reg. 6, 31. 33.

24. וּשְׁתַּיִם דְּלָתוֹת לַדְּלָתוֹת *Duae autem fores* istis *valvis* s. *foribus* erant, i. e. singulae fores duas valvas habebant. שְׁתַּיִם *Duae* scilicet *versatiles*, flexibiles *valvae*. Conf. 1 Reg. 6, 34. Vulgatus: *et in duobus ostiis ex utraque parte bina erant ostiola, quae in se invicem plicabantur.* שְׁתַּיִם שְׁתַּיִם *Duae uni*, et duae quoque *alteri*.

25. וַעֲשׂוּיָה עֲלֵיהֶן *Factum autem erat super illis* aliquid, scilicet Cherubi, ut sequitur, idem loquendi modus supra Vs. 18. אֶל־דַּלְתוֹת Nempe *ad valvas*, Vs. 23. 24. כַּאֲשֶׁר עָשׂוּיִם לַקִּירוֹת *Quemadmodum facti erant parietibus*, vid. Vs. 17. 2 Par. 3, 7. וְעָב עֵץ *At trabs*, vel *trabes ligneae*, 1 Reg. 7, 6, cf. Vs. 26. Sed MICHAELI in *Supplemm.* p. 1815. a עָבַי aut עָבִי *latuit*, est *tectum* columnis impositum, porticum efficiens, fueritque ante columnas τοῦ אוּלָם, aliqua *porticus*. „Quia ipsam *porticum*," addit, „possis a עָבַי *latuit*, dicere, tanquam latibulum." אֶל־פְּנֵי הָאוּלָם *Ante porticum* s. *vestibulum* erant, Vs. 26. Cf. 40, 9. 15. מֵהַחוּץ *Foris* s. *forinsecus*, 40, 19. 40. 44. COCCEJUS: „In muro templi apparebat *trabeatio* supra vestibulum: quippe templum habebat tectum. Tectum autem bene tegebat murum, ideoque *trabes non nihil exstabant.* Et inibi quoque erant, ut in aliis ligneis, eadem ornamenta, quod dicitur Vs. 26. Vulgatus hunc Versum ita reddidit: *Et caelata erant in ipsis ostiis templi Cherubim, et sculpturae palmarum, sicut in parietibus quoque expressae erant: quamobrem et grossiora erant ligna in vestibuli fronte forinsecus.*

26. וְחַלּוֹנִים אֲטֻמוֹת *Fenestrae etiam* intus *angustiores*, Vs. 16. וְתִמֹרִים *Et palmae*, s. *cum palmis*, Vs. 25. מִפֹּה וּמִפֹּה *Hinc et illinc* erant, Vs. 15. אֶל־כִּתְפוֹת הָאוּלָם *In lateribus* s. *ad latera vestibuli*, vid. Vs. 2. 25. 47, 1. COCCEJUS: „h. e., ubicunque erant fenestrae, palmae utrinque adsitae erant inter duos Cherubinos, Vs. 18." וְצַלְעוֹת הַבַּיִת Sic etiam *substructiones laterales*, vel *in substructionibus lateralibus domus*, s. templi, de quibus Vs. 5. sqq. וְהָעֳבִים *et in trabibus* earum, Vs. 25.

CAP. 42.

Argumentum.

Hoc Capite primo describit atrium exterius, et inprimis conclavia sive cubicula pro sacerdotibus (Vs. 1 — 14.), tum primi atrii adeoque totius structurae ambitus (Vs. 15 — 20.).

1. וַיּוֹצִיאֵנִי *Postea eduxit me* vir ille, de quo 40, 3. 4. אֶל־הֶחָצֵר הַחִיצוֹנָה Ex atrio interiori sacerdotum, in quo collocatum altare, et per quod adibatur templum, *versus atrium exterius* Israelitarum, Vs. 3. 14. Cf. 40, 17. הַדָּרֶךְ *Per viam*, ut 47, 15. דֶּרֶךְ הַצָּפוֹן *Viam septentrionis*, s. *septentrionem versus*, 40, 20. 44. 46. וַיְבִיאֵנִי *Et deduxit me*, 40, 17. 28. 41. 1. אֶל־הַלִּשְׁכָּה *Ad conclave* s. aedificium quoddam cubiculorum; nomen singulare videtur collective capiendum, Vs. 4. 40, 17. 18. 45. אֲשֶׁר נֶגֶד הַגִּזְרָה *Quod* uno latere suo erat *e regione separati illius aedificii* prope templum, Vs. 10. 41, 12. וַאֲשֶׁר־נֶגֶד הַבִּנְיָן *Et* altero latere *e regione structurae* alterius, Vs. 5. 10. Vid. 41, 12. 13. *Tertium* vero latus versus atrium interius, Vs. 2. 3., *quartum* versus *pavimentum*, i. e. versus porticum atrii exterioris, Vs. 3. אֶל־הַצָּפוֹן *Versus septentrionem*, inquam, deduxit me. Ita requirunt accentus. Cf. Sturmii *Sciagr.* p. 79. seqq.

2. אֶל־פְּנֵי אֹרֶךְ אַמּוֹת הַמֵּאָה *Ad faciem longitudinis centum cubitorum*, i. e. *ad* locum, cujus latitudo erat *centum cubitorum*, ut Noldius in *Concordantt. Particular.* p. 63. exponit, adduxerat enim, addit in not. 390., angelus prophetam *ad cubicula* (אֶל־הַלִּשְׁכָּה Vs. 1.), quorum longitudo centum cubitorum, Vs. 8. אֶל־פְּנֵי pro simplici אֶל, ut Nehem. 2, 13. אֶל־פְּנֵי עֵין הַתַּנִּין *ad fontem draconis.* פֶּתַח הַצָּפוֹן *Ad ostium*, sive, ut alii, *ab ostio septentrionis*, pro diverso initio hujus mensurae ex occidente versus ortum, vel ab ortu versus occidentem; cf. *Sturmium* l. c. p. 80. sqq. וְהָרֹחַב *Latitudo autem* conclavium, Vs. 1. sqq. s. totius hujus aedificii erat חֲמִשִּׁים אַמּוֹת, *quinquaginta cubitorum*, cf. 40, 15. 21.

3. נֶגֶד הָעֶשְׂרִים *E regione viginti* cubitorum, cf. 40, 10. אֲשֶׁר לֶחָצֵר הַפְּנִימִי *Qui* erant pro conclavi *versus atrium interius*, Vs. 15. 40, 15. וְנֶגֶד רִצְפָּה *Et versus pavimentum* atrii exterioris, conf. 40, 17. 18. אֲשֶׁר לֶחָצֵר הַחִיצוֹנָה Vs. 1. 14.

אֲתִיק אֶל־פְּנֵי־אֲתִיק בַּשְּׁלִשִׁים *Ubi erat porticus juncta porticui triplici*, vertit Vulgatus. Sed de nomine אֲתִיק vid. ad 41, 15. Cap. 40, 17. in pavimento lapidibus strato excitata dicuntur gazophylacia. Idem dicitur de interiori hoc atrio. Sed *Sturmius* p. 83. vertit: *conclave* erat *ante conclave*, s. *e regione* alterius. „Nimirum, inquit, *conclavia* hic describi, sequentes statim Versus ostendunt, quae in *aedificio quinquaginta cubitos lata* vel profundo (Vs. 2.) disposita erant. Igitur primo supponendus hic murus utrinque est. Intra illos porro quatuor conclavia erant duplici serie, altera versus atrium interius, altera versus exterius spectante; quae *inter se cruciforme ambulacrum necessario* relinquunt, uti sequens quoque Versus confirmat."

4. וְלִפְנֵי הַלְּשָׁכוֹת *Ante conclavia vero illa*, Vs. 1. 5. 7. 40, 17. 41, 10. מַהֲלַךְ *Deambulatio*, ut Vulgatus vertit, i. e. *ambulacrum*, cruciforme, ex mente Sturmii, vid. not. ad Vs. praeced. Nomen praeter hunc locum *ter* reperitur, sed *itineris* significatione, ut Jon. 3, 3. 4. Nam *praeformativa* servilis litera *Mem* in nominibus et locum et actionem significat. עֶשֶׂר אַמּוֹת Cujus ambulacri *latitudo* erat *decem cubitorum*. אֶל־הַפְּנִימִית Et ab exteriore *ad interius* conclave, vel etiam *atrium* (8, 3. 16. 10, 3.), illud ambulacrum ducebat. דֶּרֶךְ אַמָּה אֶחָת *Via* ipsa *ulna una*. Coccejus: „Cella autem quaeque *via cubiti unius* adibatur." Scilicet ex mente Cocceji inter ostia cellarum fuerunt postes quadrati, unius cubiti mensura extra parietem exstantes. Itaque ambulatio libera decem cubitorum latitudinem habuit; adjecto autem cubito utrinque inter postes, ante ostia trieliniorum latitudinem duodecim cubitorum. Sturmio vero in *Sciagr.* p 84. *haec via unius cubiti* est ipse *paries*, vel saltim *transitus* per interstitium s. ostium parietis, unum cubitum crassi. וּפִתְחֵיהֶם *Ostia vero* intimiorum tricliniorum. לַצָּפוֹן Erant *versus septentrionem*, 40, 23.

5. וְהַלְּשָׁכוֹת הָעֶלְיוֹנוֹת *Ceterum cellae superiores*, Vs. 4. קְצֻרוֹת *Curtae*, contractiores; Villalpando et Sturmio vero (*Sciagr.* p. 85.) *humiliores*. יוֹכְלוּ pro יֹאכְלוּ, per orthographiam Syriacam, *comedebant*, quod Jarchi pro תֹּאכַלְנָה positum ait, et sic exponit: „contractiora fiebant et imminuebantur in vacuo spatio conclavium." In aliquot libris et manu et typis descriptis legitur יוּכְלוּ, quod a יָכֹל *praevaluit*, reddunt *superabantur*, *excedebantur*. Cf. De-Rossii *Scholia critt.* ad h. l. אֲתִיקִים *Thalami* (vid. not. ad 41, 15.) scil. supremi. מֵהֵנָּה *Ab illis*, nempe ab infimis et mediis, ut statim addit per parenthesin. מֵהַתַּחְתֹּנוֹת וּמֵהַתִּיכֹנוֹת Vs. 6. 41, 7. בִּנְיָן *Structurae*, Vs. 1. 10. Vulgatus hunc Versum sic vertit: *ubi erant gazophylacia in superioribus humiliora; quia supportabant porticus, quae ex illis eminebant de inferioribus, et de mediis aedificii.* Villalpandus: „Sensus est, superiora cubicula humiliora (al. contractiora) erant, quam mediana, et haec rursus humiliora inferioribus porticibus."

6. Ratio altera, cur superiora cubicula humiliora, s. contractiora essent. כִּי מְשֻׁלָּשׁוֹת הָיָה *Nam triplicata* (masculin. vid. Cohel. 4, 12.), per tres videlicet contignationes structa (vid. supra Vs. 3. et not. ad 40, 17.), *illa* conclavia (Vs. 5.) erant. וְאֵין לָהֶן עַמּוּדִים *Nec* erant *illis columnae*, liberae, 40, 49. כְּעַמּוּדֵי הַחֲצֵרוֹת *Quales* erant in porticibus *atriorum*, cf. not. 40, 17. עַל־כֵּן נֶאֱצַל *Ideo contractius fuit* aedificium, vel: *ideo detrahebatur*, *auferebatur* aliquid; ita reddunt h. l. verbum אָצַל, quod alias *seposuit* significat (vid. Num. 11, 17. 25. Genes. 27, 36. Cohel. 2, 10.) mera ex conjectura. Vulgatus *eminebant* reddidit. מֵהַתַּחְתּוֹנוֹת וּמֵהַתִּיכֹנוֹת *Prae infimis et intermediis* Vs. 5. cf. 40, 18. מֵהָאָרֶץ *A terra*, i. e. a latitudine vel altitudine, quae cum infima contignatione *a solo* seu *pavimento* incipiebat.

7. וְגָדֵר *Et ad maceriem* s. *parietem* quod attinet, Vs. 10. אֲשֶׁר לַחוּץ *Qui forinsecus* erat, 40, 17. לְעֻמַּת *Juxta*, 40, 18. 45, 6. הַלְּשָׁכוֹת *Conclavia* s. *cellas*, Vs. 4. 5. דֶּרֶךְ *Versus*, ut Vs. 1. הֶחָצֵר הַחִצוֹנָה *Atrium exterius*, Vs. 1. 8. 9. אֶל־פְּנֵי *Ante*, Vs. 2. 13. הַלְּשָׁכוֹת *Conclavia*, quae scilicet versus exterius atrium sita erant. Coccejus: „Ea sepes finivit pavimentum atrii exterioris, de quo Vs. 3.“ אָרְכּוֹ *Ejus* parietis s. sepis *longitudo* ab austro septentrionem versus fuit. חֲמִשִּׁים אַמָּה *Quinquaginta cubitorum*, pro latitudine totius aedificii, vid. Vs. 2. et cf. 40, 15. „Ab aedificio conclavium usque ad murum claudentem (גָּדֵר) fuerunt quinquaginta cubiti. Dudum enim didicimus, tam medii, quam infimi atrii latitudinem centum cubitorum fuisse. Quum igitur conclavium structura cum ambulacro quinquaginta cubitos occupent, sequitur, ex centum cubitis fuisse quinquaginta atrii residuos, quod spatium a fronte conclavium usque ad exterius atrium, intermisso in transversum maceriae septo clausum fuisse hoc Versu docet. Hoc est, a conclavibus per reliquam vacuitatem atrii usque ad murum transversum fuit sepimentum.“ Hafenreffer.

8. כִּי אֹרֶךְ הַלְּשָׁכוֹת *Nam* et *longitudo* illorum *conclavium*, ab occidente versus orientem. אֲשֶׁר לֶחָצֵר הַחִצוֹנָה *Quae* erant *atrio exteriori*, Vs. 7. 9. חֲמִשִּׁים אַמָּה *Quinquaginta* erat *cubitorum*; ut eatenus hoc conclavium aedificium quadratum esset, vid. Vs. 2. 7. 11. Sturmius in *Sciagr.* p. 81. hic pro longitudine iterum adsumit *altitudinem*, ut supra 41, 12. עַל־פְּנֵי הַהֵיכָל Ex altero aedificii latere *ante* (40, 15.) *templum* et interius atrium. מֵאָה אַמָּה *Centum* erant *cubiti*, ut jam dictum est Vs. 2.

9. וּמִתַּחַת הַלְּשָׁכוֹת הָאֵלֶּה *Et infra conclavia ista*, hactenus descripta, juxta substructionem interiorem portae orientalis. Quod in textu scriptum est, וּמִתַּחְתָּה לְשָׁכוֹת efferendum, significatione non differt a *Keri*, sed תָּ מִתַּחְתָּה additum est *He* locale; ut in מִלְמַעְלָה, *a superiori loco*. הַמָּבִיא, s. ut in textu

est, defective, הַמֵּבִיא *Qui ducebat.* Alii, qui הַמֵּבוֹא efferunt, hanc vocem cum proxima מֵהַקְּדִים, ita vertunt: *ingressus* s. *introitus* erat, per scalas ad superiora aedificiorum conclavia *ducens ab oriente* versus occidentem. בְּבֹאוֹ לָהֶם *Quum intraret* vir ille, qui me circumduxit (Vs. 1.); vel impersonaliter, *quum quis intraret ad eas* cellas. מֵהֶחָצֵר הַחִצֹנָה *Ex atrio exteriori*, Vs. 8.

10. בְּרֹחַב *In latitudine*, a septentrione versus meridiem. גֶּדֶר הֶחָצֵר *Parietis* s. *maceriei atrii*, Vs. 7. 12., quae interius atrium circumdabat. דֶּרֶךְ הַקָּדִים *Versus ortum*, Vs. 12. 15., ad portam orientalem. אֶל־פְּנֵי הַגְּזֵרָה *Ante separatum illud aedificium*, Vs. 1. 13., prope templum. וְאֶל־פְּנֵי הַבִּנְיָן *Et ante* alteram *illam structuram*, de qua Vs. 1. et 41, 12. לְשָׁכוֹת Itidem *cellae* s. *conclavia* erant.

11. וְדֶרֶךְ לִפְנֵיהֶם *Via autem*, i. e. ambulacrum, *ante illa* conclavia erat, ut supra Vs. 4. Quod ibi מַהֲלַךְ vocaverat idem hic דֶּרֶךְ vocat. כְּמַרְאֵה הַלְּשָׁכוֹת *Secundum adspectum conclavium*, i. e. sicut ante conclavia, cf. 1, 13. 14. 26. sqq. 10, 1. אֲשֶׁר דֶּרֶךְ הַצָּפוֹן *Quae* erant *versus aquilonem*, Vs. 1. כְּאָרְכָּן וְכֵן רָחְבָּן *Ut longitudo earum, sic latitudo* erat, Vs. 8. וְכֹל מוֹצָאֵיהֶן *Et secundum omnes exitus*, s. dispositionem *earum*, 43, 11. 44, 5. 48, 30. וּכְמִשְׁפָּטֵיהֶן *Et ut ordinationes*, s. praescriptas aut legitimas commensurationes *earum*, cf. Levit. 9, 16. Num. 29, 6. וּכְפִתְחֵיהֶן *Et ut ostia eorum*, Vs. 4. Villalpandus: „Media ambulatio, et exedrae laterales eadem erant constructae ratione, et eadem mensura, qua aquilonares.“

12. וּכְפִתְחֵי הַלְּשָׁכוֹת *Et sicut ostia cubiculorum*, Vs. 4. 11. אֲשֶׁר דֶּרֶךְ הַדָּרוֹם *Quae erant versus meridiem*, sicut versus septentrionem. פֶּתַח בְּרֹאשׁ דֶּרֶךְ *Ostium* erat *in initio viae*, 21, 24. 26. דֶּרֶךְ בְּפְנֵי הַגְּדֵרָת In initio *viae*, inquam, *in conspectu*, i. e. ante *maceriem*, conf. Vs. 7. 10. הֲגִינָה *Recte aptatam.* Chaldaeis et Talmudicis scriptoribus הָגוּן satis frequens, est *rectum*, *decens*, *conveniens*, et הוֹגֶן *decentia*, *decus*, *honestas.* In V. T. praeter hunc locum non occurrit. Chaldaeus vertit: *viam bene dispositam et rectam.* דֶּרֶךְ הַקָּדִים *Versus orientem*, Vs 10. בְּבוֹאָן *In introitu earum* cellarum, s. *quum intrant in eas*, cf. Vs. 14. Villalpandus: „Eadem est hujus, quae superioris versiculi, sententia. Scilicet *hoc aedificium australe habuisse adscensum ad fronte orientali*, gradusque ejus duxisse in ambulationem mediam superiorem, quae procurrebat occidentem versus, secundum longitudinem elegantis illius periboli, separantis populum a clero.“ Cf. not. ad Vs. 9.

13. וַיֹּאמֶר אֵלַי *Tum dixit ad me*, vir ille, qui me circumduxit, Vs. 1. 40, 3. 4. לִשְׁכוֹת הַצָּפוֹן *Cellae septentrionales*, Vs. 1. 4. לִשְׁכוֹת הַדָּרוֹם *Et cellae australes*, Vs. 12. אֲשֶׁר אֶל־פְּנֵי הַגְּזֵרָה *Quae* sunt proxime *ante separatum* illud *aedificium*

prope templum, Vs. 1. 10. 41, 12. 13. הֵנָּה לְשָׁכוֹת הַקֹּדֶשׁ *Illae*, inquam, sunt *cellae sanctae*, Vs. 14. 46, 19. אֲשֶׁר־יֹאכְלוּ שָׁם *Ubi* (ut 8, 3. 43, 7.) *comedent* sanctissimas epulas, et in altera cella angulari, versus septentrionem et occidentem, etiam coquent sacerdotes, 46, 19. 20. Conf. Levit. 6, 9. 19. 7, 6. 10, 13. אֲשֶׁר־קְרוֹבִים לַיהוָה *Qui propinqui* sunt, s. *propius accedunt ad Dominum*, 40, 46. 43, 19. Nam reliqui sacerdotes et Levitae remotiores erant, et ad horum ministeria amandati, 43, 10. 11. קָדְשֵׁי הַקָּדָשִׁים *Sancta sanctorum*, i. e. sanctissima sacrificia et oblationes, 44, 13. Levit. 21, 22. שָׁם יַנִּיחוּ *Ibi deponent*, Vs. 14. 40, 42. וְהַמִּנְחָה *Sacrificium* scilicet *ex farre*, Levit. 2, 1. sqq. וְהַחַטָּאת *Et victimas pro peccato*, 40, 39. Levit. 4, 3. וְהָאָשָׁם *Et sacrificium pro reatu*, 44, 29. Levit. 5, 19. 7, 1. sqq. כִּי הַמָּקוֹם קָדוֹשׁ Cf. Levit. 6, 9. 19. 16, 24.

14. בְּבֹאָם הַכֹּהֲנִים *Cum intraverint* ipsi *sacerdotes*, 44, 17. 21. וְלֹא יֵצְאוּ וגו׳ *Tum non exibunt ex sancto in exterius atrium*, Vs. 1. 3. וְשָׁם יַנִּיחוּ בִּגְדֵיהֶם *Sed ibi*, in sancto loco, *relinquent* s. *deponent* (vid. Vs. 13. 44, 19.) *vestes suas*, conf. Levit. 6, 4. 16, 23. אֲשֶׁר־יְשָׁרְתוּ בָהֶן *In* s. *cum quibus administraverint*, cf. Num. 3, 31. 4, 12. 14. יִלְבְּשׁוּ בְגָדִים אֲחֵרִים *Induantur vestibus aliis*, s. secundum *Kethibh* (וְלָבְשׁוּ), *induant vestes alias*, 44, 19. Levit. 6, 4. וְקָרְבוּ אֶל־אֲשֶׁר לָעָם *Atque sic accedant ad ea, quae sunt populi*, nempe in exterius atrium.

15. וְכִלָּה *Ita perfecerat*, *absolvit*, 43, 27. Levit. 16, 20. אֶת־מִדּוֹת *Dimensiones*, 41, 17. 43, 13. הַבַּיִת הַפְּנִימִי *Domus interioris*, i. e. templi, et eorum, quae pone templum, et ad latus templi, et in atrio tam interiori quam exteriori fuerunt. Cf. 41, 15. 17. וְהוֹצִיאַנִי *Et eduxit me*, ex atrio scilicet exteriori. דֶּרֶךְ הַשַּׁעַר *Via portae*, per portam exterioris periboli, 40, 5. אֲשֶׁר פָּנָיו *Quae respiciebat*, 40, 6. 20. דֶּרֶךְ הַקָּדִים *Versus orientem*, Vs. 10. 12. Vide de hac porta 40, 6. 9. וּמָדַד *Et mensus est illam*, aedem, Vs. 20.

16. מָדַד רוּחַ הַקָּדִים *Mensus nimirum est plagam orientis*, vid. sqq. et Vs. 20. בְּקָנֶה הַמִּדָּה *Cum calamo mensorio*, s. pertica, de qua 40, 3. Pro eo, quod in libris plerisque typis descriptis exstat, חֲמֵשׁ־מֵאוֹת, legendum esse חֲמֵשׁ־מֵאוֹת, *quingentos calamos*, ut in margine legendum praecipitur, et in codicibus quamplurimis, De-Rossio observante, scribitur, pluribus ostendit Meyerus in *Dissertat. ad ultima Ezechielis* pag. 24., speciatim contra *Hafenrefferum* p. 30. sqq.; contra *Castellionem* p. 33. sqq., contra *Cappellum* aliosque, p. 36. sqq., qui quidem omnes אַמּוֹת *cubitos* omissum existimant. Ita jam LXX πήχεις πεντακοσίους. Sed tum esset קָנִים otiosum, aut sensum turbaret. Hillerus in libro *de Arcano Keri et Kethibh* pag. 192. vocabulum אַמּוֹת mutuatitis punctis amictum duarum vocum continuo legendarum putat esse symbolum, legi enim debere

מָאוֹת אַמּוֹת *centum cubitos*, duabus, uti dictum, vocibus, quarum una consonas habeat in margine, vocales in textu; altera consonas suas habeat in textu, vocales ex analogia grammatica. Magis tamen verisimile, quod in textu legitur, אַמּוֹת, innuere duplicem vocis מָאוֹת scriptionem, quae in codicibus antiquioribus exstiterit, alterum *plenam*, ut in Versibus sequentibus et alias frequentissime, alterum *defectivam*, מָאֹת, ut secundum Masoram scribitur Genes. 5, 4. 30. 23, 15. Similiter Prov. 13. 20. הוֹלֵךְ denotat, in aliis codicibus הוֹלָךְ, in aliis הֹלֵךְ scriptum fuisse. סָבִיב *Circuitu*, i. e. circumibat ambitum aedis, et ab una plaga pergebat ad alteram; cf. Vs. 19. Ex hoc Versu, et quatuor, qui sequuntur, patet, templi ambitum a singulis lateribus constare 500 *calamis mensoriis*, qui faciunt 3000 cubitos. Ergo quatuor latera vel plagae comprehendunt 2000 *calamos* sive 12000 cubitos. „Tantum autem fuisse," inquit *Meyerus* l. c. p. 24., „ambitum templi Salomonis vel Zorobabelis, nemo est, qui contendet. Quandoquidem veteris templi ambitum non 2000 *calamos*, sed totidem *cubitos* habuisse docuit. Unde intelligitur, hic nullo modo prophetae fuisse ostensam Hierosolymitani templi figuram et mensuram, quod olim a Salomone aedificatum, et post reditum e Babylonico exsilio a Zorobabele restauratum."

19. סָבַב Inde *circumivit*, s. *convertit se*, 1 Sam. 7, 16. 2 Paral. 33, 14. אֶל־רוּחַ הַיָּם *Ad plagam maris*, s. occidentalem, 41, 12. Kimchi: „In ista plaga absolvit circuitus sui angulos s. extremitates."

20. לְאַרְבַּע רוּחוֹת Sic *ad quatuor plagas*, vid. Vs. 16. sqq., et conf. 37, 9. מִדָּרוֹ *Mensus est eam*, aedem, Vs. 15. חוֹמָה לוֹ *Murum* autem *habebat*, s. *peribolum* circumquaque. Vid. not. 40, 5. אָרְכָּהּ חֲמֵשׁ מֵאוֹת Cujus *longitudo* erat *quingentorum* scil. calamorum, ut ex Versibus quatuor praecedentibus intelligitur, i. e. 3000 cubitorum. וְרָחַב חֲמֵשׁ מֵאוֹת *Sic etiam latitudo* fuit *quingentorum* calamorum. Recte Meyerus l. c. p. 29. observat, *longitudinem* vocari duos muros, qui ab oriente ad occidentem paralleli, latitudinem vero duos alios, qui a meridie in septentrionem tendebantur. לְהַבְדִּיל Murum *ad distinguendum*, ut Exod. 26, 33. Lev. 10, 10. בֵּין הַקֹּדֶשׁ לְחֹל *Inter sanctum et commune*, ut supra 22, 26. infra 44, 23. 48, 15. Vulgatus: *dividentem* (murum) *inter sanctuarium et vulgi locum*, i. e. murum illum templi mensus est, qui claudebat, quod sacrum erat, et ab atrio gentilium separabat.

CAP. 43.

Argumentum.

Iterum prophetae objicitur visio, quae principio ad fluvium Chobar sibi objecta fuerat, splendoremque Jovae in templum redire, idque implere videt (Vs. 1—5.). Tum causam indicat Deus, cur e templo priori excesserit, et novum sanctuarium domicilium sibi perpetuo futurum promittit (Vs. 6—9.). Hinc quae de nova hac domo observanda Israelitis sunt, prophetae mandat (Vs. 10—12.), formam altaris holocaustorum describit (Vs. 13—17.), et ejusdem expiationem (Vs. 18—27.).

1. וַיּוֹלִיכֵנִי *Postea*, templo dictum in modum delineato et commensurato ab occidentali plaga (42, 19.), *deduxit me*, ut 40, 24. שַׁעַר אֲשֶׁר פָּנָה Ad *portam* scilicet illam, *quae respiciebat*, 11, 1. 44, 1. Chaldaeus: *quae aperta erat.* דֶּרֶךְ הַקָּדִים *Orientem versus*, vid. 42, 16.

2. כְּבוֹד אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל *Gloria Dei Israelis*, vid. 1, 28. 10, 4. בָּא מִדֶּרֶךְ הַקָּדִים *Venit a via orientis*, Vs. 4. 44, 1. 2., qua antea abierat, 11, 23. וְקוֹלוֹ כְּקוֹל מַיִם רַבִּים Vid. 1, 24. coll. Apocal. 1, 15. 14, 2. 19, 6. וְהָאָרֶץ הֵאִירָה *Et terra reluxit*, lucebat, Genes. 1, 15. 17. מִכְּבֹדוֹ *A gloria*, splendore *ipsius*, Vs. 4. 5. Cf. Luc. 2, 9. Apocal. 18, 1. Jes. 6, 2.

3. וּכְמַרְאֶה הַמַּרְאֶה אֲשֶׁר רָאִיתִי *Et* erat *secundum adspectum visionis*, *quam* semel iterumque jam *videram*, C. 1. et 10. כְּמַרְאֶה אֲשֶׁר־רָאִיתִי בְּבֹאִי *Sicut adspectus*, inquam, *quem vidi*, *quum* a Deo vocatus et missus *venirem*. לְשַׁחֵת אֶת־הָעִיר *Ad perdendam* s. destruendam *urbem*, 30, 11., i. e. ad praedicendam urbis et templi eversionem. Prophetae enim saepe dicuntur id facere, quod futurum praedicunt, cf. supra 13, 18. 19. 32, 18. Genes. 49, 7. Jes. 6, 10. Jer. 1, 10. וּמַרְאוֹת אֶל־נְהַר כְּבָר *Et adspectus* erant *secundum eandem visionem*, *quam vidi ad fluvium Chebar*, 1, 1. 3, 23. 10, 15. וָאֶפֹּל אֶל־פָּנַי Vid. 1, 29.

4. וּכְבוֹד יְהוָה *Gloria autem Domini*, Vs. 2. 5. בָּא אֶל־הַבַּיִת *Venit*, ut dictum est Vs. 2., *et intravit domum*, s. templum. Chaldaeus: *revelata est in templo.* דֶּרֶךְ שַׁעַר *Via*, s. per viam *portae.* אֲשֶׁר פָּנָיו *Quae respiciebat*, 42, 15. דֶּרֶךְ הַקָּדִים *Versus orientem*, Vs. 2.

5. וַתִּשָּׂאֵנִי רוּחַ *Et sustulit*, elevavit, *me spiritus*, vel *ventus*, 3, 12. 14. אֶל־הַחָצֵר הַפְּנִימִי 40, 15. 42, 3. מָלְאָה כְּבוֹד־יְהוָה הַבָּיִת *Implebat gloria Jovae templum*, cf. 44, 5. Exod. 40, 34. sqq. 1 Reg. 8, 10. 11.

6. וָאֶשְׁמַע *Et audivi*, 1, 28. מְדַבֵּר *loquentem.* Participium *Hithpael*, ut supra 2, 2., quod Jarchi hoc modo explicat: „Dicitur de Deo honoris causa מְדַבֵּר, nam si quis dicit מְדַבֵּר, id eum habet sensum, ac si quis loquatur coram s. cum alio at, si quis dicit מְדַבֵּר, hoc innuit, majestatis divinae speciem per se (separatim) loqui, vatem autem tantum audire.“ מִהַבַּיִת *E templo*, et quidem ex adyto, ut promiserat Exod. 25, 22., cf. Levit. 1, 1. וְאִישׁ הָיָה עֹמֵד אֶצְלִי *Simul etiam vir apud me stabat*, cf. 40, 3. Dan. 8, 15.

7. אֶת־מְקוֹם כִּסְאִי *Locum throni mei* subaudi רְאֵה *vide!* sive הִרְאֵה, ut LXX, qui ἑώρακας addunt. Eadem ellipsis infra 47, 17. 18. 19. ter. Syrus simpliciter Nominativum posuit, et Chaldaeus: *hic est locus.* וְאֶת־מְקוֹם כַּפּוֹת רַגְלַי *Et locum plantarum pedis mei*, ut Jes. 60, 13. Deus מְקוֹם רַגְלַי dicit adytum templi, in quo super Propitiatorio ita Cherubinis insidebat, ut arca foederis quasi *scabellum* pedibus suis praeberet, vid. Exod. 25, 22. 1 Sam. 4, 4., et cf. Ps. 99, 5. 132, 7. Thren. 2, 1. וְלֹא יְטַמְּאוּ *Nec poluent, contaminabunt*, amplius, Vs. 8. Cf. 5, 11. 23, 38. שֵׁם קָדְשִׁי Vs. 8. 36, 20. 21. הֵמָּה וּמַלְכֵיהֶם *Ipsi*, inquam, Israelitae, populus (בֵּית־יִשְׂרָאֵל), *et reges* ac principes eorum, qui ad omnem impietatem populo fuerunt duces, vid. Jer. 2, 26. 32, 32. בְּזְנוּתָם *Scortatione sua*, Vs. 9., i. e. idolorum cultu, qualis supra Cap. 16. et alias a nostro accusantur, nam templum Jehovae ingrediebantur, qui alios Deos coluerunt. וּבְפִגְרֵי מַלְכֵיהֶם *Et cadaveribus regum suorum*, quod Hebraei eo referunt, quod regum aliquot cadavera, ut Manassis et Ammonis (2 Reg. 21, 18. 26.) juxta templum in horto proximo condita essent. Verum e locis Regum libri laudatis minime apparet, illorum regum cadavera *prope templum* sepulta fuisse; hoc solum dicitur, reges istos in *horto domus suae*, *in horto Ozae* humo mandatos esse. Alexandrinus: ἐν τοῖς φόνοις τῶν ἡγουμένων αὐτῶν. Vulgatus: *et in ruinis regum suorum*, quibus aliqui sacra illa impia, quae regibus ipsis et regno ruinas intulerunt, significari existimant. Cepit פְּגָרִים pro *ruinis*, ut Lev. 26, 30. פִּגְרֵי גִלּוּלֵיכֶם sunt *ruinae idolorum vestrarum.* Sed *ruinas regum* phrasin prorsus inconcinnam esse, nemo non sentiat. Dathius *cadaverum regiorum* mentionem eo pertinere existimat, quod in pompa regum funebri locus sacer profanatus fuisset. Pro בְּמוֹתָם legendum conjicit בְּמוֹתָם, *cum morerentur*, Chaldaeo auctore, qui בְּמוֹתֵיהוֹן, *in morte eorum*, vertit. Sunt quoque codices a De-Rossio, in *Scholiis Critt.* ad h. l. indicati, in quibus בְּמוֹתָם scriptum reperitur. Sed non est, cur vulgarem

scripturam sollicitemus, si per פִּגְרִים hic *idola* intelligamus, quae commode ita appellari potuerunt, tum quod vitae expertia, tum quod piis aeque atque cadavera abominationi essent. Erunt igitur פִּגְרֵי מַלְכֵיהֶם *idola regum suorum*, בָּמוֹתָם *in sacellis eorum* (repetendum enim est ב ex בְּפִגְרֵי, ut saepissime alias), sive *in aris eorum*. Manassen in atriis templi astris altaria aedificasse, narratur 2 Reg. 21, 5. Vid. et 2 Reg. 23, 6.

8. בְּתִתָּם סִפָּם אֶת־סִפִּי — בֵּינִי וּבֵינֵיהֶם *Quum ponerent*, jungerent, *limen suum cum limine meo*, *et postem suum juxta postem meum*, *ut* tantum *paries* esset *inter me et illos*. Quibus verbis aliqui illud reprehendi existimant, quod reges juxta templum domos sibi regias aedificaverint, ex qua propinquitate domorum illud provenerit, ut reges, quum facilem in templum haberent ingressum, in templo illa soliti essent facere, quibus domi familiarem operam navare consueverint. Verum ex altero nostri Versus hemistichio patet, indicari hic aliquid, quod in templo impie in simulacrorum cultum institutum esset. Et sane Cap. 8, 16. sqq. vidimus, eo impietatis progressos fuisse Judaeos, ut in interiori templi atrio impia obierint sacra, ut inter adytum, Jovae sedem, et impura illorum sacrificia unus tantum murus intercederet. וְטִמְּאוּ — עָשׂוּ *Illis* igitur suis *abominandis sanctum meum nomen polluerunt*, quia quum Jehovam dicerent Deum suum, et inter se habitare, abominanda tamen fecerunt, tanquam non ingrata Deo. וָאֲכַל אוֹתָם *Unde* merito *consumsi eos*. Futurum apocopatum Piel verbi כָּלָה pro וָאֲכַלֶּה, cf. Ex. 32, 10. 33, 3.

10. הַגֵּד *Indica*, et distinctissime repraesenta Israelitis hanc domum, vid. 40, 4. וְיִכָּלְמוּ *Ut confundantur*, et pudeat eos, Vs. 11. 36, 52. מֵעֲוֹנֹתֵיהֶם *Propter iniquitates*, s. pravitates suas, 36, 31. אֶת־תָּכְנִית *Dispositionem*, formam, illius, vid. de hoc nomine supra ad 28, 12. In aliquot codd. legitur אֶת־תָּבְנִית, *structuram*.

11. וְכָל־צוּרֹתָיו *Et omnes* reliquas *formas* s. descriptiones *ejus*. Verba וְאֶת כָּל־חֻקֹּתָיו וְכָל־צוּרֹתָיו desunt in quatuor codicibus Kennicottianis, et in totidem De-Rossianis a prima manu, nec non in codice Stutgardensi, ubi verba illa non sunt punctis vocalibus instructa, „manifesto indicio," ait J. F. Schelling in *Descript.* illius codicis, p. 173., „punctatorem haec verba vel non legisse suo in exemplari, vel omnino pro suspectis habuisse. LXX certe, et, qui eos sequutus est, Arabs, illa non expressit. Syrus simpliciter vertit: *et omnem formam ejus ostende eis.*" In aliis codicibus alia hujus Versus verba omittuntur; id quod ob repetitionem vocabulorum vel eorundem, vel ejusdem certe significationis librariis facillime accidere potuit.

12. זֹאת תּוֹרַת הַבַּיִת *Haec* vero est *lex* praecipua hujus domi, s. sanctuarii. עַל־רֹאשׁ הָהָר *In vertice montis* exstruendi,

vid. 40, 2. כָּל־גְּבוּל סָבִיב סָבִיב קֹדֶשׁ קָדָשִׁים *Omnis terminus ejus circumquaque Sanctum Sanctorum erit*, vid. 45, 3. 48, 12. et cf. 41, 4.

13. Transit jam ad sacrificale ministerium et leges, et primo quidem altare describit. וְאֵלֶּה מִדּוֹת הַמִּזְבֵּחַ *Hae autem* sunt *mensurae altaris* holocaustorum, Vs. 18. 40, 47. בָּאַמּוֹת *Per cubitos.* אַמָּה וְטֹפַח *Ubi cubitus* est *cubitus*, s. habet *cubitum et palmum.* Vulgatus: *in cubito verissimo, qui habebat cubitum et palmum.* Ita et reliqui veteres, et cf. not. ad 40, 5. חֵיק *Sinus* ejus, Vs. 14. 17. Coccejus: „Mox dicitur גַּב, *dorsum altaris*, i. e. dorsum terrae, aut structura *sustinens altare.* Itaque est *basis* et *et fundamentum altaris*, quod יְסוֹד dicitur Levit. 4, 7. *Gremii* similitudinem habebat, quia in ore ejus loriea erat, ut in ea basi altare, tanquam in gremio, resideret.“ Cf. 1 Reg. 22, 35. „Basis in Hebraeo vocatur דֵּיק *sinus*, quia super basin, tanquam in sinu, reliquum altaris corpus superincumbit.“ Hafenreffer. Alii cum Villalpando *sinu* indicari existimant *fossam*, quae ab infimo altaris fundamento ac basi, et extra illam uno cubito demittebatur in profundum, et tantumdem in latitudinem patebat, sanguini victimarum excipiendo destinata, quem per occultos et subterraneos meatus alio transmitteret. הָאַמָּה *Cubiti* scil. altitudo erat. וְאַמָּה רֹחַב *Latitudo* quoque *unius cubiti*, nempe ultra structuram altaris. וּגְבוּלָהּ *Et terminus ejus*, 45, 1., i. e. corona, s. loriea, uti dictum. אֶל־שְׂפָתָהּ *In ora*, s. extremitate baseos, cf. 1 Reg. 7, 23. 24. זֶרֶת הָאֶחָד Erat *spithamae unius*, s. dimidiati cubiti, Vs. 17. וְזֶה גַּב הַמִּזְבֵּחַ *Atque hoc est dorsum* (supra 10, 12. Ps. 129, 2.) *altaris*, altare nempe sustinens, ut diximus. „Quod *sinum* antea appellavit, idem jam *dorsum* vocat. Basis enim, ceu dorso incumbens, sinu suo excipit, et fovet quasi, quod super aedificatum est altare. Hafenreffer. Hieronymus גַּב *fossam* reddit, collato Arabico גב *puteus*, cf. Michaelis in *Supplemm.* p. 246. sqq., qui et reliquorum veterum valde discrepantes interpretationes recenset.

14. וּמֵהֵיק הָאָרֶץ *Et a gremio terrae*, s. fundamento altaris Vs. 13. descripto. עַד־הָעַזָּרָה הַתַּחְתּוֹנָה *Usque ad atrium inferius*, nam et alterum fuit *superius*, ut mox dicitur, cf. Vs. 17. Videtur nomen hebraeum *spatium inclusum* proprie denotare, ab עָזַר, quo modo cognatae significationis cum אָזַר, *cinxit*, vel אָצַר, *clausit*, fuerit; hinc *atrium*, spatium planum. „A basi tanquam e sinu suo, surgit altare in altitudinem duorum cubitorum, ibi retracto paricte circum circa *atrium inferius* efficitur *(ein Platz, Absatz).*“ Hafenreffer. שְׁתַּיִם אַמּוֹת *Duo* erant *cubiti.* Coccejus: „A basi igitur surgebat altare per duos cubitos, ubi erat spatium quadratum, in quo reliquae altaris partes collocatae erant.“ וְרֹחַב אַמָּה אָחָת *Et latitudo* s. spatium vacuum

ibi erat *unius cubiti.* וּמֵהָעֲזָרָה הַקְּטַנָּה וגו׳ *Et ab atrio* s. spatio hoc *minori*, s. minus alto, usque ad spatium majus et altius; aut etiam latius, nempe cum foco altaris duodecim cubitorum quadratorum (Vs. 15.), ad quem illud spatium adsurgebat. אַרְבַּע אַמּוֹת *Quatuor* erant *cubiti*, cf. Vs. 15. וְרֹחַב הָאַמָּה *Et* iterum spatii *latitudo unius cubiti* erat. Coccejus: „Quod attinet ad *altitudinem* altaris, ea diversa est ab altitudine altaris Salomonis, quod habebat *decem* (2 Paral. 4, 1.), hoc autem *septem* cubitos. Nempe *sinus* Vs. 13. est cubiti *unius*, spatium inferius *duorum*, superius *quatuor*. Eademque altitudo est *foci* (Vs. 15.), nempe a spatio inferiori. Si vero focum quatuor cubitis altiorem facias spatio superiori, erunt *undecim*. Sed melius est, connectere Versum 15., ut *quatuor ulnas a spatio minori ad spatius majus et usque ad focum* sint.

15. Altaris holocaustorum nomen hoc Versu prima vice הַהַרְאֵל scribitur, quod Hillerus in *Onomast.* p. 8. *montem Dei* interpretatur, quod altaria cetera altitudine superaret (*He* enim, quod in simplici voce non praefigitur nomini regenti, in composito locum habet); mox vero in eodem hoc Versu, et Vs. sq. scribitur הָאֲרִיאֵל s. הָאֲרִיאֵל, quod Hillerus l. c., Gussetius et alii *leonem Dei* exponunt, quod nomen altari illi ideo inditum existimant, quod, quasi hostiarum helluo, Deo adpositos cibos igne consumeret ac devoraret. Quae Bocharti quoque sententia est (*Hieroz.* P. I. L. III. Cap. 1. T. III. p. 7. sq. edit. Lips.), qui illius nominis rationem hanc esse putat, quod victimas omnes, quas offerebat populus, voraret ignis, in altari semper accensus, ferae rapacis instar. Ita אֵל, *Deus*, esset pro *sacrificiis ei oblatis* dictus, quod quam parum aptum sit, quisque intelliget ipse. Mitto alias conjecturas multo ineptiores de illo nomine. Videtur autem *focus altaris* illo nomine designari, quae et Gesenii est sententia, qui in *Thesauro L. H.* p. 147. confert Arabicum אֲרָה *focus*, *caminus*, accensio ignis ejusque ardor, ab ארי (אָרָה) *adusta fuit olla.* אַרְבַּע אַמּוֹת *Quatuor cubitorum*, cf. Vs. 14. וּמֵהָאֲרִיאֵל *Ab ipso autem Ariele*, i. e. summo altari, s. foco, Vs. 16. וּלְמַעְלָה *Nempe superne* s. *sursum*, 1, 27. הַקְּרָנוֹת אַרְבַּע *Cornua quatuor* s. ansae erant, Vs. 20. Cf. Exod. 27, 2. 29, 12. Levit. 4, 7.-18. Fuerunt haec cornua, quae etiam in aliarum gentium aris inveniuntur (Martialis: *Cornubus ara frequens*) ad angulos erecta, atque ita dicta, quod cornuum figuram repraesentarent. Usus eorum fuit, cum ad alliganda animalia (vid. Ps. 118, 27.), tum etiam, ut ollae et ignis receptacula inde suspenderentur, quoticscunque altari erant admovenda.

16. וְהָאֲרִיאֵל *Arielis autem*, s. *foci*, vid. not. ad Vs. 15. שְׁתֵּים עֶשְׂרֵה אֹרֶךְ *Longitudo* erat *duodecim cubitorum*, et latitudo totidem cubitorum, uti statim additur. רָבוּעַ *Quadratum* enim erat altare, cf. Exod. 27, 1. 38, 1. אֶל אַרְבַּעַת רְבָעָיו *Se-*

cundum quatuor latera ipsius, Vs. 17. 1, 8. 17. Quemadmodum autem *altitudinem* altaris ab imo sursum versus exstruxit, ita dehinc *latitudinem* et *longitudinem* descendendo significat.

17. וְהָעֲזָרָה *Spatium vero*, quod Arielem, s. focum includebat, Vs. 14. אַרְבַּע עֶשְׂרֵה אֹרֶךְ וגו׳ *Quatuordecim* cubitos in longitudine, totidemque in latitudine habuit, quia utrinque cubitus accedit; vid. Vs. 14. אֶל אַרְבַּעַת רְבָעֶיהָ *In quatuor quartis*, s. *lateribus ejus*, Vs. 16. Hic autem tacet quadratam mensuram *secundi* s. inferioris *spatii*, Vs. 14., et *fundamenti*, Vs. 13., quia ea per se plana est. Nam secundum spatium habuit *sedecim*, basis autem *octodecim* cubitos in longitudine et latitudine. וְהַגֵּבוּל *Terminus vero*, s. *lorica* circa basin, Vs. 13. חֲצִי הָאַמָּה Erat *dimidii cubiti*, ita interpretatur זֶרֶת, *spithamam*, Vs. 13. וְהַחֵיק־לָהּ אַמָּה *Et sinus* s. *gremium*, ei spatio excipiendo erat unius *cubiti*, vid. Vs. 13. וּמַעֲלֹתֶהָ *Gradus autem* altaris, s. *adscensus ejus*, 40, 6., quos Hebraei tradunt fuisse quasi molliter elatum clivum, quia Exod. 20, 23. vetantur aliis gradibus adscendere ad altare. פְּנוֹת קָדִים *Versus orientem* erant, s. *spectant* ad orientem. פְּנוֹת Kimchio est nomen; aliis Infinitivus nominascens.

18. Jam exponit modum cultus Dei in altari. אֵלֶּה חֻקּוֹת הַמִּזְבֵּחַ *Haec* sunt *statuta altaris* Vs. 13. בְּיוֹם הֵעָשׂוֹתוֹ *Quo die fiet*, eadem constructio, quae de eadem re Num. 7, 10. לְהַעֲלוֹת עָלָיו עוֹלָה, *die*, *quo inunctum est*. *Ut deinde offerant super eo holocausta*, Vs. 27. Exod. 40, 29. וְלִזְרֹק עָלָיו דָּם *Et spargant super eo sanguinem* victimarum, cf. Exod. 24, 6. 29, 16. 20. Levit. 8, 11.

19. וְנָתַתָּה אֶל־הַכֹּהֲנִים הַלְוִיִּם *Dabis* igitur *sacerdotibus Levitis*; cf. similem constructionem Num. 7, 5. אֲשֶׁר הֵם מִזֶּרַע *Qui sunt de semine Zadok*, 44, 15. הַקְּרֵבִים אֵלַי *Qui accedunt ad me*, vid. 40, 46. 42, 13. לְשָׁרְתֵנִי *Ut ministrent mihi*, 44, 15. 16. פַּר Dabis, inquam, *juvencum*, Exod. 29, 1. בֶּן־בָּקָר *Filium armenti*, i. e. subrumum, cf. Levit. 4, 3. 14. Solent Hebraei, cum in animalibus tenerum quid significare volunt, parentis nomen adjungere, ut infra Vs. 22. שְׂעִיר עִזִּים *hircus caprarum*, et Zachar. 9, 9. עַיִר בֶּן־אֲתֹנוֹת *pullus filius asinae*. לְחַטָּאת In sacrificium *pro peccato*, Vs. 21. 22. 42, 13.

20. וְלָקַחְתָּה מִדָּמוֹ *Et accipies* aliquid *de sanguine ejus*, Exod. 29, 12. Levit. 4, 17. 18. וְנָתַתָּה *Eumque dabis*, s. adsperges, Levit. 4, 7. 25. 30. עַל־אַרְבַּע קַרְנוֹתָיו Vid. Vs. 15. פִּנּוֹת *Angulos*, 45, 19. Exod. 27, 2. הָעֲזָרָה *Atrii*, i. e. spatii, vid. Vs. 14. וְאֶל־הַגֵּבוּל *Et ad* s. *super terminum*, i. e loricam s. coronam circumquaque, Vs. 13. 17. 40, 12. וְחִטֵּאתָ אוֹתוֹ *Ita a peccatis purificabis* altare, s. mundabis illud, Vs. 22. 23. 45, 18. וְכִפַּרְתָּהוּ *Et expiabis illud*, Vs. 26. 45, 20. Cf. Levit. 16, 16. 33., ubi dicitur tabernaculum expiandum ab omnibus foeditatibus Israelitarum.

21. הַחַטָּאת *Pro peccato*, Vs. 19. וּשְׂרָפוֹ *Et comburet eum* aliquis, ut Levit. 4, 12. 21., ubi eadem impersonalis loquendi formula de eadem re. בְּמִפְקַד הַבַּיִת *In loco destinato domus.* Prius nomen bis praeter hunc locum occurrit, Nehem. 3, 31., ubi est nomen portae urbis Hierosolymitanae, et 2 Paral. 31, 13., ubi *mandatum* significat. LXX: ἐν τῷ ἀποκεχωρισμένῳ τοῦ οἴκου. Vulgatus: *in separato loco.* Chaldaeus: *in loco idoneo.* מְחוּץ לַמִּקְדָּשׁ *Extra sanctuarium*, ut Levit. 4, 12. 21. 8, 17. 9, 11. Num. 19, 3. hostia pro peccato extra castra cremari praecipitur.

22. וּבַיּוֹם הַשֵּׁנִי *Et die secundo* post oblatum vitulum, Vs. 19. sqq. תַּקְרִיב שְׂעִיר עִזִּים *Offeres hircum caprarum* (conf. not. ad Vs. 19.), Vs. 25. 45, 23. Levit. 9, 3. תָּמִים *Integrum*, nullo vitio deformem, aut membro captum, ut Levit. 1, 3. 10. לַחַטָּאת *In sacrificium pro peccato*, Vs. 19. וְחִטְּאוּ *Et expiabunt*, Vs. 20. Levit. 8, 15. אֶת־הַמִּזְבֵּחַ *Altare*, quod immundum et ipsum erat, ab immundis quippe hominibus exstructum. Cf. Exod. 29, 36. כַּאֲשֶׁר חִטְּאוּ בַּפָּר Vs. 20.

23. כְּכַלּוֹתְךָ *Cum* vero *absolveris*, ut 1 Sam. 13, 10. 2 Reg. 10, 25. מְחַטֵּא *Expiare*, s. offerre pro peccto, Vs. 20, 22. פַּר בֶּן־בָּקָר Vs. 19. וְאַיִל *Et arietem*, Vs. 25.

24. וְהִקְרַבְתָּם לִפְנֵי יְהוָה *Offeres ea*, inquam, *coram Jova*, Vs. 23. וְהִשְׁלִיכוּ *Et conjicient*, ut 5, 4. עֲלֵיהֶם *super illa*, s. *super illos*, juvencum et arietem, Vs. 23. מֶלַח *Salem*, vid. Levit. 2, 13. et not. ad eum loc. וְהֶעֱלוּ אוֹתָם *Et* sic *offerent ea*, 1 Sam. 6, 14. 15.

25. שִׁבְעַת יָמִים *Septem diebus*, Vs. 26. 45, 23. 25. תַּעֲשֶׂה *Facies*, offeres, Exod. 29, 36. 38. Num. 15, 8. שְׂעִיר־חַטָּאת *Hircum pro peccato*, Vs. 22 לַיּוֹם *In dies*, 4, 10. 45, 23. וּפַר בֶּן־בָּקָר וגו׳ *Juvencum etiam* etc. Vs. 19. 23. תְּמִימִם וְיַעֲשׂוּ *Integros offerent*, Vs. 23. 45, 23.

26. וְכִפְּרוּ אֶת־הַמִּזְבֵּחַ *Expiabunt altare*, Vs. 20. וּמִלְאוּ יָדָיו *Et impleant manus suas* sacerdotes, scil. sacrificiis. Conf. Exod. 28, 41. 29, 9. Levit. 8, 33., quibus locis tamen alii interpretes illa loquendi formula muneris sacerdotalis consecrationem indicari existimant, cf. not. ad Exod. 28, 41.

27. וְיכַלּוּ אֶת־הַיָּמִים *Quando autem absolverint hos dies*, ut 4, 6. 8. וְהָיָה בַיּוֹם הַשְּׁמִינִי Tum *die octavo*, cf. Lev. 9, 1. 14, 23. 23, 36. Num. 29, 35. וְהָלְאָה *Et deinceps*, 39, 22. Lev. 22, 27. Ubi illis caeremoniis dedicatum altare fuerit, licebit jam in illo reliqua peragere, quae res exegit sacrificialis et publica, qualia sunt sacrificia pro peccato, pacifica, holocausta, et quae Deum aut placant, aut gratiis exsolvendis commendant.

CAP. 44.

Argumentum.

Agitur primum de sacerdotalis atrii Orientali porta, quae soli principi futura dicitur pervia, ceteris obstructa (Vs. 1 — 15.). Et postquam gentem Israeliticam severe incusasset ob profanationem sacerdotii et templi (Vs. 4 — 8.), docet, ex qua gente et ordine futuri sint, qui ad altaris sacrum ministerium accedent. Et primum Levitas illos, qui decem tribuum insaniam amplexi sunt, ad illam curam Levitici ordinis ablegat, in quo minus splendoris est et dignitatis, ad illud videlicet ministerium et locum, quae non longe distant a profanis (Vs. 9 — 14.); sacerdotes vero Deo fideles eligere edicit (Vs. 15. 16.). Deinde quaedam praescribit, quae servare sacerdotes debeant, sive in sacerdotali instructu, sive in sacrificalibus caeremoniis, et ex quo genere, et qualem uxorem ducere, cujus funeri interesse fas sit, quae denique munera exercere, quem servare in consecratione modum, edocet (Vs. 17 — 20.). Ad extremum ostendit, quam large illis a Deo de rebus ad domesticos usus necessariis provisum sit, ut ipsi de se omnem curam et sollicitudinem abjiciant (Vs. 28 — 31.).

1. וַיָּשֶׁב אֹתִי *Postea reduxit me Jova* (Vs. 2. 5.), scil. ab altari holocaustorum, et ex atrio interiori, 43, 13. sqq. Cf. 47, 1. 6. דֶּרֶךְ שַׁעַר הַמִּקְדָּשׁ *Via portae*, vel *versus portam sanctuarii*, Vs. 4. 43, 1. הַחִיצוֹן *Exteriorem*, 41, 17., de interiori, cf. 45, 1. הַפְּנֶה קָדִים *Quae ortum versus spectabant*, Vs. 2. 40, 1. 43, 1. 46, 1. וְהוּא סָגוּר *Illaque clausa* erat, Vs. 2.

2. Ratio redditur, cur porta illa orientalis interioris atrii promiscuae atque vulgari multitudini non pervia futura sit, כִּי יְהוָה אֱלֹהֵי־יִשְׂרָאֵל בָּא בוֹ *quia Jova, Deus Israelis, intravit per eam*, quia, quum a divino vestigio calcata fuerit, non decuit, ut cuilibet pateret e populo. Ingressus autem dicitur Dominus per portam orientalem sanctuarii 43, 4.

3. אֶת־הַנָּשִׂיא *Quod* tamen *ad principem* attinet, ut אֶת 20, 16. LXX haec verba non expresserunt. Chaldaeus: *principis erit*, quasi אֶת hic Genitivum indicaret, vel loco לְ positum

sit. Eundem sensum forsan exprimere voluit Vulgatus, qui vertit, *erit clausa principi*, id est, in usum gratiamque principis; nam si ei claudenda fuerit, non potuisset per eam ingredi ad offerenda sacrificia, 46, 12. Alii: *praeterquam principi*, quod tamen displicet Noldio, qui in *Concordantt. Particular.* not. 627. p. 800. edit. Tymp. observat, *principem* non magis hic excipi, quam *populum*, quia et principi claudebatur, nisi Sabbatho et Novilunio, quo tempore aeque populo ac principi fuit aperta, vid. infra 46, 2. „Videtur tamen (addit) *Princeps* hoc habuisse singulare, quod coram ipso potuit haec aperiri porta, quoties veniret cum sacrificiis *voluntariis* aut *eucharisticis*, 46, 12., etiam extra sabbatha. Quod non legimus concessum populo.“ Lightfoot in *Descript. Templi Hierosol.* (in *Opp.* T. I. p. 605.) *exteriorem* Sanctuarii portam orientalem perpetuo, *interiorem* vero sex tantum diebus hebdomatis clausam fuisse existimat. Ceterum Hebraei *principe*, de quo hoc loco, *Messiam* intelligendum esse observant, nec in sine ratione. Nam supra 34, 24. promisit vates Israelitis, *servum Dei*, *Davidem* (Messiam) ipsis principem futurum. Jam vero in hac etiam visione fit mentio *principis*, cui infra, in terrae distributione, peculiaris terrae portio adsignatur, infra 46, 16. sqq. נָשִׂיא הוּא יֵשֵׁב־בּוֹ *Princeps* ille *est*, ideo *sedebit in ea.* לֶאֱכוֹל־לֶחֶם לִפְנֵי יְהוָה *Ut comedat panem coram Domino*, eum nempe spontaneum obtulerit holocaustum, vid. 46, 2. 12. לֶחֶם hic, sicut aliis in locis, saepe pro *quocunque* sumitur *cibo*, licet nihil habet frumentaceum. בְּמֶרְחַ — יֵצֵא, *Per viam portae vestibuli ingredietur, et per viam ejus egredietur*, ut Vulgatus vertit, i. e. ingredietur recta per orientalem portam, per vestibuli videlicet viam popularis atrii (40, 8. 9.), et per illam item egredietur, cf. infra 46, 2.

4. דֶּרֶךְ־שַׁעַר־הַצָּפוֹן *Per viam portae aquilonaris*, 40, 20, 35. אֶל־פְּנֵי הַבַּיִת *Ad facies domus*, s. *ante domum*, 41, 4, 14. מָלְאָה כְּבוֹד־יְהוָה *Impleverat gloria Domini* templum, 43, 5. וָאֶפֹּל אֶל־פָּנַי *Et cecidi in faciem*, 1, 28.

5. שִׂים לִבְּךָ *Adverte cor tuum*, vid. 40, 4. וְכָל־חֻקּוֹת 43, 11. 12. בֵּית־יְהוָה לַמְבוֹא הַבַּיִת *Ad introitum domus*, cf. 46, 19. מוֹצָאֵי הַמִּקְדָּשׁ בְּכָל *Cum omnibus exitibus sanctuarii*, i. e. et ad omnes exitus ejus, cf. 42, 11. 43, 11.

6. אֶל־מְרִי *Ad inobedientiam* ipsam, i. e. ad rebelles, vid. 2, 8. et ibid. not. רַב־לָכֶם מִכֹּל־תּוֹעֲבֹתֵיכֶם *Multum* est *vobis*, *ex omnibus abominationibus vestris*, i. e. *sufficient vobis omnia scelera vestra*, uti Vulgatus vertit. Cf. 45, 9. Num. 16, 3. 7.

7. בְּהָבִיאֲכֶם *Cum introduxistis*, vel *introduxeritis*. בְּנֵי־נֵכָר *Alienigenas*, quibus Jarchi intelligit tales, qui deorum peregrinorum cultu ipsos sese a Deo abalienarunt, simulacrorum cultores, Exod. 20, 3. Deut. 11, 16., quos statim *praeputiatos corde* vocat. Cf. Vs. 10. Sed nihil impedit, quo minus intelli-

gantur qui proprie sunt *exteri*, non ortu Israelitae, qui quod veteribus superstitionibus dediti essent, non solum a sacro ministerio, sed etiam a loco sacro arceri debebant, unde Jeremias Thren. 1, 10. queritur: *Vidit* (Hierosolyma) *gentes ingressas sanctuarium tuum, de quibus praeceperas, ne intrarent in sanctuarium tuum.* Cf. Deut. 23, 4., et Jes. 2, 6., ubi Israelitae accusantur, quod *peregrinis* (בְּיַלְדֵי נֵכָרִים), s. exteris superstitionibus deditis acquiescerent. Nostro vero loco ob hanc quoque causam reprehendi videntur Israelitae, quod ex illorum manibus victimas accipiebant, et libamina, quae offerrent in templo, quum tamen cautum esset, ne e gentilibus quod in templum per alienas etiam manus oblationis genus inferretur, Levit. 22, 25. *De manu alienigenae non offeretis panes Deo vestro, et quicquid aliud dare voluerit; quia corrupta et maculata sunt omnia, non suscipietis ea.* עַרְלֵי־לֵב *Praeputiatos quoad cor*, i. e. ad falsorum deorum cultum et superstitiones propensos, vid. not. ad Deut. 10, 16. Cf. Levit. 26, 41. Jerem. 4, 4. 9, 25. Rom. 2, 29. וְעַרְלֵי בָשָׂר *Et praeputiatos quoad carnem*, i. e. barbaros, vid. quae in hac ipsa nota paullo antea dicta sunt. Jarchi *praeputiato carne* h. l. intelligendum censet *sacerdotem, cujus fratres mortui sint ex circumcisione*, i. e. incircumcisum ipsum; nam si matri alicui primus et secundus infans moriatur, tertius non statim die octavo, vel etiam omnino non, circumciditur; ejusmodi sacerdos praeputiatus non poterat לשרת לפני יהוה *ministrare coram Domino*, ut Kimchi h. l. habet. Sed videntur h. l. *incircumcisis corde* et *incircumcisis carne* significari et *exteri* et Israelitae exteris superstitionibus dediti, coll. Jerem. 9, 25. כָּל־הַגּוֹיִם עֲרֵלִים וְכָל־בֵּית יִשְׂרָאֵל עַרְלֵי־לֵב *Omnes gentes praeputiatae sunt* carne (ut ibi addunt LXX, Chaldaeus et Syrus), *sed Israelitae omnes praeputiati corde.* בְּהַקְרִיבְכֶם *Quum offerretis* (ut Num. 28, 26.), tam vos ipsi animo a me alieno, quam quae a gentilibus oblata essent. לַחְמִי *Cibum meum*, i. e. carnes in sacrificiis oblatas, ut Levit. 3, 11. 21, 6. Num. 28, 2. חֵלֶב וְדָם *Adipem et sanguinem* victimarum, ut infra Vs. 15. וַיָּפֵרוּ אֶת־בְּרִיתִי *Et irritum fecerunt foedus meum*, cf. supra 16, 59. Levit. 26, 15. Mal. 2, 8. Persona tertia pro secunda, quam poscunt suffixa in בַּהֲבִיאָכֶם, בְּהַקְרִיבְכֶם, et proximo תּוֹעֲבֹתֵיכֶם, enallage Nostro frequenti. Alii retinent tertiam personam, quam ita explicant: fecerunt isti peregrini, ut vos pactum meum dissolveritis, dum eorum dona ad altare meum adoletis, aut ipsi ad sacrum altaris ministerium vocantur. אֶל כָּל־תּוֹעֲבֹתֵיכֶם *Per* s. *propter omnia abominanda vestra* facinora; אֶל pro עַל, ut saepissime alias, i. q. מִכָּל־תּוֹעֲבֹתֵיכֶם, supra Vs. 6., sive בְּכָל־תּוֹעֲבֹתֵיכֶם 5, 11.

8. וְלֹא שְׁמַרְתֶּם מִשְׁמֶרֶת קָדָשָׁי *Neque observastis* (ut Mal. 3, 7.) *custodiam sanctuarii mei*, id est, ut Vulgatus vertit, *et*

non servastis praecepta sanctuarii mei, i. e. ritus et leges, quas in sanctuario meo servari volui, contemsistis, ut supra 40, 45. 46. וַתְּשִׂימוּן מִשְׁמֶרֶת הַבַּיִת *Sed posuistis*, constituistis, ut Jes. 3, 7. 2 Paral. 23, 18. לְשֹׁמְרֵי מִשְׁמַרְתִּי בְּמִקְדָּשִׁי לָכֶם *In custodes observantiae meae in sanctuario meo vobis*, i. e. arbitrio vestro, ut Jarchi exponit, non ex legis praescripto, constituistis sacerdotes, qui caeremonias custodirent, et ritus, quos Deus de re sacrificali sacerdotibus indixisset. Cf. 1 Reg. 12, 31., ubi Jeroboamus narratur constituisse sacerdotes, qui essent de vulgo, non Levitae. Alii לָכֶם *qui pro vobis sint* explicant (per usitatam ellipsin pronominis relativi, ut 7, 13. 20, 25. al.), quasi dicat Deus, non tam mihi custodes, quam vobismet ipsis quaerebatis; neque enim eo vestrum incumbebat studium, ut sacerdotes a vobis constituti honori ac voluntati meae; sed ut vestrae cupiditati et voluptati servirent. Non suo caret pondere illud בְּמִקְדָּשִׁי, *in sanctuario meo*, quo indicat Deus, grave sibi esse, quod in illo sanctuario, quod Deus in suum sibi honorem sacrari voluit, suae homines commoditati seu libidini servirent.

9. כֹּל־בֶּן־נֵכָר וגו׳ Vid. Vs. 7. לֹא יָבוֹא אֶל־מִקְדָּשִׁי *Non intrabit in sanctuarium meum*, cf. Jes. 52, 1. sqq. 60, 21. Apoc. 21, 27. לְכָל־בֶּן־נֵכָר *Omni*, inquam, *filio peregrini*, peregrino scil. id vetitum est. Sive: *ad omnem peregrinum* pertinet hoc interdictum. אֲשֶׁר בְּתוֹךְ בְּנֵי יִשְׂרָאֵל *Qui est inter Israelitas*, i. e. qui inter eos habitat. Quum autem cum Israelitis aliquid habere commercii, aut familiarem convictum alienigena non poterat, nisi, abjurata patria religione, Israeliticam esset amplexus; videtur hic de *proselytis* sermo esse; qui quum non sint ex genere Israelitico, Israeliticam tamen religionem amplexi sunt: hi igitur a sacro ministerio arcentur, quia ex genere Levitico non sunt. Nam de Levitis ipsis Vs. sq. agitur.

10. Non solum alienigenae, aut qui e Levitico genere non sunt, arcentur a sacro ministerio, sed ipsi etiam Levitae, qui deserto templo, cujus ministeriis alligati fuerant, et avita religione prodita, sequuti sunt simulacrorum cultum. Illi ergo, licet non omnino excludantur a templo, tamen illa in templo munera obire jubentur, in quibus et splendoris esset minus, et plus laboris atque molestiae. Neque enim tam erunt sacerdotes, quam sacerdotibus ad sacrificale munus administri: erunt enim janitores et aeditui; jugulabunt holocausta et victimas, praestabunt denique servilem quandam operam, aut servili proximam, sacerdotibus. כִּי אִם *Sed*, particula adversativa, ut 2 Sam. 13, 33. Jes. 33, 21. הַלְוִיִּם *Levitae*, i. e. (Kimchi notante) sacerdotes, nam omnis sacerdos fuit de tribu Levi, cf. Num. 3, 2. sqq. אֲשֶׁר רָחֲקוּ מֵעָלַי *Qui recesserunt a me*, ut Jer. 2, 5. Jarchi: „Ita facietis illis Levitis, qui a meo cultu defecerunt, sed poenitentiam egerunt.“ בְּתַעוֹת יִשְׂרָאֵל *In errore filiorum Israel*, uti Vulgatus

vertit, i. e. qui decem tribuum vestigia presserunt, et simulacris divinos honores impenderunt. אֲשֶׁר תָּעוּ מֵעָלַי *Qui* Israelitae, s. ut alii, *postquam* illi, Levitae, *aberrarunt a me*, cf. Vs. 15. 48, 11. אַחֲרֵי גִלּוּלֵיהֶם *Post idola sua*, ut recte Vulgatus, 6, 4. 8, 10. 14, 3. וְנָשְׂאוּ עֲוֹנָם *Portabunt iniquitatem suam*, i. e. poenam iniquitati debitam. Vulgatus in tempore praeterito: *et portaverunt iniquitatem suam*, i. e. qui erroris sui poenas dederunt, gravi exsilio et servitute mulctati. Sed rectius in futuro tempore haec verba capiuntur; nam Versu proximo exponitur, quomodo sint mulctandi.

11. וְהָיוּ בְמִקְדָּשִׁי מְשָׁרְתִים *Erunt in Sanctuario meo ministrantes*, ad inferiora ministeria amandati a sacerdotali dignitate. Vulgatus: *erunt in Sanctuario meo aeditui.* פְּקֻדּוֹת אֶל־שַׁעֲרֵי הַבַּיִת Tanquam *custodiae*, i. e. custodes constituti *ad portas* exteriores *templi*, cf. 40, 45. 46. Vulgatus: *et janitores portarum domus.* Eodem modo abstractum פְּקֻדּוֹת ponitur pro concreto 2 Reg. 11, 18. 1 Paral. 24, 19. וּמְשָׁרְתִים אֶת־הַבַּיִת *Et ministrantes domui*, 46, 24. הֵמָּה יִשְׁחֲטוּ אֶת־הָעֹלָה וְאֶת־הַזֶּבַח *Ipsi mactabunt holocausta et victimas.* Jarchi: „Ea in in templo officia praestabunt, quae alienigenae, et servi, et mulieres praestare possent.“ לָעָם *Pro populo;* nam ex lege veteri (Lev. 1, 5. 11. 3, 2. 4, 29. 30.) is, qui sacrificium obtulit, ipse victimam mactare debuit. וְהֵמָּה יַעַמְדוּ לִפְנֵיהֶם *Ipsi etiam* Levitae *stabant ante illos*, solennis formula de iis, qui apparitores coram aliquo stant, vid. Vs. 15., Genes. 41, 46. Deut. 1, 38. 1 Sam. 16, 21. 1 Reg. 10, 8. Luc. 1, 19. לְשָׁרְתָם *Ad ministrandum eis*, Israelitis, vid. Num. 16, 9. et ad eum loc. not.

12. יַעַן אֲשֶׁר *Propterea quod*, 16, 43. 21, 9. וַיְשָׁרְתוּ אוֹתָם *Ministraverunt eis*, eadem constructio Num. 3, 6. 8, 26. לִפְנֵי גִלּוּלֵיהֶם *Ante idola eorum*, Vs. 10. vid. 2 Reg. 23, 8. 9. לְמִכְשׁוֹל *Offendiculo ad iniquitatem*, vel, *in offendiculum iniquitatis*, ut Vulgatus vertit, i. e. aliis ad scelus et ruinam scandalo fuerunt; cf. 18, 30., Mal. 2, 8. נָשָׂאתִי יָדִי עֲלֵיהֶם *Elevavi manum meam super eos*, i. e. juravi, ut Chaldaeus recte vertit, vid. not. ad 20, 5. וְנָשְׂאוּ עֲוֹנָם *Et portabunt* s. luent *iniquitatem suam*, Vs. 10. 14, 10.

13. וְלֹא־יִגְּשׁוּ אֵלַי *Nimirum non accedent ad me*, Exod. 24, 2. לְכַהֵן לִי *Ut sacerdotio fungantur mihi*, ut Vulgatus recte, Exod. 29, 1.; cf. Hos. 4, 6. וְלָגֶשֶׁת עַל־כָּל־קָדָשַׁי *Et ut accedant ad ulla sacra mea.* Ex. 28, 43. 30, 20. אֶל־קָדְשֵׁי הַקָּדָשִׁים vid. supra 42, 13. Num. 4, 19. וְנָשְׂאוּ כְלִמָּתָם *Sed ferent ignominiam suam*, Vs. 10. 12. 16, 52.

14. וְנָתַתִּי אוֹתָם *Ideo dabo*, constituam, *eos*, 33, 2. שֹׁמְרֵי מִשְׁמֶרֶת הַבַּיִת Tantummodo *custodientes custodiam domus*, i. e. observatores, *janitores*, ut Vulgatus vertit, cf. Vs. 8. 15. 40, 45. 46. לְכֹל עֲבֹדָתוֹ *Ad omne opus* s. *ministerium ipsius*

Num. 3, 26., i. e. ut servilem operam praestent iis, quae ab aliis in Sanctuario ficut. וּלְכֹל אֲשֶׁר יֵעָשֶׂה בּוֹ *Et ad omne, quod debet peragi in ea.*

15. Longe erit alia conditio illorum, qui ex eodem prognati genere Levitico, diversum tamen vivendi, atque sacrificandi genus sequuti sunt. Hi vero fuere, qui orti sunt ab illo summo Pontifice Zadok, qui primus omnium in templo a Salomone constructo sacrificavit (1 Reg. 2, 35.). Qui ut ipse legitimos tenuit sacrificandi ritus, sic etiam posteri, paternis ingressi vestigiis, eandem in sacrificando legem servaverunt. His ergo Deus gratificatus, graviora promittit munera, et magis illustre ministerium. בְּנֵי צָדוֹק Vid. supra ad 40, 40. אֲשֶׁר שָׁמְרוּ אֶת־מִשְׁמֶרֶת מִקְדָּשִׁי *Qui custodierunt ceremonias Sanctuarii mei*, Vulgatus recte vertit. Cf. 2 Paral. 7, 6. בְּתֵעוֹת בְּנֵי־יִשְׂרָאֵל מֵעָלַי *Dum*, s. *quando Israelitae a me aberrarunt*, Vs. 10. 48, 11. וְעָמְדוּ Vid. Vs. 11. לִפְנֵי לְהַקְרִיב לִי חֵלֶב וָדָם Vid. Vs. 7.

16. הֵמָּה יָבֹאוּ אֶל־מִקְדָּשִׁי *Ipsis licebit Sanctuarium meum ingredi; Sanctuarium* hic intelligendum, quod proprie sic dicitur, ad quod non omnibus e Levitico genere patebat ingressus. אֶל־שֻׁלְחָנִי *Ad mensam meam*, qua alii altare thymiatum, alii mensam illam, in qua panes propositionis collocati erant, intelligunt, vid. supra ad 41, 22.

17. Postquam ex Levitico ordine illos elegit, quos Sacerdotes esse voluit, sibique praeter ceteros familiares et assiduos, tradit leges, quas servare debeant, cum sacrificandi causa interioris atrii portas ingrediantur. וְהָיָה בְּבוֹאָם *Fiet igitur, quando intrabunt*, Vs. 16. 21. 42, 14. אֶל־שַׁעֲרֵי חֲצַר הַפְּנִימִית *Ad portas atrii interioris*, 10, 3. 42, 4. בִּגְדֵי פִשְׁתִּים *Vestes lineas* induent, Vs. 18. Levit. 13, 47. Idem sacerdotibus praescribitur Levit. 16, 4. וְלֹא־תַעֲלֶה עֲלֵיהֶם *Nec ascendat super eos*, i. e. ne induatur iis, ut Levit. 19, 19., cf. supra 37, 6. צֶמֶר *Lana* s. lanea vestis, cf. supra 34, 3. Quod laneum est, minus censebatur purum, quam quod lineum, et habere videbatur aliquid immundi ab animali, unde detonsum vellus, ex quo lanea tegumenta texuntur. Quare et apud alias gentes vestimenta sacra fuere linea; vid. Braunii *Vestit. Sacerdott. Hebraeor.* Lib. I. C. 6. §. 94. edit. sec. בְּשָׁרְתָם *Quum ministrabunt* intra portas etc. וּבְיתָה *Et intus*, in ipso templo. Jarchi: „Intra adytum, s. Sanctum Sanctorum."

18. פַּאֲרֵי *Ornamenta*, cidares, vid. Exod. 39, 28., cf. Jes. 41, 3. 10. 42, 3. וּמִכְנְסֵי פִשְׁתִּים *Et femoralia linea*, vid. Exod. 28, 42., et ad eum loc. not. לֹא יַחְגֹּרוּ *Non accingent se*, Lev. 8, 7. 13. 14, 4. בְּיזֵעַ Vulgatus vertit *in sudore*, quasi יֵזַע ejusdem cum זֵעָה, *sudor*, Genes. 3, 19. sit significationis. Quod autem *in sudore*, i. e. cum membra sudore madent, sacerdotes sese accingere prohibeantur, ideo fieri existimant, ne sacrae ve-

stes contaminentur, et graviter oleant a sudore. Alii *in sudore*, i. e. ne festinato ac tumultarie sacris vestimentis se operiant, exponunt; sed ut sacerdotes attente et devote ad altaris ministerium accedant. Jarchi בְּזִוְע *veste lanea sudorem excitante* interpretatur. LXX verterunt *βία*, quasi caveretur, ne cingulum nimia vi et nimis arcte vinctum esset, hoc autem pacto afferret inquietudinem homini. Et illud quidem, observante Michaele in *Supplemm.* p. 1071., potuerit זֵעַ significare, coll. Arab. وزع *cohibere*, *coërcere*. Hieronymus: „Quodque sequitur juxta Septuaginta, *et non accingentur violenter*, pro quo Aquila et Symmachus transtulerunt, *in sudore*, Theodotio, ipsum verbum Hebraicum exprimens, posuit *in Jeze;* Aquilae secunda editio, *Busa* (videntur ergo olim codices extitisse, in quibus בְּזָעַ scriptum fuerit), per quod significat, non eos violenter, arcte et constricte, instar vinctorum, esse cingendus, ne in ministeriis sacerdotalibus atque leviticis inhabiles fiant, et tenere et caedere victimas, attrahere quoque nequeant atque discurrere.“ In qua quidem interpretatione, utpote vetustissima, et bonum sensum fundente, et nobis acquiescendum videtur.

19. וּבְצֵאתָם *Cum vero exibunt* s. *prodibunt*, 46, 10. אֶל־הֶחָצֵר הַחִיצוֹנָה Vid. 42, 14., ubi haec eadem paene occurrunt verba. Rationem vero repetitionis horum vocabulorum Jarchi reddit hanc, quod, quum vates loquutus esset de *adyto*, quod supra Vs. 17. *atrium interius* vocaverat, e quo egredienti obvium erat atrium Israelitarum, illum repetito *ad atrium exterius* indicare, se de atrio mulierum loqui, de illo videlicet loco, ubi omnes Israelitae congregantur. יִפְשְׁטוּ אֶת־בְּגָדֵיהֶם 26, 16. Cf. Levit. 6, 4. 16, 23. אֲשֶׁר־הֵמָּה מְשָׁרְתִים בָּם *Quibus ministrant* Deo Vs. 17. וְהִתְנִיחוּ אוֹתָם וגו׳ Vid. 42, 14. וְלֹא־יְקַדְּשׁוּ אֶת־הָעָם בִּבְגָדֵיהֶם *Nec sanctificabunt populum in illis vestibus suis*, quod Chaldaeus sic vertit: *nec commiscebuntur cum populo in vestibus suis*, et Jarchi ita explicat: „ac si diceret, non tangant sancta.“ Cf. Levit. 6, 10. et infra 46, 20.

20. וְרֹאשָׁם לֹא יְגַלֵּחוּ *Caput autem suum non radent*, ita, ut omnem comam removeant, Levit. 21, 4., et cf. not. ad Lev. 19, 27. וּפֶרַע *Comam* tamen etiam, *caesariem*, Num. 6, 5. לֹא יְשַׁלֵּחוּ *Non promittant*, ut supra 17, 6. 7. Edicitur itaque sacerdotibus, ut in coma nutrienda quandam teneant mediocritatem, ita ut neque raso incedant, neque nimium capillato capite. Atque adeo videtur etiam prohibere, ne voto se Naziraeatus obstringant, quia super Naziraeorum caput novaculam ascendere religio vetabat, Num. 6, 1. sqq. 1 Sam. 1, 11. Hieronymus: „Perspicue demonstratur, nec rasis capitibus, sicut sacerdotes cultores Isidis atque Serapis non esse debere, nec rursus comam dimittere, quod proprie luxuriosorum est, barbarorumque et militantium.“ כָּסוֹם יְכַסְּמוּ רָאשֵׁיהֶם LXX vertunt *καλύπτοντες καλύψωσι τὰς*

κεφαλὰς αὐτῶν, Vulgatus vero, *sed tondentes attondent capita sua.* Ita et Chaldaeus: *tondendo tondebunt pilos capitum suorum.* Quae ipsa verba et apud Syrum leguntur. Verbum בָּסַם, hoc solo loco obvium, Hebraei *tondere mensura aequali* exponunt.

21. וְיַיִן לֹא־יִשְׁתּוּ כָל־כֹּהֵן וגו׳ *Neque vinum bibat ullus sacerdos, quando ingressurus est atrium interius*, i. e. in templum, vid. Vs. 17. Haec sumta sunt e Levit. 10, 9., ubi Aaroni praecipitur: *Vinum, et omne, quod inebriare potest, non bibetis, tu, et filii tui, quando intratis in tabernaculum testimonii, ne moriamini.* Capitale igitur sacerdotibus erat, si sacris operaturi vinum antea biberint, quia qui rem tantam aggrediebantur, vigilantes esse oportebat, et sobrios, ne aestuantes a calore vini aliquid admitterent indecore. Quae causa redditur laudato Levitici loco Vs. 10. *Ut habeatis scientiam discernendi inter sacrum et profanum, inter pollutum et mundum.*

22. וְאַלְמָנָה וּגְרוּשָׁה וגו׳ *Porro*, quod ad nuptias horum sacerdotum attinet, *viduam et repudiatam non ducant uxores.* In codice veteri s. Mosaico Levit. 21, 14. soli Pontifici maximo viduam uxorem ducere vetitum erat (vid. Wagenseilii Not. ad codicem Talmudic. *Sota*, p. 555. sqq.); sed futuri templi tanta erit sanctitas, ut nec ceteri sacerdotes viduas aut repudium passas, sed solas virgines ducturi sint. כִּי אִם־בְּתוּלֹת *Sed virgines* tantum, Levit. 21, 13. Licebit eis tamen, ut addit Noster, ducere *viduas sacerdotum* (אַלְמָנָה מִכֹּהֵן) defunctorum, quod eae, Abarbenele observante, quia sacerdotibus nuptae fuerunt, sanctimoniae atque puritatis aliis observantiores credebantur. Plerique tamen ex Hebraeis interpretes in priore hujus commatis parte de solo *summo pontifice*, posteriore vero de reliquis, s. *gregariis sacerdotibus* sermonem esse volunt, ut מִכֹּהֵן significet, *sunt ex sacerdotibus*, quibus viduas sacerdotum uxores ducere licet. Ita Kimchi: „Quod si quis contendat, in principio commatis de *summo pontifice* sermonem prophetae esse; sensus verborum postremorum, מִכֹּהֵן יִקָּחוּ, hic erit, *quidam sacerdotum*, s. aliqui ex ordine sacerdotali, *ducent.* Atque sic exponunt Magistri nostri, piae memoriae (i. e. doctores Talmudici) haec verba. Quin et hunc sensum expressit Jonathan, dum vertit, שְׁאָר כַּהֲנַיָּא יְסָבוּן, *ceteri sacerdotes ducent.*“ Eodem sensu verba nostra accipienda esse, et illi, qui accentus apposuerunt, videntur eo indicasse, quod nomini אַלְמָנָה accentum distinctivum *Sakeph-Katon* apposuere, ut igitur non sit vertendum: *viduam a sacerdote* mortuo derelictam *ducent*, sed אַלְמָנָה iis quae proxime praecesserunt verbis sit jungendum, hoc sensu: *sed viduam, quae sit vidua* vere talis, quae repudium non sit passa, alii *ex sacerdotibus ducant.* Quae tamen interpretatio videtur hanc legem cum vetere Mosaica conciliandi studio originem debere. Genuinum vatis sensum haud dubito expressum a LXX: καὶ

χήρα ἐὰν γένηται ἐξ ἱερέως λήψονται, et a Vulgato: *sed et viduam, quae fuerat vidua a sacerdote, accipient.*

23. וְאֶת־עַמִּי יוֹרוּ *Et populum meum docebunt*, cf. Deut. 17, 10. 11. 33, 10. בֵּין קֹדֶשׁ לְחֹל *Discrimen* (ut supra 40, 7. Levit. 27, 12. 2 Sam. 19, 36.) *Sancti ad commune*, i. e. distinguere inter sanctum et profanum, quod Dei et quod hominis est. Eadem leguntur Levit. 10, 10. Cf. supra 22, 26. 42, 20. Mal. 2, 7. וּבֵין־טָמֵא לְטָהוֹר *Et discrimen immundi et mundi.* Ambigue hoc positum est, utrum illa *sacra*, quae rite, vel non rite fierent, distinguere voluit sacerdotes, an ipsos *homines* probandos vel improbandos, an potius ad utrumque referendum est, sive homines, sive sacra? Sed vix dubium, utrumque subjectum fuisse sacerdotum judicio. Horum plurima quidem ad sacrificia pertinent, quae videlicet adhiberi possent, quia immaculata, et idonea sacrificiis, et quae ab altari, quasi maculata et inepta, repelli debeant. Verum de hominibus idem erat judicium, quia multa erant vitia, quae homines ab altaris ministerio submoverent, de quibus Levit. 21. Multa in profanis, de quibus sacerdotum judicio decerni debuit, qui multis modis pollui poterant, et multis etiam modis lustrari debebant, ut de leprosis, seminifluis, etc. Vid. Lev. C. 11—16. יוֹדִיעֻם *Docebunt eos*, 16, 2., *ostendent eis*, ut Vulgatus vertit.

24. וְעַל־רִיב *Super lite quoque*, s. *controversia civili*, 2 Paral. 19, 8. הֵמָּה יַעַמְדוּ לְמִשְׁפָּט *Ipsi stabunt*, parati (ut Jes. 3, 13.) *ad judicium ferendum*, Ps. 94, 15. 122, 5. Quae in textu scriptae sunt literae לִשְׁפֹּט efferendae, sensu eodem. בְּמִשְׁפָּטַי *Meis judiciis*, i. e. secundum praescriptas a me leges. יִשְׁפְּטֻהוּ *Judicanto eum*, populum meum, Vs. 23. Alii suffixum ad רִיב referunt, hoc sensu: dirimant litem secundum normam, quae in Lege praescribitur. De hoc sacerdotali muncre eadem leguntur Deut. 17, 8. sqq. 21, 5. Ex qua lege Josaphatus judices ex Levitis et Sacerdotibus constituisse narratur, 2 Paral. 19, 8. Chethibh est וּשְׁפָטֻהוּ, *et judicent eum*, pronunciandum. Haec de controversiis, quas suo arbitratu, et ex praescripto Legis sacerdotes decidunt. Nunc de aliis, quae ad religionem ritusque sacrorum spectant, praecepta traduntur. וְאֶת־תּוֹרֹתַי וְאֶת־חֻקֹּתַי *Et leges meas ac statuta mea*, ut Genes. 26, 5. בְּכָל־מוֹעֲדַי *In omnibus temporibus constitutis meis*, i. e. festis, solennitatibus, mei cultus causa institutis, Levit. 23, 3. יִשְׁמֹרוּ *Servabunt* non solum ipsi, verum et curabunt, ut serventur ab aliis illa de solennitatibus rebusque sacris obeundis praecepta, quae a me tradita sunt. וְאֶת־שַׁבְּתוֹתַי יְקַדֵּשׁוּ *Et sabbata mea sanctificabunt*, ut supra 20, 20, et ne ab aliis illorum sanctitas violetur, vigilent.

25. וְאֶל־מֵת אָדָם לֹא יָבוֹא *Et ad mortuum*, cadaver, *hominis non veniet*, s. accedat; haec eadem habes Levit. 21, 1.

sqq. לְטַמְּאָה *Ut polluat se*, aut impuretur, 22, 3. Contaminari censebantur, qui mortuum tangebant; quare sacerdotes, quos Deus prae ceteris puros esse voluit et mundos, a mortuis alienos esse decebat. Excipiuntur tamen illi, qui magis sunt naturae communitate conjuneti, pater videlicet et mater, filius et filia, frater et soror. Apud alias quoque gentes cautum erat, ne Pontifex mortuorum se attactu aut funere pollueret. Sic de flamine diali GELLIUS *Noctt. Atticc.* 10, 15. *Locum, in quo bustum est, numquam ingreditur, mortuum numquam attingit.* וְלָאָחוֹת אֲשֶׁר־לֹא־הָיְתָה לְאִישׁ *Et propter sororem, quae non est nupta viro*, ut Levit. 21, 3. Cur vero sororis funeri, quae viro nupsit, sacerdos interesse non possit, ea ratio est, quia nuptiali jure in viri familiam cooptata jam est, neque ad paternam domum pertinere existimatur. יִטַּמָּאוּ *Contaminent se* (Hithpael, ut Hos. 9, 4.), i. e. horum tantum funere contaminari fas erit sacerdotibus, ut Hebraei observant, aliis a summo; nam Pontifici maximo parentum funeri, quantumvis existimetur debitae pietatis officium, interesse nullo modo permissum fuerat ex lege, quae Levit. 21, 10. 11. exstat.

26. וְאַחֲרֵי טָהֳרָתוֹ *Et post mundationem sui*, postquam purificatus fuerit, ut Lev. 13. 35. שִׁבְעַת יָמִים יִסְפְּרוּ־לוֹ *Septem dies numerabunt ei* scil. ceteri sacerdotes, collegae sui, ut Kimchi notat, non ipse, ut, si in numerando per errorem lapsus fuerit, eum a Sanctuario prohibeant. Conf. Num. 19, 11. 12. Ceterum ambiguum est, an exacto statim illo septem dierum spatio, tabernaculum posset sacerdos ingredi, et operari, sicut antea, sacris, an vero post illam purgationem exspectari debeant septem alii dies, antequam ad consueta redeat ministeria, ita ut a contaminatione ad ingressum Sanctuarii, sacerdotaleque ministerium quatuordecim dies intercedant. Postremum hoc non obscure indicat textus ipse, qui ab emundatione septem enumerat dies. Ita et HIERONYMUS: „Postquam autem sacerdos fuerit emundatus purificationis ordine, quae in Mosaica lege conscripta est, septem dies numerabuntur ei, ut introeat Sancta Sanctorum, hoc est enim interius atrium (Vs. 27.)." Aliter sentire videntur Hebraei, Jarchi et Kimchi, qui illud אַחֲרֵי טָהֳרָתוֹ exponunt: *postquam ipse semet separaverit a mortuo.*

27. וּבְיוֹם בֹּאוֹ *In die vero, quo intrat*, Vs. 17. Sunt, qui hoc Versu praecipi existiment, quid sacerdoti sit observandum, cum post emundationem a contactu mortui iterum primum in templo comparet. Sed Hebraei observant, agi hic de prima sacerdotum consecratione, docerique, quid offerre debeant, quo primum tempore a profana turba separati, et sacris addicti ministeriis, templum ingrediuntur. אֶל־הַקֹּדֶשׁ גו׳ *in Sanctuarium, in atrium interius*, i. e. sacerdotale, Vs. 17., in quo nihil fieri debet, nisi sanctum. יַקְרִיב חַטָּאתוֹ *Offeret sacrificium suum pro peccato*, i. e. decimam partem Ephi similae frixae in sarta-

gine, quae sacerdoti offerenda erat die consecrationis suae, ex lege Levit. 6, 13. sqq.

28. וְהָיְתָה לָהֶם לְנַחֲלָה אֲנִי נַחֲלָתָם *Eritque eis in hereditatem* illud, quod *ego hereditas eorum*, quod, dum cultui sacro addicti sunt, ex iis quae Deo offeruntur omnibus non solum ad usus necessarios, verum etiam ad satietatem abundabunt. Petita haec sunt e Num. 18, 20. Deut. 10, 9. 18, 1. Jos. 13, 14. 33. Alii, ut Michaelis, verba illa hebraica hoc modo capiunt: *erit illis hereditati* sacerdotium ipsorum (כְּהֻנָּתָם), quod ex loco parallelo Jos. 18, 7. addunt, ubi haec leguntur: *nulla sit portio Levitis inter vos*, כִּי־כְהֻנַּת יְהוָה נַחֲלָתוֹ, *nam sacerdotium Dei est hereditas eorum.*

29. הַמִּנְחָה *Oblationem*, i. e. sacrificium ex farre, Levit. 2, 1., infra 45, 15. וְהַחַטָּאת וְהָאָשָׁם *Et victimam pro peccato et pro delicto*, Lev. 4, 1. sqq. 7, 1. sqq. הֵמָּה יֹאכְלוּם *Ipsi* sacerdotes *comedent ea*, Lev. 6, 9. 8, 31. וְכָל־חֵרֶם *Omne etiam devotum*, i. e. omnis res, quae Deo devovetur, ut e profana fiat sancta, vid. Lev. 27, 21. 28. 29.

30. וְרֵאשִׁית *Et primitiae*, vid. Exod. 23, 19. 34, 26. Deut. 18, 4. כָּל־בִּכּוּרֵי כֹל *Omnium primogenitorum omnium* rerum, s. frugum, בִּכּוּרֵי כָל־אֲשֶׁר בְּאַרְצָם, *primitiae omnium, quae in terra eorum proveniunt*, ut habetur Num. 18, 13. — וְכָל־תְּרוּמַת כֹּל *Omnis etiam rei cujuscunque oblatio*, Num. 15, 19. 18, 19. מִכֹּל תְּרוּמוֹתֵיכֶם Lev. 7, 32. Cf. supra 20, 40. LXX: *καὶ τὰ ἀφαιρέματα πάντα ὑμῶν ἐκ πάντων τῶν ἀπαρχῶν ὑμῶν.* Vulgatus: *et omnia libamenta, ex omnibus, quae offeruntur. Libamina*, s. *libamenta* proprie dicuntur quae humida sunt et liquida; hic tamen eo nomine significari, quae condiendis carnibus in sacrificiis adhibentur, aut quae oblatis victimis adduntur, res ipsa docet. לַכֹּהֲנִים יִהְיֶה *Sacerdotibus cedat*, cf. Lev. 5, 13. 16. 7, 6. sqq. 14, 13. וְרֵאשִׁית עֲרִיסֹתֵיכֶם *Et primitias massarum vestrarum*, vid. Num. 15, 20. 21. Neh. 10, 38. LXX: *τὰ πρωτογεννήματα ὑμῶν.* Vulgatus: *primitiva ciborum vestrorum.* לְהָנִיחַ בְּרָכָה אֶל־בֵּיתֶךָ *Ad faciendum quiescere benedictionem super domo tua*, i. e. ut domui vestrae resideat ubertas; qua notione בְּרָכָה et Mal. 3, 10. Proverb. 11, 25., et saepius occurrit. Verbum נוּחַ Jarchi observat h. l. *residendi* notionem habere, ut Ex. 10, 14., ubi de locustarum agmine, וַיָּנַח בְּכֹל גְּבוּל מִצְרַיִם *resedit in omni termino Aegypti.* אֶל־בֵּיתֶךָ pro בְּבֵיתֶךָ, ut in phrasi eadem, sed opposito sensu usurpata, supra 5, 13. 16, 42.

31. כָּל־נְבֵלָה וּטְרֵפָה וגו׳ *Ullum morticinum aut discerptum tam ex avibus, quam ex pecoribus non comedent sacerdotes;* eadem lex est Lev. 22, 8. 17, 15. Deut. 14, 21. Jarchi: „Quum permissum esset sacerdotibus volucres ungue dissectas, quae in sacrificiis pro peccato offerebantur, in cibum adhibere, opus fuit, illos dehortari quoad cetera morticina et discerpta.“

CAP. 45.

Argumentum.

Hoc Capite primum distribuit terram, partemque suam templo et sacerdotibus (Vs. 1 — 4.), Levitis (Vs. 5.), urbi (Vs. 6.) et principi (Vs. 7. 8.) definit. Tum principes monet, ut a rapina avaras cohibeant manus, nec ulla agitent callida consilia (Vs. 9.). Quare ne qua in rebus contrahendis fraus intercedat, et quod sacerdoti temploque debetur, ad pondus reddatur et mensuram, certum statuit atque legitimum mensurarum et ponderum examen (Vs. 10. 11. 12.). Deinde de primitiis proventuum omnium certum modum definit (Vs. 13 — 17.). Denique de quibusdam sacrificiis, quae variis de causis, et variis etiam temporibus peragi debent, ritus et ceremonias praescribit (Vs. 18 — 25.).

1. Templo cultuque sacratiori in superioribus Capitibus constituto, jam nova terra dividenda, ac nova reipublicae forma constituenda proponitur, veteris quidem regiminis atque cultus phrasibus, sed tamen, quemadmodum res ipsa evidentissime docet, novum quid denotatur. וּבְהַפִּילְכֶם אֶת־הָאָרֶץ *Cum cadere facietis terram* in hereditate, i. e. cum sortes terrae jacietis, ut quaeque tribus hereditatem in ea cernat; cf. 47, 14. 22. 48, 29. Jos. 13, 6. Jarchi: „Dividetur terra Israelitica in duodecim portiones, nec tamen secundum divisionem priorem, ubi ei tribui, quae amplior et copiosior esset, major etiam sors obtingeret, minori vero minor, ita ut et duae vel tres tribus unam portionem possiderent; sed in hac distributione portiones terrae sunt aequales, ut ordines s. series in vineis, a plaga occidentali ad plagam orientalem, quemadmodum in fine libri [Cap. 47, 14.] exponitur.“ בְּנַחֲלָה *Hereditario jure possidendam*, ut Num. 34, 2. Jos. 13, 7. 23, 4. תָּרִימוּ תְרוּמָה *Auferetis ablationem*, i. e. certam et praecipuam aliquam *portionem* de medio ejus *separabitis*, Vs. 6. 13. 48, 8. 9. Pluribus de nomine תְּרוּמָה disputavit, ratione etiam nostri loci habita, Bachiene in *Descript. Palaestinae* P. I. Cap. 16. §. 442. (P. I. Vol. II. p. 425. sq. vers. germ.). לַיהוָה *Domino*, „ut in ea, sancta terrae parte, Deo oblata, templum aedificetur,“ ut Jarchi notat. קֹדֶשׁ מִן־הָאָרֶץ Tantum *sanctum* spatium, separatum a reliqua *terra*, Vs. 2. 4., inter tribus Judae et Benjamin, 48, 8. 23. אֹרֶךְ Quod ad *lon-*

gitudinem ab ortu ad occasum, 48, 10. חֲמִשָּׁה וְעֶשְׂרִים אֶלֶף אֹרֶךְ *Viginti quinque millia* perticarum *longitudo* erit, vid. Vs. 2. 3. 5. 48, 8. 20. וְרֹחַב *Latitudo vero* (inter septentrionem et meridiem) spatii pro templo et sacerdotibus decerpendi, Vs. 3. 4. Nam alioqui totius spatii, quod templum, sacerdotes, Levitas et urbem continebat, eadem latitudo, quae longitudo, 25000 calamorum erat, coll. 48, 20. עֲשֶׂרֶת אֲלָפִים *Decem millia* scil. perticarum, s. calamorum. Optime Hieronymus: „Post ceremonias sacerdotum, cultumque eorum et cibum, quae debeant sumere, quae vitare, nunc terrae sanctae facit descriptionem, et antequam omnem in tribus dividat, de cunctis tribubus jubet eligi locum, qui in longitudine habeat viginti quinque millia, et in latitudine decem millia. Et quia non est positum *cubitorum*, sive *pedum*, aut *ulnarum*, subintelligi datur, significare *calamum*, *qui erat in manu viri* [40, 3.], et habet mensurae sex cubitos, et sextam partem unius cubiti, id est, *παλαιστήν*.“ Quae pluribus confirmat Meyer *Dissertat. in ultima Ezechielis Capita* p. 42. sqq. *primo* quidem ex Versu proximo, 2., coll. cum Cap. 42, 16. sqq., ubi *calami* mensura diserte exprimitur. *Deinde* ex eo, quod ipse metator Vs. 2. in addito *minore numero* nomen *cubitorum* ultimo loco expressit. Si enim hic *cubitos* voluisset intelligi, vox *cubitorum* non tantum Vs. 2. *quingentis* addenda fuisset, sicuti 42, 16. sqq. *calami* adduntur; sed etiam mox Vs. 1. mentio *cubitorum* injicienda fuisset. *Porro*, quod isti *quingenti* Vs. 2. indissolubili nexu conjunguntur cum longitudine 25000, et latitudine 10000; imo cum latitudine 25000 *calamorum*, 48, 20. Unde necessario consequitur, eandem mensuram *calamorum* intelligi Vs. 1., quae Vs. 2. ex collatione cum Cap. 42, 16. seqq. designatur. *Denique* ex collectione singularum partium in unam summam id demonstrat *Meyerus* l. c. p. 43. sqq. קֹדֶשׁ־הוּא בְּכָל־גְּבוּלָהּ סָבִיב *Sanctum hoc erit in omni termino suo quaqua versum*, Vs. 2. Nempe totius illius spatii, quod intercurreret inter duas tribus Judae ac Benjamin, *pars media quadrata*, 25000 *calamos longa et totidem lata*, *Jehovae* dicanda fuit; quae contineret Templum (Vs. 3.), et habitationes sacerdotum (Vs. 4.), Levitarum (Vs. 5.), et urbem Hierosolymam (Vs. 6.). Reliqua istius spatii portio, ab oriente et occidente sacro quadrato adjacens, Principi tribuenda fuit, Vs. 7. 48, 21.

2. יִהְיֶה מִזֶּה אֶל־הַקֹּדֶשׁ *Erunt ex hoc* spatio *pro Sanctuario* s. *Templo*, Vs. 3. 4. חֲמֵשׁ מֵאוֹת *Quingenti* scil. קָנִים, *calami*, qui diserte exprimuntur supra 42, 16., nam quae ibi dicta sunt de mensura periboli, qui totam templi molem sit amplexurus, ubi aperte *quingenti calami* quoque versus futuri esse traduntur, hic repetuntur. בַּחֲמֵשׁ מֵאוֹת *Cum quingentis* calamis, cf. simile ב Exod. 27, 18. Vulgatus: *per quingentos*. Hieronymus: „Post quam descriptionem [vid. supra ad Vs. 1.] rursus

praecipit, ut de sanctificata terra, quae electa est ex omnibus tribubus Israel, i. e. viginti quinque millium calamorum in longitudine, et decem millium in latitudine, eligatur ad aedificandum Sanctuarium, id est, templum Domini, alia intrinsecus terra, quingentorum calamorum per circuitum, hoc est, duum millium." מְרֻבָּע סָבִיב *Quadratum circumquaque*, 40, 4. 7. Cf. 42, 16–19. וּמִגְרָשׁ לוֹ *Pomoerium ipsi* templo. Ex illo igitur peribolo extrorsus spatium relinquendum edicit vacuum quinquaginta cubitorum, quod a templo summovet civitátis aedificia, quo magis emineat illa sacra moles, et a reliquis aedificiis separata plus aliis sanctitatis et religionis objiciat. Haec autem vocantur *suburbana*, s. *pomoeria*, quia quemadmodum prope urbem loca sunt, neque habitata a civibus, neque serendis frugibus destinata, sed omnino vacua; sic templum illud, quod instar erat civitatis (vid. 40, 2), laxam aliquam arcam habere debuit, quae ostenderet, templum illud a vulgari coetu et civium frequentia aliquid esse diversum. Hieronymus: „Et ne forsitan aedificio templi aedes aliae jungerentur, praecipit, ut quinquaginta cubitis per circuitum terra sit vacua in suburbana, vel, ut Symmachus, et Theodotio, et LXX transtulerunt, in *terminum*, et *separationem*, et *spatium*."

3. וּמִן־הַמִּדָּה הַזֹּאת *Ab illa*, s. *ex illa*, nimirum totius quadrati *mensura*, de qua ad Vs. 1. Alii: *postquam* spatium illud esset dimensus. Ita Hieronymus: „Hac definitione [Vs. 2.] finita alia ex integro separandae sanctificationis mensura praecipitur." תִּמְדֹּד אֹרֶךְ *Metieris longitudinem* ab ortu ad occasum, ut Vs. 1. חֲמִשָּׁה וְעֶשְׂרִים אֶלֶף *Viginti quinque millium* calamorum, Vs. 1. 5. 6. Quod in textu scriptum est, חֲמֵשׁ, sensu nihil differre a forma feminina, חֲמִשָּׁה, vix monitu opus. Sunt, qui ad posteriorem formam, nomen femininum, הַמִּדָּה, *mensura*, ad חֲמֵשׁ vero masculinum, הַקָּנֶה, subaudiendum putent. וְרֹחַב עֶשֶׂרֶת אֲלָפִים *Et latitudinem* (ut dictum est Vs. 1.) 10000 calamorum. וּבוֹ יִהְיֶה הַמִּקְדָּשׁ *Et intra ipsum*, scil. in medio ejus, *erit Sanctuarium*, Versu 2. jam designatum. Cf. 48, 8. קֹדֶשׁ קָדָשִׁים Tanquam *Sanctum Sanctorum*, s. sanctissimum spatium. Vid. 43, 12. 48, 12.

4. קֹדֶשׁ מִן־הָאָרֶץ *Sanctum de terra*, Vs. 1. Jarchi: „Ordo verborum inversus est, isque talis esse debet: residuum Sancti, quod est de terra, erit sacerdotibus etc." הוּא לַכֹּהֲנִים גו׳ Erit *sacerdotum* (48, 10.) *ministrantium* Sanctuario. הַקְּרֵבִים לְשָׁרֵת אֶת־יְהוָה *Accedentium ad ministrandum Domino*, 40, 46. 44, 15. וְהָיָה לָהֶם מָקוֹם לְבָתִּים *Ut sit ipsis locus pro domibus.* Nam sacerdotibus ager non datur, 44, 28. וּמִקְדָּשׁ לַמִּקְדָּשׁ *Et locus sanctus* s. *consecratior* (Num. 18, 29.) *pro Sanctuario*, ad structuram sanctam, Vs. 3. 48, 21. Tota portio, longitudine viginti quinque millium calamorum, latitudine decem millium, est sancta (Vs. 1.), sed aliquid de ea, ut *praecipue Sanctum*

pro *Sanctuario* decerpendum erat; reliquum vero domibus sacerdotum destinatur.

5. וַחֲמִשָּׁה וְעֶשְׂרִים אֶלֶף אֹרֶךְ *Et viginti quinque millia* calamorum *longitudinis*, ut Vs. 1. 2. 3. Sequitur hic *portio Levitarum*, ad aquilonem habens portionem et habitaculum sacerdotum cum Sanctuario, quod in illa sacerdotum portione medium locum occupabat, Vs. 4. וַעֲשֶׂרֶת אֲלָפִים רֹחַב *Et decem millia latitudinis.* Ita amplius spatium occupabunt Levitae, quam sacerdotes, quum illorum portionis longitudo et latitudo tam late exporrecta esset, quam portio sacerdotum et Sanctuarii simul, Vs. 1. 3. וְהָיָה לַלְוִיִּם *Et erit* hoc *Levitarum*, 48, 13. Quae in textu scriptae sunt literae, esse יִהְיֶה efferendas, vix monitu opus. לָהֶם לַאֲחֻזָּה *Ipsis*, inquam, cedet *in possessionem*, Vs. 8. עֶשְׂרִים לְשָׁכוֹת Cum *viginti cubiculis*, 40, 17. 38. 44. 41, 10. 42, 1. 4. 5., in quibus scilicet habitarent, ut propinqui essent Templo. Reliquum spatium ipsorum necessitati et commoditati inserviebat. Ita cum Jarchio *Meyerus* l. c. p. 46. sq. At Coccejus, „per appositionem," inquit, „id spatium vocat *viginti cellas*, quod locus aut portio Levitarum viginti cellas aedificatas haberet, ut inde locus ipsorum *viginti cellae* nominari possit. Non sunt autem per *cellas* s. *cubicula* hic intelligenda minuta et angusta aedificia; sed plane augusta et magnifica. Olim Levitae erant sparsi per duodecim tribus, et ipsis erant attributa oppida refugii, asyla. Hic Levitae colliguntur in unum, et iis adsignatur locus ad habitandum insignis viginti cellis vel aulis."

6. וַאֲחֻזַּת הָעִיר תִּתְּנוּ *Et possessionem urbis* (Vs. 7.) *dabitis.* Progreditur jam metator ad dimensionem urbis, quam longius prosequitur et accurate definit infra 48, 15—19. 30—35., ubi portae et circuitus ejus describuntur. Sita vero fuit urbs ad meridiem Templi, ipsa a meridie habens tribum *Benjaminis*, 48, 22. 23. Ponit ergo Sanctuarium *extra* civitatem. אֲחֻזַּת הָעִיר Jarchi exponit תִּיקַּף הָעִיר, *ambitum urbis*, notatque, voce אֲחֻזָּה significari portionem profanam, quae urbi condendae destinata est. חֲמֵשֶׁת אֲלָפִים רֹחַב *Quinque millia* calamorum *latitudinis* a septentrione versus meridiem, ut Vs. 1. cf. 48, 15. Hic quoque *calamos*, non cubitos, intelligendos esse, docent omnia antecedentia; et Hieronymus ad h. l. *Urbs*, inquit, *quinque millia habeat calamorum in latitudine.* וְאֹרֶךְ חֲמִשָּׁה וְעֶשְׂרִים אֶלֶף *Et pro longitudine quindecim millia* calamorum, Vs. 1. 3. 5. Recte monet Abarbenel, non esse hanc longitudinem urbis (ea enim *quadrata* fuit, 48, 16.), sed longitudinem, putatam ab oriente in occidentem, competere toti *Trumae*, s. oblationi sacrae et possessioni urbis, sicut reliquae portiones sacerdotum (Vs. 3. 4.) et Levitarum (Vs. 5.) eandem longitudinem habebant. לִתְרוּמַת הַקֹּדֶשׁ *Secundum oblationem* s. *separationem* (uti Vulgatus) *Sanctuarii*, i. e. ad eum modum, quo divisa sunt, quae

ad Sanctuarium pertinent, s. sancti spatii, pro Sanctuario et sacerdotibus (Vs. 3. 4.) designati. לְכָל־בֵּית יִשְׂרָאֵל יִהְיֶה *Totius domus Israel*, sine discrimine, *erit*. Cf. infra 48, 18. 19., ubi civitatem tribuit colentibus eam.

7. וְלַנָּשִׂיא *Principi tandem*, non sacerdotum principi, ut nonnulli perperam existimant, sed politico, populique duci. Cf. supra 44, 3. et quae h. l. sequuntur. מִזֶּה וּמִזֶּה *Hinc* ab occasu, et *inde* ab ortu, ut mox dicitur. Cf. 48, 21. לִתְרוּמַת הַקֹּדֶשׁ *Ad oblationem sanctitatis*, pro Sanctuario et sacerdotibus, Vs. 3. 4. וְלַאֲחֻזַּת הָעִיר *Et ad possessionem urbis*, Vs. 6., nec minus Levitarum, Vs. 5. אֶל־פְּנֵי *Ante*, ut supra 41, 4. 12. 42, 7. 10. 13. 44, 4. תְּרוּמַת־הַקֹּדֶשׁ *Oblationem sacram*, Vs. 1. 3. 4. וְאֶל־פְּנֵי אֲחֻזַּת הָעִיר *Et ante possessionem urbis* (Vs. 6.) erit vel dabitur principi sua portio. Sensus igitur hic est: principis portio utramque attinget partem, tam civitatis, quam sanctuarii, quia utrinque ab illis media continebitur. מִפְּאַת־יָם יָמָּה *A plaga maris*, i. e. occidente scil. oblationis sanctae atque urbis usque ad mare mediterraneum, terrae Israeliticae fines, 47, 20. וּמִפְּאַת *Et ab oriente* oblationis sacrae, 48, 3. 4. קָדִימָה *Versus ortum*, s. terminum orientalem, qui ubi finiatur vid. 47, 18. וְאֹרֶךְ *Ita ut longitudo*, ab occasu versus ortum, Vs. 1. 6. לְעֻמַּת Sit *juxta*, i. q. לְעֻמַּת Vs. 1. 6., sicuti שִׁבְעוֹת יָמִים et שִׁבְעַת יָמִים idem significant. Observat Kimchi, עֻמּוֹת esse nomen formae סֻכּוֹל, Jes. 9, 3., עֻמַּת vero formae גֻּמָּץ, *fossa*, Eccles. 10, 8. אֶחָד הַחֲלָקִים (Juxta) *unam partium*, h. e. secundum longitudinem portionis singularum tribuum. Cf. 48, 8. 21., ad quem locum Hieronymus notat, *quod princeps tantum acceperit solus*, *quantum una tribus*; excepto tamen spatio quadrato Levitarum, Templi et sacerdotum, atque urbis, uti pluribus Abarbenel enarrat. *Tredecim* enim portiones in terrae divisione describuntur Cap. 48., ex quibus *decima tertia* Principi inter terminum Judae ac Benjamini (48, 22.), reliquae vero duodecim tribubus adsignantur. מִגְּבוּל יָם וגו׳ Vid. 47, 20. 18.

8. בָּאָרֶץ יִהְיֶה־זֹּאת לַאֲחֻזָּה בְּיִשְׂרָאֵל *Pro terra* hoc *erit illi in possessionem*, Vs. 5. Chaldaeus: *haec terra* (דָּא אַרְעָא) *erit principi in possessionem in Israel.* Kimchi: „Haec terra cedet ei in possessionem in terra Israel. בָּאָרֶץ pro בָּאָרֶץ, uti saepius ל pro ב, veluti Job. 2, 13. *sederunt cum eo* לָאָרֶץ, *in terra.* Ita quoque Genes. 4, 23. Ps. 9, 5. *Princeps* autem erit rex Messias, uti monitum supra [44, 3]." וְלֹא־יוֹנוּ עוֹד נְשִׂיאַי *Et non vexabunt* s. *oppriment* amplius *principes mei* (18, 7. 46, 18.) *populum meum*, ut antea fecerunt Hierosolymis, de quo queritur Noster supra 22, 6. Cf. Mich. 1, 1. 2. 1 Sam. 8, 11. sqq. Chaldaeus וְלָא־יוֹנוּ vertit וְלָא יְנַכְסוּן, *non oppriment*, notatque Kimchi, hebraicum יָנָה, ut Chaldaicum אֲנַס, notare, *aliorum opes vel personas capere ignoranter aut scienter*, *sive*

vi ac violentia, sive emendo aut vendendo, coll. Levit. 25, 17. Jer. 46, 16. Zephan. 3, 1. וְהָאָרֶץ יִתְּנוּ לְבֵית־יִשְׂרָאֵל *Sed terram concedent domui Israelis*, i. e. reliqua terra inter Israelitas aequaliter distribuetur לְשִׁבְטֵיהֶם *secundum tribus eorum*, ut 47, 13. 21. 22.

9. רַב לָכֶם *Sufficiat vobis* (ut 44, 6.), o principes Israelis! scil. hucusque oppressisse populum; desistite a rapinis. Vel: contenti estote hac portione duplâ, quae vobis attribuitur. Ita Hieronymus: „Tanta est vestra potentia, ut unius tribus partem acceperit vestra possessio.“ Cf. not. ad Vs. 7. חָמָס וָשֹׁד Ideo *vim et vastationem*, Jer. 6, 7. 20, 8. Habac. 1, 3. הָסִירוּ *Auferte*, Jes. 1, 16. Vulgatus: *iniquitatem et rapinas intermittite.* מִשְׁפָּט וּצְדָקָה עֲשׂוּ *Jus vero et justitiam facite*, aequitatem atque justitiam in judicando servate, vid. supra 18, 5. 19. 21. הָרִימוּ *Tollite*, *auferte*, ut supra 21, 31. Jes. 57, 14. גֵּרְשֹׁתֵיכֶם *Extrusiones*, *expulsiones vestras*, quibus depellitis meos ex patriis agris (uti recte Jarchi), quibus omnis generis oppressiones et vexationes videntur significari. Cf. Mich. 2, 9. נְשֵׁי עַמִּי תְּגָרְשׁוּן גו׳ *uxores* viduas *meorum expellitis e domibus deliciarum suarum.* Kimchi intelligit tributa et alia onera, quae inferioribus a proceribus imponebantur. Vulgatus: *separate confinia vestra a populo meo*, „ne videlicet terminos transferatis,“ ut Hieronymus explicat. Vocem גֵּרְשָׁה latinus interpres, uti J. D. Michaelis censet in *Supplemm.* p. 370., eadem significatione accepisse videtur, quam מִגְרָשׁ obtinet, i. e. *area nuda*, quae inter duo majora patrimonia relinquitur. Ipse Michaelis a *depascendo* nomen ductum esse arbitratur, et significare, sive generatim et metaphorice, *graves exactiones*, sive, quod malit, *servitutem juris pascendi in subditorum agris (Huth - und Weide - Recht).* „Aliquid talis juris (addit), ipsam adeo graminis demessionem, exercuisse reges Israelitieos, ex Amos. 7, 1. (גִּזֵּי הַמֶּלֶךְ) manifestum.“ Nobis tamen in ea, quam superius dedimus, interpretatione acquiescendum videtur.

10. Jam pergit ad constituenda justa pondera et mensuras. מֹאזְנֵי־צֶדֶק *Lances*, et pondera *justa*, Levit. 19, 36. Proverb. 16, 11. וְאֵיפַת־צֶדֶק *Et Epha justa*, modius justus, וּבַת־צֶדֶק, *et Bathus justus*; utraque mensura aequalis, decima pars Chomeris, ut Versu proximo dicitur; sed haec est liquidorum, illa aridorum. Hieronymus: „Hic locus juxta LXX non cohaeret, et penitus intelligi non potest, dum non solum numeros mensurarum, sed etiam nomina commutarunt. Pro *Ephi* enim interpretati sunt *mensuram* [*μέτρον δίκαιον*], et pro bato *choenica* [*χοῖνιξ δικαία*]; pro *Chomer* quoque hebraico (Vs. 11.), qui Graece dicitur *κόρος*, transtulerunt *Gomor* [*γομόρ*], rursumque pro bato *choenica.* Dicamus ergo juxta Hebraicum et literam; et, quid nobis videatur, in singulis apertius explicemus. *Statera*, quae hebraice dicitur *Mozene* [מֹאזְנַי], in his intelligitur,

quae appenduntur. *Epha* autem, quae in Graeco sermone corrupte dicitur ὔφι, ad mensuram pertinet variarum frugum, verbi gratia, tritici, hordei, leguminum. Porro *Batus*, qui hebraice dicitur *Bath* (בַּת), eadem mensura est, quae et Ephi, et in speciebus tantum liquidis, vini et olei, et istiusmodi."

11. Verba הָאֵיפָה וְהַבַּת תְּכֶן אֶחָד יִהְיֶה Vulgatus recte vertit: *Ephi et Batus aequalis et unius mensurae erunt.* Nomen תְּכֶן Jarchi *summam*, *numerum*, *mensuram* denotare observat, ut Exod. 5, 18. Alias in V. T. haec vox non exstat. Similis est הָכְנִית, supra 28, 12. לָשֵׂאת Jarchi explicat לָקַחַת *ut capiat*, s. *consineat*, bathus. Ita Genes. 36, 7. *Non potest terra commorationis eorum* לָשֵׂאת אוֹתָם *eos capere.* מַעֲשַׂר הַחֹמֶר *Decimam* partem *Chomeris*, vid. Vs. 14. חֹמֶר (qui et כּוֹר, uti mox Vs. 14.), quod proprie *acervum* denotat, nullum est vas, quod tantum capiat mensuretve, quantum *chomeris* sive *cori* nomen importat, sicut neque moneta ulla est, quae talenti valorem adaequet; sed est summa quaedam, omni vase mensorio capacior; quae cum metitur arida, *epham*, cum liquida, *batum* decies complet. וַעֲשִׂירִית הַחֹמֶר הָאֵיפָה *Et decima pars Chomeris erit Epha;* non igitur חֹמֶר confundendum cum עֹמֶר, ceu *decima parte Ephae*, Exod. 16, 36. Hieronymus ad h. l.: „*Corus* triginta habet modios [סְאִים], et in utraque mensura, hoc est, tam aridarum, quam liquentium, tenet principium. Decima pars cori in his, quae modo mensurantur, appellatur *epha*, id est, tres modii, et decima pars cori in speciebus liquidis vocatur *batus* sive *vadus*, ut ejusdem mensurae sit epha et batus." אֶל הַחֹמֶר יִהְיֶה מְתֻכְנָתוֹ *Ad* s. *juxta Chomerem erit dispositio*, proportio, *ejus.* Nomen מְתֻכְנָת, praeter hunc locum quater obvium, Exod. 5, 8. 30, 32. 37. 2 Paral. 24, 13., *mensuram, summam, dispositionem* significare, docent loca allata. Vulgatus: *juxta mensuram cori erit aequa libratio eorum*, id est, et ephae, et bati justa ac legitima capacitas ad cori quantitatem examinanda est. Jarchi: „Summa computationis s. mensurae Bathi et Ephae erit juxta magnitudinem Chomeris. Reperi in quodam Commentario haec: si auxerint Chomerem, augebunt quoque Bathum; si vero minuerint Chomerem, minuent quoque Bathum; nam decimam Chomeris partem juxta illam dirigent." Id est: prout vel major vel minor erit mensura, seu capacitas Chomeris, ita etiam major vel minor erit capacitas sive mensura Bathi, qui juxta Chomerem ejusque quantitatem dirigitur et aestimatur.

12. וְהַשֶּׁקֶל עֶשְׂרִים גֵּרָה *Siclus autem viginti erit Gerarum*, vid. Exod. 30, 13. Lev. 27, 25. Num. 3, 47. גֵּרָה, minimum monetae segmentum, Jarchi idem esse ait, quod Chaldaeorum מַעָה, quod ipsum nomen h. l. Chaldaeus interpres usurpavit. Alexandrinus Graecus: *καὶ τὰ στάθμια εἴκοσι ὀβολοί.* Vulgatus: *siclus autem viginti obolos habet.* הַמָּנֶה — עֶשְׂרִים שְׁקָלִים

יְהִיָה לָכֶם *Viginti sicli, viginti et quinque sicli, quindecim sicli;* id est, *sexaginta sicli*, *minam vobis* conficient. Hujus autem numeri sexagenarii tres partes hic commemorari putant plerique ex Hebraeis interpretes, quod illae singulae certum et usitatum monetae genus, ita ut quaedam fuerit *viginti* sicl orum, alia *viginti quinque*, tertia denique *quindecim siclorum.* Ita Jarchi, Abarbenel, alii, quos sequutus L'Empereur in *Discursu ad Lectorem*, *Paraphrasi Chaldaicae in Danielem* a se editae praemisso, de nostro loco ita disserit: „Quum Deus omnibus in rebus justitiam servari vellet, diversarum monetarum genera recensuit, quae justum habere pondus praecepit. Moneta quaedam, Judaeis testibus, erat viginti siclorum, alia quinque et viginti, tertia denique quindecim siclorum; quae simul quum minam constituerent, Deus jubens ut singulis sua constaret quantitas, ad minam examinari mandabat, ut an singulis suum inesset pondus per minam, quam simul conficere debebant, innotesceret.“ Eodem tendere videtur Chaldaica hujus loci paraphrasis, quae talis est: *tertia pars minae viginti siclos habet; mina argentea viginti et quinque siclos*, *quarta pars minae quindecim siclos habet; omnes sexaginta sunt mina*, *et mina magna* (i. e. duplo major, quam vulgaris, sive profana mina) *sancta erit vobis.* Vulgatus Latinus Hebraea accurate expressit. Non item Alexandrinus Graecus, cujus interpretatio ita sonat: *οἱ πέντε σίκλοι, πέντε καὶ οἱ δέκα σίκλοι, δέκα καὶ πεντήκοντα σίκλοι ἡ μνᾶ ἔσται ὑμῖν.* Coccejus, quem sequitur J. D. Michaelis in not. ad vers. vernaeul. h. l., nostro loco *minam triplicem* distingui existimat, *magnam*, viginti quinque, *mediocrem;* viginti, et *minimam*, quindecim siclorum. Salomonis temporibus minam *centum* siclis vulgaribus, vel *quinquaginta* sacris constitisse, ex 1 Reg. 10, 17. coll. cum 2 Chron. 9, 16. colligitur. Novam itaque proportionem hic tradit Noster, quemadmodum in sacrificiis quoque aliisque rebus nonnihil innovat.

13. זֹאת הַתְּרוּמָה Porro *haec* erit *sublatio* vel *oblatio* populi pro principe (vid. Vs. 16.), cum ad ejus sustentationem, cum, ut vicissim ipse publicis sacris necessaria suppeditare possit, Vs. 17. אֲשֶׁר תָּרִימוּ *Quam auferetis* s. *offeretis* principi, cf. Vs. 1. שִׁשִּׁית הָאֵיפָה *Sextam* scilicet *Ephae* partem, 46, 14. מֵחֹמֶר הַחִטִּים Dabitis *de Chomere tritici.* וְשִׁשִּׁיתֶם הָאֵיפָה *Sic etiam sextabitis*, s. sextam Ephae partem offeretis. Verbum שִׁשָּׁה, hoc solo loco obvium (nam quod supra 39, 2. legitur, שִׁשֶּׁאתִיךָ, a nostro diversum esse vidimus), a שֵׁשׁ, *sex*, derivatum esse constat. מֵחֹמֶר הַשְּׂעֹרִים *De Chomere hordei; sexagesimam* videlicet portionem de frugibus (nam *Epha* et *Bathus* sunt decimae Chomeris, Vs. 11.), *centesimam* de oleo, Vs. 14., et ducentesimam de pecore gregis ex pinguibus et praestantissimis, Vs. 15.

14. וְחֹק הַשָּׁמֶן *Statutum vero olei*, s. quod de oleo ex praescripto hoc dabitis. Cf. Genes. 47, 26. Exod. 5, 14. הַבַּת *Bathi* scilicet *olei*, pro הַבַּת בַּת הַשָּׁמֶן, nam ante nomen constructum *He* articuli ex legibus Syntaxeos hebraeae non est collocandum; cf. similem constructionem mox Vs. 16., et supra 40, 15. מַעֲשַׂר הַבַּת *Decimam Bathi* partem offeretis. מִן־הַכֹּר *De Coro* s. *Chomere*, vid. not. ad Vs. 11. עֲשֶׂרֶת הַבַּתִּים חֹמֶר Ita ut *decem Bathi* sint *Corus* s. *Chomer*. כִּי־עֲשֶׂרֶת הַבַּתִּים הֹמֶר *Nam*, ut Vs. 11. dictum, *decem Bathi Chomerem faciunt*.

15. וְשֵׂה־אַחַת *Pecudem* etiam *unam*, agnum, s. hoedum, Exod. 12, 13. Ut feminei generis nomen שֶׂה tractatur quoque supra 34, 20. Vulgatus: *et arietem*, ad quod HIERONYMUS: „Sive, ut significantius hebraicus sermo demonstrat, *βόσκημα*, quod ad cuncta animantia, et non proprie ad *arietem* referri potest.“ מִן־הַצֹּאן *De grege* ovium vel caprarum, vid. Genes. 27, 9. 38, 17. Levit. 1, 10. מִן־הַמָּאתַיִם *De ducentis* unam dabitis. מִמַּשְׁקֵה יִשְׂרָאֵל *De irriguo*, de irriguis pascuis, *Israelis*. Nomen מַשְׁקֶה, quod alias vel *potum* denotat, ut Levit. 11, 34., vel *potum praebentem*, pocillatorem, ut Genes. 40, 1. 1 Reg. 10, 5., hic pro loco sumitur irriguo, ad armenta pascenda opportuno, ut Genes. 13, 10., ubi de tractu Jordanico dicitur eam fuisse כֻּלָּהּ מַשְׁקֶה, *totam irriguam*, antequam everteretur. Significat igitur Noster, pingue futurum esse pecus illud, quod principi sit offerendum, quale illud est, quod in irriguo pascitur loco. Hinc Chaldaeus: *pingues* scil. pecudes *Israelis*. HIERONYMUS: „Quod nos interpretati sumus, *de his*, *quae nutrit Israel*, in Hebraeo scriptum est *Memmasce*, quod Aquila et Symmachus interpretantur *ἀπὸ τῶν ὑδάτων*, Septuaginta et Theodotio, *ἀπὸ τῶν ποτηρίων*, quorum alterum *de irriguis*, alterum *de canalibus*, sive *piscinis* sonat, ut videlicet primitiae principis non alibi nisi in irriguis nutriantur.“ לַמִּנְחָה Fruges (Vs. 13.), et oleum (Vs. 14.) *ad Mincham* s. *sacrificium cibarium*, Vs. 17. 24. 44, 29. וְלָעֹלָה *Et* pecudes *ad holocausta*, Vs. 17. 23. וְלַשְּׁלָמִים *Et ad eucharistica*, Vs. 15. 43, 27. לְכַפֵּר עֲלֵיהֶם *Ad expiandum pro illis*, Israelitis, Vs. 17.

16. כֹּל הָעָם הָאָרֶץ *Omnis populus terrae*, de constructione vid. ad Vs. 14. et 40, 15. יִהְיוּ *Erunt* scilicet *obligati*. Vulgatus: *tenebitur*. אֶל־הַתְּרוּמָה הַזֹּאת *Ad oblationem* s. collationem *hanc*, Vs. 13. sqq. descriptam. לַנָּשִׂיא בְיִשְׂרָאֵל *Principi* s. *pro principe in Israel*, Vs. 7. sqq. Cf. not. ad 44, 3. „Observandum,“ inquit MEYERUS in *Dissert.* p. 56., „hanc primam oblationem principi dandam, non esse eam, quam lege tenebantur dare sacerdotibus. Nam oblatio lege Mosaica mandata, non erat de grege, sed de area et reditu torcularis, vid. Num. 15, 19. 20. 18, 12. sqq., et supra 44, 30. Haec autem erat principi donanda, partim, ut ex maxima ejus parte pro dignitate sustentaretur;

partim, ut inde daret, quod ad sacrificium pro peccato, ad munus, s. sacrificium farreum, holocaustum, et eucharistica, non particularia, sed generalia, totius coetus, requirebatur: ideo Vs. sq. additur: *ad expiandum pro domo Israelis.* Horum tamen praeceptorum non fuisse rationem habitam Esrae et Zorobabelis temporibus, vel ex Nehem. 5, 14 — 19. intelligitur."

17. וְעַל־הַנָּשִׂיא *Super principe autem erit*, ei incumbet; quae *debemus* hebraice *super nobis* esse dicuntur, vid. Num. 30, 7. 2 Sam. 18, 11. 1 Reg. 4, 7. יִהְיֶה הָעוֹלוֹת *Erit*, ex ista oblatione populi (Vs. 13. 16.) *holocausta* praestare, cf. not. 44, 3. וְהַמִּנְחָה *Et sacrificium ex farre*, Vs. 15. וְהַנֶּסֶךְ *Et libamen*, 20, 28. בַּחַגִּים *In festis*, 44, 11. Cf. hic Vs. 21. sqq. וּבֶחֳדָשִׁים וּבַשַּׁבָּתוֹת *Et in novilaniis et sabbatis*, 46, 3. Cf. not. 44, 24. בְּכָל־מוֹעֲדֵי בֵּית יִשְׂרָאֵל *In omnibus conventibus* vel *statis diebus domus Israel*, 36, 38. 44, 24. 46, 11. „Non vero," inquit *Meyerus* l. c., „tenetur princeps, dare *sacrificia jugia*, quod alii colligunt ex 46, 13., quum ista emenda essent *dimidio sicli*, quod dabat totus coetus, Exod. 30, 13. sqq." הוּא יַעֲשֶׂה *Ipse faciet*, praestabit, cf. Vs. 22. לְכַפֵּר וגו׳ Vid. Vs. 15.

18. בָּרִאשׁוֹן *In primo* mense, ut Vs. 21. 19, 17. בְּאֶחָד לַחֹדֶשׁ *Primo die* istius *mensis*, 26, 1. 31, 1. תִּקַּח פַּר־בֶּן־בָּקָר *Accipies juvencum* ad dedicationem altaris et sanctuarii, de qua jam supra 43, 18. sqq. Ostenderat eo loco, quid fieri debeat in altaris dedicatione ad illud mundandum et expiandum (Vs. 20.): hic vero definit oblationes, quae sint offerendae diebus consecrationum tempore structurae novae aedis, docetque quo die faciendae sint oblationes, quae 43, 18 — 27. non sunt plene declarata. תָּמִים 43, 22. 23. וְחִטֵּאתָ אֶת־הַמִּקְדָּשׁ *Et expiabis Sanctuarium* et altare, Vs. 19. 43, 20. Neque eorum, quae hic ab Ezechiele praecipiuntur, ratio est habita ab Esra, qui secundum praescriptum Mosis altare consecravit, vid. Esr. 3, 2. Et quum hoc loco praecipiatur, harum oblationum initium fieri debere *die primo mensis primi*, id est, Nisanis (Exod. 12, 2. 18.); in libro Esrae 3, 6. legimus, holocausta Deo oblata esse *primo die mensis septimi*, et Vs. 4. adnotatur, fuisse hoc *in festo tabernaculorum.* Ergo reduces e captivitate non obtulerunt consecrationes in mense Nisan, quemadmodum hoc loco praecipitur, sed in mense Tisri, qui septimus est a Nisan. Plura vid. in MEYERI *Dissert.* laudat. p. 85. sqq.

19. וְלָקַח הַכֹּהֵן מִדַּם הַחַטָּאת *Et accipiet sacerdos de sanguine sacrificii pro peccato*, Vs. 17. Levit. 4, 7. — וְנָתַן אֶל־מְזוּזַת הַבַּיִת *Ponatque ad postes domus*, qui primam portam instruunt, quae in partem illam templi, quae Sancta dicitur, sacerdotes admittit, 41, 21. 46, 2. וְאֶל־אַרְבַּע פִּנּוֹת *Et ad quatuor angulos*, 43, 20. הָעֲזָרָה לַמִּזְבֵּחַ *Prominentiae*, s. *cinguli altaris*, vid. 43, 14. 20. וְעַל־מְזוּזַת שַׁעַר הֶחָצֵר הַפְּנִימִית *Et*

super poste portae atrii interioris, sacerdatalis, ubi altare est holocausti, 46, 1.

20. Sic etiam facies בְּשִׁבְעָה בַּחֹדֶשׁ, *die septimo in* illo *mense*, conf. supra 30, 20. Num. 10, 11. מֵאִישׁ שֹׁגֶה *Propter virum errantem*, Levit. 4, 2. 3. וּמִפֶּתִי *Et propter deceptum*, per insipientiam et imprudentiam, cf. Proverb. 1, 4. 22. 9, 4. 16. Deut. 11, 16. וְכִפַּרְתֶּם אֶת־הַבָּיִת *Atque* sic *expiabitis domum*, Vs. 15. 17. 43, 20. 26. De hoc etiam sacrificio nihil habetur in lege Mosaica; quamvis pro delictis ex ignorantia admissis plura alia sunt instituta sacrificia, Lev. C. 4. 5. 6. Hoc vero septimi diei sacrificium est generale, pro omnibus, qui legalem contraxere maculam, nesciunt tamen, se esse pollutos.

21. בָּרִאשׁוֹן *In primo* mense, Vs. 18. Gen. 8, 13. בְּאַרְבָּעָה עָשָׂר יוֹם לַחֹדֶשׁ *Decimo quarto die mensis*, Exod. 12, 6. הַפֶּסַח *Pascha*, de quo cf. Exod. 12, 11. sqq. שִׁבְעוֹת יָמִים *Sept manis* (Jer. 5, 24.) *dierum.* Quomodo ex Abarbenelis sententia festum Paschae dicitur, quod *septem diebus* azyma comederint, Exod. 12, 15.; ex mente vero Jarchii, quod inde *septem septimanas* ad Pentecosten numerarent, Lev. 23, 15. Deut. 16, 9. 10. Kimchi vult, שִׁבְעוֹת esse singulare, quod cum Cholem aeque ac cum Patach scribatur; cf. not. supra ad לָעֲמֹת Vs. 6. GUSSETIUS in *Commentar. L. H.* p. 1570. edit. Lips. existimat, *hebdomadas* plurali numero ab Ezechiele h. l. dici, quia agitur de institutione Paschatis ut festi anniversarii multoties in serie temporum ac seculorum celebrandi. Eoque pacto unaquaque vice quidem azymis unam hebdomadam datam, sed juberi tamen, ut edantur per plures hebdomadas, dum jubetur usus repetendus tot hebdomadis, quot venient anni. Ceterum praecepta Ezechielis in festo Paschae et Tabernaculorum observanda longe diversa sunt a praeceptis Mosaicis, idcoque ad tempora Esrae, qui totum cultum ad legem Mosaicam instituit, neutiquam referenda, ut pluribus probavit MEYERUS, l. c. p. 59. sqq.

22. וְעָשָׂה *Et faciet*, i. e. sistet, sacerdoti tradet, ac manus victimae imponet; vid. GUSSETIUM l. c. p. 1239. Cf. similem usum verbi עָשָׂה 1 Reg. 18, 23. בַּיּוֹם הַהוּא *De illo* decimo quarto mensis primi, Vs. 21. בַּעֲדוֹ וגו׳ *Pro se et pro universo populo*, Levit. 16, 6. 11. 24. *Populus terrae* gentem significat vulgarem et ignobilem, ut inde apparet, quod Jer. 44, 21. 52, 25. post magistratus et principes separatim עַם הָאָרֶץ nominatur. פַּר חַטָּאת *Juvencum pro peccato*, Vs. 18. 19.

23. וְשִׁבְעַת יְמֵי־הֶחָג *Et septem diebus festi*, cf. Vs. 25. 43, 25. Num. 28, 17. 24. וְעָשָׂה עוֹלָה לַיהוָה *Faciet holocaustum Domino*, Vs. 15. 17. שִׁבְעַת פָּרִים וְשִׁבְעַת אֵילִים *Septem juvencos et septem arietes.* At in lege Mosis non erant, nisi *duo juvenci, unus aries, et septem agni*, Num. 28, 19. תְּמִימִם *Integros*, Vs. 18. לַיּוֹם *In singulos dies*, 43, 25. וְחַטָּאת *Et* pro *peccato*, Vs. 22. שְׂעִיר עִזִּים, 43, 22. 25.

24. De victimis hactenus; nunc de frugibus ac libamentis, quae victimis adhibentur. וּמִנְחָה *Et Mincham*, Vs. 15. 17. אֵיפָה לַפָּר וְאֵיפָה לָאַיִל יַעֲשֶׂה *Epham juvenco et epham arieti faciet*, i. e. singulae ephae singulis adjungentur juvencis et arietibus. Aequiparat igitur munus juvenci muneri arietis, quum tamen in Lege Num. 28, 20. scriptum sit: *Tres decimas in juvencum et duas decimas in arietem facietis.* וְשֶׁמֶן הִין לָאֵיפָה *Oleum vero Hin* (vid. not. ad Num. 15, 4.) *in Epham*, cf. 46, 5. 7. 11. Lex contra praecipit Num. 15, 6. *duas decimas* similaginis ad arietem pro munere cibario, et *tertiam* tantum *partem Hini* de oleo. Et Vs. 9. pro bove *tres decimas* similaginis, et *dimidium Hini* de oleo.

25. בַּשְּׁבִיעִי וגו׳ *In septimo* mense, *die decima quinta mensis*, cf. Lev. 23, 34. Num. 29, 12. sqq. בֶּחָג *In festo* tabernaculorum. וְעָשָׂה כְּאֵלֶּה שִׁבְעַת הַיָּמִים *Offeret* (Vs. 23.) *eadem* sacrificia quae in festo paschae, Vs. 22. כַּחַטָּאת כָּעֹלָה *Tum sacrificium pro peccato tum holocaustum*, Vs. 22. 23. Ex praecepto Mosaico Num. 29, 13. in septem diebus festi tabernaculorum non erant aequales juvenci, sed paulatim diminuebantur, ita ut die primo juvenci *tredecim* offerrentur, die secundo *duodecim* (Vs. 17.), die tertio *undecim* (Vs. 20.), et ita porro. At Ezechiel hic dicit, futuro tempore non ita de die in diem diminuendos esse juvencos, sed omnibus septem diebus fore aequales. Accedit, quod hic offerendi dicuntur *septem arietes*, a Mose autem tantum *duo*, Num. 29, 13. 17. sqq. Addunter praeterea a Mose *quatuordecim agni in holocaustum*, quos Ezechiel omittit. Nec ullum memoratur hic *vinum* in oblationibus Paschatis et festi tabernaculorum, sicut in lege Num. 28. et 29.

CAP. 46.

Argumentum.

Sequuntur praecepta de agendis in Sabbatho et Novilunio, in festis et statis temporibus, itemque singulis diebus, tum a Principe, tum a reliquo populo. Et primo quidem praescribit modum intrandi in templum, et locum adorandi pro principe et populo (Vs. 1—3.); tum sacrificia Principis in Sabbatho (Vs. 4. 5.), novilunio (Vs. 6. 7.), in festis et statis conventibus (Vs. 11.), item voluntarium (Vs. 12.) et juge (Vs. 13—15.); porro modum exeundi (Vs. 8—10.), deinde hereditatem et dona Principis (Vs. 16—18.); denique locum coquorum (Vs. 19—24.).

1. In atrio interiori, nempe sacerdotali, tres erant portae, Orientalis, quae directe spectabat tabernaculi portam, et Australis atque Aquilonaris, quae Sanctuarii lateribus erant obversae. Ex his Orientalem clausam esse jubet diebus omnibus, quibus operi faciundo vacare fas est (שֵׁשֶׁת יְמֵי הַמַּעֲשֶׂה, ut Exod. 23, 12.). Cf. supra 44, 1. In noviluniis et sabbathis apertam esse vult; si quid enim aliis diebus sacrum fieri oportet, duae aliae portae tam sacerdotibus, quam aliis ex populari turba patebunt.

2. Quo tempore Orientalis porta reseratur, licebit Principi ad portam accedere, ita tamen, ut in ipso vestibulo ad portae limina consistat; interim dum pro illo sacerdotes aut sacrificium immolant eucharisticum aut holocaustum; neque illi ad locum ulteriorem, qui iniri tantum a sacerdotibus potest, penetrare fas erit. Ex eo loco adorabit Princeps, et egredietur per vestibulum idem per quod ingressus ante fuerat. דֶּרֶךְ אוּלָם *Via vestibuli*, i. e. per vestibulum portae, ut supra 44, 3. עַל־מְפְתַּן הַשַּׁעַר *Juxta postem portae*, 41, 21. 43, 8. „Quum alias rex, Deum adoraturus, atrium interius ingrederetur, atque intra portam Deo cultum exhiberet, eoque in loco sederet, dum publicus perageretur cultus; adducit Ezechiel principem *ad limen portae*, ubi, dum offertur sacrificium, stare debet. Salomon *introrsum ante portam illam* collocaverat aeneum suum tribunal, in quo genibus flexis oravit, 2 Paral. 6, 23., coll. 1 Reg. 8, 22. Sequentibus temporibus quoque *Reges* per hanc portam intrabant, *et intus habebant suum locum*, ad Salomonis exemplum, qua parte erat *regia columna*, ut vocatur 2 Paral. 23, 13. Ejus nempe *sella* posita erat intra hanc portam in atrio ad unam ex

columnis, quibus sustentabatur atrium." Haec LIGHTFOOT in *Descript. Templi Hierosolymit. in Opp.* Vol. I. p. 605. Conf. etiam 2 Reg. 11, 14. 23, 3. 2 Paral. 34, 31.

3. וְהִשְׁתַּחֲוּוּ *Incurvabunt se*, adorabunt, ut Vs. 2. עַם הָאָרֶץ Vid. not. ad 45, 22. פֶּתַח הַשַּׁעַר הַהוּא *Ad s. versus ostium portae illius*, cf. 8, 16.

4. Holocaustum a principe offerendum die Sabbathi et in Noviluniis (Vs. 6.) constabit שִׁשָּׁה כְבָשִׂים, *sex agnis*, quum praeceptum Mosis Num. 28, 9. *duos* tantum *agnos* in Sabbatho requirat. וְאַיִל תָּמִים *Et arietem integrum*, hujus nulla fit mentio in lege Mosaica l. c.

5. וּמִנְחָה אֵיפָה לָאַיִל Cf. not. 45, 24. מַתַּת יָדוֹ *Donum manus ejus*, Deut. 16, 11., cf. mox Vs. 7. Quod in lege Mosis, Num. 28, 9., non erat in arbitrio offerentis positum, sed res determinata et debita. וְשֶׁמֶן הִין לָאֵיפָה Vid. 45, 24.

6. פַּר בֶּן־בָּקָר *Juvencum filium bovis* unum; sed in lege Mosaica Num. 28, 11. in holocaustum Novilunii *duo juvenci* offerri jubentur. תְּמִימִם *Integros*, s. *integrum quemque*, nimirum omnibus Noviluniis; pluralis distributivus, cf. 45, 21. וְשִׁשָּׁה כְבָשִׂים *Et sex agnos*. Sed apud Mosen l. c. non finito numero, *agnos septennales*.

7. וְאֵיפָה לַפָּר Vid. 45, 24. כַּאֲשֶׁר תַּשִּׂיג יָדוֹ *Quemadmodum adsequitur manus ejus*, pro facultate sua, ut Num. 6, 21.; cf. Levit. 5, 7. 11. וְשֶׁמֶן הִין לָאֵיפָה, Vid. Vs. 5.

8. וּבְבוֹא הַנָּשִׂיא וגו׳ *Cum igitur intrabit princeps*, *per vestibulum portae intrabit*, vid. Vs. 1. 2. וּבְדַרְכּוֹ יֵצֵא *Et via ejus exibit*, per ipsum vestibulum etiam redibit, conf. 44, 3. Discrimen hic aliquod inter principem et populum assignat. Princeps enim diebus illis solennioribus, in quibus, ut Vs. 1. vidimus, porta reseratur Orientalis, ad Orientalis portae limen ascendit, ibique subsistit, et inde per eandem viam revertitur. Secus de reliquis e populo, de quibus statim.

9. וּבְבוֹא *Cum vero intrabit*, Vs. 8. עַם־הָאָרֶץ Vid. ad 45, 22. לִפְנֵי יְהוָה Exod. 34, 34. בַּמּוֹעֲדִים *Statis temporibus*, festis, Vs. 11. וְהַבָּא *Tum*, *qui venit*, s. ingressus est. דֶּרֶךְ־שַׁעַר *Via portae*, per portam, Vs. 2. 3. צָפוֹן *Aquilonarem*, de qua vid. 40, 20. 35. 40. 44, 3. לְהִשְׁתַּחֲוֹת *Ad adorandum*, Vs. 2. 3. יֵצֵא דֶּרֶךְ־שַׁעַר נֶגֶב Is *exibit per portam australem*, cf. 47, 19. כִּי נֹכַח יֵצֵא *Sed ante se* (ut Exod. 14, 2. 26, 35.) *exibit*, s. ut habet *Chethibh*, יֵצְאוּ, *exibunt*, quisque. Edicitur igitur populo, contra quam permissum est principi, ut per aliam egrediatur portam: qui per aquilonarem ingressus est, per australem, et qui per australem, per aquilonarem, peracta adoratione exeat; quum tamen eadem orientalis porta ingredientem et exeuntem principem excipiat.

10. וְהַנָּשִׂיא *Ceteroquin princeps*, de cujus singulari ingressu ac sacrificiis die Sabbathi ac Novilunii dictum est Vs.

2—8. בְּתוֹכָם בְּבוֹאָם יָבוֹא *Inter illos*, populares suos (Vs. 9), *cum intrant*, *intrabit*, reliquis diebus. וּבְצֵאתָם *Et quum exeunt illi*, 44, 19. יֵצֵא Etiam princeps cum illis, et sic una *exibunt*. Reliquis igitur diebus, quae non erant Sabbathi aut Kalendae, eadem erat lex imposita tam principi, quam populo, et utrique australis tantum atque aquilonaris aditus patebat, ita ut non idem orientalis, qui ingredientem admisit, recedentem exciperet. Alii etiam reliquis, praeter Sabbatha et Kalendas, diebus, aliam viam principi, aliam popularibus permissam esse volunt, edicique nostro Versu principi, ut, quo tempore populus in templum ingreditur, ipse quoque cum populo ingrediatur, non tamen per eandem portam, sed per suam, id est, orientalem. Cui tamen opinioni aperte repugnat, quod Vs. 1. porta orientalis sex diebus, quae operibus faciundis destinatae erant, claudenda dicitur.

11. Eundem in aliis festis ac solennitatibus sacrificandi ritum observandum praecipit, ad quem in Sabbathis et Noviluniis sacrificia fieri praeceperat, ut cum vitulis singulis et arietibus offeratur epha similae, cum agnis vero pro cujusque facultatibus, ita tamen, ut a simila non separetur oleum, sed ad singulas ephas, singula quoque Hin adhibeantur.

12. נְדָבָה *Spontaneum* sacrificium, Lev. 7, 16., quod nulla cogente lege, sed pro sua in Deum pietate, ultro quis deferebat. Tunc, quoad sacrificandi modum, ea servabitur forma, quae paulo ante descripta. Sed additur, ut eo die aperiatur orientalis porta, ad principis ingressum, sicut in Sabbathis ac Noviluniis de more fit, et peracta immolatione rursus obseretur. וּפָתַח לוֹ *Tum aperiet* quis *illi*. Impersonaliter, ut mox *et faciet*, *ei claudet*. Cf. 41, 7. Deut. 15. 2. וְעָשָׂה אֶת־עוֹלָתוֹ *Facietque* aliquis sacerdotum *holocaustum ejus*, Vs. 2. וְיָצָא וְסָגַר אֶת־הַשַּׁעַר *Cumque exiverit*, claudent portam, secus quam fiebat die Sabbathi et Novilunii, Vs. 2. אַחֲרֵי צֵאתוֹ *Cum primum exiverit*.

13. וְכֶבֶשׂ *Et agnum* jugis holocausti, Num. 28, 3. sqq. בֶּן־שְׁנָתוֹ *Anniculum*, Levit. 12, 6. Num. 6, 12. 14. לַיּוֹם *Singulis diebus*, 4, 20. 45, 23. בַּבֹּקֶר בַּבֹּקֶר *Singulis matutinis*, Vs. 14. 15. De sacrificio jugi *vespertino*, s. offerendo inter duas vesperas, de quo Moses Num. 28, 4., nostro loco nihil dicitur.

14. In sacrificio farreo, מִנְחָה, singulis matutinis offerendo, Noster sextam partem ephae de similagine et olei tertiam partem Hinis offerre jubet; in lege vero Num. 28, 5. praescribitur *decima Ephae* de similagine, et olei *quarta Hinis*. Propheta ergo quod in Mose exstat partim auget, partim minuit. Cf. not. Vs. 6. 13. לָרֹס *Ad humectandum* similaginem, collato Arabico رشش, *conspersit humore*, *madefecit*, et Chaldaico רַסָּס, רַס, *perstillavit*, unde רְסִיסִים, *guttae imbris*, Cant. 5, 2. LXX: τοῦ ἀναμῖξαι τὴν σεμίδαλιν, unde Vulgatus, *ut misceatur similae*, i. e. ut cum oleo subigatur simila. Nec aliter Chaldaeus: *ad miscendam similaginem*. מִנְחָה לַיהוָה *Munus* hoc erit *Domino*, Genes.

4, 3. Levit. 2, 1. חֻקּוֹת עוֹלָם Cf. Exod. 12, 14. 17. תָּמִיד *Perpetuum*, quod nullo unquam intermittatur die, Exod. 25, 30.

15. יַעֲשׂוּ *Parabunt.* Ita *Keri.* Sed quae in textu exstant literae, sunt וְעָשׂוּ efferendae, sensu eodem. LXX: *ποιήσατε*, tanquam ex וַעֲשׂוּ, *et facite*, observante Hillero *de Arcano Kethib et Keri*, p. 367. Pro בַּבֹּקֶר בַּבֹּקֶר in Vulgata latina legitur *cata mane*, id est, *per singula mane*, nam *cata* est graeca praepositio *κατά*.

16. Jam de possessione hereditaria principis agit, quam ut secretam voluit a terra populo concessa, 45, 7. sqq., ita hic vult eandem ad filios devolvi. מַתָּנָה *Donum* aliquod, Vs. 11. conf. Genes. 25, 6. לְאִישׁ מִבָּנָיו *Viro*, *alicui* (ut 1 Sam. 24, 20. Jes. 46, 13.) *de filiis suis*, si plures praeter natu maximum, principatus heredem, habuerit. נַחֲלָתוֹ הִיא *Hereditas ejus haec* est. לְבָנָיו תִּהְיֶה Ideo *filiorum ejus erit* et manebit. אֲחֻזָּתָם הִיא *Possessio eorum* erit *illud* donum. בִּנְחֻלָּה *Hereditario jure*, 45, 1.

17. וְכִי־יִתֵּן וגו׳ *Quodsi vero dabit donum de hereditaria sua possessione alicui servorum suorum.* וְהָיְתָה לוֹ *Illius* id *erit* et manebit, Vs. 16. עַד־שְׁנַת הַדְּרוֹר *Usque ad annum libertatis*, i. e. quinquagesimum, quod eo servi liberi dimittebantur, vid. Levit. 25, 10. 40. וְשָׁבָה לַנָּשִׂיא *Tum revertetur ad principem.* וְשָׁבָה pro וָשָׁבָה, Chaldaica forma, ut Deut. 32, 36. אָזְלָה pro אָזְלָה, *abiit*, Jes. 23, 15. וְנִשְׁכָּחָה pro נִשְׁכָּחָה, *oblivioni tradetur*; et Genes. 20, 16. וְנוֹכָחָה pro וְנוֹכָחָה *et erudita fuit.* אַךְ נַחֲלָתוֹ בָּנָיו Nam *tantummodo* quod ad *hereditatem principis* attinet, *filiorum ejus* erit. לָהֶם תִּהְיֶה inquam, *erit* et manebit, ut Vs. 16.

18. וְלֹא־יִקַּח וגו׳ *Sed nec princeps accipiet quicquam de hereditate populi.* לְהוֹנָתָם *Ut opprimat* et depellat *eos*, 45, 8. מֵאֲחֻזָּתָם *De possessione eorum*, ut faciebat Achabus, 1 Reg. 21, 3. sqq. מֵאֲחֻזָּתוֹ יַנְחִיל Sed *de possessione sua hereditare*, *s. heredes faciat* (ut Deut. 3, 28.) filios suos. Ne igitur princeps per vim ex popularium bonis sibi vindicet, quo suis filiorumque commodis inserviat, statuitur, ut e sua hereditate possit aliquid legare seu donare filiis, quod eis proprium futurum sit atque perpetuum: et ne principis attenuentur opes, si prodigus esse velit in alienos, jubet (Vs. 17.), ut quae ad alienos usus translata sunt, statuto a lege tempore ad principem revertant. לְמַעַן אֲשֶׁר *Ut*, 20, 26. לֹא־יָפִיצוּ עַמִּי *Non dispergantur populus meus*, cf. 34, 5. Jer. 23, 1. 2. אִישׁ מֵאֲחֻזָּתוֹ *Quisquam de possessione sua*, id est, ne a paterna hereditate dejectus aut jus aut nomen videatur amisisse cognationis suae.

19. Egerat in superioribus de sacrificiis, et sacrificali ritu; nunc de aliis sermonem aggreditur, quae immolationis opus consequuntur, de *culinis* videlicet, ubi sacerdotes illa coquent, quae ad ipsorum usum sumuntur e victimis. Et primum illarum locum ostendit, qui erat in atrio sacerdotali in aquilonari latere;

ad eam partem, quae vergit ad occasum, procul nimirum ab orientali porta. וַיְבִיאֵנִי *Postea introduxit me*, 42, 2. בָּמָּבוֹא *Per introitum*, 44, 5. I Paral. 9, 19. אֲשֶׁר עַל־יֶרֶךְ *Qui* erat *ad latus*, 40, 13. 40. 44. הַשַּׁעַר *Portae* scil. septentrionalis, ut sequitur. אֶל־הַלִּשְׁכוֹת הַקֹּדֶשׁ *Ad cellas sanctas*, vid. 42, 13. 14., et similem constructionem (quoad *He* articuli priori quoque nomini praepositum) supra 45, 14. 16. אֶל־הַכֹּהֲנִים *Pro sacerdotibus*, vel, quae cellae *ad sacerdotes* pertinebant, ita אֶל et. I Sam. 1, 17. 1 Reg. 14, 5. הַפְּנוֹת צָפוֹנָה *Quae ad aquilonem spectabant*, 42, 1. 2. 8, 3. וְהִנֵּה־שָׁם מָקוֹם *Et ecce! ibi* erat *locus* culinarum, Vs. 20. בְּיַרְכְּתֵיִם *In duobus lateribus* s. *angulis*, cf. Exod. 26, 22. 23. 27. יָמָּה *Versus mare*, i. e. occasum, „hanc habente Scriptura sacra consuetudinem, ut pro situ terrae Judaeae semper *mare* Occidentem vocet," ut ad h. l. Hieronymus dicit. Cf. supra 45, 7. Genes. 28, 14. Juxta cellas, vel ex opposito cellarum, in quibus sacerdotes sacras carnes comederent, quae proxime hinc versus meridiem erant, supra 42, 13.

20. אֲשֶׁר יְבַשְּׁלוּ־שָׁם הַכֹּהֲנִים *Ubi coquent sacerdotes*, Vs. 24. אֶת־הָאָשָׁם *Sacrificium pro reatu* et *pro delicto* oblatum, 40, 39. 42, 13. 44, 29. Ex victimis quaedam omnino cremabantur, quae dicebantur *holocausta*, עוֹלוֹת, ex quibus pars nulla ad sacerdotes pertinebat; ex aliis partes quaedam in sacerdotum usum conferebantur, ut in hostiis eucharisticis, in sacrificiis pro peccatis et pro delictis, de quibus Lev. C. 26. 27. Quae ergo ex victimis ad sacerdotum usum leges destinabant sacrificales, ad locum illum deferebantur, ubi culinae erant, in quibus coquerentur. אֲשֶׁר וְלֹא *Ubi* etiam *coquent*, Lev. 24, 5. לְבִלְתִּי הוֹצִיא *Ut non efferant* illas sacras epulas, cf. supra 42, 13. אֶל־הֶחָצֵר הַחִיצוֹנָה *Ad exterius atrium*, Vs. 21. 42, 14. לְקַדֵּשׁ אֶת־הָעָם *Ad sanctificandum populum*, ne epulae sacrae ad turbam profanam traducerentur; sicut supra 44, 19. prohibuit, ne ad populare atrium progrederetur sacerdos veste sacra indutus, ne populus sanctificetur. Vid. ibi not.

21. וַיּוֹצִיאֵנִי אֶל־הֶחָצֵר הַחִיצוֹנָה *Deinde eduxit me ad atrium exterius*, 42, 1., quod erat ante portam septentrionalem interioris atrii, de qua supra Vs. 19. וַיַּעֲבִרֵנִי *Et transire me fecit*, duxit me, 37, 2. 47, 3. 4. אֶל־אַרְבַּעַת מִקְצוֹעֵי *Ad quatuor angulos*, Vs. 22. 41, 22. הֶחָצֵר Istius *atrii* interioris, inter portas septentrionales. חָצֵר *Atrium*, scil. minus, uti res ipsa docet, s. *atriolum* aliquod erat. בְּמִקְצַע הֶחָצֵר *In angulo* majoris *illius atrii*. חָצֵר בְּמִקְצַע הֶחָצֵר Iterumque *atrium in angulo atrii*, i. e. in singulis atrii angulis aliquod erat minus atrium. Repetitio distributionem indicat, ut Num. 17, 21. 28, 13. Jos. 22, 14. Recte Vulgatus: *atriola singula per angulos atrii.*

22. בְּאַרְבַּעַת מִקְצֹעוֹת הֶחָצֵר *In quatuor angulis istius atrii* majoris, Vs. 21. חֲצֵרוֹת *Atria* erant quatuor. קְטֻרוֹת nonnulli a קִיטוֹר, *fumus*, interpretantur *caminata*, i. e. caminis et vaporariis

instructa, propter sacrificiorum carnes, quae ibi coquebantur. Kimchi et alii Hebraeorum *conjuncta*, *coagmentata*, ex significatione Chaldaica verbi קְטַר, qua idem est, quod hebraeum קָשַׁר, *ligavit*; unde Daniel. 5, 6. וְקִטְרֵי חַרְצֵיהּ, *et ligavit*, cingula, *lumborum ejus*. Talmudici vero קְטֻרוֹת exponunt *exhalantia fumum*, *quod ipsis desit tectum*, coll. Genes. 19, 28. עָלָה קִיטֹר הָאָרֶץ, *ascendebat fumus terrae*. Syris quoque, auctore Castello, בָּתֵּא קְטִירֵא sunt *domus sine tecto*. Coccejus *muris cincta* interpretatur, adscita Chaldaica verbi קְטַר notione, de qua supra LXX, quos sequitur Syrus, *μικραὶ* (*αὐλαὶ*), juxta Complutensem editionem; Romana habet in singulari, *μικρὰ* (*αὐλὴ*), *parvum atrium*. Vulgatus: *disposita* (atriola). Chaldaeus retinuit vocem Hebraicam. אַרְבָּעִים אֹרֶךְ *Quadraginta* scil. *cubitorum*, ut 45, 2. 47, 3. (quod hic subaudiendum est, ut 43, 16. 17. 47, 4. 5., et exprimitur quoque a Vulgato) *longitudine* versus meridiem, vid. *Sturmii* Sciagr. p. 87. וּשְׁלֹשִׁים רֹחַב *Et triginta* cubitorum *latitudinis* versus orientem. מִדָּה אַחַת *Una* eademque *mensura*, 40, 10. לְאַרְבַּעְתָּם *Ipsis quaternis* erat. מְהֻקְצָעוֹת *Angularibus*, s. *angulatis*, Participium Hophal, hoc solo loco obvium. Puncta huic vocabulo superne imposita illud in nonnullis codicibus omissum fuisse arguunt, vid. supra ad 41, 20. Nec exprimitur a LXX et Vulgato.

23. טוּר, quod proprie *seriem*, s. *ordinem* significat, h. l. *murum* vel *parietem*, indicare, docet res ipsa. Cf. 1 Reg. 6, 36. 7, 12. Vulgatus prius hemistichium recte vertit: *et paries per circuitum ambiens quatuor ariola*. וּמְבַשְּׁלוֹת *Et loca ubi coquitur*, i. e. *μαγειρεία*, *culinae*, ut LXX et Vulgatus verterunt. Hebraei, quos Lutherus sequitur, intelligunt *focos*. עָשׂוּי *Factum erat*, per discrepantiam generis et numeri. Alii: *factus erat* locus culinarum. Cf. eandem constructionem supra 40, 17. 41, 18. 19. מִתַּחַת הַטִּירוֹת *Infra ordines* s. *infra ad muros*. Vulgatus: *et culinae fabricatae erant subter porticus per gyrum*, i. e. in subterraneis cryptis, quae sub porticibus erant. Aliter Jarchi: „Series struis muri lapidei prominebat ex muro prope terram, in qua erant foramina, quibus ollae imponebantur; sub illa serie vero erat concavitas, in qua ignis accendebatur.“

24. אֵלֶּה בֵּית הַמְּבַשְּׁלִים *Haec* atriola (Vs. 21. 22) sunt *domus* s. locus *coquentium*. „Ita haec atriola commodissime dicuntur, cum fumum in liberum aërem dimittant, parum incommodi allaturum parietibus, et mensis holocaustorum (40, 39—43.) adstent quam proxime: superius vero totum atrium liberum, et inferius spatiosissima ambulacra, elegantissima proportione instructa, relinquant.“ Sturmii *Sciagr.* p. 87. מְשָׁרְתֵי הַבַּיִת *Ministri domus*, Levit. 44, 21. אֶת־זֶבַח הָעָם *Sacrificia populi*. Victimarum aliqua pars et ex lege Mosaica ad turbam quoque profanam pertinebat, ut Lev. 7, 11. sqq. dicitur de hostia eucharistica, cujus carnes ab offerentibus comedebantur, Vs. 15. Pro his igitur epulis coquendis institutae erant culinae in quatuor angulis exterioris atrii, de quibus modo.

CAP. 47.

Argumentum.

Educto e templo prophetae monstrantur primum aquae scaturientes e Sanctuario, quae sensim magna accipiunt incrementa, usque adeo, ut vado transmitti non possint (Vs. 1—6.), et arbores, in utraque ripa crescentes (Vs. 7.). Tum aquarum cursus et usus (Vs. 8—11.) exponuntur. Hinc transit ad terrae Israeliticae dividendae (Vs. 13. 14.) terminos describendos, versus aquilonem (Vs. 15. 16. 17.), ortum (Vs. 18.), austrum (Vs. 19. 20.), et occasum (Vs. 21.), inque ejus hereditatem advenae etiam s. peregrini admittuntur (Vs. 22. 23.).

1. וַיְשִׁבֵנִי *Postea* a culinis atrii exterioris versus septemtrionem (46, 21. sqq.) *reduxit me* (Vs. 6. 44, 1.) in atrium interius. אֶל־פֶּתַח הַבַּיִת *Ad ostium* ipsius *domus*, i. e. templi, 40, 47. 48. 41, 13. 45, 19. וְהִנֵּה־מַיִם יֹצְאִים מִתַּחַת מִפְתַּן הַבַּיִת *Aquae exibant infra limen templi.* Grotius huc refert aquas, quae, uti tradunt Hebraei ad codicem Talmudicum יומא, *Joma*, s. *de ritibus die expiationis observandis* C. 2., ex fonte Etham per canales, seu tubos subterraneos ductae in templum, erumpebant in subdiale sacerdotum ad lavandas victimas, purgandum a sanguine solum et ad sordes ejiciendas. Cf. LIGHTFOOTI *Descript. templi Hierosolymit.* C. 23. in *Opp.* Vol. I. p. 612. sq., ubi ex Glossa ad codicem זבחים *de sacrificiis*, fol. 54. a. et Kimchio ad Jos. 18, 15. colligit, fontem Etham, cujus meminerunt Talmudici, fuisse *puteum aquae Nephtoah* (מַעְיַן מֵי נֶפְתּוֹחַ apud Josuam), ad occidentem templi situm, unde in eam partem canales et tubi descenderint, qui eam aquam in varia receptacula variosque usus deferrent. „Hoc," inquit p. 613., „lucem afferet verbis Ezechielis de aquis viventibus, 47, 1., quae ibi dicuntur descendisse per dextrum latus Aedis ad australe latus altaris; quod alludit ad aquam in templum defluentem ex fonte Etham, qui propterea clausus erat. Nam tubi, qui inde aquam defcrebant, descendebant ad australe latus templi in eum locum, qui vocabatur תורדת המים, *descensio aquae*, indeque in cisternam conclavis putei, quod erat directe e regione altaris ad australe ejus latus, atque hinc in varia deferebatur templi conclavia."

Sed earum, quas Noster describit, aquarum rationem longe esse diversam, nemo non videt. Neque enim aliunde dicuntur adducendae, sed, uti ex tota apparet descriptione, aquae sunt *vivae*, sub sanctuarii limine exoriundae, quae sensim in magnum fluvium excrescunt (Vs. 3. sqq.). Ita et Joel 4, 18. fortunatissimo illo aevo, quo *Judaeae montes stillabunt laticem, collesque lacte manabunt*, *oriturum* promittit *e Jovae templo fontem* (וּמַעְיָן מִבֵּית יְהוָה יֵצֵא), *qui vallem Sittim adaquet*. Et Zacharias, eadem describens tempora, 14, 8. *eo tempore*, inquit, *ex Hierosolymis aquae vivae prodibunt* (יֵצְאוּ מַיִם חַיִּים מִירוּשָׁלַם), *parte dimidia ad orientale mare, altera dimidia ad mare postremum*, s. *occidentale*, *idque aestate fiet et hyeme*. Quibus ex locis et aliis similibus, veluti Jes. 11, 9. 12, 3. 44, 3. 55, 1., apparet, persuasum vatibus Hebraeis fuisse, fore, ut temporibus Messiae et ipsa terra Judaica faciem plane novam et longe laetiorem, quam ei esset prius, induat. Cf. supra 34, 25. sqq. 36, 11. sqq. 30. sqq. Ceterum e nostro loco hausta sunt quae leguntur Apoc. 22, 1. sqq. קָדִימָה *Versus ortum*, ut 45, 7. כִּי־פְנֵי הַבַּיִת קָדִים *Facies enim domus respiciebat ad Orientem*, ut recte Vulgatus. וְהַמַּיִם יֹרְדִים *Et aquae istae defluebant*, Vs. 8. מִתַּחַת *Inferius*, Jud. 7, 8. מִכֶּתֶף הַבַּיִת *A latere templi*, 1 Reg. 7, 39. הַיְמָנִית *Dextro*, 2 Paral. 4, 10. מִנֶּגֶב לַמִּזְבֵּחַ *Ab australi latere* (40, 39.) *altaris*. Ante vestibulum templi erat, ut vidimus supra 40, 47., altare holocausti; ad ejus dextrum latus labebantur aquae, quae e Sanctuario, tanquam e suo capite, defluebant; id est, versus meridianam templi regionem; nam egredientibus e Sanctuario, sicut egreditur aqua a dextris, est meridiana plaga.

2. וַיּוֹצִיאֵנִי *Et eduxit me*, cf. 42, 1. 46, 21. דֶּרֶךְ־שַׁעַר צָפוֹנָה *Per portam aquilonarem*, 40, 35. 44, 4. 46, 9. וַיְסֹבְבֵנִי *Et circumduxit me*, 1 Sam. 5, 9. 10. דֶּרֶךְ חוּץ *Via foras, extorsum*, via exteriori. אֶל־שַׁעַר הַחִיצֹן *Ad portam exteriorem*, 44, 1. דֶּרֶךְ הַפּוֹנָה קָדִים *Via, quae spectat versus ortum*, 11, 1. 46, 1. 12. Eduxit igitur angelus prophetam extra templum ad portam orientalem extimam, per quam primum fuerat ingressus, ut inde spectaret, reque ipsa experiretur, quanta foret illius gurgitis altitudo. וְהִנֵּה־מַיִם מְפַכִּים *Et en aquae stillantes*, guttatim prosilientes erant, ut Hebraei explicant Participium hoc formae Piel verbi hoc solo loco obvii, פָּכָה, quod referunt ad פַּךְ, *lenticulam*, s. vas angusto orificio, ad servandum oleum, et ex eo guttatim effundendum, 1 Sam. 10, 1. 2 Reg. 9, 1. 3. Aliis פָּכָה est idem quod sono cognatum בָּכָה, quod non minus de manantibus aquis, quam de lachrymis dicitur, vid. Job. 28, 11. 38, 16. Sic Arabibus עָיַן est *manavit* aqua vel lachryma, unde nomen עַיִן, *fons* et *oculus*. LXX: τὸ ὕδωρ κατεφέρετο. Vulgatus: *aquae redundantes*. Chaldaeus: *egredientes*. מִן הַכָּתֵף הַיְמָנִית *A dextro latere*, Vs. 1.

3. בְּצֵאת־הָאִישׁ *Quum* ergo mecum *exiret* (V. 2.) *vir ille*, 40, 3. descriptus. קָדִים *Orientem* versus, ut Vs. 1. וְקָו בְּיָדוֹ *Et filum* mensorium *in manu sua* haberet, vid. 40, 3. וַיָּמָד אֶלֶף *Mensus est mille cubitos* (ut recte Vulgatus et Chaldaeus), sic Vs. 4. 5., scil. progrediens versus ortum. בָּאַמָּה *Mensura cubitali*, 40, 5. וַיַּעֲבִרֵנִי בַּמַּיִם *Et transire fecit me*, traduxit, *per aquas*, Vs. 4. 46, 21. מֵי אֲפֵסִים Kimchi perperam explicat *aquas defectus*, i. e. deficientes, s. paucas, ab אָפֵס, *desiit*, *defecit*, Genes. 47, 15. et אֶפֶס, *defectus*, quum tamen similes voces Vs. sq. atque dualis haud obscure innuant, indicari partem corporis humani. Recte vero monuerunt ante Kimchium plures ex Hebraeis interpretes, *Aleph* in voce אֲפֵסִים esse prostheticum, et convenire significatu cum Aramaeo פַּס, proprie *partem*, *particulam*, denotante, sed de *manu* aut *pede* usurpatum *volam manus* aut *plantam pedis* indicante, ut igitur dictione מֵי אֲפֵסִים significentur *aquae nonnisi plantam pedis tegentes*. Non multum diversi sunt, qui אֲפֵסִים exponunt קַרְסֻלִּים, *talos*, ut פַּס הַרֶגֶל sit *pars pedis*, ubi talis jungitur. Ita Chaldaeus, Syrus et Vulgatus: *per aquam usque ad talos*. LXX: ὕδωρ ἀφέσεως, *aqua emissionis*, ut Joel 1, 20. אֲפִיקֵי מַיִם, et Thren. 3, 47. פַּלָּגֵי־מַיִם ἀφέσεις ὑδάτων verterunt.

4. וַיָּמָד אֶלֶף *Iterumque mensus est mille* scil. *cubitos*, id quod hic et in sequentibus recte addit Syrus; cf. Vs. 3. et not. 46, 22. וַיַּעֲבִרֵנִי בַּמַּיִם Vid. Vs. 3. מַיִם בִּרְכַּיִם *Per aquam usque ad genua*, ut Vulgatus vertit, i. e. invenit aquas usque adeo exercvisse, ut sese ad genua usque fluvius attolleret. Nomen prius in forma status absoluti hic ponitur, quum ex praeceptis Syntaxeos Hebraeae in statu constructo esse deberet, pro מֵי בִרְכַּיִם, uti mox in phrasi sub finem hujus versiculi. Cf. not. supra ad 11, 16. 40, 15. 46, 19. וַיָּמָד אֶלֶף *Et porro* versus orientem *mensus est mille* cubitos, Vs. 3. וַיַּעֲבִרֵנִי מֵי מָתְנַיִם *Et transire me fecit per aquas lumborum*, illa jam incrementa fluvius acceperat, ut ad lumbos usque aquae pertingerent.

5. וַיָּמָד אֶלֶף *Et quum mensus esset mille* alios cubitos, Vs. 3. נַחַל *Fluvius* vel *torrens* fuit aquarum, Vs. 6. 7. 12. אֲשֶׁר לֹא־אוּכַל לַעֲבֹר *Quem non poteram* pedibus *transire*. כִּי־גָאוּ הַמַּיִם *Quoniam intumuerant aquae*, ut Vulgatus reddidit, profundae nimis erant et excreverant; verbum גָּאָה Job. 8, 11. 10, 16. de plantis et feris sese efferentibus dicitur. Jarchi nostrum verbum גדלו, *creverunt*, explicat. מֵי שְׂחוּ *Aquae natationis*, i. e. quas necesse erat natando trajicere, neque amplius propter altitudinem pede transiri poterant. A שָׂחָה, *natavit*, שְׂחוּ nomen est formae אָחוּ. Vulgatus huic nomini proximum נַחַל jungens, *aquae profundi torrentis*. Similiter Zoroaster per somnium sibi visus est pervadere aquas, quae ipsi primum ad crura, deinde ad genua, tum ad ilia, denique ad collum

pertingerent. Quo quidem viso suae doctrinae incrementa ipsi ostensa fuisse, perhibetur in Vita Zoroastris, quae legitur in *Zend-Avesta* a KLEUKERO vernacule reddito T. III. p. 16.

6. הֲרָאִיתָ *Vidistine?* quantum creverit fluvius ille? Vulgatus: *certe vidisti*, ut supra 8, 15. 40, 4. וַיּוֹלִכֵנִי *Et mox deduxit me*, 40, 24. עַל־שְׂפַת הַנָּחַל *Ad ripam fluvii* s. torrentis (Vs. 5. 7), unde, quum fluvium ingrederetur, digressus erat.

7. בְּשׁוּבְנִי *Quumque me convertissem* vertit Vulgatus, sive, ut alii, *quum* igitur eo *redirem*, secundum Kimchii mentem, observantis, verbum שׁוּב in Kal semper esse *neutrum* sive intransitivum, et hinc nostrum בְּשׁוּבְנִי idem esse quod בְּשׁוּב אֲנִי, *quum redirem ego.* Sed hoc alias, ut Jud. 8, 9. 11, 31. dicitur בְּשׁוּבִי. Quare nostram dictionem propter suffixum objectivum cum Coccejo *quum reduceret me*, vertere praestat; nam verbum שׁוּב et in Kal transitivam notionem obtinere, apparet ex hac formula Jer. 30, 3. וְשַׁבְתִּי אֶת־שְׁבוּת עַמִּי, *reducam captivos populi mei*, quae redit ibid. Vs. 18. 31, 23. Hos. 6, 11. et saepius. JARCHI: „Interea, dum ille (angelus) me deducebat et reducebat, germinarunt in utraque ripa fluminis arbores admodum multae.“ Nomen singulare, עֵץ, h. l. esse collective capiendum, ut Genes. 1, 11. 12. 2, 9., docet res ipsa, quum רַב מְאֹד sit additum, et observant Hebraei. מִזֶּה וּמִזֶּה Vulgatus, *ex utraque parte*, Vs. 12. 45, 7.

8. אֶל־הַגְּלִילָה LXX verterunt εἰς τὴν Γαλιλαίαν, nec aliter Chaldaeus et Syrus. Sed ut taceamus, illum terrae tractum, qui *Galilaeae* nomine notus est, masculina terminatione גְּלִיל dici, Jos. 20, 7. 21, 32. 1 Reg. 9, 11., Jes. 8, 23., 1 Chron. 6, 61. (uno excepto loco 2 Reg. 15, 29., ubi tamen הַגָּלִילָה, cum *Camez* sub *Gimel* scribitur), *Galilaea*, regio caurum versus sita, hoc loco intelligi ideo nequit, quod fluvius ille, de quo Noster loquitur, austrum versus ad lacum Sodomiticum profluit. Hebraei nostrum nomen *terminum* notare volunt, praeeunte Symmacho, qui, Hieronymo referente, μετόριον vertit, „quod,“ ut ille addit, „possumus transferre *confinium*.“ Sunt e recentioribus, qui *terminos* putent a *volvendo* (גָּלַל) dici, quod non recta linea eant, sed Maeandri more volvantur. Quae quidem notio etsi plerisque locis, quibus pluralis גְּלִילוֹת occurrit, apta sit, minime tamen convenit loco Jos. 18, 17. Sed vix dubium est, גְּלִילָה, plane ut כִּכָּר, proprie *circuitum*, tum tractum certis terminis sese circumvolventibus conclusum denotare. הַקַּדְמוֹנָה *Quae est ad orientem*, ita veteres omnes, consentientibus Hebraeis, qui hanc vocem המזרחית exponunt. Recentiorum quidam *anteriorem* vertunt: quod tamen quid sibi velit, nos non perspectum habemus. עַל־הָעֲרָבָה *Ad plana deserti*, vertit Vulgatus Latinus; recte, designatur enim hoc nomine ingens illa planities, quae a lacu Tiberiadis sese extendit usque ad lacus

Asphaltitis fines australes, et a Jordane irrigatur; Josepho *μέγα πεδίον* dicitur, vid. RELANDI *Palaest.* p. 360. sqq., et cf. Deut. 4, 49. Jos. 12, 1. 3. 2 Reg. 14, 25. Pluribus hunc campum descripsit JOSEPHUS *de bello Jud.* L. IV. Cap. 8. §. 2., ubi inter alia et haec habet, quae ad locum nostrum illustrandum faciunt: *Aestate multum torretur hic campus, et propter eximium ardorem aërem habet insalubrem; totus enim* (campus) *aquis destituitur, si Jordanem excipias.* Quare idem Josephus illam planitiem *de bello Jud.* L. III. Cap. 10. p. 7. recte *ἐρημίαν, solitudinem,* nuncupare potuit. Confirmant quae Josephus de hac regione dixit, qui recentioribus temporibus illam adierunt. Vid. libr. nostr. *Handbuch der bibl. Alterthumskunde* Vol. II. P. I. p. 145. sqq. Istum igitur tractum aridum aquarumque egenum irrigandum Noster promittit flumine illo e sanctuario oriundo, quemadmodum Jesajas 35, 6. aevo illo felicissimo, quo tota natura laetiorem faciem induet, *in planitie deserta torrentes* (נְחָלִים בָּעֲרָבָה) pollicetur. Cf. eundem 35, 1. 43, 19. וּבָאוּ הַיָּמָּה *Et venient ad* s. *intrabunt mare* in illa planitie, i. e. lacum Asphaltitem, qui Deut. 3, 17. Jos. 3, 16. יַם הָעֲרָבָה יַם הַמֶּלַח *mare planitiei*, illius videlicet, quam Jordanes perluit, *mare salis* vocatur. Syrus: *et decidunt in mare, in aquas foetentes.* HIERONYMUS: „Nec solum deserta sanarunt [illae aquae], sed intrant *mare orientale*, mare videlicet mortuum, in quo nihil poterat esse vitale, et mare amarissimum, quod Graece *λίμνη ἀσφάλτου*, id est, *stagnum bituminis,* vocatur.“ De eo TACITUS *Histor.* 5, 6. *Lacus* (est) *immenso ambitu, specie maris, sapore corruptior, gravitate odoris accolis pestifer, neque vento impellitur, neque pisces, aut suetas aquis volucres patitur.* Conf. libr. nostr. laudat. Vol. II. P. I. p. 180. sqq. אֶל־הַיָּמָּה הַמּוּצָאִים *In mare*, inquam, venient *illae* e Sanctuario *eductae* aquae, Vs. 1. 12. *Mare mortuum* et hic plerique intelligunt ex Christianis interpretes. At Chaldaeus haec verba una cum iis, quae proxime praecedunt, ita vertit: *et intrant per mare, in mare magnum effunduntur.* Is igitur interpres hoc alterum יַמָּה de *oceano* s. *mari mediterraneo* accepit, de quo sane id ipsum nomen Num. 34, 5. Jos. 15, 11. 16, 8. 17, 9. 19, 28. usurpatur (cf. Jos. 15, 12. יַם הַגָּדוֹל). Quod sequuti Hebraei, torrentem illum, qui egressus esse dicitur e Sanctuario, in duo brachia divisum existimant, quorum alterum in mare orientale, id est mortuum, quod ab ortu Hierosolymam spectat, alterum in mare magnum sese effundat. Et ea quidem sententia non solum eo confirmatur, quod Versu proximo de hoc torrente usurpatur nomen נְחָלִים in *duali*, verum et parallelo prorsus Zachariae loco 14, 8., ubi aquae vitales Hierosolymis oriundae parte sui dimidia ad *orientale mare*, i. e. mortuum (אֶל־הַיָּם הַקַּדְמוֹנִי), altera sui dimidia ad *mare postremum* (אֶל־הַיָּם הָאַחֲרוֹן), i. e. occidentale sive mediterraneum manaturae dicuntur. Quae quum

ita sint, verba אֶל־הַיָּמָּה הַמּוֹצָאִים ita videntur capienda esse: *ad mare* ubi *illae* aquae *educuntur*, sive, *ad* aquas *maris quae educuntur*, ex Jarchii explicatione: *id est*, *oceanus*, qui sic appellatur, *quod egreditur ex orbe habitabili*, *ut circumdet orbem.* Id quod forsan et LXX exprimere voluerunt, dum verterunt: ἐπὶ τὸ ὕδωρ τῆς ἐκβολῆς. וְנִרְפְּאוּ הַמָּיִם *Ut sanentur aquae*, *a salsugine sua*, ut Hebraei addunt. Cf. Vs. 11. Sic et Syrus: *et fiant suaves* aquae illae. Ita et 2 Reg. 2, 21. 22. verbum נִרְפָּא dicitur de aquis, quae dulces et potabiles sunt factae. Ceterum נִרְפְּאוּ cum Aleph quiescente ponitur pro נִרְפָּאוּ (quod in nonnullis codicibus scriptum reperitur, sed contra Masoram), more Syrorum, apud quos Aleph numquam ante se fert Schva, sed in hujus locum suam vocalem transfert, et in ea quiescit, aut etiam plane occultatur. Vid. C. B. Michaelis *Lumina Syriaca* §. 10. in *Sylloge Commentatt. Theoll.* Vol. 1. p. 185. sqq.

9. וְהָיָה כָל־נֶפֶשׁ חַיָּה *Unde fiet*, *quantum ad omnem animam viventem*, animal. אֲשֶׁר יִשְׁרֹץ *Quod reptat* seu *movet se*, nam verbum שָׁרַץ de quovis motu animantis dicitur, vid. Genes. 7, 21. Levit. 11, 29. אֶל כָּל־אֲשֶׁר יָבוֹא שָׁם *Ad omne quo venerit*, i. e. quocunque venerit, cf. 1, 12. 20. נַחֲלִים *Geminus fluvius* versus ortum et occasum profluens, Vs. 8. Zachar. 14, 8. יִחְיֶה Illud *vivet*. Grotius: „Non interibit, ut illi pisces, qui in mare mortuum immittuntur.“ Hieronymus de mari mortuo in Commentar. ad h. l.: „Et revera juxta literam huc usque nihil, quod spiret, et possit incedere, prae amaritudine nimia in hoc mari reperiri potest, nec cochleolae quidem parvique vermiculi et anguillae, et cetera animantium sive serpentium genera, quorum magis corpuscula possumus nosse quam nomina. Denique si Jordanis auctus imbribus pisces illuc influens rapuerit, statim moriuntur, et pinguibus aquis supernatant.“ וְהָיָה הַדָּגָה גו׳ *Et erit piscium multitudo*, s. *piscium genera*, forma nominis feminina *collectivum* denotat, vid. Num. 11, 5. Exod. 7, 18. 21. Deut. 4, 18., ut סוּסָה, *equitatus*, עֵצָה *copia lignorum*. כִּי בָאוּ שָׁמָּה *Nam cum venerint eo*, Vs. 8. וְיֵרָפְאוּ *Sanabuntur*, dulces reddentur aquae marinae, vid. not. ad Vs. 8. וָחָי־כֹּל הַנֶּחָל *Ita ut vivat omne quocunque venerit fluvius.* Kimchi: „In quodcunque mare illorum fluviorum unus, vel etiam uterque, intrabit, ibi animantia vivent. Sunt enim maria, in quibus neque pisces, neque alia animalia vivere possunt, quod aqua eorum salsuginosa et amara est, veluti mare Philisthaeum [i. e. mediterraneum], et Sodomiticum. Cujus utrinque maris aquae fluviis illis ita sanabuntur, ut plurima piscium genera in illo reperiantur. Ceterum nomen נֶפֶשׁ, quod plerumque generis feminei est, h. l. ut masculinum tractatur, junguntur enim ei verba masculina יִשְׁרֹץ et יִחְיֶה, uti Genes. 46, 25. כָּל־נֶפֶשׁ שִׁבְעָה, *omnes septem animae.* Et Num. 31, 28. אֶחָד נֶפֶשׁ *una anima.*

10. וְהָיָה עָמְדוּ *Fiet ergo ut stent*, in aliis codicibus forma futuri, רַעֲמְדוּ scriptum exstabat, ut literae in textu positae arguunt, nullo tamen sensus discrimine. עָלָיו *Supra*, i. e. *ad, juxta illud* mare, ut Genes. 41, 1. עֹמֵד עַל־הַיְאֹר *stans juxta fluvium.* Hieronymus: *super ripas.* דַּוָּגִים, sive ut in nonnullis codicibus legitur, דַּיָּגִים, *piscatores*, Jes. 19, 8. Jerem. 16, 16. Chaldaeus: *et erit locus, ubi stent piscatores.* מֵעֵין גְּדִי וְעַד־ עֵין עֶגְלַיִם „*Ab Engaddi usque ad Engallim*, quorum prius *fontem* sive *oculum haedi*, sequens *fontem oculumve vitulorum* sonat. *Engallim* enim in principio est maris mortui, ubi Jordanis ingreditur; Engaddi vero, ubi finitur atque consumitur.“ Hieronymus. *En-gedi*, oppidi Judae, haud procul a mari mortuo, et Jos. 15, 62. 1 Sam. 24, 1. 2. mentio fit. Immerito vero Hieronymi fidem in dubium vocavit Relandus *Palaest.* p. 763., quem refutavit Michaelis in *Supplemm.* p. 1894. מִשְׁטוֹחַ לַחֲרָמִים יִהְיוּ *Expansio sagenis* (ut supra 26, 5. 14.) *erunt* omnia loca juxta fluvios et mare. Vulgatus: *siccatio sagenarum erit.* Indicatur locus piscatu abundans, et piscatoribus frequens; neque enim alibi siccandae exponuntur sagenae, aut expanduntur retia, nisi ubi eadem extrahuntur e mari madefacta. Sunt, qui vertant: *ad expansionem sagenarum* s. *retium aderunt* piscatores. לְמִינָהּ תִּהְיֶה דְגָתָם *Secundum* varias *species suas erit piscatura eorum.* Vulgatus: *plurimae species erunt piscium ejus*, maris quondam mortui. Quod litera He in voce לְמִינָהּ non habet Mappik inditum, sed lineola *Raphe* notatur, eo, ut Hebraei observant, indicatur, *He* illud non esse suffixum (ut Genes. 1, 21. לְמִינֵהוּ et לְמִינֵהֶם dicitur), sed pertinere ad formam nominis, quod sit collectivum, pro לְמִינִים *secundum species plures*, ut igitur מִינָה eadem sit collectivi forma, qualis דָּגָה, Vs. 9., et Jes. 21, 2. אֲנָחָתָהּ *gemitus multi.* Suffixum ־ָם vero in דְגָתָם referendum est ad נַחֲלַיִם, *fluvios*, Vs. 9., Kimchio monente. כִּדְגַת הַיָּם הַגָּדוֹל *Sicut pisces maris magni*, s. mediterranei, Vs. 15. 19. 20., cf. Num. 34, 6. 7. Jos. 1, 4. 9, 1.

11. בִּצְאָתָיו *Coenosa ejus* maris mortui, pro בִּצּוֹתָיו, *Aleph* pro *Vau* posito, a בָּצַץ (arabice *paulatim fluxit et emanavit aqua*), unde בֹּץ, *lutum* Jer. 38, 22., et בָּצָה, *locus lutosus* (praeter hunc locum bis, Job. 8, 11. 40, 21. obvium), ut Chaldaicum בְּצָא, quod hoc loco a Chaldaeo positum. Jarchi gallico *marais* explicat. Kimchi *loca profunda luto repleta* notare ait. Vulgatus: *in littoribus autem ejus.* Videtur de צִיָּה cogitasse, unde Ps. 105, 41. בַּצִּיּוֹת *in aridis locis.* וּגְבָאָיו *Et lacunae ejus.* Nomen גֶּבֶא, quod hoc duntaxat loco legitur, lucem accipit ex cognato arabico גَبَا, גُبَاوَة, *aqua in aquario, ex lapidibus structa collecta* ad aquandos camelos. Radix est גָּבָא (pro גבר et גבי) *congregavit deduxitque* aquam in aquarium. Videtur vates lacunas arte humana factas intelligere, quibus salsissima

maris mortui aqua, vere exundantis, excipitur, ut recedente mari solis aestu in vapores dissoluta satis thesauros relinquat. Vid. J. D. Michaelis *historiam maris mortui* §. 4. (p. 69. 70. *Commentatt. per annos* 1758—1762. *praelect.*). וְלֹא יֵרָפְאוּ *Non sanabuntur*, non dulces fient, Vs. 8. 9. Pro וְלֹא in pluribus codicibus absque copula legitur לֹא, probante De-Rossio, his verbis: „irregularis et incommoda hic copula, nec legit ullus vcterum.“ Mallem dixisset Vir Doctissimus: „nec *expressit* ullus veterum.“ Non vero expresserunt, quia linguarum, in quas verterunt, ratio non ferebat. In codice Hebraeo autem plura exstant loca, quibus Vav eodem modo, quo hic, usurpatur, videlicet ut *ἀποδοτικὸν*, cum nomen vel nomina, quae praecedunt, absolute posita, *πρότασιν* constituunt. Vid. Storrii *Observv.* p. 293. 446. Hinc Jarchi ad nostrum locum observat, literam Vau ante לֹא accessoriam esse et abundare, quod ipsum ad Gen. 36, 24. Hos. 8, 6. notat, ad quae loca et alia hujus loquendi usus exempla affert. Sunt, qui vertant: *et* quaecunque *non sanabuntur*, subaudito post ו, כֹּל אֲשֶׁר, quo tamen non opus esse, liquet ex his, quae diximus. לְמֶלַח נִתְּנוּ *Sali dabuntur*, destinata sint. Vulgatus: *quia in salinas dabuntur.* Bene Chaldaeus: *pro fodinis salis erunt.* „Verno enim tempore (utor verbis J. D. Michaelis in Historia maris mortui supra hac ipsa in nota laudata p. 68.), resolutis nivibus vehementior majorque solito Jordanes plus aquae ad mare mortuum defert, unde jam litus egressum, latiusque stagnans vicinis vallibus innatat. A quibus recedens aestate non tenui solum strato salis vestitas valles relinquit, sed et liberaliore dono accolas afficit. Hi enim fossas in litore excavant, in quibus residua aqua sole aestivo coquitur, magnos salis thesauros relictura, quo Palaestina in cibis condiendis utitur. Sunt hae salis fossae Zephaniae 2, 9. commemoratae.“ Ne igitur toto mari mortuo sanato ingenti beneficio, sale, Palaestina privaretur, plusque in isto flumine, de quo inde ab hujus Capitis initio, damni quam utilitatis esset, palustria et fossae mari mortuo propinqua non dulcia reddentur, sed sali comparando destinata manebunt.

12. וְעַל־הַנַּחַל *Porro juxta fluvium*, ut עַל Vs. 10. in עָלָיו. יַעֲלֶה *Adscendet*, crescet, ut idem verbum de plantis Jes. 32, 13. usurpatur. עַל־שְׂפָתוֹ *In ripa ejus*, Vs. 6. 7. מִזֶּה וּמִזֶּה *Ab utraque parte*, Vs. 7. כָּל־עֵץ *Omnis* gencris *arbores*, Gen. 2, 9. מַאֲכָל *Cibi*, i. e. pomiferae, sive fructus ad cibum ferentes, ut Levit. 19, 23. Deut. 20, 20. לֹא־יִבּוֹל עָלֵהוּ *Cujus*, s. quarum *folia non defluent*, s. *marcescent* (ut Ps. 1, 3.), sed semper virebunt. וְלֹא־יִתֹּם פִּרְיוֹ *Neque finietur*, deficiet unquam *fructus earum*, eundem usum verbi תָּמַם vid. supra 24, 11. Genes. 47, 15. לְחָדָשָׁיו Sed *singulis mensibus suis*, 1 Paral. 23, 31. Vulgatus et Chaldaeus: *per singulos menses.* Syrus: *quovis initio*

mensium. יְבַכֵּר *Praecoces fructus ferent.* Hoc verbum praeter hunc locum semel tantummodo Deut. 21, 16. legitur, non eadem tamen prorsus significatione. Ibi enim *primogenitum facere, primogeniti jura conferre in aliquem*, a בְּכוֹר, *primogenitus*; hic vero de arboribus usurpatum, a בִּכּוּרָה, *fructus praecox, tales fructus ferre* denotare, res ipsa docet. Hinc Kimchi: יְשָׂא בִכּוּרִים, *feret praecocia*, additque: *et id quidem miraculo fiet.* Jarchi: „Singulis mensibus maturescent fructus earum arborum.“ Continenti tractu veteribus fructibus succedent recentes, ut numquam arbores maturis fructibus oneratae non sint. Nostrum imitatus est Joannes Apocal. 22, 2. in descriptione novae Hierosolymae, quam transibit fluvius sub throno Dei oriundus: Ἐν μέσῳ τῆς πλατείας αὐτῆς, καὶ τοῦ ποταμοῦ, ἐντεῦθεν καὶ ἐντεῦθεν, ξύλον ζωῆς, ποιοῦν καρποὺς δώδεκα, κατὰ μῆνα ἕνα ἕκαστον ἀποδιδοῦν τὸν καρπὸν αὐτοῦ. Nomen ξύλον eo loco sumendum esse collective de pluribus arboribus, sicut apud nostrum עֵץ, inde patet, quod arbor una non poterat esse in utraque fluminis ripa. Similem felicissimi agri imaginem expressit Homerus, dum Alcinoi hortos describit in *Odyss.* 7, 114. et 117. seqq.

Ἔνθα δὲ δένδρεα μακρὰ πεφύκει τηλεθόωντα.
Τάων οὔποτε καρπὸς ἀπόλλυται, οὐδ' ἐπιλείπει
Χείματος, οὐδὲ θέρευς, ἐπετήσιος· ἀλλὰ μάλ' αἰεὶ
Ζεφυρίη πνείουσα, τὰ μὲν φύει, ἄλλα δὲ πέσσει.
Ὄχνη ἐπ' ὄχνῃ γηράσκει, μῆλον δ' ἐπὶ μήλῳ.

Ibi vero arbores procerae crescebant virentes. Ex iis fructus numquam perit, neque deficit hyeme, neque aestate, perennis; sed omnino semper zephyrus spirans alia quidem crescere facit, alia vero maturescere; pirus post pirum senescit, malum post malum. Noster autem rationem reddit, cur tam sint aquae illae vitales atque fecundae, quia nempe e sacris penetralibus exundant. כִּי מֵימָיו *Quia aquae ejus*, vel, propter collectivam nominis עֵץ significationem, *earum* arborum. מִן־הַמִּקְדָּשׁ *E sanctuario* exeunt, vid. Vs. 1. Pro וְהָיָה, quod ad marginem in nostris libris legitur, sed in nonnullis codicibus in textu, in pluribus aliis codicibus exstitisse הָיוּ, arguunt, quae in textu scriptae sunt literae. Etsi vero proxime nomini singulari פְּרִי convenit verbum singulare הָיָה, minime tamen est הָיוּ improbandum, quum פְּרִי collective sit capiendum: notissimum vero est, in talibus saepe sensus haberi rationem. לְמַאֲכָל *Ad esum*, ut Genes. 2, 9. וְעָלֵהוּ לִתְרוּפָה *Et folia ejus ad medicinam*, ut Vulgatus recte. LXX: εἰς ὑγίειαν. Ita et Chaldaeus atque Syrus. Hinc Joannes in Apocal. 22, 2. καὶ τὰ φύλλα τοῦ ξύλου εἰς θεραπείαν τῶν ἐθνῶν. תְּרוּפָה, tanquam a רוּף, quod tamen, si in usu fuerat, eandem cum רָפָא notionem obtinuit, ut תְּרוּפָה idem sit, quod רְפוּאָה. „Derivata imperfectorum,“ ut observat Coccejus ad hanc vocem, „a familia in familiam saepe

transeunt.“ Quae igitur aliis in arboribus tanquam inutiles rejiciuntur, frontes, in his magno studio expetuntur.

13. Egit hactenus de templo, ac de iis, quae ad templum quoquo modo pertinent; nunc de aliis instituitur sermo, quae ad civilem spectant, et communem oeconomiam. Et primum regionem antea possessam, et postliminio possidendam primo definit, deinde in singulas familias partitur. זֶה גְּבוּל LXX *ταῦτα τὰ ὅρια*, Vulgatus et Hieronymus *hic est terminus*, Chaldaeus דֵּין תְּחוּמָא, *hic est limes*, verterunt, quos omnes pro גֵּה expressisse זֶה apparet, quod ipsum *decem* Kennicotti codices habent, alii in textu, alii in Keri, alii denique a prima manu, nec non *quatuor* De-Rossiani libri (tres a prima manu.). Hebraei גֵּה quidem retinendum existimant, sed idem quod זֶה esse volunt, ut supra 25, 7. לְבַג pro לְבַז, per commutationem literarum cabbalisticam *Atbach* dictam (vid. not. ad loc. laudat.). Syrus: *valles limitis* reddidit, incertum, legeritne גֵּה, quod idem eum גֵּיא putaverit, an vero suo in codice ipsum גֵּיא legerit, quod in tribus Kennicotti codicibus, et in uno De-Rossiano a prima manu reperitur, vel etiam גֵּי aut גֵּא, quod utrumque singuli codices exhibent, vid. De-Rossii not. crit. ad h. l. Quod vero Syri interpretationem attinet, nemo non assentiatur Michaeli in *Supplemm.* p. 272. ita de ea judicanti: „displicet: primo quod permutatio literarum [גֵּה et גֵּיא] vix est ad normam grammaticam, deinde quod *vallis limitum* incondita phrasis.“ Ipse conjicit, גֵּה גְּבוּל esse *plagam*, *latus limitis* proprie *frontem limitis*. „Arabibus a وَجْه *frons*, *facies*, feminine وَجْهَة est *latus rei*, *plaga*, sensu geographico. Idem esse masculinum وَجْه possit, sed aliis vocalibus et He mappikato scribendum, גֵּהַ גְּבוּל, *tractus finium*, *delineatio finium*.“ Et sic tamen pronomen זֶה erat praemittendum. Quae quum ita sint, tutius sane erit, in vertendo veteres interpretes sequi, qui, ut vidimus, זֶה expresserunt. אֲשֶׁר תִּתְנַחֲלוּ אֶת־הָאָרֶץ *Ad quem* s. *ubi in hereditatem accipietis terram*, ita Hithpael verbi נָחַל et Num. 32, 18. 33, 54. 34, 13. legitur. לִשְׁנֵי עָשָׂר שִׁבְטֵי יִשְׂרָאֵל *Duodecim tribubus Israelis*, quas omnes in patriam tellurem redituras sperabat Noster, vid. supra 36, 24. sqq. 37, 13. 14. Secus tamen evadit. Nam tempore Esrae et Nehemiae in solum patrium reversae sunt tribus Judae et Benjamin, a Nebucadnezare Babelem deportatae, nec non sacerdotes ac Levitae, Esr. 1, 5. 2, 1. 2. 3. 4, 2. 3., haud pauci tamen Judaei in Babylonia mansere, multique post in Aegyptum concesserunt. *Decem* vero tribus ab Assyriis deportatae (2 Reg. C. 15. 17.) in patriam non remigrarunt עַד הַיּוֹם הַזֶּה, *usque ad hunc diem*, uti dicitur 1 Chron. 5, 26. Ad quae verba Kimchi notat: „Non enim egressi sunt, quum captivi Judaei Babylone egrederentur, Esr. 1, 5. 2, 1.“ Et ad Chron. 9, 1. idem Kimchi scripsit: „Reliquae (decem) tribus non sunt reversae

sub templo secundo, exceptis paucis tribuum Ephraim, Manassis, Isascharis et Zebulonis.“ Et hi pauci ex decem tribubus in terram Israelis tempore Esrae regressi numero *duodecim millium* designari videntur Esrae 2, 64., ubi omnes reduces dicuntur *quatuor myriades, bis mille, trecenti, sexaginta;* quum tamen numerus familiarum ibi computatus ultra *tres myriadas* non assurgat, ideoque ceteri *duodecim mille* fuerunt e reliquis tribubus. Scribit quidem Grotius, qui ultima haec Nostri vaticinia ad Esrae tempora refert, ad hunc locum: „Haec assignatio, et quae sequitur Capite postremo, locum habiturae fuissent, si decem tribus non minus, quam Judae et Benjaminis, se ad Deum convertissent; sic enim pariter impetrassent reditum. Nunc pauci tantum permixti Judae et Benjamini redierc, iique sedes cum illis habuere communes.“ Eadem fere dicit Grotius ad 37, 19., ubi addit, „in omnibus promissis et minis Dei tacitam subesse conditionem, id quod appareat ex verbis Ezechielis 37, 13. et Jer. 18, 9.“ At vero ex toto contextu liquet, has promissiones esse absolutas. Conditionis istius, *si se ad Deum convertant*, nec vola nec vestigium exstat in hoc nostro vaticinio, neque ulla fit mentio 37, 13. Loci vero Jer. 18, 9. sqq. dispar plane est ratio, ut legenti patebit. Noster praeterea profecto non tam accuratam omnium terminorum designationem dedisset, nisi certissima ipsum spes tenuisset, fore, ut omnes tribus redeant. Postquam igitur hoc loco diserte dixisset, esse terram inter *duodecim* tribus dividendam, occurrit cogitationi tacitae illorum, qui, quum norint, nullam habere in nova terrae distributione tribum Levi, legerent, nihilominus quasi sua cuique adscribenda sit sors, *duodecim* discriminandas esse portiones. Quare addit: יוֹסֵף חֲבָלִים, quae verba recte Vulgatus vertit: *quia Josephus duplicem funiculum habet*, et Chaldaeus: *Joseph accipiet duas portiones* (quae *funibus*, חֲבָלִים, mensurari solebant, vid. e. c. 2 Sam. 8, 2.), ut olim, pro tribu Ephraim et Manasse, quos duos Josephi filios Jacob moriens numerari voluit et haberi pro suis, Genes. 48, 5. Jos. 17, 14. sqq. Quare licet Levi in terrae partitione sortem nullam sit habiturus, erunt tamen constituendae *duodecim*, quia Joseph duarum sortium spatia, ut olim, obtinebit. Hieronymus: „Pro eo, quod nos diximus, *quia Joseph duplicem funiculum habet*, LXX transtulerunt *augmentum funiculi* [*προόσθεσις χοινίσματος*]. Etenim Joseph interpretatur *augmentum*, rem intelligentes pro nomine, et lectoris animum confundentes. Subtracta enim Levitica tribu, et templi sacrificiis delegata, remanebant undecim tribus, quarum tribus Joseph divisa est in duas Ephraim et Manasse, qui dixerunt ad Josuae filium Nun“ et quae sequuntur ex Jos. 17, 14. sqq. Ceterum retineri voluit vates veterem illam in *duodecim* partes terrae divisionem. De ea Eusebius in *Praeparat. evangel.* L. XII. Cap. 47.: *Gens Hebraeorum universa duodecim in tribus divisa fuit. Similiter*

Plato id ipsum in civium suorum tributione servandum ita sanxit: duodecim in partes, inquit, easque, quoad fieri poterit, aequales, tota nobis regio tribuatur. Haec PLATO in Libro VI. *de Republ.* p. 617. A. edit. Steph. Eadem olim apud Persas divisio. XENOPHON *Cyrop.* L. I. Cap. 3. *Harum partium cuique duodecim sunt praesides, quod Persarum natio totidem in tribus sit distincta.* Imo et apud Aegyptios, post obitum Vulcani sacerdotis, HERODOTO teste, L. II. Cap. 147. *Post* Vulcani *sacerdotem regem* suum *Aegyptii libertatem adepti duodecim sibi reges deligunt, in totidem partes omni Aegypto distincta.*

14. וּנְחַלְתֶּם אוֹתָהּ *Et heriditatis eam* terram, jure hereditario eam possidebitis, Jes. 47, 13. אִישׁ כְּאָחִיו *Vir* s. *quisque* (1, 9. 7, 16.) *sicut frater ipsius* (Levit. 7, 10.), quae Vulgatus ita vertit: *possidebitis autem eam singuli aeque ac frater suus.* Quibus verbis an singulis tribubus aequalis assignatur portio, vel num singulis uniuscujusque tribus capitibus aequales sortes tribuantur, dissentiunt. Sed quum in ea, quae restat libri hujus parte, de sola distributione terrae inter *tribus* sit sermo, Nostrum hoc solo loco de singulorum capitum portionibus, atque id tam paucis verbis, ὡς ἐν παρόδῳ, loqui, vix est credibile. Quare longe plerique interpretum hisce verbis aequalem totius terrae inter duodecim tribus distributionem indicari contendunt. Ita JARCHI: „Secus ac olim factum est, ubi numerosiori tribui major dabatur terrae portio (Num. 26, 54. 33, 54.); sed futuro tempore omnes tribus aequales obtinebunt sortes; unaquaeque portio porrigetur ab oriente occidentem versus; neque duae tribus unam portionem habebunt communem.“ Eadem tradit ABARBENEL: „Verba, *et hereditabitis terram vir sicut frater ipsius*, dicuntur de tribubus, hoc sensu: nulla tribus pro ratione recensiti numeri sui hereditabit, sed in tota terra Israel ab oriente ad occasum partes erunt aequales quoad longitudinem et latitudinem. Promissio haec quoque in templo secundo non est impleta, quum terra illis temporibus inter tribus distributa haud fuerit.“ אֲשֶׁר נָשָׂאתִי אֶת־יָדִי *Quia sustuli manum meam*, i. e. juravi, vid. not. ad 20, 5. 6. 28. 42. 36, 7. לָתֵת אֹתָהּ לַאֲבֹתֵיכֶם *Ut darem eam patribus vestris*, vid. Genes. 12, 7. 17, 8. 26, 3. וְנָפְלָה הָאָרֶץ הַזֹּאת לָכֶם בְּנַחֲלָה *Ideoque cadet*, i. e. jacta sorte distribuetur *vobis haec terra in hereditatem*, vel hereditario jure possidenda, ut infra Vs. 22. Cf. 45, 1.

15. Definit prius totam terram, quae habitanda erit ab exsulibus reducibus, notisque terminis circumscribit, ut deinde melius et expeditius singularum portionum procedat sortitio. Et primum quatuor constituit latera ad totidem coeli plagas. לִפְאַת צָפוֹנָה *Ad latus*, plagam, *septemtrionale*, cf. Vs. 18. 19. 20. Exod. 26, 20. Jos. 18, 12. מִן־הַיָּם הַגְּדוֹל *A mari magno*, i. e. mediterraneo, Vs. 10. 19. 20. דֶּרֶךְ חֶתְלֹן *Via* s. *per viam*

Chetlonis, urbis, uti ex situ colligitur, Syriae Damascenae, cujus praeter hunc locum et infra 48, 1. nulla in V. T. mentio facta. Pro הַדֶּרֶךְ melius דֶּרֶךְ sine ה demonstrativo, quia regit חֶתְלֹן, legi, monet De-Rossi, sicque haberi in uno Kennicotti codice, et in tribus codicibus, qui penes ipsum. Non sunt tamen ejusmodi anomalae loquendi formulae Nostro insolitae, et affert Kimchi simile loquutionis exemplum הָאָרֶץ כְּנַעַן Num. 34, 2. לְבוֹא צְדָדָה *Qua venitur* s. *itur* (Vs. 20.) *Zedadam*, in eodem tractu, cf. Num. 34, 8.

16. חֲמָת *Hemath*, inquit Hieronymus, „quae nunc *Epiphania* nominatur, ab Antiocho, crudelissimo Tyrannorum, nomine commutato. Nam cognomentum habuit ἐπιφανής.“ Apud Arabes tamen antiquum urbis nomen, חמאה adhuc servatum; vid. not. ad Genes. 10, 18. et libr. nostr. *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. II. p. 271., cf. et Michaelis *Supplemm.* p. 815. In descriptione finium aquilonarium terrae Israeliticae eadem urbs memoratur et Num. 34, 8. בְּרוֹתָה *Versus Beroth*, urbs Syriae Sobaeae, quam Davides Hadadesero eripuisse narratur 2 Sam. 8, 8. Urbis סִבְרַיִם vero, quae hic sequitur, nuspiam alias mentio facta reperitur. אֲשֶׁר *Quae* oppida sunt, בֵּין גְּבוּל דַּמֶּשֶׂק גו׳ *inter terminum Damasci*, quae caput Syriae, Jes. 7, 8. 17, 1., *et Chamathae.* Utraque urbs sibi finitima dicitur Zachar. 9, 1. חֲצַר תִּיכוֹן Item *Chazer-Tichon*, quasi dicas *pagum medium*, ut ab aliis hujus nominis oppidis, veluti *Chazer-Enon*, (Vs. 17.), discernatur. Chaldaeus: *piscina Agabitica.* אֲשֶׁר אֶל־גְּבוּל חַוְרָן *Quae* urbs est prope terminum, s. *in limine Chauran*, i. e. Auranitidis, quomodo haec terra etiam a Ptolemaeo vocatur. Vide Lightfooti *Chorograph. Lucae praemissam* Cap. I. Sect. V. Et etiamnum חַוְרָאן est nomen regionis ad austrum Damasci; vid. Relandi *Palaest.* p. 107. et *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. II. p. 5. Recte igitur h. l. LXX: *αἵ εἰσιν ἐπάνω τῶν ὁρίων Αὐρανίτιδος.* Hieronymus ad Vs. 18. *Hauran oppidum Damasci in solitudine esse* dicit. Cf. Michaelis *Supplemm.* p. 693. sqq.

17. חֲצַר עֵינָן, quae etiam חֲצַר עֵינָן dicitur 48, 1. Num. 34, 9. 10., q. d. *villa fontibus irrigua.* וְצָפוֹן *Et aquilonare*, i. e. secundum Kimchium, *et reliqua pars septemtrionalis* terrae Israeliticae *versus aquilonem* (צָפוֹנָה). Aut צָפוֹן hic est nomen oppidi, ut illius Gaditarum trans Jordanem Jos. 13, 27. וְאֵת פְּאַת צָפוֹן *Atque* ita habes *latus septemtrionale.* Ita Coccejus, qui et similem formulam, in fine Vs. 18. וְאֵת פְּאַת קָדְמָה, eodem modo interpretatur. Alii: *et quidem cum angulo septemtrionali;* אֵת enim haud raro *cum* notare, notum. Sed rectius vertitur: *atque is est limes aquilonaris*, אֵת pro זֹאת, quod mox Vs. 20. in loquutione plane simili ponitur, et hoc loco in aliquot codicibus legitur. Cf. not. ad 31, 4. supra p. 299., ubi

jam nostrum locum tetigimus. Bene igitur Syrus: *haec est plaga septemtrionalis.*

18. וּפְאַת קָדִים *Et latus orientale*, 45, 7. מִבֵּין חַוְרָן *Ab intermedio Auranitidis*, i. e per Auranitidem et per regionem Damascenam, Vs. 16. וּמִבֵּין הַגִּלְעָד *Et per Gileaditidem*, Num. 32, 1., quae tamen, Jarchio monente, hcic non accensetur terrae Israeliticae, sicut nec reliqua regio trans Jordanem. וּמִבֵּין אֶרֶץ יִשְׂרָאֵל הַיַּרְדֵּן *Et per* reliquam *terram Israeliticam ad Jordanem.* מִגְּבוּל עַל־הַיָּם הַקַּדְמוֹנִי *A termino* qui est *ad mare orientale*, i. e. mortuum, Joel 2, 20. Zachar. 14, 8. Eadem finium descriptio Num. 34, 12. Pro עַל־הַיָּם in uno codice Kennicottiano exstat עַד־הַיָּם, *usque ad mare*, sicque alios codices legere, monet ad marginem codicis De-Rossii numero 319. signatus (anno 1425. exaratus). תְּמֹדֵדוּ *Metiemini*, vos Israelitae, cf. Num. 35, 5. וְאֵת פְּאַת קָדִימָה *Atque is limes est orientalis*, vid. not. ad Vs. 17.

19. וּפְאַת נֶגֶב *Et latus australe*, 48, 16. 26. תֵּימָנָה *Versus austrum*, ut 21, 2. Exod. 27, 9. מִתָּמָר „Incipit," inquit Hieronymus, „*a Thamar*, quae urbs in solitudine est, quam et Salomon miris operibus exstruxit, et hodie Palmyra nuncupatur, Hebraeoque sermone *Thamar* dicitur, quae in lingua nostra *palmam* sonat." Sed hujus urbis, quae 2 Chron. 8, 4. 1 Reg. 9, 18. תַּדְמֹר, *Tadmor*, vocatur, in descriptione finium australium terrae Israeliticae neutiquam mentio fieri poterat. Chaldaeus et hoc loco et infra 48, 27. posuit *Jericho*, quod Jericho Deut. 34, 3. עִיר הַתְּמָרִים *urbs palmarum* vocatur. Sed et ea borealior est sita, quam ut hic ejus ratio haberi possit. Ex C. B. Michaelis sententia, relata et comprobata a filio in *Supplemm.* p. 2863. (coll. p. 1895.) nostrum תָּמָר breviate pro חֲצֵצוֹן תָּמָר dicitur, cujus mentio Genes. 14, 7. et 2 Paral. 20, 2., quo posteriore loco idem cum עֵין גֶּדִי esse memoratur. Neque tamen hoc oppidum, in lacus Asphaltidis litore boreali situm (vid. supra Vs. 10.), huic loco aptum est; ut taceam, vix credibile esse, Nostrum eum locum, quem supra Vs. 10. עֵין גֶּדִי nuncupaverat, jam alio nomine תָּמָר vocare. Mihi quidem nulla dubitatio, תָּמָר hic memoratum eundem esse locum, de quo EUSEBIUS in *Onomastico* sub v. *Hazazon Thamar: Λέγεται δέ τις Θαμαρὰ κώμη διεστῶσα μόλις ἡμέρας ὁδὸν ἀπιόντων ἀπὸ Χεβρὼν εἰς Αἰλάμ, ἥτις νῦν φρούριόν ἐστι τῶν στρατιωτῶν.* Quae Hieronymus sic reddidit: *Est et aliud castellum Thamara unius diei itinere a Memphis oppido separatum pergentibus Aeliam* [אֵילַת Deut. 2, 8. 1 Reg. 9, 26. al., ad sinum Arabicum] *de Chebron, ubi nunc Romanum praesidium positum est.* עַד־מֵי מְרִיבוֹת קָדֵשׁ *Usque ad aquas contradictionis Cadesch*, „quam in deserto esse non dubium est," ait Hieronymus. Sic vocatur is locus, in deserto *Zin* situs, etiam Num. 27, 14., propter aquas, a Mose e silice ibi excussas, murmurante ac contradicente populo, quae historia narratur Num.

20, 3. 13. Hieronymus ad locum parallelum 48, 28.: „Cades, quae in libro Josuae [15, 3.] appellatur *Cades Barne,* in deserto est, quod extenditur ad urbem Petram; Marimoth vero, quod interpretatur *contradictionis*, non vocabulum loci est, ut plerique aestimant, sed aquarum, in quibus populus Domino contradixit, et Moyses offendit Deum.“ Pro מְרִיבוֹת legitur infra 48, 28. forma singularis מְרִיבַת, quam et hoc loco veteres interpretes exprimunt, exhibentque codices sex De-Rossiani, et tres alii a prima manu. Verba, quae sequuntur, נַחֲלָה אֶל־הַיָּם הַגָּדוֹל, Jarchi hoc modo interpretatur: „Et inde se extendit terminus *usque ad flumen* Aegypti, quod cadit *in mare magnum,* in termino, partim meridiem partim occidentem respiciente. Ita Moses quoque [Num. 34, 3. sqq.] describit terminum meridionalem a deserto Zin juxta Edom, et quae ibi sequuntur usque ad verba [Vs. 5.]: וְנָסַב הַגְּבוּל מֵעַצְמוֹן נַחֲלָה מִצְרַיִם *circumagetur finis ab Azmone ad fluvium Aegypti.* Est igitur hoc Ezechielis loco נַחֲלָה pro לְנַחַל positum.“ *Flumine* vero *Aegypti* intelligitur torrens quidam, qui prope vicum Rhinocoruram in mare se mediterraneum exonerat, saepiusque ut limes Palaestinae et Aegypti memoratur, vid. Num. 34, 5. Jos. 15, 4. 47. 1 Reg. 8, 65. 2 Reg. 24, 7. Jes. 27, 12. et cf. not. ad Genes. 15, 18. et *Handb. der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 78. et 88. Vulgatus h. l.: *et torrens usque ad mare magnum.* Hieronymus ad 48, 28.: „Illud est observandum, eundem sermonem Nahalah, quia ambiguus sit, et *hereditatem* significare, et *torrentem*, et hic magis *torrentem* accipi debere, quam *hereditatem.* Iste est enim torrens, qui ingreditur mare magnum Rhinocorurae. Omnisque terrae sanctae hereditas ab australi plaga usque ad terminos Aegypti Rhinocorura et torrente finitur.“ LXX h. l. נַחֲלָה non expresserunt. Chaldaeus vero id nomen אַחְסָנָא *possessio* vertit, nec aliter Syrus, et in loco parallelo infra 48, 28. veteres omnes id nomen *hereditatem*, *possessionem* vertunt. Cui interpretationi illud favet, quod duobus reliquis locis, quibus nomen נַחַל cum *He* paragogico legitur (Num. 34, 5. Ps. 124, 4.), vox est penacuta, נַחֲלָה (nec נַחֲלָה ut h. l. accentu ad ultimam syllabam posito). Accedit, quod nusquam alias נַחַל solum de torrente illo prope Rhinocoruram, Palaestinam ab Aegypto disterminante, usurpatur. Quibus quidem de causis praestet, נַחֲלָה cum verbis, quae proxime sequuntur, ita interpretari: *hereditas*, s. terra Israelitis jure hereditario possidenda concessa, protenditur usque ad mare magnum. וְזֹאת פְּאַת־תֵּימָנָה *Et hic erit limes versus austrum.* De וְזֹאת, pro quo et hic in nonnullis codicibus זֹאת legitur, vid. not. ad Vs. 17.

20. וּפְאַת־יָם *Et latus occiduum*, 45, 7. הַיָּם הַגָּדוֹל Erit *mare magnum*, Vs. 10. 19. מִגְּבוּל *A termino* s. *limite* meridiano, Vs. 19., cf. Vs. 18. עַד־נֹכַח Syrus vertit *usque ad Nachoch*, quasi לְנֹכַח nomen proprium loci alicujus esset. Melius LXX: ἕως

κατέναντι τῆς εἰσόδου Ἡμὰθ, et Chaldaeus, *usque e regione illius loci quo itur Chamatham.* Similem loquendi formulam vid. Jud. 19, 10. Vulgatus: *a confinio per directum, donec venias Emath.* JARCHI: „Usque ad terminum, qui partim Septemtrionem, partim Occidentem respicit, is est mons *Hor* [Num. 34, 7. 8. in descriptione finium aquilonarium memoratus], qui est ex adverso aditus Hamathae.“ Cf. not. ad laudat. Numerorum locum, et MICHAELIS *Supplemm.* p. 569. לְבוֹא חֲמָת Vid. Vs. 16. 17. 48, 1. Num. 13, 21. Jos. 13, 5. זֹאת פְּאַת־יָם *Haec est plaga maris*, latus occiduum, 48, 2. Num. 35, 5.

21. וְחִלַּקְתֶּם אֹתָהּ־הָאָרֶץ הַזֹּאת *Dividetis itaque hanc* secundum limites suos descriptam *terram*, Jos. 13, 7. לָכֶם לְשִׁבְטֵי יִשְׂרָאֵל *Vobis, tribubus* videlicet duodecim *Israel*, Vs. 13. 22. 45, 8.

22. וְהָיָה *Sed fiet*, cf. Vs. 9. 10. 23. תַּפִּלּוּ אוֹתָהּ Ut *cadere faciatis eam*, i. e. dividatis sortito, ita ut quisque partem illam capiat, quae ei sorte ceciderit. בְּנַחֲלָה *Pro hereditate*, cf. 45, 1. לָכֶם וְלַגֵּרִים *Vobis et advenis*, ut Vulgatus vertit. LXX: ὑμῖν καὶ τοῖς προσηλύτοις. Syrus: *vobis et illis qui convertuntur ad me.* הַגָּרִים בְּתוֹכְכֶם *Qui commorantur inter vos*, cf. Exod. 12, 49. Lev. 17, 10. 12. Vulgatus: *qui accesserint ad vos.* אֲשֶׁר־הוֹלִידוּ בָנִים בְּתוֹכְכֶם *Qui liberos generaverint inter vos*, in exsilio, ut Kimchi addit. ABARBENEL: „Significat eos, qui jam diu satis cum Israelitis commisti fuere, qui horum calamitatem suam existimarunt, ideoque convenies est, ut de ea bonitate, qua Deus Israelem afficiet, suam et hi partem auferant.“ וְהָיוּ לָכֶם כְּאֶזְרָח *Erunt enim vobis sicut indigenae*, Levit. 19. 34. אִתְּכֶם יִפְּלוּ בְּנַחֲלָה Ideoque *vobiscum cadent* sortes eorum *pro hereditate*, Vs. 14. 45, 1.

23. וְהָיָה בַשֵּׁבֶט Quare *fiet*, Vs. 9. 10. 22., ideo *in tribu.* אֲשֶׁר־גֵּר הַגֵּר אִתּוֹ *Quacum ipsa*, vel *apud quam commoratur advena*, שָׁם תִּתְּנוּ נַחֲלָתוֹ, *ibi dabitis ei hereditatem ipsius.* Quum advenae illi atque alienigenae nullum habeant inter Israelitas definitam tribum, cui adscribantur, in illa tribu possessionem accipient, cui adscribantur. ABARBENEL: „Divisio terrae Josuae tempore instituta tantum *tribubus Israelis* bono cessit, quum praeceptum de *peregrinis diligendis*, non opprimendis (Lev. 19, 34.) acceperint, nullum vero de tradenda illis hereditate. Sed hic vates aperte significat, fore istud tempus, quo peregrini de divisione terrae, *quemadmodum indigenae in filiis Israel*, participent; non autem singularem quandam portionem, veluti cuidam tribuum, adsignandam, sed *tribubus* distribuendam esse terram, quae has partes suas secundum familiam dispescant, ut adeo in universum peregrinus tanquam inquilinus futurus sit. Haec vero promissio templo secundo durante non fuit impleta, quum neque in tribus, neque inter peregrinos divisa nunc terra fuerit.“

CAP. 48.

Argumentum.

Post generalem terrae descriptionem jam suam cuique tribui regionem definit. Et primum septem statuit sortes ab aquilonari templi latere, quae omnes ab orientali plaga ad mare procurrunt (Vs. 1 — 7.). Deinde sacerdotibus, Levitis, ac civitati suam quoque sortem adscribit, quae quadrata specie viginti quinque millia calamorum quoquo versus amplectitur (Vs. 8. 9.), quam deinde partitur tripliciter, inter Levitas, sacerdotes et urbem (Vs. 10 — 20.). Duas vero partes, quae ex triplici sorte utrinque supererant ab ortu et mari, principi largitur (Vs. 21. 22.). Deinde pro quinque tribubus, quae supererant, ab australi templi latere totidem sortes definit, quae ab orientali plaga ad mare protenduntur (Vs. 23 — 29.). Ad extremum civitatem metitur per quatuor latera, quorum singulis ternas adhibet portas, easque filiorum Israelis nomine consignat (Vs. 30 — 34.). Denique totius urbis ambitum ejusque nomen definit (Vs. 35.).

1. וְאֵלֶּה שְׁמוֹת *Haec autem sunt nomina,* ut Exod. 1, 1. הַשְּׁבָטִים *Tribuum*, de quibus in genere tantum dixerat 47, 13. 21. 22., hic vero omnes ac singulae recensentur, peculiari ordine, et quaedam alio loco, quam quem olim obtinuerunt. In quatuor partes dividitur tota terra, in aquilonarem, meridionalem, orientalem, et occidentalem, cujus ad occidentalem spectat longitudo. In aquilonari constituit *septem* tribus hoc ordine: Dan, Aser, Naphthali, Manasse, Ephraim, Ruben, Juda (Vs. 1 — 7.), ad meridiem *quinque:* Benjamin, Simeon, Issaschar, Sebulon, Gad (Vs. 23 — 27.). In harum vero medio, in eo scilicet spatio, quod inter aquilonarem et australem plagam situm est, id est, in eo tractu, qui ad Ortum ab Occasu procurrit, sors est sacerdotum, Levitarum, et principis, nec non illorum, qui civitati serviunt, in cujus medio civitas est et templum (Vs. 8 — 22.). Cf. de hac terrae Israeliticae distributione Bachiene *Descript. Palaest.* P. I. §. 441. sqq. p. 421. sqq. vers. german. מִקְצֵה צָפוֹנָה *A finibus aquilonis*, ut Vulgatus vertit, nec non Chaldaeus מִסְּיָפֵי צִפּוּנָא. Alii: *ab extrema parte* intrinseca *ad aquilonem versus*, coll. 47, 15. אֶל־יַד *Juxta* viam, q. d. *ad manum* s. latus viae, cf. Exod. 2, 5. Num. 13, 29.

1 Sam. 4, 18. 2 Sam. 15, 2. 18, 4. חֶתְלֹן Vid. ad 47, 15. לְבוֹא־חֲמָת *Qua itur Chamatham*, 47, 20. חֲצַר עֵינָן Vid. 47, 17. גְּבוּל דַּמֶּשֶׂק *Terminus Damasci*, 47, 16. וְהָיוּ לוֹ *Et erunt illi*, scil. tribui Dan, cujus nomen in fine Versus. JARCHI: „Dan auferet tractum Septemtrionalem a *Chazar-Enan*, quae urbs sita erat in termino orientali usque ad fines Damasci, quae in termino occidentali versus septemtrionem erat.“ פְּאַת־קָדִים הַיָּם *A plaga orientali usque ad plagam maris*, Vulgatus recte vertit Vs. 2. sqq. verba hebraea; male vero hoc loco: *et erit ei plaga orientalis mare.* LXX: καὶ ἔσται αὐτοῖς τὰ πρὸς ἀνατολὰς ἕως πρὸς θάλασσαν. Plenius Vss. 2. et sqq. מִפְּאַת קָדִים פְּאַת־יָמָּה עַד־ דָּן אֶחָד *Dan una* tribus, et unius ex tredecim portionibus possessor ac heres, cf. Vs. 2. sqq. HIERONYMUS ad 48, 23.: „Quod in quinque et septem tribubus semper in fine ponitur *una*, subintelligitur vel *pars*, vel *possessio*, vel *hereditas*.“

2. וְעַל גְּבוּל *Et super*, juxta (אֶצֶל, ut Jarchi explicat) *terminum* Dan, sic Vs. 3. sqq. Num. 2, 5. 20. אָשֵׁר אֶחָד *Ascher una* tribus, ut Vs. 1., ubi vid. not.

8. Juxta terminum vero Judae a latere orientali usque ad latus occidentale erit הַתְּרוּמָה, *oblatio*, i. e. sacra terrae portio, de qua jam supra 14, 1., non dividenda pro duodecim tribuum hereditate, sed separanda tum pro Sanctuario, sacerdotibus, Levitis et urbe, tum pro principe, cf. not. Vs. 1. אֲשֶׁר תָּרִימוּ *Quam auferetis*, separabitis, Vs. 9. 45, 1. חֲמִשָּׁה וְעֶשְׂרִים אֶלֶף *Viginti quinque millia* scil. *calamorum*, quod nomen mensurae, etsi expressum non sit, necessario tamen h. l. intelligendum est, postquam disertis verbis 41, 16. sqq. constat, exteriorem ambitum templi in singulis lateribus habuisse *quingentos*, et in tota quadratura *bis mille calamos*, coll. 45, 2, ubi repetuntur, quae illic commemorata erant. Quumque *quingenti* indissolubili nexu jungantur Cap. 45. et hic Vs. 9. sqq. cum longitudine 25000, et latitudine 10000, imo Vs. 20. cum latitudine 25000 calamorum, necessario sequitur, eandem *calamorum* mensuram intelligendam esse. Quomodo enim tota summa 25000 infra Vs. 20. posset colligi ex partibus imparibus, si ambitus domus *calamis*, et reliquae partes *cubitis* fuissent mensuratae? Cf. Hieronymi interpretationem ad 45, 1. allatam, et MEYERI *Dissert.* p. 41. sqq. רֹחַב *Latitudinis* a septemtrione ad austrum; sic Vs. 9. 10. 13. 15. וְאֹרֶךְ *Longitudinis vero*, s. *longitudo vero* ab orientali limine terrae ad occidentem. Strictius sumitur Vs. 9. 10. 13. de longitudine sacratioris spatii, s. portionis sacerdotum, Levitarum et urbis, intra partem principis ab oriente et occidente.

Ichnographia Terrae Israeliticae ex descriptione Ezechielis

Cap. XLV — XLVIII.



Cf. not. ad Vs. 9. כְּאַחַד הַחֲלָקִים Erit *sic ut una partium*, Vs. 21. 45, 7. מִפְּאַת קָדִימָה *A latere* vel limite terrae *orientali*, Vs. 2. 3. עַד־פְּאַת יָמָּה *Usque ad latus occiduum*, Vs. 2. 3. sqq. i. e. sicut portiones tribuum incipiunt ab oriente, et terminantur in occidentem secundum longitudinem suam (per calamos non definitam), ita et istae tres portiones (sacerdotum, Levitarum et urbis) ab invicem divisae. Sed in hoc est differentia, quod sortes tribuum incipiunt a termino orientali totius terrae, et in ejus occidentalem finiuntur; istae tres portiones vero non item, nisi cum eis ponatur portio principis versus orientem. וְהָיָה הַמִּקְדָּשׁ בְּתוֹכוֹ *Eritque sanctuarium in medio ejus*, Vs. 10. 21. Cf. 45, 3. 4. Positum itaque hic fuit San-

ctuarium seu Templum extra urbem, uti jam supra ad 45, 6. monitum. Quod imitatus Joannes Apoc. 21, 22., qui in nova Hierosolyma templum non vidit, quod urbs ipsa tota esset thronus Dei, Jer. 3, 17. coll. Levit. 26, 11. 12.

9. הַתְּרוּמָה *Oblationis*, i. e. portionis separatae, strictius sic dictae, cf. Vs. 8. אֲשֶׁר תָּרִימוּ לַיהוָה *Quam auferetis*, separabitis *Domino*, Vs. 20. Incipit enim hic partiri *oblationem*, latius ita dictam (Vs. 8.) inter Deum et principem. Portio Deo consecrata in medio est, 25000 calamorum longitudinis, totidemque latitudinis (Vs. 20.), reliquum ad orientem et occidentem cedit principi (Vs. 21. 22.), uti ad Vs. 8. dictum. אֹרֶךְ חֲמִשָּׁה וְעֶשְׂרִים אֶלֶף *Longitudo* sit 25000 calamorum, cf. not. ad Vs. 8. וְרֹחַב עֲשֶׂרֶת אֲלָפִים *Latitudo autem* 10000 calamorum. Totius quidem portionis Deo consecratae latitudo, ut modo innuimus, erat 25000 calamorum (secundum Vs. 20.), sed quum dividere eam vellet in tres partes, sacerdotum versus septemtrionem (Vs. 10.), Levitarum in medio (Vs. 13.), et urbis versus meridiem (Vs. 15.), id prius facit, et tum demum Vs. 20. consummat latitudinem 25000 calamorum.

10. וּלְאֵלֶּה תִּהְיֶה *Horum autem erit*, Vs. 12. תְּרוּמַת־הַקֹּדֶשׁ *Oblatio sanctitatis*, i. e. pro sanctuario et sacerdotibus separata portio, Vs. 18. 20. 21. 45, 6. 7. לַכֹּהֲנִים *Nempe sacerdotum*, Vs. 11. 45, 4. צָפוֹנָה Quae sacra portio *versus septemtrionem* (Vs. 17. 31.) habebit in longitudine. חֲמִשָּׁה וְעֶשְׂרִים אֶלֶף *Viginti quinque millia* calamorum, Vs. 8. 9. Coccejus: „*Calamorum*, dico, *non cubitorum*. Neque enim est moris, eximiam quantitatem parvis mensuris metiri. Et textus argumentum suppeditat 45, 2., ubi Sanctum dicitur *quadratum*, habens *quingenties quingenta*. Hi sunt *calami*, 42, 16. seqq" Cf. not. supra ad Vs. 8. et 45, 1. וְיָמָּה *Et versus mare*, in latere occiduo, Vs. 17. 21. רֹחַב *Latitudo* portionis pro sanctuario et sacerdotibus, conf. Vs. 13., et sensu latiore Vs. 8. אֲלָפִים Erit *decem millia* calamorum. וְקָדִימָה Sic etiam *versus orientem*, in latere orientali, Vs. 3. 17. וְנֶגְבָּה *Ad meridiem vero*, Vs. 33. אֹרֶךְ חֲמִשָּׁה עָשָׂרִים אֶלֶף *Longitudo* erit *viginti quinque millia* calamorum, sicut in latere septemtrionali, ab initio Versus. וְהָיָה מִקְדַּשׁ־יְהוָה בְּתוֹכוֹ *Eritque Sanctuarium in medio ejus* portionis, ut dictum Vs. 8. 45, 4.

11. לַכֹּהֲנִים *Sacerdotum*, inquam, Vs. 10. הַמְקֻדָּשׁ Vulgatus reddidit *Sanctuarium*. Legit forsan הַמְקֻדָּשׁ, quod hodienum in *octo* De-Rossii codicibus et in uno Kennicottiano (Regiomontano secundo) reperitur. Alii: *id dicatum* erit. Sic Jarchi: *portio haec sacra erit sacerdotum*. Sed rectum non dubito vidisse LXX, qui τοῖς ἁγιασμένοις verterunt, quibuscum consentiunt Chaldaeus, דְּקַדִּישִׁין, et Syrus דְּמִתְקַדְּשִׁין *sanctificatis*, i. e. sacerdotibus s. sacerdotum, qui *sanctificati*, consecrati, sunt.

Ita et Kimchi, qui monet, esse hanc vocem *distributive* capiendam: *quicunque eorum* est *sanctificatus*, vel, *quotquot sanctificati sunt.* Convenit quoad sensum quod legitur 2 Chron. 26, 18. לַכֹּהֲנִים בְּנֵי־אַהֲרֹן הַמְקֻדָּשִׁים *Sacerdotibus filiis Aaron, qui consecrati sunt.* מִבְּנֵי צָדוֹק *Nempe de posteris Zadok*, vid. not. ad 40, 46. 44, 15., et cf. 1 Reg. 2, 35. In codice Regiomontano secundo sine praefixo legitur בְּנֵי צָדוֹק, sensu non diverso. אֲשֶׁר שָׁמְרוּ מִשְׁמַרְתִּי *Qui custodierunt ceremonias meas*, Vulgatus vertit, vid. 44, 8. 15. 16. בְּתְעוֹת 44, 15. אֲשֶׁר לֹא־תָעוּ בְּנֵי יִשְׂרָאֵל *In errando filiorum Israel*, s. *cum errarent filii Israel*, uti Vulgatus. כַּאֲשֶׁר תָּעוּ הַלְוִיִּם *Quemadmodum erraverunt* et in idololatriam prolapsi sunt alii *Levitae*, vid. 44, 10.

12. וְהָיְתָה לָהֶם *Erit itaque illorum*, posterorum Zadok, Vs. 10. 11. תְּרוּמָה id quod proximum תְּרוּמָה, forma nominis adjectivi, ut שְׁלִשִׁיָּה, *tertia pars*, Jes. 19, 24., et תַּחְתִּיָּה *imum*, *inferius*, Ps. 86, 13. Jarchi inter תְּרוּמָה et תְּרוּמָה hoc discriminis statuit, ut prius designet מְפוֹרָשׁ *separatum*, hoc vero (תְּרוּמָה) *separationem*, פְּרִישָׁה. In tribus Kennicotti codicibus atque in totidem Rossianis a prima manu legitur communis forma תְּרוּמָה. LXX תְּרוּμΙΤ ἡ ἀπαρχὴ δεδομένη, תְּרוּמָה autem h. l. in plurali τῶν ἀπαρχῶν vertunt. Vulgatus utrumque uno nomine *primitias* interpretatur, itemque Chaldaeus et Syrus suo אַפְרָשׁוּתָא *separatio.* מִתְּרוּמַת הָאָרֶץ *De oblatione*, s. portione *terrae*, scil. majori, de qua Vs. 8. 9., „cujus fuit longitudo ab Oceano ad terminum usque orientalem in latitudine viginti quinque millium calamorum; in medio igitur illo tractu separabunt hanc portionem pro sacerdotibus et Sanctuario," observat Jarchi. Pro מִתְּרוּמַת unus De-Rossii codex habet מִתְּרוּמוֹת, pluralem, quem et LXX, Vulgatus et Syrus hexaplaris exprimunt. Et pro הָאָרֶץ in uno Kennicotti codice legitur הַקֹּדֶשׁ, *sanctitatis*, quod ipsum expressum in codice Alexandrino τῶν LXX (ἐκ τῶν ἀπαρχῶν τῶν ἁγίων), quem sequitur Arabs. קֹדֶשׁ קָדָשִׁים Vid. 43, 12. 45, 3. „Tota quippe oblatio magna sancta erit sacerdotibus atque Levitis, ut et principi ac urbi, atque illis, qui urbi inserviunt, sicuti vates in sequentibus exponit; isti autem viginti quinque millia calami quoad longitudinem, et decem millia quoad latitudinem, in parte ejus aquilonari, quae ab illa separata erat pro sacerdotibus et Sanctuario, erunt Sanctum Sanctorum." Jarchi. אֶל־גְּבוּל הַלְוִיִּם *Juxta terminum Levitarum*, ut Jarchi exponit. Pars sacerdotibus temploque destinata pertinget *ad terminum Levitarum* versus austrum, Vs. 13. Cf. Vs. 2. 3. 47, 16.

13. וְהַלְוִיִּם *Levitae enim* erunt. Alii: *Levitarum enim* portio erit. Vid. not. supra 45, 5. לְעֻמַּת *Juxta*, ut 42, 7. גְּבוּל הַכֹּהֲנִים *Terminum sacerdotum*, Vs. 9—12. descriptum. חֲמִשָּׁה וְעֶשְׂרִים וגו׳ Habuit haec portio Levitarum similiter, ut

sacerdotum (Vs. 10.) *viginti quinque millia* calamorum *longitudinem, et decem millia* calamorum *latitudinem.* Sed quum in portione sacerdotum et Templum esset; Levitae amplius spatium in suos usus habebunt. כָּל־אֹרֶךְ *Omnis longitudo*, in latere scilicet septemtrionali et meridionali, Vs. 10. וְרֹחַב *Et latitudo* in latere occiduo et orientali, ut Vs. 10.

14. וְלֹא־יִמְכְּרוּ מִמֶּנּוּ *Non autem* s. *nihil autem vendent de illa* portione sua, nec sacerdotes, Vs. 10., nec Levitae, Vs. 13. Cf. Levit. 25, 34. וְלֹא־יָמַר *Nec* quisquam *permutabit* hunc terrae tractum pro alio solo. Collective hoc verbum cum proximo capiendum esse, recte monet Kimchi. Hinc Vulgatus et Syrus: *neque mutabunt.* וְלֹא יַעֲבִיר *Neque transferet* sacerdos aut Levita (Syrus: *neque transferent*, vid. not. ad vocem praeced.), de portione sua ad alios. Qua ipsa de re verbum idem et Num. 27, 7. 8. usurpatur. Quae in textu exstant literae sunt יַעֲבֹר legendae, hoc sensu: *nec transeat* scil. haec portio ad alios. Ita Kimchi explicat. Sed Hillerus *de Arcano Chethibh et Keri* p. 351. et Chethibh h. l. יַעֲבִר vult enuntiandum, ut sit forma Hiphil defective scripta, ut Proverb. 4, 16. יַכְשִׁילוּ et יַכְשִׁלוּ utrumque est Hiphil, *impingere facient.* רֵאשִׁית הָאָרֶץ Quum velut *primitiae terrae* illa portio sit. Quemadmodum primitiae frugum Deo offerendae non possunt in profanum usum transire, ita neque hic terrae tractus, usibus sacris destinatus. כִּי־קֹדֶשׁ לַיהוָה *Quia sacrum Domino* est, quod ministerio sacerdotum et Levitarum dedicatum fuit. Cf. Levit. 23, 20. 27, 14. 21. 23.

15. וַחֲמֵשֶׁת אֲלָפִים *Quinque autem millia* calamorum, vid. not. ad 45, 6. הַנּוֹתָר *Hoc* est *residuum*, Alii: *residui.* Cf. Vs. 18. 21. בְּרֹחַב *In latitudine* 25000 calamorum (Vs. 20.) a septemtrione versus austrum (Vs. 8.), de quibus decem millia pro sacerdotibus (Vs. 10.) et alii decem millia pro Levitis (Vs. 13.) jam designati fuerunt. עַל־פְּנֵי *Ante* vel *e regione* 25000 calamorum longitudinis Levitarum, Vs. 13. חֹל־הוּא *Profanum*, i. e. communioris usus, non sanctum, nec sacerdotibus nec Levitis consecratum erit, 42, 20. 1 Sam. 21, 6. Hieronymus: „Quod nos vertimus *in profanum*, pro quo Aquila *βέβηλον*, Symmachus et Theodotio *λαϊκὸν* transtulerunt, LXX dixere *προτείχισμα*, quod *antemurale* possumus dicere. *Profanum* autem et *laicum*, id est, vulgare, quod omni populo habitare passim licet.“ Et paullo post: „*Quinque millia autem, quae supersunt in latitudine, per viginti quinque millia*, subauditur *longitudinis*, profana erunt urbis, ut cunctis habitare liceat Israelitis, omnique de plebe, non quod immunda sint, aut aliquid in habitatione terrae sanctae contaminatum, putridum putetur et sordidum; sed quod praeter sacerdotes omnibus in eis habitare permissum sit.“ לָעִיר *Pro urbe*, 45, 6. לְמוֹשָׁב *Ad habitationem*, pro domibus

et aedificiis urbis, cujus mensuram describit Vs. 16. וְלַמִּגְרָשׁ *Et* partim *pro* agro s. loco *suburbano*, quo undiquaque urbs cingetur, Vs. 17. HIERONYMUS: „προτείχισμα, id est, *antemurale*, et διάστημα, id est, *spatium*, quod LXX pro *suburbanis* interpretati sunt, quem sensum in hoc loco habeant, ignoramus." וְהָיְתָה הָעִיר בְּתוֹכוֹ *Et urbs erit in medio ejus*, scil. ultimae partis de *Thruma*, s. separata a ceteris partibus terra; cf. Vs. 8. et 18.

16. וְאֵלֶּה מִדּוֹתֶיהָ *Et hae sunt mensurae ejus*, (42, 15. 43, 13.). „Quod dicit: *et hae mensurae ejus*, subaudiendum est *civitatis:* in fine enim praeteriti capituli positum est, *et erit civitas in medio ejus*, id est, terrae." HIERONYMUS: פְּאַת צָפוֹן *Latus septemtrionale*, 47, 17. חֲמֵשׁ מֵאוֹת וְאַרְבַּעַת אֲלָפִים Erit (absque suburbio, de quo Vs. 17.) 4500 calamorum. Male alii *ulnas* s. *cubitos* hic supputant; cf. not. Vs. 8. 10. 45, 1. וּפְאַת־ נֶגֶב *Et latus australe*, Vs. 28. 47, 19. Quae post חֲמֵשׁ positae sunt nudae literae, חמש, indicant, olim hisce literis expressum vocabulum cum punctis vocalibus congruis in codicibus aliis exstitisse, in aliis vero non comparuisse. Et hodienum codices plures exstare, in quibus secundum חֲמֵשׁ, quod nota margini apposita legi vetat, plane non compareat, docent Kennicotti et De-Rossii ad h. l. notata. Et sane secundum illud חֲמֵשׁ minime esse necessarium, cognoscitur ex eadem formula, quae praecedit, et duabus, quae in hoc ipso Versu sequuntur. Neque tamen, uti pluribus visum, alterum חֲמֵשׁ pro mendo est habendum. Sunt enim haec verba cum duplici חֲמֵשׁ, monente HILLERO de *Arcano Keri et Chethibh*, p. 146. ita exponenda: „*Latus austri centenûm quinûm et millenûm quaternûm cubitorum* [imo *calamorum*]. Sic שִׁבְעָה שִׁבְעָה Genes. 7, 2. est *septeni*, et ibidem שְׁנַיִם, *duo*, respondet vocibus iteratis שְׁנַיִם שְׁנַיִם, *bini*, Vs. 15. Cf. Num. 29, 10. 15." וּמִפְּאַת קָדִים *Et a latere orientali*, Vs. 2. 3. 23. In paucis aliquot codicibus exstat פְּאַת, ut in reliquis formulis similibus hoc Versu redeuntibus. Urbs situ suo quadrata, conf. Vs. 20. HIERONYMUS: „Primum a plaga septemtrionali incipit, et e regione ponit plagam meridianam. Rursumque par reddit pari, ut orientali plagae e contrario ponat occidentalem, id est, mare (וּפְאַת־יָמָּה), singulaque latera civitatis habeant quatuor millia et quingentos calamos, qui faciunt supputatim undecim millia passuum et octoginta quinque, ut simul omnis urbs, sicut in fine hujus voluminis scribitur, per circuitum habeat decem octo et millia calamorum, qui faciunt quadraginta quatuor millia passuum et trecentos quadraginta."

17. וְהָיָה מִגְרָשׁ *Et erit suburbium*, i. e. ager et locus suburbanus undique ad quatuor latera urbis, Vs. 15. צָפוֹנָה *Versus septemtrionem*, Vs. 10. 31. חֲמִשִּׁים וּמָאתַיִם *Quinquaginta et ducenti* calamorum, cf. not. Vs. 8. 10. 16. De 5000

calamis per singula latera urbis et suburbanorum (Vs. 15.) si demas calamos 4500 ipsius urbis (Vs. 16.), suburbanis supercrunt 500 calami. Horum itaque dimidium sunt 250 calami, qui suburbio adsignantur non tantum versus septemtrionem et austrum (ubi amplius spatium non superest), sed etiam versus ortum et occasum. HIERONYMUS: „Pro *suburbanis*, quae hebraice dicuntur Migras, rursum LXX διάστηται, id est, *spatium*, transtulerunt. Quod autem dicitur, *ducenti quinquaginta*, per singulas plagas, subauditur *calami*, qui sena cubita habent et unum palmum, et per singula latera faciunt passus sexcentos decem et septem paulo minus, et in commune mille calamos, habentes passus duo millia quadringentos sexaginta octo, quae spatia muros per circuitum ambiunt civitatis, ut inter urbem, et ea, quae reliqua sunt, dividant. Ex quo ostenditur, nullum de his spatiis ad exercendum opera civitatis capiendorumque fructuum habere licentiam, sed vacare ab usu et opere hominum, ut circummuralia urbis sponte nascentium virgultorum atque herbarum, et ceterorum, quae terra gignit, habeant amoenitatem."

18. וְהַנּוֹתָר בָּאֹרֶךְ Quod vero *ad residuum attinet*, s. *quod reliquum est* (in hac tertia Thrumae parte), *in longitudine* ab ortu ad occasum, quae erat 25000 calamorum, Vs. 8. 15. 20. לְעֻמַּת תְּרוּמַת הַקֹּדֶשׁ *Juxta* (ut Vs. 21.) *oblationem sacram*, portionem videlicet Levitarum (Vs. 13.), et sacerdotum (Vs. 10.). עֲשֶׂרֶת אֲלָפִים וגו׳ *Decem millia* calamorum *versus ortum et totidem versus occasum.* Nam de medio totius 25000 calamorum longitudinis 5000 pro urbe decerpta fuere, Vs. 15. Quae sequuntur verba repetita, וְהָיָה לְעֻמַּת תְּרוּמַת הַקֹּדֶשׁ cum Coccejo in parenthesi includenda videntur *(erit autem juxta oblationem sacram).* Alii וְהָיָה *permanebit* interpretantur; nempe hoc inculcat, quia bis dicit. וְהָיְתָה תְבוּאָתוֹ *Ut sit*, sive, *illius*, inquam, *proventus sit.* Eodem significatu nomen et Levit. 25, 3. 7. 12. usurpatur. לַלָּחֶם *In panem* et cibum, 2 Sam. 9, 10. לְעֹבְדֵי הָעִיר *Colentibus urbem*, quibus Kimchi illos significari dicit, qui agros, hortos et vineas urbis colunt, nam de colenda terra verbum עָבַד dici notum, vid. supra 36, 9. 34, Gen. 2, 5. Jes. 30, 24. Alii vero *servientibus civitatis*, s. *civitati* intelligunt, id est, qui non domesticis suis, sed publicis civitatis commodis inserviunt. Jarchi ministros sive *servos communes* designari putat, quales erant Gibeonitae, quos ad secanda ligna, et hauriendas aquas, aliaque similia munia Josua in castris constituit, et toti populo adjunxit, vid. Jos. 9, 21. 27. Rectum vidisse HIERONYMUM arbitror, qui totum Versum hunc in modum enarrat: „Post urbis sanctae descriptionem et suburbana ejus, reliquam partem primitiarum Sanctuarii decem millia calamorum in orientem, et alia decem millia ad occidentem tendentium, delegari dicit his, qui opera civitatis exercent ad varios usus et

quibuscunque urbs indiget, ut scilicet serantur, et ex frugibus, quae in hoc terrae nascuntur spatio, vescantur operarii, qui vel moenia urbis exstruunt, vel interrupta et ruinosa restituunt, ut habeat civitas cultum suum, et sarta tecta, cum poposcerit necessitas, instaurentur. Et haec non solum in Israel, sed in Romano quoque fieri probamus imperio, ut quaedam villae sint pertinentes ad jura urbium vel regia munificentia, vel hereditatibus et donatione multorum, ne scilicet paulatim aedificia collabantur, et aedes publicae, quae ornamento sunt civitati, longa vexentur incuria."

19. וְהָעֹבֵד הָעִיר Et quod *operarios urbis* attinet, Vs. 18. יַעַבְדוּהוּ vertunt quidam: *operabuntur in ea*, urbe, cui tamen interpretationi hoc obstat, quod עִיר nomen est generis feminei, quum hic verbo additum sit suffixum masculinum. Quare rectius alii: *colent illud* residuum terrae spatium in longitudine, Vs. 18. מִכֹּל שִׁבְטֵי יִשְׂרָאֵל „Sensus est, colentes urbem sine distinctione sumendos esse *ex omnibus tribubus Israel.*" Coccejus. Cf. 37, 19. 45, 6. Pertinebat ante hoc tempus urbs et templum ad tribum Juda et Benjamin, quare illorum curae videbantur permissa sarta tecta civitatis et templi. Nunc autem, quum longe duae illae tribus ab urbe temploque sint recessurae; aequum videbatur, ut tribubus aliis communis sit ille labor et cura.

20. כָּל־הַתְּרוּמָה *Tota* itaque *Thruma* s. *portio* terrae *separata* (Vs. 8.), scilicet complectens portionem sacerdotum (Vs. 10.), Levitarum (Vs. 13.), et urbis (Vs. 15.). חֲמִשָּׁה וְעֶשְׂרִים אֶלֶף Erit 25000 calamorum in longitudine, Vs. 9. 10. 15. בַּחֲמִשָּׁה וְעֶשְׂרִים אֶלֶף *Cum* 25000 calamorum in latitudine, Vs. 8. coll. Vs. 10. 13. 15. In uno codice Kennicottiano et in alio quodam De-Rossii legitur וְחֲמִשָּׁה רְבִיעִית *Quadratam* enim separabitis oblationem sacram. Vulgatus: *in quadrum.* Alii: *quadrata erit.* LXX: τετράγωνον. Hinc in Apocalypsi 21, 16.: καὶ ἡ πόλις τετράγωνος κεῖται, καὶ τὸ μῆκος αὐτῆς τοσοῦτόν ἐστιν ὅσον καὶ τὸ πλάτος. At quia רְבִיעִית alias constanter *quartam* partem, vel *quadrantem* significat (vid. e. c. Exod. 29, 40. Levit. 19, 24. 23, 13. Nehem. 9, 3. al.), ideo Coccejus haec verba ita interpretatur: *quadrantem* auferetis *cum oblatione sanctitatis ad possessionem urbis. Oblationem sanctam* vocat portionem sacerdotum et Levitarum simul, Vs. 18. Haec tota portio habet 20000 calamos latitudinis. Hujus ergo *quadrans* s. *quarta pars* sunt 5000 calami, qui Vs. 15. assignantur *urbi* (לָעִיר), et hic *in possessionem urbis*, uti sequitur, אֶל־אֲחֻזַּת הָעִיר, quae verba tamen Noldius in *Concordantt. Particular.* p. 41. edit. Tymp. cum his, quae praecedunt, sic interpretatur: „*Quadratam* offeretis oblationem sanctam *ad* possessionem urbis, i. e. *una cum* possessione civitatis," ut Thren. 3, 41. *Attollamus cor nostrum* אֶל־כַּפַּיִם, *una cum manibus ad Deum*, et in

Nota 290 addit, interpretari et Kimchium nostra verba עִם אֲחֻזַּת הָעִיר *cum possessione urbis*, et Jarchium vocare hoc *quadratum, aggregatum ex oblatione sancta, Levitis et sacerdotibus* destinata, *et ex possessione urbis*. „Rectissime," inquit Noldius, nam textus loquitur de area quadrata, ex 25 mille cubitis in se ipsos ductis. Nempe *ex longitudine*, 25 millium, et latitudine separationis sacerdotum 10 millium, Levitarum Sanctuario ministrantium totidem, et urbis cum pomoeriis 5 millium, summa *latitudinis* 25 mill. Quare male Piscator: *praeter possessionem civitatis*. Nam (praeterquam quod אֶל pro *praeter* sit inusitatum), si demas latitudinem urbis, *quinque millium;* relinquetur *parallelogrammon oblongum*, non quadratum; scilicet, ex ducta longitudine 25 millium, in residuam latitudinem, 20 millium. Etiam hallucinantur, qui cum Chaldaeo, Luthero, aliis, exponunt per לַאֲחֻזָּנָא קָרְתָּא, *in possessionem civitatis*. Nam תְּרוּמַת הַקֹּדֶשׁ (sacerdotum et Levitarum) contradistinguitur *fundo urbis*, tanquam sacrum profano Vs. 15. Unde *separatio* illa sancta, *in possessionem civitatis* nullo modo potest ingeri." Simili ratione Gussetius in *Commentarr. Ling. Hebr.* p. 96. edit. Lips. „אֶל„ refert *accessionem ad* rei caput Ezech. 48, 20. אֶת־תְּרוּמַת אֶל־אֲחֻזַּת הָעִיר *elevationem sanctitatis adjunctam ad agrum urbis*. Sic debet *additionis* sensu accipi ad unum totum confieiendum, nam Vs. 21. conjunguntur, לִתְרוּמַת הַקֹּדֶשׁ וְלַאֲחֻזַּת הָעִיר, *ad elevationem sanctitatis et ad agrum urbis*, ita ut hae simul ut portio una opponantur *residuo*, הַנּוֹתָר dicto." *Quadratum*, non *quadrantem*, ut Coccejus, nomine רְבִיעִית intellexit quoque Hieronymus, cujus haec sunt ad h. l. verba: „Sicut diximus de operibus civitatis, sic illud breviter perstringendum est, quod omnes primitiae sanctuarii et possessio civitatis pariter supputata per quadrum continent millia ducenta quadraginta sex et partem tertiam. Si enim viginti quinque millia calamorum, qui senos cubitos habent et palmum unum, faciunt nostra, id est, Romana, sexaginta et unum millia et sexcentos sexaginta septem passus; nulli dubium est, haec in quadruplum supputata, superiorem efficere numerum."

21. וְהַנּוֹתָר *Reliquum autem*, sive, *quod superest* extra quadratum Thrumae, versus orientem et occidentem, inter terram tribus Judae et Benjamin, Vs. 22., cf. Vs. 15. 18. לַנָּשִׂיא *Pro principe*, vid. not. ad 45, 7. מִזֶּה וּמִזֶּה *Hinc et isthinc*, i. e. ab oriente et ab occidente, 45, 7. לִתְרוּמַת הַקֹּדֶשׁ *Ad s. juxta sacram portionem* sacerdotum et Levitarum, Vs. 18. 20. וְלַאֲחֻזַּת הָעִיר *Et ad possessionem urbis*, Vs. 20. 21. אֶל־פְּנֵי Nempe *ante*, 41, 4. 12. 15. 25. חֲמִשָּׁה וְעֶשְׂרִים אֶלֶף *Viginti quinque millia* calamorum in latitudine, Vs. 8. תְּרוּמָה Totius *separatae portionis*, Vs. 8. 20. עַד־גְּבוּל קָדִימָה *Usque ad terminum orientalem* descriptum 47, 18. וְרִמָּה *Et versus occidentem*, Vs.

10. 17. עַל־פְּנֵי וגו׳ *Ante* 25 *millia* Thrumae in latitudine. עַל גְּבוּל יָמָּה *Ad terminum occidentalem*, de quo supra 47, 20. Particulam עַל h. l. pro עַד positam esse, observat Jarchi, et illa ipsa legitur in pluribus codicibus Kennicottianis atque De-Rossianis, nec non ad marginem Bibliorum, quae a. 1518. Venetiis prodiere. לְעֻמַּת חֲלָקִים *Juxta partes* Judae ac Benjaminis, Vs. 22., scilicet *quod reliquum est*, הַנּוֹתָר, ab initio Versus repetendum. Cf. Vs. 18. 45, 8. לַנָּשִׂיא Id, inquam, *principis* erit, Vs. 22. וְהָיְתָה *Ut sit*, vel, *ita erit.* תְּרוּמַת הַקֹּדֶשׁ Vid. Vs. 10. 18. 20. וּמִקְדַּשׁ הַבַּיִת *Et sanctuarium domus* s. *templi*, 47, 1. בְּתוֹכוֹ *In medio ejus;* inclusum nempe ab oriente et occidente hereditate principis; cf. supra Vs. 8. 10. Sic Jarchi: „Omnia ista erunt in medio possessionis principis.“ Hieronymus: „De hoc principe supra [45, 7.] plenius disputatum est, et quod tantum solus acciperet, quantum una tribus: nunc autem aliud discimus, quod ex cunctis tribubus quicquid reliquum fuerit, hic solus accipiat, ut nulla tribus sit, quae principi dona non offerat, non aliunde, sed ex primitiis, quae templo, et sanctuario, et delegatis urbis partibus serviunt. Hoc est enim quod dicit: *e regione*, sive *contra faciem viginti quinque millium primitiarum usque ad terminum orientalem*, *sive usque ad terminum maris*, ut sint primitiae [הַתְּרוּמָה] inter septem et quinque tribus, et in ipsis primitiis civitas et suburbana ejus, et in medio civitatis sanctuarium templi.“

22. וּמֵאֲחֻזַּת הַלְוִיִּם *A possessione quoque Levitarum*, Vs. 13. וּמֵאֲחֻזַּת הָעִיר *Et a possessione urbis*, Vs. 15. 20. 21. Verba quae sequuntur, בְּתוֹךְ אֲשֶׁר לַנָּשִׂיא יִהְיֶה legenda sunt in parenthesi: (id, *in medio ejus*, *quod est principis*, *erit*, scilicet ut dictum jam est Vs. 21.). בֵּין גְּבוּל יְהוּדָה Quod est *inter terminum Judae*, Vs. 7. וּבֵין גְּבוּל בִּנְיָמִן *Et inter terminum Benjamin*, Vs. 13. Jarchi: „Omnis latitudo portionis, quae est inter duas istas tribus, Judae scilicet a parte septentrionali, et Benjaminis a parte meridionali, erit principi.“ Hieronymus: „Sed et de possessione Levitarum et de possessione civitatis quicquid reliquum est, principi deputabitur; eritque pars extrema septem tribuum vicina primitiis et civitati et templo in tribu Juda, et pars extrema quinque tribuum eodem jure quo supra in tribu Benjamin, ipsa extrema pars ad principem pertinebit. Ex quo Scripturae sanctae sacramenta miranda sunt, et cogitanda magis, quam eloquio proferenda. In priori enim divisione terrarum trans Jordanem per Moysen duabus tribubus Ruben et Gad et dimidiae tribui Menasse terra divisa est [Num. 32.], intra Jordanem autem per Josuam filium Nun, et Eleazarum filium Aaron, Judas possedit ab Austro, et Ephraim et Menasse tribus dimidia ab Aquilone [Jos. 13, 3. 15, 2. sqq.]. Postea vero de Silo missis exploratoribus per singulas tribus, et descriptione terrae allata ad Josue et Eleazar [Jos. 18, 1. sqq.], Benjamin juxta Judam ab

Austro, et juxta Ephraim et dimidiam tribum Menasse accepit possessionem. Secunda tribus Simeon hereditatem accepit in tribu Juda, ut implerctur quod scriptum est de Levi et Simeon [Gen. 49, 7.]: *Dividam eos in Jacob, et disperdam eos in Israel:* Tertia, Zabulon, Galilaeam accepit, in qua est mons Thabor. Quarta, Issaschar, ubi est Jezrael, usque ad Jordanem. Quinta, Asser, usque ad montem Carmelum, qui imminet mari magno, Tyrumque et Sidonem. Sexta Nephtalim, in Galilaea usque ad Jordanem, ubi Tiberias, quae olim appellabatur Chenereth. Septima, Dan, usque Joppen. Quum haec se ita habeant, et inter priorem tribuum descriptionem, et quae nunc habetur, tanta diversitas sit; hoc consideremus, quomodo et in praesenti descriptione et praeterita inter tribum Juda et Benjamin urbs et templum collocatum sit. Et in priori quidem descriptione Judas erat ab Austro, et Benjamin ab Aquilone, hic vero e contrario fit, ut Judas sit ab Aquilone, et Benjamin ab Austro, post quem secundus est Simeon, tertius Issaschar, quartus Sebulon, quintus Gad, quinque videlicet tribus, sicut in consequentibus dicitur."

23. Diviserat supra Vs. 1 — 7. terram a parte aquilonari, ibique septem constituerat tribus, incipiens a Dan, usque ad Judam, a cujus sorte incipit spatium illud viginti quinque millium calamorum, de quo proxime. Postquam vero medium illud spatium in varios dominos ac ministeria divisit, ad aliarum tribuum sortitionem progreditur. Et ducit sortes ab ea regione, unde superiores, nempe ab orientali ad occidentalem plagam, eo namque tendit longitudo terrae. וְיֶתֶר הַשְּׁבָטִים *Porro quod* ad *reliquas tribus* attinet, nempe meridionales, conf. not. ad Vs. 1. בִּנְיָמִן אֶחָד *Benjamin una* tribus, s. portio erit, vid. not. Vs. 1. sqq. Ea tribus olim in distributione a Josua facta accepit terram inter tribum Juda et filios Josephi (Jos. 18, 11.), hic vero inter *Thruma* s. oblationem sacram et tribum Simeon ponitur, coll. Vs. 24. Idem observandum de sequentibus, vid. quae ad Vs. 22. ex Hieronymo attulimus.

27. „Illud breviter attendendum in extrema quinque tribuum, tribum *Gad*, quae in priori descriptione fuit trans Jordanem, poni in eam partem, quam prius Judas tenuit, ad plagam videlicet Austri." Hieronymus.

28. De תֵּמָר et nominibus, quae sequuntur, vid. not. ad 47, 19. Pro עַל הַיָּם in duobus Kennicotti codicibus עַד־הַיָּם, *usque ad mare*, legitur, quod et LXX expresserunt. In paucis aliis codicibus אֶל־הַיָּם, *ad mare*, exstat, quod forsan et Chaldaeus legit, qui לְיַמָּא vertit.

29. זֹאת הָאָרֶץ *Haec* est *terra*, cf. Num. 34, 2. 12. 13. Deut. 34, 4. אֲשֶׁר־תַּפִּילוּ *Quam* jacta *sorte dividetis*, vid. 45, 1. מִנְחָלָה *De hereditate;* nam tota terra, inquit Coccejus, est hereditas, sed ea non tota sorte distribuitur tribubus, quia in

ea est *oblatio*, תְּרוּמָה. Sed in aliquot codicibus legitur בְּנַחֲלָה, *in hereditatem*, quod et veteres expresserunt. לְשִׁבְטֵי יִשְׂרָאֵל Singulis *tribubus Israelis*, Vs. 19. 31. וְאֵלֶּה מַחְלְקֹתָם *Et hae* sunt *divisiones* s. *distributiones earum* tribuum, vel *eorum* Israelitarum, cf. Jos. 11, 23. 12, 7.

30. תּוֹצְאֹת הָעִיר *Exitus*, i. e. portae *urbis*, cf. 42, 11. מִפְּאַת צָפוֹן *A latere septemtrionali*, ut etiam orientali, Vs. 32., australi, Vs. 33. et occiduo Vs. 34. חֲמֵשׁ מֵאוֹת וגו׳ *Quatuor millia quingenti* calamorum *mensura* erit, Vs. 33., uti jam supra Vs. 16. dictum est. Cf. Jer. 31, 38. 39. 40., ubi similiter urbi futuro tempore restaurandae spatium assignatur multo majus, quam quo olim patuit.

31. „Nunc scribitur, per singula latera, id est, per undecim millia passuum et octoginta quinque passus ternas fuisse portas [שְׁעָרִים], quas Aquila, Symmachus et Theodotio *διεξόδους*, LXX *διεκβολὰς* vocant; nos interpretati sumus *egressus* et *exitus* civitatis.“ Hieronymus. In enumeratione portarum, quae singulae de tribubus Israelitarum sunt denominatae, incipere Noster videtur ab occidentali angulo lateris septemtrionalis, progressus versus ortum, meridiem et occidentem. Imitatus est hunc locum Joannes Apocal. 21, 12. sqq. שַׁעַר יְהוּדָה *Porta Judae* media inter portam Rubenis et portam Levi. Sic etiam post Rubenem in Mosis verbis novissimis Juda ponitur et deinde Levi, Deut. 33, 6. 7. 8. Quia autem tribum Levi hic ceteris duodecim tribubus adnumerat; ideo sequenti Versu pro *Manasse* et *Ephraim* una porta *Josephi* reperitur. Sic Deut. 33, 13.

32. Pro וְשַׁעַר יוֹסֵף sine copula priori nomini praeposita (quae et Vs. 31. 33. 34. ante nomina tribuum deficit), שַׁעַר יוֹסֵף in nonnullis codicibus legitur, probante De-Rossio. Nec exprimitur copula ab ullo veterum.

34. שַׁעֲרֵיהֶם *Portae eorum*, Israelitarum, vel Gad, Ascher et Naphtali. Sed in uno codice Kennicottiano et in alio quodam De-Rossii legitur שַׁעֲרִים, quod et a LXX codicis Romani, et a Syro Hexaplari expressum. Similiter sine suffixo pronomine, sed praemissa copula וּשְׁעָרִים unus codex Kennicottianus, LXX codicis Alexandrini, Arabs et Syrus, sed hi posteriores praeposito numero שְׁלֹשָׁה, quod in hebraeo sequitur.

35. סָבִיב שְׁמֹנָה עָשָׂר אֶלֶף *Circuitus*, totus ambitus erit *octodecim millium* calamorum, qui numerus exsurgit ex quatuor lateribus urbis 4500 calamorum in unam summam ductis, vid. Vs. 16. et 30. sqq. Est itaque *diameter* urbis *trium*, et *perimeter* sive totus ambitus, *undecim* aut *duodecim* circiter *milliarium Germanicorum*. Cujus mensurae vix quarta pars fuit circuitus Hierosolymae sub templo secundo: ejus enim totus ambitus 23 stadiis finiebatur secundum Josephum *de Bello Jud.* Lib. V. Cap. 4. §. 3. *Τῆς πόλεως δὲ*, inquit, *ὁ πᾶς κύκλος σταδίων ἦν τριάκοντα τριῶν.* Idem Libro I. *contra Apionem* §. 22. T. II.

p. 456. edit. Haverc. ex Hecataeo haec affert: *Μία δὲ πόλις ὑχυρὰ πεντήκοντα μάλιστα σταδίων τὴν περίμετρον, ἣν οἰκοῦσιν ἀνθρώπων περὶ δώδεκα μυριάδες. Καλοῦσι δὲ αὐτὴν Ἱεροσόλυμα.* Sed major haud dubie ipsius Josephi fides est. Apocal. 21, 16. civitati assignatur amplitudo 12000 stadiorum. וְשֵׁם־הָעִיר מִיּוֹם יְהוָה שָׁמָּה *Nomen vero urbis illius*, novae Hierosolymae, adhuc descriptae, *a die* s. *tempore* illo, quo restaurata fuerit, erit: *Jehova ibi* scil. habitat, coll. Joel 4, 20. וַיהוָה שֹׁכֵן בְּצִיּוֹן *et Jova habitat in Zione.* Sed Chaldaeus nostra verba ita vertit: *et nomen civitatis declarabitur a die, quo habitare fecerit Dominus majestatem suam ibi.* Quod Jarchi ita explicat: „Ac si diceret: non alio urbs illa nomine vocabitur, nisi nomine primo, quod ipsa habuit a die, qua ligavit Abrahamus filium suum, Isaacum; (illud videlicet habebit) nomen, quod ipse ei imposuit, יִרְאֶה *videbit*, [Genes. 22, 8.], quod si jungas nomini שָׁלֵם [quo jam Melchisedeci aetate urbs ea fuit appellata, Genes. 14, 18.], prodibit יְרוּשָׁלֵם." Cf. de commentitio hoc urbis Hierosolymitanae etymo *Josephum Gorionidem* p. 709. edit. Goth., et Breithaupti ibidem notam. LXX nostrum locum ita reddunt: *καὶ τὸ ὄνομα τῆς πόλεως, ἀφ' ἧς ἂν ἡμέρας γένηται, Κύριος ἐκεῖ ἔσται τὸ ὄνομα αὐτῆς.* Pro שָׁמָּה legerunt שְׁמָהּ, *nomen ejus*, quomodo et recentiores nonnulli Judaeorum pronunciare jubent. Vid. Huetii *Demonstrat. Evangel.* p. 630. edit. Lips. Quasi hoc dicat vates, urbis nomen futurum esse *Jova.* Nec aliter verba hebraea cepisse videtur Syrus: *nomen autem urbis* quod attinet, *inde a diebus ejus Dominus vocavit eam.* Genuinum sensum solus ex veteribus expressit Vulgatus: *et nomen civitatis ex illa die: Dominus ibidem.* Ad quae Hieronymus: „Nomen quoque ipsius civitatis nequaquam erit, ut prius, Hierosolyma, quae interpretatur *visio pacis*, scd *Adonai sama*, quod in Latinum sermonem vertitur *Dominus ibidem*, quia recedet numquam ab ea, ut a priori populo ante decessit, sed aeternam habeat possessionem." Eodem prorsus modo et Kimchi hunc locum interpretatur. Imitatus noster vates est Jesajam, qui de urbe futuro tempore restituenda: וְקָרְאוּ לָךְ עִיר יְהוָה צִיּוֹן קְדוֹשׁ יִשְׂרָאֵל *appellabant te Jovae urbem, Zionem Sancti Israelis.* Nec non Jeremiam, qui 33, 16. de felici futuro aevo ita: *illa tempestate servabitur Judaea, tuteque deget Hierosolyma,* וְזֶה אֲשֶׁר־יִקְרָא־לָהּ יְהוָה צִדְקֵנוּ *eaque hoc nomine vocabitur: Jova justitia nostra.* Cf. Ps. 46, 6. Ab Ezechiele sua mutuatus est Joannes Apocal. 21, 2. 3. *Καὶ ἐγὼ Ἰωάννης εἶδον τὴν πόλιν τὴν ἁγιάν, Ἱερουσαλὴμ καινὴν, καταβαίνουσαν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, ἡτοιμασμένην ὡς νύμφην κεκοσμημένην τῷ ἀνδρὶ αὐτῆς. Καὶ ἤκουσα φωνῆς μεγάλης ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, λεγούσης· Ἰδοὺ, ἡ σκηνὴ τοῦ Θεοῦ μετὰ τῶν ἀνθρώπων, καὶ σκηνώσει μετ' αὐτῶν, καὶ αὐτοὶ λαοὶ αὐτοῦ ἔσονται, καὶ αὐτὸς ὁ Θεὸς ἔσται μετ' αὐτῶν, Θεὸς αὐτῶν.*

EXPLICATIO ICHNOGRAPHIAE

TEMPLI AB EZECHIELE DESCRIPTI.

H I K L Murus exterior universum templi aedificium et atria ambiens, cujus singula latera ad quatuor coeli plagas quingentorum calamorum longitudinem habuerunt, C. 40, 5. 42, 5—20.

A Cellae sive thalami (חֲדָרִים) utrinque tres ad dextram et sinistram uniuscujusque portae, 40, 7. 10. 21. 29.

I Limen portae interioris, quae in atrium patuit, 40, 6.

m n o p Atrium exterius, de quo 40, 17—19.

⊙ Aditus ab oriente, quo per scalas ad superiora aedificiorum conclavia perveniri poterat, 42, 9.

☾ Adscensus aedificii australis in fronte orientali (☿), cujus gradus ducebant in ambulationem mediam superiorem, 42, 12.

M N O P Atriola caminata, de quibus 46, 21—24.

V Scala, quae ad aedificium cubiculorum ducebat, de quo 42, 1. sqq.

Z Aedificium cubiculorum, de quo 42, 1.

W Aditus ad sacerdotum coenacula, 46, 19.

E Culina sacerdotum, 46, 20.

D Coenacula sacerdotum, 42, 13.

B Cella sacerdotum aedis curam gerentium, 40, 45.

C Cella sacerdotum habentium arae procurationem 40, 46.

EE Maris aenei in templo Salomoneo locus, 1 Reg. 7, 23—26.

DD Altare holocaustorum, Ariel dictum, Cap. 40, 47. 43, 13 — 17.

rs Latitudo frontis templi centum cubitorum, 41, 14.

ooq Longitudo templi centum cubitorum, 41, 13.

oopp Latus templi occidentale, 75 cubitorum latitudine, 41, 12.

CC Vestibulum templi, 40, 48.

BB$\alpha\beta\gamma\delta$ Templum ipsum s. Sanctum, 41, 2. sqq.

AA Sanctum Sanctorum, 41, 4.

HH Tabulata templo ipsi adhaerentia, undique per aedis ambitum trina alia aliis imposita, 41, 6. 7.

F Spatium inter parietem templum ambientem et tabulata, 41, 10.

EZECHIELIS
DE
TEMPLI VISIONE
CAPITA TRIA, XL. XLI. XLII.

EMENDATA, AD VERBUM TRANSLATA ET PER IMAGINES QUAM BREVISSIME EXPLICATA

A

JUL. FRID. BOETTCHERO
DRESDENSI.

Interpositis numerorum et literarum notis significantur imaginum partes; inclinatis literis ea, quae in Hebraicis vel immutata vel addita sunt, ac paribus quidem, ubi certa et necessaria emendatio, minusculis, ubi probabilis visa est; rectis minusculis distinguuntur, quae suspecta haberi neque tamen satis certo aut probabiliter emendari potuerunt. Omnis autem vel emendationis, vel interpretationis vel suspicionis ratio reddetur in libello brevi proditurο: Proben alttestamentlicher Schrifterklärung nach wissenschaftlicher Sprachforschung etc. Lips. Weidmann. 1833. 8.

PRAEFATIO.

(v. Tab. I, Form. 1.)

Vicesimo quinto anno migrationis nostrae, initio anni, de- XL, 1.
cimo [die] mensis, quarto decimo anno postquam urbs excisa erat, eo ipso die incidit in me Jovae manus, deduxitque me illuc; per visa divina deduxit me in terram Israeliticam et collo- 2.
cavit me ad montem perquam altum, super quem [erat] quasi urbis aedificium (Tab. I, Form. 1.) a meridie. Atque deduxit me 3.
illuc, et ecce virum, cujus species [erat] quasi aeris species, et

funiculus lineus in manu ejus et calamus mensuralis; ipse autem
4. stabat ad portam (O 1). Inde coepit me alloqui ille vir: „fili hominis, adspice oculis tuis et tuis auribus percipe, et attende animum tuum ad omnia, quae ego tibi monstraturus [sum]; nam ut monstrentur tibi, huc adductus es; referto, quaecunque tu visurus [es], ad domum Israelis.“

PARTIS PRIORIS

(Cap. XL, v. 5—47.)

SECTIO I.

(XL, 5—27.)

§. 1.

De muro extremo et Orientali porta exteriore.

(Tab. I, F. 1; II, F. 2.)

5. Ecce autem murus extrinsecus circa aedem [erat] circumcirca (A A), et in manu illius viri calamus mensuralis sex cubitorum cubito et palmo [longorum]; et mensus est latitudinem illius structurae calamo uno (a-a) et altitudinem calamo uno.

6. Tum ingressus est portam, quae spectabat versus Orientem, ascensisque gradibus ejus (F. 2, $\alpha\gamma$), mensus est limen portae ($\alpha\beta\gamma\delta$) calamo uno [in] latitudinem (α-β), idque limen unum
7. (Γ 1), calami unius latitudine [1]); et thalamum (Δ) uno calamo in longum (β-ε) et calamo uno in latum (β-ς); et inter thalamos (ε-ζ, ε-ζ) quinos cubitos, et limen portae (Γ 2) juxta
[8.] 9. vestibulum portae (*E*), intrinsecus, calamo uno (η-ϑ). [8 [2])] Tum mensus est vestibulum portae (*E*) octo cubitis (ϑ-ι) et antas [3])

---

1) q. d.: tam late patebat (quod sane mireris) unum continuum merumque limen; vel q. d.: id erat unum limen, de altero postea videbimus.

2) Versus ex antecedentibus et sequentibus verbis temere conflatus deest in *LXX*, *Vulg.* *Syr.* *Arab.* et 11 *codd. hebr.*

3) Liceat ita quam brevissime nominare parietum ostiariorum vel lateralium procurrentes frontes sibi oppositas, quibus

ejus binis cubitis (ι-o, ι-(1)); vestibulum autem portae [erat] intrinsecus (cf. v. 34. Tab. I, o(1) opp. O(2)).

Ac thalami [quidem] portae versus Orientem terni hinc et 10.
terni illinc (Δ III. II. I, 3. 2. 1.); mensura una [eademque] his ternis, et mensura una antis eorum (ϑ-η, ζ-ε, β-α, γ-δ) hinc atque illinc. Tum mensus est latitudinem ostii portae decem 11.
cubitis ($\varkappa$-λ, β-δ etc.), longitudinem portae ternis denis cubitis (α-μ, μ-ϑ); et limitem ante thalamos ($\nu\nu$) singulis cubitis, 12.
et singulos cubitos limitis illinc, et thalamum senis cubitis hinc et senis cubitis illinc.

Tum mensus est [totam] portam a tecto thalami ad tectum 13.
ejus [in] latitudinem (e-e) viginti quinque cubitorum, [qua erat] ostium contra ostium. Conficiebat autem, quidquid antarum erat, 14.(15?)
sexaginta cubitos [4]); atque ad antas [erat] impluvium (Z ad $\varepsilon\zeta$), porta ipsa circumcirca ($\mu\mu\,\mu\mu$, O 1-o 1 circa Z). Atque a fronte (14?)15.
portae introitoriae (O 1 ante α-μ) ad frontem vestibuli (o 1 ante E) portae interioris (ϑ-μ) quinquaginta [erant] cubiti (α-o). Fe- 16.
nestrae autem obfirmatae in thalamis [erant] et in antis eorum intra portam circumcirca; pariterque in vestibulo (E) fenestrae [5]) circumcirca intrinsecus; inque antis palmae caelatae.

---

limina transitusve utrinque includuntur, cf. v. 10. 14. 16. 48. 49. Apud Vitruvium similiter saltem antae dicuntur eae pilae, in quas parietes laterales templi a fronte aperti excurrunt, h. e. in consimili figura graecae literae Π jacentis particulae eae, quibus puncta apposuimus ⊏; V. *Rode* ad Vitruv. III, 2 (1). IV, 8 (7).

4) Tantum *conficiebat* omnium antarum (h. e. parietum transitoriorum ut $\alpha\beta$, $\gamma\delta$, 4 $\varepsilon\zeta$, 2 $\eta\vartheta$, 2 ιo, 4 ad ee, 4 ad |:| in E) consummata mensura. At vero parum probabilis est et consummatio ista, et verbi עשה, quam sumere oportet, significatio. Quare collatis iis, quae *LXX* quamvis corrupta praebent, conjicere licet: ועשוי את אילים ששית אם *Et structae erant antae e sexta parte postibus*, ita ut sexta uniuscujusque pars postis esset ($\alpha\varkappa$, $\gamma\lambda$, $\varepsilon\mu$, $\zeta\mu$, $\vartheta\varkappa$, $\vartheta\lambda$), cf. de ששית 1 Reg. 6, 31. 33. de אם Jes. 6, 4.

5) omisso ו ante ח cf. *LXX. Vulg. Arab.* et 2 *codd. hebr.* apud *Kenn.*

§. 2.

De atrio exteriore cellisque ejus.

(Tab. I, F. 1.)

17. Tum introduxit me in atrium exterius (B B), et ecce [ibi] cellae (C C) [erant] ac stratura (b b) facta in atrio circumcirca,
18. triginta cellae ad straturam (C 1-5 etc. -30). Stratura autem erat ad latera portarum (O 1, N 1, S 1), juxta longitudinem por-
19. tarum, inferior [illa quidem] stratura. Ac mensus est latitudinem a fronte portae inferioris ad frontem atrii interioris extrinsecus centum cubitis ad Orientem et ad Aquilonem (o 1 - O 2, n 1 - N 2).

§ 3.

Portae exterioris atrii, septentrionalis et meridiana.

(Tab. I, F. 1.)

20. Item eam portam, quae spectabat versus Aquilonem, in atrio
21. exteriore, (N 1) mensus est longitudine et latitudine; et thalami ejus, terni hinc et terni illinc, antaeque ejus et vestibula (c d d) erant ad mensuram portae prioris (O 1), quinquaginta cubitorum longitudo ejus (N 1 - n 1) et latitudo quinque et viginti cubito-
22. rum (c - e). Ac fenestrae ejus *ipsius et* (d d) vestibul*i* ejus [6]), et palmae ejus [erant] ad mensuram illius portae, quae spectabat versus Orientem; et gradibus septem (ad N 1) ascendebatur in eam; sed vestibul*um* ejus (d d) [erat] *introrsus* [7]) (cf. n 1 et N 2).
23. [Erat] autem porta atrii interioris contra portam ad Aquilonem atque ad Orientem (N 2, O 2 contra N 1, O 1), mensusque est a porta ad portam centum cubitos (n 1 - N 2).
24. Deinde me perduxit versus Austrum, et ecce, [ibi erat] porta versus Austrum; mensusque est *thalamos ejus et* [8]) antas ejus

---

6) וחלונו לו ולא', vulgo: וחלונו וא'; sed cf. v. 25. 29. 33. ibique quae *LXX* et *Vulg.* reddunt, similiter corrupta atque hic hebraica.

7) לפנימה (*LXX*) cf. מהבית v. 9. et opposita v. 31. 34. Vulgo, utcunque interpretaberis, inepte: לְפָנֵיהֶם.

8) ex *LXX* additum, cf. v. 21. 29. 33. 36.

et vestibula (c d d) ad mensuras easdem illas. Atque fenestrae 25.
[erant] ipsi et vestibulo ejus (d d) circumcirca sicut fenestrae
eaedem illae; quinquaginta cubitorum [erat] longitudo, (S 1 - s 1)
et latitudo quinque et viginti cubitorum (e - e), et gradus septem 26.
ejus scala (ad S 1), sed vestibulum ejus *introrsus* (s 1, cf. S 2);
palmae etiam ei [erant], singulae hinc et singulae illinc in antis
ejus. [Erat] autem porta atrii interioris versus Austrum (S 2), 27.
mensusque est a porta ad portam versus Austrum centum cu-
bitos (s 1 - S 2).

SECTIO II.

XL, 28—47.

§. 4.

De portis atrii interioris.

(Tab I, F. 1.)

Introduxit autem me in atrium interius per portam Austra- 28.
lem (S 2), mensusque est hanc portam Australem ad mensuras
easdem illas; et thalamos ejus et antas ejus ac vestibula (c d d) 29.
ad mensuras easdem illas. Ac fenestrae [erant] ipsi et vestibulo
ejus circumcirca; quinquaginta cubitorum longitudo (S 2 - s 2),
et latitudo viginti quinque cubitorum (e - e). [30 ? [9])] Vestibulum [30?]
autem ejus (d d) ad atrium exterius [erat], et palmae in antis 31.
ejus, gradusque octo ejus adscensus (ad S 2).

Tum introduxit me in atrium interius versus Orientem, 32.
mensusque est portam (O 2) ad mensuras easdem illas; et thala- 33.
mos ejus et antas ac vestibula (c d d) ad mensuras easdem illas;
ac fenestrae [erant] ipsi et vestibulo ejus circumcirca; longitudo
quinquaginta cubitorum (O 2 - o 2), et latitudo quinque et viginti

---

9) V. 30. ab hoc loco rerumque ratione alienus (etiamsi porticus ff ad K 1. 2. אילמות dici putes) in *LXX* cod. Vat. et ed. Compl. nec non in tribus codd. hebr. omissus est, in aliis transpositus, in uno quodam ad marginem notatus dictusque in multis libb. desiderari aut deleri.

34. cubitorum (e - e). Vestibul*um* autem ejus (d d) ad atrium exterius [erat]; ac palmae in antis ejus hinc atque illinc, et octo gradus adscensus ejus (ad O 2).

35. Tum introduxit me in portam Aquilonarem (N 2), mensusque
36. est ad mensuras easdem illas; thalamos ejus, antas ejus et vestibula (c d d); ac fenestrae ipsi [erant] circumcirca; longitudo quinquaginta cubitorum (N 2 - n 2) et latitudo quinque et viginti
37. cubitorum (e - e). *Vestibulum* [10]) autem ejus (d d) ad atrium exterius, et palmae in antis ejus hinc atque illinc; et octo gradus adscensus ejus (ad N 2).

§. 5.

De apparatu immolationum ad portam int. Aquil.

(Tab. II, F. 3.)

38. Cellula autem ostiumque ejus [erat] in antis (H H) [ad] portas (cf. Tab. I, N 2 ad c et n 2); ibi lavarent holocaustum.
39. Atque in vestibulo portae (dd) binae [stabant] mensae hinc, binaeque mensae illinc (ξξ), ad immolandum super eas holocau-
40. stum et piaculum peccati delictique. Item ad latus extrinsecus prope adscensum ad ostium portae Aquilonaris duae [erant] mensae (π 1), atque ad latus alterum, quod vestibulo portae [erat,
41. etiam] duae mensae (π 2); quatuor mensae hinc (ξ, π 1) et quatuor mensae illinc (ξ, π 2) ad latera portae, octo [ergo] mensae,
42. super quas immolarent. Quatuor etiam mensae [erant] ad scalam (ϱϱ), lapides politi longitudine cubitorum singulorum et semis et latitudine cubitorum singulorum et semis, et altitudine cubitorum singulorum; in his quidem reponerent instrumenta, quibus im-
43. molarent holocaustum et victimam. Uncorum autem series, palmi unius, impactae [erant] intra domum (d d, H H) circumcirca; et super mensas carnes oblatorum [11]).

---

10) ואלמו, cf. *LXX* et v. 31. 34. Vulgo (ut alias quoque pro אילמו in singg. codd.) corrupte: ואילו.

11) *LXX: tecta, ut protegerentur a pluvia et aestu.*

§. 6.

Interioris atrii cellae spatiumque.

(Tab. I, F. 1.)

Atque extra portam [12]) interiorem (n 2) cellae [erant] *duae* [13]) 44.
in atrio interiore (K 1. 2), *una* [14]) ad latus portae Aquilonaris
(K 1 ad N 2), sed frons (g ch) *ejus* [15]) versus Austrum, un*a* [14]) ad
latus portae *Australis* [16]) (K 2 ad S 2) fronte (k ck) versus Aqui-
lonem. Tum [sic] me alloquutus est: „haec cella, cujus frons 45.
[est] versus Austrum (K 1), sacerdotibus [esto] aedis administra-
tionem habentibus. Ea autem cella, cujus frons versus Aquilonem 46.
(K 2), sacerdotibus altaris administrationem habentibus; hi [sunt]
Sadokidae, accessuri ex Levitis ad Jovam ad ministrandum ei.“

Tum mensus est atrium (DDDD) longitudine centum cubi- 47.
torum (g-h) et latitudine centum cubitorum (g-k) [in] quadra-
tum; altare autem (l) [erat] ante aedem.

PARTIS POSTERIORIS

(Cap. XL, 48 — XLII, 14.)

SECTIO I.

(XL, 48 — XLI, 26.)

§. 7.

Templi partes priores et interiores.

(Tab. II, F. 4. cf. F. 1, E, F, G)

Tum introduxit me in vestibulum aedis (E) mensusque est 48.
antam vestibuli quinis cubitis hinc et quinis cubitis illinc (σ-τ, σ-τ),

---

12) *LXX: et introduxit me in aulam.*

13) ut *LXX* habent, *Hebr.: cantorum, Syr.: principum,* utrumque שרים corruptum ex שתים.

14) *LXX: μία* (אחת), *Hebr.:* אשר *quod* (quae?), et altero loco: אחד *unus.*

15) *Hebr.:* פניהם *frons eorum,* sed cf. *LXX* et v. 45.

16) *Hebr.:* הקדים *Orientalis, LXX: τῆς πρὸς νότον* (הדרום). cf. similem corruptelam in codd. hebr. 42, 10. (coll. v. 13.) 40, 27. (Kennic.)

et latitudinem portae *quatuordecim cubitis* (σ-σ, τ-τ), *et latera portae*[17]) ternis cubitis hinc et ternis cubitis illinc (τ-υ, τ-υ);
49. *et*[18]) longitudinem vestibuli viginti cubitis (υ-υ, φ-φ), et latitudinem *duo*decim[19]) cubitis (υ-φ); gradibus autem *decem*[20]) adscendebatur ad ipsum (ante $\sigma\sigma$); et columnae [erant] ad antas ($\sigma\tau$, $\sigma\tau$), una hinc atque una illinc ($\chi\chi$).

XLI, 1. Tum introduxit me in templum ipsum (F); mensusque est antas, senos cubitos latitudinis hinc et senos cubitos latitudinis
2. illinc (ψ-ω, ψ-ω), latitudinem tentorii[21]); (?) et latitudinem ostii decem cubitorum (α-α, ω-ω) et latera ostii quinum cubitorum hinc et quinum cubitorum illinc (ω-$\eta\iota$, ω-$\eta\iota$); tum mensus est longitudinem ipsius quadraginta cubitis ($\eta\iota$-$\omega\iota$) et latitudinem viginti cubitis ($\omega\iota$-$\omega\iota$);

3. progressusque introrsum mensus est antas ostii binis cubitis ($\alpha\upsilon$-$\varepsilon\upsilon$), et ostium sex cubitis ($\varepsilon\upsilon$-$\varepsilon\upsilon$) et *latera*[22]) ostii
4. septenis cubitis ($\varepsilon\upsilon$-$o\upsilon$); itemque mensus est longitudinem ipsius

---

17) in *Hebr.* ob ὁμοιοτέλευτον (השער — השער) omissa, et ex *LXX* interpp. necessario restituenda.

18) ut apud *LXX*, *Syr.* *Vulg.* *Arab.*; in *Hebr.* ו ob antecedens מפו absorberi potuit.

19) ut *LXX* convenienter *parium* numerorum usui in reliquis et summae *centenariae* v. 13.: V + XII (40, 48, 49.) + VI + XL + II + XX (41, 1—4.) + VI + IV + V (41, 5. 9.) = C. In *Hebr.* ex שחי עשר anticipato initio posterioris vocabuli factum עשתי עשר.

20) *LXX*: δέκα (עשר in *Hebr.* depravatum ad אשר).

21) quod cum v. 1. conjunctum vel sic accipiendum: quantum latitudinis *antae* habebant (ψ-ω) *tantumdem* (cf. v. 5.) totus paries cellam et sacrarium (F G cf. Tab. I.) ambiens instar pristini *tentorii* (אֹהֶל), vel sic: *sex* cubitos pro latitudine antarum id ipsum *spatium ostiarium* latum erat ($\psi\,\omega\;\omega\,\psi$), quod aulaeo vel aulaeis instar *tentorii* velatum אֹהֶל dici solebat. Sin autem ר׳ האי cum v. 2. conjunxeris (ut *Syrus*), אֹהֶל erit *velum* ipsum ad ψ-ψ vel ω-ω vel utrobique instar *tentorii* obductum, pro latitudine ostii (v. 2.) *denos* cubitos latum.

22) ut *LXX* habent loco *hebraici* וְרֹחַב, quod ex וְרֹחַב הַפִּ׳ v. 2. facillime aut oculorum errore huc deferri aut explicandi causa ad והפתח appositum alieno loco inseri potuit.

[penetralis] viginti cubitis (*ου-οι*) et latitudinem viginti cubitis ad frontem cellae templi (*ου-ου* ante F), atque „hoc“ (G), inquit mihi, „sanctissimum [est] sanctorum.“

§. 8.

De adstructis templo partibus.

(Tab. II, F. 4. cf. I, IK.)

Tum mensus est parietem aedis senis cubitis (*αι-ει*, cf. 5.
Tab. I, circa F, G.) et lateralium aedicularum latitudinem quaternis cubitis (*ει-ηυ*) circumcirca in aedis circuitu [23]). Aedi- 6.
culae autem laterales, aedicula ad aediculam tri*cenae* [erant] *tribusque* [24]) vicibus (m 1-30, m, m 2, m 3), intrantesque in parietem, qui intus [erat] ad aediculas circumcirca (*ει, υι, υι, ει*), quo essent adhaesurae neque tamen inhaesurae essent in pariete aedis (*αι, οι, οι, αι*, cf. 1 Reg. VI, 5. 6.). Dilatabatur autem 7.
et convertebatur [25]) [spatium] superne magis magisque in aediculis (m 2, m 3); nam „quod circuibat aedem iter“ (aliter: conversio [spatii] interni) superne magis magisque circumcirca introrsum [erat]; inde dilatatio [spatii] interni superne; atque *ex* [26]) inferioribus adscensus erat (*Θ*), sursum ad superiores, in medias. Vidi [27]) autem [quantum] introrsum (ad p l. 2. *ηυ*, 8.

---

23) fortasse vel apposita (cf. *LXX*) vel transposita (cf. v. 10.).

24) transpositis numeralibus hoc modo: שלשים ושלוש פ׳, quae quidem et ab intpp. pro „*triginta tribus vicibus*“ vel „*triginta tribus bis*“ (פַּעֲמַיִם) accipi, et sic accepta a librariis in usitatiorem ordinem שלוש ושלשים פ׳ inverti potuerunt. Salvo hoc ordine צ׳ אל צ׳ vel legendum vel intelligendum esset צ׳ על צ׳, *aed. super aed. trinae* [*idque*] *tricies.*

25) h. e. mutabatur, ita quidem ut, pari servato per omnes ab ostio ad ostium spatio, tamen inferiores (m), 4 cub. latae et 5 longae, prorsum tendere, mediae 5 latae et longae in medio stare, superiores 6 cub. latae, conversa latitudine in longitudinem, in transversum ire viderentur.

26) *LXX*: καὶ ἐκ (ימן); *Hebr.* corrupte: וְכֵן.

27) alias inusitatum per haec capp. et suspectum adeo, cum *LXX* pro eo exhibeant: τὸ ὄρος (הָרְאֵל s. טַרְאֵל *mons dei?* תְּאַרְאֵל *terminus*

non ad r) altitudinis [erat] circumcirca, fundamentis (*Λ Λ*) substructas aediculas laterales plenum [ad] calamum, sex cubitos
9. ad extremum usque. Latitudo parietis, qui [erat] aediculis lateralibus extrinsecus, quinos [habebat] cubitos (*ηυ*-p 1. *ηυ*-p 2); quodque [vacuum erat] intermissum *inter*[28]) laterales appendices
[10.] aedis et inter cellas, in latum patebat vicenos cubitos (Tab. I,
11. IK: r-q, w-y, r-q) in circuitu aedis circumcirca. Ostium autem lateralium, ad intermissum illud spatium, unum [erat] ad Aquilonem et unum ostium ad Austrum (p 1. p 2); et latitudo *editi*[29]) spatii intermissi (*Λ Λ*) quinum cubitorum [erat] circumcirca (p 1-r, *Λ*-*K*, *Λ*-*K*, p 2-r).

§. 9.

Summa mensurarum templi eorumque, quae pone et juxta sita erant.

(Tab. I, F. 1.)

12. Ejus autem structurae, quae [erat] ad frontem areae separatae (HHHH) a parte in Occidentem vergente (w-v) latitudo [erat] septuaginta cubitorum (X-t), et paries structurae quinum cubitorum latitudine circumcirca (v-a, y-a, u-a, x-a, y-a, w-a), ejusque longitudo nonaginta cubitorum (y 1 - y 2, u-x).
13. Atque mensus est aedem longitudine centum cubitorum (I-K) et aream separatam (HH) structuramque [adjacentem] cum pa-
14. rietibus ejus (L-M) longitudine centenum cubitorum; et latitudo frontis aedis areaeque separatae ad Orientem [erat] centum cu-
15. bitorum (M-M); mensusque est longitudinem structurae ad frontem areae separatae, quae [erat, erant?] in posteriore ejus

---

dei? Ejusmodi nomine nescio quo *edita* templi area dici utique potuit, cf. 43, 15.)

28) בֵּית aut ex Aramaismo aut ex scripturae mendo pro בֵּין. Secundum בֵּית (בַּיִת) versus vulgo distinguuntur.

29) ex conjectura (מְרוֹם) pro מָקוֹם, quod jam antiquitus variasse videtur, cf. *LXX* et *Syr.*

(illius?) parte (X) ipsique adstructas praecinctiones hinc et illinc (y 1-a, y 2-a) centum cubitis (a-a).

§. 10.

De operibus ligneis et ornamentis templi.

(Tab. II, F. 4.)

Templum autem interius (F, G) vestibulumque (E) *exte-* (16.)
rius [30]), limina [31]) ($\gamma\gamma$, $\gamma\gamma$, $\gamma\gamma$) et fenestrae obfirmatae (cf. 16.
No. XII.) et adstructa tabulata (m, m2, m3) in circuitu per omnia tria contra [uniuscujusque] limen [32]) obducta [erant] ligno (v. Tab. I, No. VII.) circumcirca. Atque [a] solo usque ad fe- (17.)
nestras — ac fenestrae quidem obtectae [erant] [33]) — supra 17.
ostium et usque ad intimam aedem atque extrinsecus, et in omni pariete circumcirca, interno et externo, *sculpturae* [34]) [erant], fabrefactique gryphi et palmae et palma inter gryphum et gry- 18.
phum, binaeque facies grypho; atque humana quidem facies 19.
versus palmam hinc et facies leonina versus palmam illinc; [sic erat] fabrefactum in tota aede circumcirca. A solo usque ad 20.
superiora ostii illi gryphi palmaeque illae fabrefactae *in* [35]) pariete templi.

Cellae templi postes [erant formae] quadratae (ψ-α, ψ-α), 21.
et [in] fronte sacrarii species talis, qualis [erat] [36]). Ara [erat] 22.
lignea, tres cubitos alta, et longitudo ejus duorum cubitorum (Ξ)

---

30) *LXX:* ἐξώτερον (החיצון), *Hebr.* mendose וְאֻלַמֵּי הֶחָצֵר, nec minus perversa est distinctio commatum et h. l. et inter v. 16. 17.

31) *Hebr.:* הַסְּפִים, sed cf. נֶגֶד הַסַּף — *LXX:* πεφατνωμένα (הספנים), cf. הַחַל הָאֵט.

32) h. e. ita ut asseres *in transversum* irent, pariter ac limina.

33) glossam videntur sapere.

34) Vulgo inepte et sine dubio corrupte: מְהוּמָה. Conjecimus: מקלעות ex *LXX* intpp. et 1 Reg. VI, 29.; quamquam hoc ipsum מק rei explicandae causa ad עשוי כ apponi atque inde in מדות depravari potuit.

35) לקיר ex quo mutilatum videtur (cf. v. 25.), quod nunc reperimus וקיר. Prius ההיכל jam Masorethae notarunt.

36) quasi non opus fuerit, aut non fas dicere, qualis esset.

et latitudo cubitorum duorum [37]); angulosque suos habebat et *basin* suam [38]) et parietes suos lignea [omnia; de qua sic] ille
23. me allocutus est: „haec mensa Jovae apposita.“ Binae autem fores
24. [erant] cellae templi et sacrario; binaeque fores his foribus, [i. e.] binae valvae versatiles forium, duae [quidem] uni forium (α-o,
25. o-$\gamma\gamma$) itemque duae fores alteri (α-o, o-$\gamma\gamma$). Ac fabrefacti in iis, in foribus cellae templi gryphi et palmae, quales factae [erant] in parietibus, et liminare lignum (sed solidum li.?) ad frontem vestibuli forinsecus (ad ψ-ψ?); et fenestrae obfirmatae et palmae hinc et illinc [erant] in lateribus vestibuli (v-φ, v-φ) et aediculis lateralibus aedis, et fundamentis liminaribus ($\Lambda\Lambda$).

SECTIO II.

XLII, 1—14.

§. 11.

De cellis sacerdotalibus templo proximis, iisque septentrionalibus.

(Tab. I, F. 1.)

XLII,1. Tum eduxit me in atrium exterius (BB) ea via, [quae erat] versus Aquilonem, et introduxit me in eas cellas (Q 1), quae [erant] contra separatam aream (HH), quaeque contra
2. structuram (X, A), ad Aquilonem, ad frontem longitudinis illius centum cubitorum (LM, W-Y) ostio [patente] ad Aquilonem (T?, jj?); sed latitudo (L-P, M-R) quinquaginta cubitorum
3. [erat;] contra [39]) vicenos eorum (Qr-T), qui [erant] atrio

---

37) ex *Graeco* addita.

38) ut *LXX* exhibent, אדנו pro vulg. ארכו.

39) Quod sequitur in *Hebr.* הָעֶשְׂרִים, dubium est propter articulum praepositum. Hinc praestare videtur, quod *LXX* et *Syr.* exhibent, modo cum והרחב ח׳ א׳ jungatur, השערים: *latitudo* 50 *cubitorum opposita erat portis interioris atrii* (RM contra N2); sed in his quoque *plures* portae nos offendunt, nisi scriptor et cellas et portas utrimque positas (Q 1.2. N2, S2) mente praecepit.

interiori, et contra straturam quae [erat] atrio exteriori (bb cum C 11-15) praecinctio praecinctioni obversa in tertias usque (1.2.3, 1.2.3). Ante cellas autem ambulacrum [erat] decem cubitorum 4. latitudine ad interiora [40]) via *longitudinis centum cubitorum* (ae, ä, ä, ae, W-Y); atque ostia ipsarum (jj) ad Aquilonem [erant]. Sed cellae superiores (3,3) curtatae [erant]; nam detrahebant 5. praecinctiones (super 1,2) ab iis de inferioribus et de mediis (1.2) structurae aliquid; quia tristegae [quidem erant] istae, neque vero 6. columnas habebant, ut columnae [erant] atriorum (ad C 1-30. K. 1. 2.); ideo retractum [erat] de inferioribus et de mediis [recessumque] ab solo (Q 1-q, cf. No. II, a-c). Maceriae autem, 7. quae extrinsecus [erat] juxta cellas versus atrium exterius, ad frontem cellarum longitudo illius [erat] quinquaginta cubitorum (U-V); nam longitudo earum cellarum, quae atrio exteriori 8. [obversae erant [41])] quinquaginta [erat] cubitorum (ä-ä), sed [eadem] ecce ad frontem templi centum cubitorum (L-M). Atque 9. subter cellas hasce (ad W) introitus [erat] ab Oriente, cum introiret ipse (introirent per eum?) ad illas ab atrio exteriore.

§. 12.

De meridionalibus prope templum cellis ipsarumque et septentrionalium institutis.

(Tab. I, F. 1.)

In latitudine maceriae atrii (R-St) versus *Austrum* [42]), ad 10. frontem separatae areae (HH) et ad frontem structurae (X, A) [item erant] cellae (Q 2); et via ante eas ad speciem earum 11. cellarum, quae [erant] versus Aquilonem (Y-W in Q 2 ut in Q 1),

---

40) desunt in *Graeco* et *Syro* glossamque sapiunt. — In seqq. ארך מאה, quae *LXX* servarunt, inter similes voces דרך אמה omissae vel in easdem depravatae videntur, אחת explendi causa ad אמה numeri expers additum.

41) de ל cf. *LXX* et XL, 34. 37.

42) in *Hebr.* mendose: קדים, cf. *LXX* et v. 13. Simile mendum supra XL, 44.

ad longitudinem illarum, *ad* [43]) latitudinem illarum et omnes exitus illarum, et ad rationes illarum et ad ostia illarum — [44])
12. [erant quoque] eae cellae, quae vergebant ad Austrum, ostium in principio viae (W), via (ae-ae) in fronte maceriae recte aptatae (U-V) versus Orientem, qua introeunt illas. Tum ille ad me
13. „cellae," inquit, „Aquilonares, cellae Australes (Q 1.2), quae [sunt] ad frontem areae separatae (H H) hae quidem [sunt] cellae sanctae etc."

(Reliqua vid. apud intpp., etiam de culinis Z, z. c. XLVI.)

FINIS.

15. Peracta sic dimensione aedis interioris eduxit me versus eam portam, quae spectat versus Orientem (O 1) et mensus est cir-
16. cumcirca. Mensus est plagam Orientalem (A, 1-2) calamo mensurae, quingentos [45]) [*cubitos*] in calamo mensurae ad circuitum;
17. mensus est plagam Aquilonarem quingentos in calamo mensurae
18. ad circuitum (2-3); plagam Australem mensus est quingentos
19. in calamo mensurae (1-4). Circuivit ad plagam Occidentalem,
20 mensus est quingentos in calamo mensurae (3-4). Ad quatuor plagas mensus est [aedem]; murus ei [erat] circumcirca, longitudine quingentorum et latitudine quingentorum ad dividendum sacrum inter et profanum.

---

43) in *Hebr.* כן ex ארכן perperam repetitum pro כְּ vel וְכ.

44) in *Hebr.* וכפתחי nil est nisi antecedens vocabulum per errorem repeti coeptum.

45) קנים hoc loco et in seqq. perperam ab interprete male sedulo adjectum, v. „*Proben*" §. 177.

Tab. I, Forma 1.

Templum cum atriis

aedificiisque eorum
secundum
Ezechielis visionem, Ez. c. XL sqq.
ichnographia descriptum
tectis simul tabulatisque umbra distinctis.

Delineavit
Jul. Frid. Boettcher.

N — W — C — S

I. *Aperta loca, sine tecto*

IIa. *Semel tecta singulis tabulatis*

IIb. *Bis tecta, binis tabulatis*

IIc. *Ter tecta, ternis tabulatis*

III. *Muri parietesque sub tecto exstructi, definito situ et ambitu.*

IV. *Parietes et conclavia, sub tecto exstructa indefinito situ et ambitu.*

V. *Muri maceriaeque sub dio exstructae.*

VI. *Saxis stratum,* VII. *ligno obductum.*

VIII. *Introitus et transitus immemorati.*

IX. *Cancellatum quoddam, sepimentum immemoratum.*

1. *A A, muri exterioris structura* (בִּנְיָן, חוֹמָה), *500 cubitt.*
2. *O, N, S, portae (1) exterioris et (2) interioris atrii.*
3. *B B B B, atrium exterius.*
4. *C (1–30), K (1. 2), Q (1. 2), cellaria aedificia* (לְשָׁכוֹת) *penui et sacerdotibus recipiendis.*
5. *D D D D, atrium interius cum (l) ara holocaustorum; in exteriore circuitu (P St dt) maceria* (גָּדֵר).
6. *E, F, G, I K, templum ipsum, v. Tab. II, F 4*
7. *H H H H, area separata* (גִּזְרָה)
8. *X–t, murorum cellarumque structura* (בִּנְיָן), *usu immemorato.*
9. *z z, culinae sacerdotum sub (Q 1 2) cellis sanctis* (לִשְׁכוֹת הַקֹּדֶשׁ)
10. *Z (1–4) atriola cum culinis populi.*



Tab. II.

Singularia
Aedificia sacra
secundum
Ezech. c. XL. XLI.
descripta.

Delineavit
Jul. Frid. Boettcher.

Scala
triplicatis mensuris
formarum
Tab. I: O (1), N (2), I K.



F. 4.
Templum
secundum Ezech. XL, 48 – XLI, 26.
ichnographia descriptum
addita superiorum partium adumbratione quadam.



I – IX itidem ut Tab. I.

Articuli retractionesque parietum sub dilatatis aediculis lateralibus (X) medii (bis tecti) et (XI) summi (semel tecti) tabulati.

Fenestrarum ora in pariete templi super lateralium tabulatorum tecta altius eminente.

1. E, vestibulum s. pronaos templi (אוּלָם).
2. F, cella templi (הֵיכָל).
3. G, sacrarium sanctissimum (ק׳ הַקֳּדָשִׁים, הַקֹּדֶשׁ).
4. mm, tabulata lateribus adstructa (אַתִּיקִים) cum triceuis aediculis lateralibus (צְלָעוֹת).
5. δ-τ, ψ-ω, αν-ξν, parietum ostiariorum frontes, antae (אַיִל).
6. τ-ν, ω-ψι, ξν-ον, latera (כְּתֵפוֹת) ostiorum.
7. κκ, columnae, olim „בֹּעַז יָכִין et."
8. γγ, γγ, limina (סִפִּים), ad ψ-ψ(?) editum (עָב?)
9. ψ-α, αν postes (מְזוּזוֹת).
10. α-γγ, αν-γγ, ostia cum (α-ο, ο-γγ) binis valvis plicatilibus (מוּסַבּוֹת) binarum forium (דְּלָתוֹת).
11. Ξ, altaris mensa (שֻׁלְחָן, מִזְבֵּחַ).
12. AA, Fundamenta continuata (מיסדות) molesve (עֲבִים?) vel ad extollendum templum substructae, vel ad fulciendum adstructae.

F. 3.
Pars interioris portae septentrion.
Ezech. XL, 38 – 43



N (2)



F. 2.
Exterior
Porta orientalis
Ezech. XL, 6 – 16.





De Forma 3.

1. St St, maceria (גָּדֵר) circa atrium interius.
2. HH, in antis portarum (אֵילִים הַשְּׁעָרִים) cellulae (לְשָׁכוֹת) lavandis hostiis.
3. dd, vestibulum portae; in eo et pro eo (ξξ. π 1 2.) mensae ligneae; ad scalam (לְעוֹלָה), saxa quadrata (ςς) pro mensis.

De Forma 2.

1. AA, muri exterioris structura, v. Tab. I.
2. Γ (1 2), limen (סַף) unum et alterum (LXX αἰλαμ, אילם).
3. Δ (I–III, 1–3) thalami excubitorii (תָּאִים).
4. E, vestibulum (אוּלָם) idque una cum Γ: אֵילַמּוֹת.
5. αβ, γδ, εζ, ηθ, ιο, parietum lateralium procurrentes frontes, antae (אַיִל).
6. νν limes (גְּבוּל) thalamorum.
7. ακ, γλ, θκ, θλ, thyromatis parastades (אם?).
8. Z, impluvium (חָצֵר) sine tecto.
9. εε, ostia sibi opposita (פֶּתַח נֶגֶד פ׳).
10. α-μ, porta introitoria (הַשַּׁעַר הָאִיתוֹן), μ-θ, porta interior (הַשַּׁעַר הַפְּנִימִי), sub tecto utraque.

BS1145 .R815 1828 v.5
scholia in Vetus Testamentum in
Princeton Theological Seminary--Speer Library
1 1012 00066 3569